DE LIBERTATE ECCLESIÆ

IN CONFERENDO ECCLESIASTICA BENEFICIA

NON MODO CLERICIS INDIGENIS, VERUM ETIAM EXTRANEIS,

AC

DE IMMUNITATE

BENEFICIARIORUM MERE SIMPLICIUM
A PERSONALIS DEBITO RESIDENTIÆ.

OPUS

Nùnc primo editum, in quatuor Tomos distinctum, & Sacrâ Eruditione
plenè refertum; in quo adversùs modernos Impugnatores

IPSARUM

LIBERTATIS, ET IMMUNITATIS

Rationibus Scripturalibus, Theologicis, Petitis ex SS. Patribus, & ex Sac. Conciliis,
Legalibus tandem, Historicis, & Politicis, claro, & eleganti eloquio probatur,

Quod liberum, & licitum est Ecclesię, illiusq; Ministris, atquè in primis Romano Pontifici ejusdem Ecclesię Capiti, necnon Episcopis, aliisque omnibus, tàm Ordinariis, tàm Delegatis Beneficiorum Collatoribus, atquè ad ea Nominatoribus, ipsa Beneficia, non modò Clericis Indigenis, verùm etiàm Extraneis impertiri.
Et quòd Beneficiarii merè simplices à Residentiæ personalis debito sunt immunes.

UNIVERSIS EPISCOPIS, ET ORDINARIIS LOCORUM,

Eorumque Vicariis, Præsulibus, Abbatibus, Ministris, & Consiliariis Principum, Senatoribus, Judicibus, Theologis, Jurisconsultis, Causidicis, Politicis, Historicis, & Eruditis, cunctis demùm Beneficiorum Collatoribus, & Patronis, tàm Ecclesiasticis, quàm Laicis, valdè utile, & respectivè necessarium.

AUCTORE ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. DOMINO

JOANNE BAPTISTA BRASCHIO

CÆSENATEN. EPISCOPO SARSINÆ, COMITE BOBII.

TOMUS I.

CONTINENS RATIONES, ET PROBATIONES PRÆFATÆ LIBERTATIS,
De Sæculo in Sæculum conquisitas, ab initio Ecclesię usquè ad Sæculum Decimumquartum inclusivè,
Quibus ostenditur, Ecclesiam, à suo exordio usquè ad illam ętatem, semper, & inconcussè,
totalitèr, atquè integrè ipsâmet libertate potitam esse.

GLORIOSISSIMO APOSTOLORUM PRINCIPI

DIVO PETRO

Primo Ecclesiæ Dei Antistiti, Universi Orbis Primati, Janitori Regni Cœlorum, Pastori Ovilis Christi, ejusdemque Vicesgerenti, humillimè dedicatus.

LUGDUNI, MDCCXVIII.
Superiorum permissu, & privilegio.

GLORIOSISSIME PRINCEPS

APOSTOLORUM.

M*Ultifariàm, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, noviſſimè locutus eſt nobis in Filio* (*a*), quem trabeâ humanitatis indutum, ineffabili modo ad nos miſericorditèr delegavit, *ut mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum* (*b*), & Eccleſiam ædificaret, *quam acquiſivit ſanguine ſuo* (*c*). Ipſe verò poſtquàm tandèm, completo ſuæ Miſſionis officio, erat citò reverſurus ad Patrem, antequàm Cœlos penetraret, Vicariale munus æterni ſui Pontificatus, porrectione Myſticarum Clavium, in Vobis, Apostolorum Princeps Gloriosissime, collocavit (*d*): quem ex Simone vertit in Petrum (*e*): Petram reddens im-

(a) *Hebræor. cap. 1 num. 1.*

(b) *Ad Titum cap. 2. n. 17.*

(c) *Actor. c. 20. num. 28.*

(d) *Matth. c. 16. num. 19.*

(e) *Joann. cap. 1. num. 42.*

immobilem, cautem solidissimam, atquè adeò inconcussam, ut contrà eam nec etiàm ipsæ unquàm possent portæ Inferi prævalere (*f*). Sed & dum hærens super maris littore Vos vocavit, ac stupentibus elementis, marinos vertices sub Vestris gressibus inclinavit (*g*); in aquis multis, populos multos, gentes, & linguas significantibus (*h*), universitatem gentium Vestræ submisit amplissimæ potestati, ut cuncta omninò subesset ei *universalis Ecclesia, toto Orbe diffusa* (*i*). Verùm hanc ipsam ille Vobis, non tàm regendam commisit, quàm & strenuissimè defendendam: priusque sub symbolo pascendi ovilis, trinam à Vobis professionem intensæ dilectionis elicuit (*l*); ut intelligeretis quàm sibi gratam rem, charamque, imò & charissimam commendaret (*m*). Quià igitur hodiernâ die *Libertas*, & *Immunitas* ipsius Ecclesiæ ab illâ parte concutitur, quæ plenarium spectat arbitrium præficiendi sacris præbendis, non modò Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos, benemerentes, & dignos: ac exemptionem Beneficiariorum merè simplicium à personalis debito residentiæ; *oportet ad Vestrum referri Apostolatum pericula hæc, & scandala emergentia in regno Dei* (*n*); ut Vos virtute multâ, *in manu forti, & brachio extento* (*o*) ad exhibendum Ecclesiæ ipsi adjutorium jamjàm protinùs consurgatis, & sedenti in amaritudine sponsæ Vestræ præsidium cœlitùs porrigatis: quo munita citò *solvat vincula colli sui captiva filia Sion* (*p*); & non ex Dominâ in vilem vernulam convertatur. Profectò custodiam Libertatis Ecclesiæ in suorum administratione bonorum, officiorumque dispensatione, Vobis Christus tunc visus est commendasse, cùm jussit, staterem per Vos didrachma poscentibus exhiberi (*q*): necnon cum fidelium oblationes ad pedes Vestros ingenti religione deponi (*r*), atque consilium capi suggessit, distribuendi alteri Ministerium, de quo prçvaricatus est Judas (*s*): Linteo subindè coràm Vobis mirabilitèr explicato, *in quo erant quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia Cœli,*

My-

(f) *Matth. c. 16 num. 18.*

(g) *Joann. c. 21. num. 7.*

(h) *Apocal. c. 17. num. 15.*

(i) *S. Bern. de consid. l. 2. c. 8.*

(l) *Joann. c. 21. num. 15.*

(m) *S. Jo. Chrisost. & Theophyl. in Joan. 21. 15.*

(n) *S. Bernard. epist. 190. ad Innocent.*

(o) *Deuteronom. cap. 5. n. 15. 4. Regum c. 17. n. 36.*

(p) *Isaiæ cap. 52 num. 2.*

(q) *Matth. c. 17. à num. 23.*

(r) *Actor. cap. 4. num. 35.*

(s) *Actor. cap. 1. n. 15. & 25.*

Mystica significatione notantia, quia nulla est apud Deum acceptio personarum in participatione sacrorum (t). Immunitati quoque ipsius Ecclesiæ à Vobis consuli voluit; cùm vos illis, qui conabantur eam submittere jugo antiquæ servitutis, docuit auctoritate plenâ resistere (u): & Ananiam, ac Saphiram, violatores patrimonii sacri, pœnâ terribili coërcere (x). Pergite igitur, GLORIOSISSIME APOSTOLE, Vicesgerens Æterni Verbi, in plenissimo exercitio commissi Vobis cœlitùs Magisterii, & dum ego exiguus servus Vester, pro earundem *Libertatis*, & *Immunitatis* defensione pusilli hujus Operis exhibeo servitutem; Vos illud gratum habete, illi robur de sursum infundite, illius benignè suscipite patrocinium: ut sub Vestro munimine prodiens è prælo, tuto pede per universum Orbem incedat: verba veritatis resonet: eloquia sinceri sensus exponat: imperterritè tandèm loquatur de testimoniis Domini in conspectu omnium, & non confundatur (y). A Vobis etenìm Sacrorum Antistitum in famulatu Ecclesiæ ita fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Vobis tribuitur, per Vos cœteris conferatur (z). Talis proculdubiò, ac tanta, *ut si quid etiàm nostris temporibus rectè per nos agitur, rectèque disponitur*, Vestris *operibus*, Vestris *sit gubernaculis deputandum* (a).

(t) *Actor. c. 10. n. 12. & 34.*

(u) *Actor. cap. 5. à num 10.*

(x) *Actor. cap. 5. à n. 1. ad 10.*

(y) *Psalm. 118. num. 46.*

(z) *S. Leo serm. 2 de Natal. Apost.*

(a) *S. Leo serm. 3 de Natal. Apost.*

NON

NON SUMUS ANCILLÆ FILII,

SED LIBERÆ:

QUA LIBERTATE CHRISTUS NOS

LIBERAVIT. *Galat.cap.4.n.31.*

PRÆ-

PRÆMONITIO

AD INGENUUM, DOCTUMQUE LECTOREM.

1. AUDITE *hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem: quique terrigenæ, & filii hominum, simùl in unum dives, & pauper* (a). Annis elapsis præli lucem publicam aspexerunt plures libri, & libelli, quorum uni titulus est: *De rè beneficiaria dissertationes tres, ubi Caroli III. Austrii Hispaniæ Regis, pii, felicis, victoris, P.P. Augusti Edictum, quo fructuum captionem in Sacerdotiis externorum, & vagantium Clericorum jubet, tàm summo, tàm optimo jure, rectè, atque optimè factum demonstratur.* Alter sequens frontispicium præsefert: *Considerationi Theologico - politiche, fatte à prò dell'Editto di S.M. Cattolica, intorno alle rendite ecclesiastiche del Regno di Napoli.* Alterum prima facies ità distinguit: *Ragioni del Regno di Napoli nella causa de suoi beneficii ecclesiastici.* Alterius tandèm initium sic perorat: *Considerationi sopr'al nuovo libro intitolato: Regni Neapolitani ergà Petri Cathedram Religio adversus calumnias Anonymi vindicata, distinte in cinque parti.* Vix è Typographi manibus hi codices in publicum prodierunt: cùm *insonuit terra à clamore eorum* (b): cœpitque per orbem divulgari eorundem novitas, & quid continerent, non tàm curiose, quàm studiosè plurimum, ac valdè seriò trutinari: mirantibus aliis, aliis vix credentibus, talia ex religiosâ Urbe Neapolis emersisse.

(a) *Psalm. 48. nu. 2.*

(b) 3. *Regum c. 1. num. 40.*

2. Hujus rumoris murmur, de die in diem latiùs se diffundens, ad locum quoque Residentiæ nostræ pervenit, etsi serotinus, & confusus. Undè impensius excitata est in nobis cupiditas eosmet codices lectitandi, tùm ut genio studiositatis nostræ complaceremus, horis præsertìm à pastorali officio vacuatis, sivè minùs occupatis: Tùm etiàm, ut & nos oculis intueremur, quid, & qualia continerent. Audiebamus etenìm, famâ referente, multa de illis dici, & quod jàm effusiùs eructata ex officinâ Impressoris numerosa eorum congeries, per totum orbem usquèquaque diffundebatur: quodque nedùm per Catholicas Regiones, verùm etiam per Hæreticas, veluti Locustarum examina, cuncta depascentium, saltitabant. Operâ igitùr Amici, Neapoli residentis, non sinè ingenti pretio, exemplaria unuscujusque illorum tandèm habuimus, quæ avidè legimus, attentè perscrutati sumus, ac repetitè pervolvimus, calamo seorsìm, proùt opportunitas deposcebat, signantes ea, quæ nobis videbantur magis peculiaritèr adnotanda: iisque coinsertis, ac summatìm unà perstrictis, in corde nostro exclamavimus cum Propheta: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementèr. Duo enim mala fecit populus* iste, sivè Auctores horum voluminum: *nàm derelinquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* (c).

(c) *Jerem. c. 2. n. 12.*

3. Ejuratâ quodammodò illâ reverenti religiositate, quâ in urbe Neapolis coli consuevit, & honorari Ecclesia Dei, ejusdemque Dignitas, Immunitas, & Libertas; Auctores præfati, cum possent stare super semitas antiquas, & ambulare proùt antè per eas (d): possent, inquam, res beneficiales in eo statu relinquere, quem pacificè ab initio fidei usquè ad nostra tempora tenuerunt; præcipiti consilio ausi sunt *transgredi terminos, quos posuerunt patres nostri* (e), & novitatem ingentem in Ecclesiâ Dei excitare, aptam quidèm conturbare

(d) *Jerem. c. 6. n. 16.*

(e) *Proverb. c. 22. num. 28.*

ipsius

ipsius Ecclesiæ tranquillitatem; Sed novitatem talem, in quâ ipsimet Auctores, justitiâ, & æquitate duce, nunquàm poterunt prævalere. Profectò (pace illorum sit dictum) animositate multâ *posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transivit in terrâ* (a). Ex condicto ipsas Libertatem, & Immunitatem Ecclesiæ aggressi sunt impugnare, ut ex dominâ eam vertant in famulam: & ut quæ à latere Christi libera nata est (b), cum vernulis vilissimis ancilletur. Quod agendo, diversis quidem itineribus in suo eloquio procedunt, sed communis eorundem intentio est, subtrahendi Ecclesiæ plenam illam, & integram libertatem, quâ usque modo potita est, beneficia ecclesiastica Clericis undecùmque progenitis, dignis tamen, & benemerentibus impertiendi (extra loca privilegio Apostolico, extraneos excludente, munita): & cum Immunitate à residentiæ personalis debito, si sint beneficia merè simplicia. Inculcant itaquè, non esse sacras præbendas nisi Clericis indigenis, & residentibus in loco beneficii conferendas: extraneis, ac non facientibus ibidem residentiam, longius ablegatis. Et rationibus, & ratiunculis, per varias scientias conquisitis, contendunt, lædi jura divinum, naturale, & humanum, si collatio ad solos Indigenas non arctetur, atque ad Clericos tales, qui personalitèr commorentur, & inserviant Ecclesiis, in quibus erecta sunt beneficia, tametsi merè simplicia.

4. Prætereà mirum est, quantâ verborum acerbitate Summi Pontificis, à Deo acceptam (c), vellicant potestatem: cujus & nomen, apud omnes venerandum; quodque & ipsi Reges, atque Imperatores, ac tota simul Ecclesia humillimis frequentat obsequiis, non nisi tenui *Episcopi Romani* denominatione commemorant. Ei connituntur *Apostolicæ potestatis plenitudinem* amputare: dignitatem abscindere *Universalis Antistitis* Ecclesiæ Dei: detrahere facultatem *antiquas leges* mutandi, *novas cudendi*, & semèl editos *canones temperandi*. Supremam ejus diruunt *potestatem in rebus beneficialibus*. Feudalitatem *Regni Neapolis* respectu ad Sedem Apostolicam scommatibus, & cachinnis irrident. Carpunt *Regulas Cancellariæ* Apostolicæ. Mordent *exactiones Annatarum*, quæ Romæ fiunt in Datariâ. Proscindunt impositionem *Pensionum Ecclesiasticarum*, susceptionem *Spoliorum*, Tribunal *Fabricæ D. Petri*. Aliis tandem conviciis illius auctoritatem exagitant; quæ sine sensu doloris audiri non possunt, pietatem non offendentia, sed destruentia: & quidem hoc fit non in partibus infidelium, sed in Regno Romanæ Ecclesiæ feudali. Sanè si Sedes Apostolica dehonestatur, quid erit tutum inter filios Ecclesiæ? Si Romani Pontificis dignitas deturbatur, cuinam sua dignitas servabitur illibata? *Si hæc humiliabitur, ad cujus confugiemus auxilium* (d)? Certè cum Apostolicâ Sedestante, tota stat interrita Ecclesia: eâ corruente, hanc quoque dirui necesseest. Nec etenim subsistet Ecclesia, super Petram, & Petrum fundata (e), si Petri dignitas conteratur.

5. Ità principalitèr, & in recto per libros præfatos, & Ecclesiæ in Papâ, & Papæ in Ecclesiâ, summa potestas quoàd res, beneficia ecclesiastica concernentes, impetitur: sed in obliquo potestas quoque Augustissimi Imperatoris, Christianorumque Regum, ac omnium Ecclesiæ Antistitum impugnatur, & generalitèr universorum Christifidelium, tàm Clericorum, quàm Laicorum, ad quos spectat, vel per viam liberæ collationis, vel respectivè per viam jurispatronatus, beneficia ecclesiastica dispensare. Si etenim Summo Pontifici subtrahitur libertas Clericis benemerentibus, non modò indigenis, verùm etiàm extraneis, ipsamet beneficia conferendi, & conferendi absquè onere personalis residentiæ, si sint beneficia merè simplicia; consequens est, ut etiam Romanorum Imperator, ac Reges Orthodoxi, & Episcopi Ecclesiarum, aliique omnes, Clerici, ac Laici, beneficiorum collatores, aut respectivè ad ea nominatores; compari libertate remaneant denudati. Porrò quot sunt in Ecclesiâ Dei sublimissimi Reges, qui beneficia dispensant, ab illorum nominatione pendentia? Augustissimus Imperator, nonnè per viam jurispatronatus, ac per aliam primarum Precum, de multis ecclesiasticis beneficiis pro suâ voluntate disponit (f)?

Chri-

(a) *Psalm. 72. n. 9.*

(b) *Goffrid Vindoc. Opusc 1. §. 6.*

(c) *Matthæi c. 16. num. 19. & ibi Interpretes. Joan. de Turrecrem. Sum. Eccl. lib 2. c. 44. Vid. infr. tom. 3. cap. 13. n. 26. 27. 28.*

(d) *Isaiæ cap. 10. num. 3 Cap. aliorum 14. caus. 9. qu. 3.*

(e) *Matth. 1. cap. 17. num. 18.*

(f) *Engel, Colleg. Juris p. 2. l. 3. tit. 15. num 70. § 7. Castald. de Imper. quæst. 100. num. 14. 15 Jo: à Cokier Scholia in prim. prec. Imper.*

Christianissimus Rex Franciæ, Catholicus Rex Hispaniæ, nonnè permulta distribuunt beneficia? Et intermissis aliis, notum est, quod potentissimus Rex Neapolis plurima in suâ potestate retinet beneficia, Archiepiscopalia, Episcopalia, Abbatialia, & alia inferioris categoriæ, quæ Regiæ nominationis appellantur (a): eaque usque ad præsens tempus liberè, non modò Clericis Regnicolis, verùm etiàm aliis, Italis, vel Hispanis, aut undecùmque progenitis, juxtà eorum exigentiam meritorum, suique regalis servitii opportunitatem, fuit solitus impertiri: nec unquam Reges prædefuncti, etsi pluriès interpellati, hanc à sè libertatem abscindere voluerunt (b). Illam autem nùnc prælibati libri prorsùs evertunt: quippè si eadem libertas Summo Pontifici detruncatur, à quo in alios omnis potestas beneficiorum dispensativa dimanat (c); quomodò in Rege Neapolis, & in aliis quibusque poterit subsistere, ne diruatur?

(a) *Joan. de Ponte decis.12 n.14. Marta de Iurisd par.2.c.40. num.5.*

(b) *Vid infr.Tom.2. cap.27. à n.16.ad 40.*

(c) *Gonzal.ad regul. 8. Cancel. §.1. proem. num.9. 10. & alii.*

6. Quoàd Episcopos quoque, in universâ Ecclesiâ constitutos, & peculiaritèr de illis, qui in eodem Regno Neapolis commorantur; certum est, eos cum adeptâ dignitate sortitos esse integram libertatem conferendi beneficia, ad se pertinentia, Clericis illis, quos & sibi, & suæ Ecclesiæ (vel etiàm Ecclesiæ universali, quotiès id ferant rerum circumstantiæ) agnoscunt posse utiliùs famulari, undecumquè ortum duxerint, vel originem: Nèc satis exprimi potest, quanta sit utilitas hujusmodi libertatis, nisi practicè ponderetur, quæ, & qualis illius Præsulis sit angustia, qui non habens inter indigenas viros moribus, & doctrinâ præstantes, quibus beneficia committat, & Parochiarum curam, Sanctimonialium regimen, Seminarii directionem, locorumque piorum administrationem concredat; vel qui persecutionem sustinens à suis subditis, quorum insidias, aut circà honorem, aut circà vitam, debet rationabilitèr formidare; solatium pro posse quærit, sed de solatio cogitur desperare, dum extraneorum adjutorio vacuatur, quippè quos si ad se trahere velit, non habet præmium, quod possit tandèm illorum laboribus elargiri. *Prælati*, inquiebat Durandus Episcopus Meldensis in Concilio Viennensi, *dum non habeant quod pro meritis retribuant literatis personis, non inveniunt servitores, sine quibus prælationes suas rectè administrare non possunt* (d). Tàm utile igitur, ac necessarium subsidium de Antistitum hodie manibus laceratur per volumina memorata: quæ libertatem ipsam Ecclesiæ, summoque illius apici Romano Pontifici denegando; eandem in obliquo cunctis etiàm corripiunt Episcopis: in quibus major potestas, major non potest esse libertas, quàm resideat in Pontifice: ne plus posse videantur membra, quàm caput, & partes Ecclesiæ, quàm possit supremus ejusdem moderator.

(d) *Ex Act.Concil. Vienn. ann. 1311. ap. Bail.to.1.f.459.*

7. Simile detrimentum, congruâ proportione servatâ, sentiunt alii quoquè Ordinarii locorum, Abbates, Præpositi, Magnates, Nobiles, Cives, Artifices, generalitèr tandèm omnes Clerici, & Laici, beneficiorum collatores, ac respectivè ad ea nominatores. Istis etenìm, si non in rectò, certè in obliquo, & consecutivè, libri præfati libertatem illam prorsus abscindunt, quâ usque modo potiti sunt, sua beneficia Clericis, tùm indigenis, tùm extraneis impertiendi, sine onere residentiæ, si sint beneficia merè simplicia: quanto cum ipsorum Collatorum, vel Patronorum præjudicio; non est qui ex sè non valeat uberrimè cogitare. Nàm præterquamquod ipsi, ac respectivè illorum Consanguinei, viceversâ excludendi venient à beneficiis locorum, quorum incolas à beneficiis suæ largitionis excludunt; contingit valdè crebrò, eosdem habere vel Consanguineos extraneos, quibus ante alios debent ordinatâ charitate succurrere: vel Amicos extraneos, à quibus auxilium, præsidium, favorem, in opportunitatibus habuerunt, aut in posterum adipisci posse confidunt: vel alios demum Clericos, itidem extraneos, benemerentes, & dignos, qui sibi in aliquo decenti officio famulantur, ut in scribendis epistolis, vel in erudiendis doctrinâ, bonisque moribus filiis, aut nepotibus, vel in rei familiaris curâ regulanda, quibus debent se gratos reddere, ac munificos exhibere. Hæc autem procul-

dubiò

dubiò totalitèr diruuntur, neque valent ad effectum perduci, dato loco generali exclusioni cujuscumque extranei ab ecclesiasticis beneficiis, & subtractioni immunitatis beneficiariorum mere simplicium à personalis debito residentię.

8. Ista itaque summa est eorum, quæ in præfatis voluminibus continentur. Quorum quinam, & quot fuerint Auctores, nobis est omninò incompertum. Ex stylo tamen, ex methodo, ex varietate sermonum, ac disparatâ rerum mixturâ, plures eos fuisse videtur: qui nihilominùs cum anonymè suos codices publicaverint; nos nullatenùs solertes fuimus detegendi nomina eorum, qui nè scirentur, se silentio commiserunt: sed potiùs de illis diximus in corde nostro, quod Anastasius Pontifex de Ruffino: *ita habentur à nostris partibus alieni, ut quid agant, ubi sint, nescire cupiamus: ipsi deniquè viderint, ubi possint absolvi* (a). Certè si sunt Clerici, eis improperari poterit allegoricè cum Propheta: *Erubesce Sidon ait mare* (b). Illos etenìm debet undequaquè pudere, talia, & tàm enormia protulisse, libertati, & immunitati Ecclesiæ adversantia, quam Clericorum est impavidè tueri, non audaciùs impugnare. Si Laici; dent quæso veniam, quid habent laici se de rebus ecclesiasticis immiscere? Laici, quorum est ab Ecclesiâ discęre, non in eâdem os aperire: ac ab ipsâmet leges accipere, non eidem exequenda præscribere: neque *illi facere præjudicium, de quâ cuilibet mortalium non licet ferre judicium* (c)? Utcumque res se habeat, in reliquis nos putamus, eosdem Auctores viros esse peritos, ac multæ literaturæ, dignos qui inter viros doctos computarentur, si veritati dedicassent calamum, quem tot dicteriis inutiliter commodarunt. At fortè ita scripserunt, non juxtà intimi eorum sensus veridicam opinionem, sed potiùs ad opportunitatem causæ, sibi ab aliquibus commendatæ, eo modo quo interdùm operantur Causidici, qui in Curiis Judicum *subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiaçinationes acutissimas concludentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes* (d), de causis perorant, non proùt sentiunt, sed proùt judicant favore suorum Clientum, in illis rerum circumstantiis, opus esse profari.

9. Doctrinæ igitùr illorum, eruditioni eorum omnem deferimus, quem debemus honorem; sed ipsorum scriptis nullatenùs possumus assentiri. Sciat antèm benignus Lector, nos ab ipsis propemodùm adolescientiæ nostræ initiis in votis habuisse aliquod Opus typis exponere, ut eos imitaremur, proùt pusillitas nostra posset, qui ad memoriam proprii nominis apud posteros propagandam, *labore literario monimenta suorum dogmatum reliquerunt* (e). Sed quamnam tractaret materiam studium nostrum, in ambiguo versabamur. Nàm Legalium librorum plenus est mundus. Moralium, tanta est copia, ut ferè creverit in immensum. Scholasticorum, Scripturalium, Historicorum, quam numerosa sit congeries; amplæ Bibliothecæ, vix illos continentes, inclamant. De quâ ergo rè ageret liber, ut magistralis esset, ac subjectum præseferret, nunquam ab aliis pertractatum? Sustulerunt dubium scripta Contradictorum, cùm in illa tandem impegimus. Nàm articulos Libertatis, & Immunitatis, de quibus mox diximus, impugnantes, tametsi apud omnes certissimos; ansam dederunt menti nostræ sibi proponendi argumentum præsentis Operis, quod suâ novitate aliquid in sè singularitatis haberet.

10. Labori ergo manum apposuimus, animo undequaquè libenti, quià nullus, quod sciamus, de Libertate Ecclesię in præficiendo sacris beneficiis etiàm Clericos extraneos ex proposito, dogmaticè, atque per opus integrum pertractavit: neque de Immunitate Beneficiariorum merè simplicium à personalis debito residentiæ: tametsi de utrâque istarum quæstionum non defuerint Jurisconsulti, & Morales, qui per transennam, persunctoriè, aut alitèr brevi eloquio, in suis Tractatibus verba fecerunt. Sed & necessarium omninò duximus ab aliquo responderi Libris Contradictorum, quippè si ipsimet in voto habuissent, quod excludendi sint à beneficiis extranei, & beneficiarii merè simplices ad residentię personalis debitum sint arctandi, eo quod ità vis, violentia, & prepo-

(a) *Anastas. PP. I. in Tom. 1. Epistol. Rom. Pontif.*

(b) *Isaiæ cap. 23. num. 4.*

(c) *S. Leo PP. IX. epist. 1. ap. Bin. tom. 7. Concil. p. 2. f. 233.*

(d) *S. August. tract. 45 in Joan. post. init.*

(e) *S. August. de Civit. l. 18 c. 41.*

potentia laicalis fieri velit, non obstantibus, quibuscumque juribus, equitate, stylo, & observantiâ, contrarium unâ voce clamantibus: non secus ac si ad evertendam Libertatem, & Immunitatem ecclesiasticam omne fas liceat conculcare, nec ulla lex illi faveat, nullus canon prosit, nulla ratio sit proficua, solumque adversus illam prevaleat notissimum carmen Poetę, *sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas*; nihil opus esset subsidia calami prestolari; sufficeret enim infelicitatem nostri temporis deplorare, quod ubi *Regalis dignitas Ecclesiasticam conservare potiùs consuevit, quàm tollere libertatem* (*a*); nùnc laicis Magistratibus nequissimè suggeratur oppositum: cùm tamèn apud Christianos nulli sit licitum, nisi quod justum est: tantumque prevaleant Principes, & privati injustitiam justitię preferentes, quantum predones in solitudine, ut inquiebat D. Justinus (*b*). Verùm quià memorati Contradictores suis scriptis universum orbem replerunt, ut suadeant, sè, suosque Auctores, non per vim, sed solâ ratione duce procedere, cunctisque juribus ita deposcentibus, divino, naturali,& humano inniti: nec rem injustam, sed justissimam promovere; omninò necesse est veritati Apologeticâ lucubratione servire, ut mundus agnoscat, an deceptoriè, atque ad excusandas excusationes in peccatis; an verò sincerâ voce fuerint elocuti. Qui ulteriùs cùm præter Libertatem, & Immunitatem Ecclesiæ,ut supra laceratas, alia quoque insubsistentia dicteria, propositiones erroneas,& commenta nimium à veritate devia suis scriptionibus immiscuerint;non decet esse vulnus sine remedio, venenum carere antidoto, stare objecta sine responsis;sed potiùs opus est,ut ubi abundavit malitia depravati dogmatis,ibi superabundet opitulatio sanæ doctrinæ: ac usquequò vagantur præfati Codices, ad Ecclesiæ contumeliam exarati, eousquè pariter se diffundant scripta opportuna, quæ illorum audaciam ore consonanti retundant: & proculdubiò tàm Catholicis, quàm Hæreticis, atque cunctis illis, ad quos Contradictorum scripta volarunt, *necessarium est admoneri, & habere aliquem advocatum bonæ mentis, qui in tanto fremitu, tumultuque falsorum* veritatis lucem ostendat (*c*).

11. Hoc officium in præsenti Opere nos pro viribus exercebimus: nec tamen statim Contradictores injuriis pulsare, vel eorum famam audebimus subsannationibus irridere, atque opprobriis operire. *Non ego*, inquiebat S. Gregorius Nazianzenus, *adversarios contumeliis, & conviciis lacesso, quemadmodùm plerique faciunt, non eum dogmate, sed eum dogmatis assertore confligentes, ac rationum, & argumentorum infirmitatem maledictis interdùm contegentes, non aliter ac sepias atramentum ante sè vomere ajunt, ut piscatores effugiant* (*d*). Absit hoc à nobis. Absit, ut eosdem de violatâ fide accusemus, verbis illis notissimis, quibus D. Petrus Damiani adversus impugnatores Sedis Apostolicę declamavit: *quisquis cuilibet Ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur; hic proculdubiò in hæresim labitur: & cum ille notetur injustus; hic est dicendus hæreticus. Fidem quippè violat, qui adversùs illam agit, quæ mater est fidei* (*e*). Ab his porrò, aliisque improperiis, nos, modestiâ sic docente, subsistimus: intentoque animo ad veritatem cunctorum oculis exponendam, libentèr à scommatibus, & mentem avertimus, & linguam compescimus, & calamum temperamus.

12. Itaquè cum Contradictoribus hìc congredimur, non ut eos prosternamus, sed ut monitos sincero affectu faciamus: nec ut eos confusione repleamus, sed ut solùm ad recti lineas revocemus: ipsos non ut hostes nostros reputantes, sed ut amicos considerantes, benevolè, ingenuè, bonâ fide nobiscum de inquirendâ veritate tractantes, quæ non minùs illis, quàm nobis est, ut putamus, accepta: quis etenim non diligat veritatem! Eam in hac tenui nostrâ lucubratione inveniendam esse, Deo dante, confidimus: adeoquè speramus, nedùm cunctos, ad quos præsens Opus pervenerit, sed & ipsos quoquè Contradictores inposterùm esse pro Libertate, pro Immunitate, dè quibus hic fit sermo, sen-

(a) Arnulph. Lexov. epist. 54.

(b) S. Justinus Apolog. 2.

(c) Senec. epist. 24.

(d) S. Gregor. Nazianz.

(e) S. Petr. Damiani Opusc. 5.

suos: sapientis enim est mutare consilium in melius (*a*), nè laudabilior in er-rante videatur pervicacia, quam pænitentia. Veruntamèn si quoàd illos expe-ctatio fiduciæ nostræ optatum non sortiretur effectum; grata erit eisdem, grata erit universis Lectoribus intentio nostra: sufficietque super hoc, alioquìn sterili argumento, tanta dixisse, quæ virum quemque, tùm rationis capacem, tùm veritatis amantem, adeòque & ipsos quoque Contradictores, & possint, & debeant devincire.

(a) *Lege nunquàm, ubi Gloss. ff. de collat.*

13. Sed hàc in rè sicut, *ab aliis nostra exigimus, ità singulis sua jura* serva-mus (*b*): Et proculdubiò nullum lædere, nullius jura perimere, nulli tan-dèm injuriam irrogare, nostra intentio est; Verùm quidquid possumus, ad Liber-tatis, & Immunitatis, præfatarum defensionem, intendimus allegare, ut & probandæ veritati, & propulsandæ offensioni, quantum fas est in Domino, deser-viamus. Ideò non unam, nequè unius speciei; sed plurimas, diversorumque ordinum rationes congeremus, causæ nostræ utilitèr famulantes: Nèc unicam, sed plures dabimus responsiones objectis Contradictorum: ut quibus non pla-cet unum, satisfaciat aliud motivum: & cuncta simul evincant, quæ separa-ta quoque probant ipsasmet Immunitatem, vel Libertatem. Quarum defensio cum tota summa nostri laboris esse agnoscatur, nulliusque prout dicebamus of-fensio; potiùs resistendo, quàm invadendo in toto decursu præsentis operis procedemus, eâ integritate animi, quâ D. Hieronymus inclamabat, *Non sum agressor, sed agressos innoxios tueor: non offendo, sed defendo: non provoco, sed resisto: non sum invasor, sed defensor* (*c*). Profectò quis taceat, ubi non de unius privati hominis, nequè de alicujus tantùm peculiaris Ecclesiæ negotio agitur, sed de totius universalis Ecclesiæ in Romanâ, irreparabili quadam sub-versione tractatur? Constat etenim, scribebat S. Leo Papa IX. quod *quisquis Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vel privilegia evacuare, seu imminuere nititur; non hic unius Ecclesiæ, sed totius Christianitatis subversionem, & interitum machinatur* (*d*).

(b) *S. Gregor. lib. 2. epist. 29.*

(c) *S. Hieron. epist. ad August.*

(d) *S. Leo 9. epist. ad Michael cap. 36. inter Oper. S. Leon. f. 186.*

14. Enimverò novitas à Contradictoribus excitata, in primis tangit Roma-num Pontificem: sed ut innuimus, tangit quoque Romanorum Imperatorem, tangit Reges Christianos, tangit Episcopos, & Ordinarios locorum, tangit Principes, & Magnates, tangit tandem omnes Clericos, atque Laicos, quià tangit universos collatores beneficiorum, atque ad ea respectivè nominatores, adeoque totam tangit Ecclesiam, quæ in Capite vulnerata, cunctis suis membris livorem acceptæ cicatricis impertit. Ab omnibus proindè digna est defendi, qui tàm excelsi corporis membrorum titulo decorantur: eo modo, quo decet filios jura matris tueri: manum indigenti capiti opitulari: catholicosque uni-versos pro universali Ecclesiâ certare. Nàm & pro Petro, diris vexationibus agi-tato, cuncti Ecclesiæ filii *Orationem sine intermissione faciebant* (*e*). Vocatam igitur se cognoscit ad pugnam exiguitas nostra: *Communis quippè est causa, nec est distinctio pusilli, & magni: dolor nempè in capite est, ac per hoc minimè alie-nus uè à minimis quidèm vel extremis quibusque partibus. Nec ergò à nobis &c. Nunquid non dolente capite clamat lingua pro omnibus corporis membris, in capi-te se dolere, & omnia per ipsum suum caput, suumque capitis fatentur incommo-dum* (*f*)? Sed & ubi auctoritas Sedis Apostolicæ vulneratur; quis officia defen-sionis interpotiturus exurget, si non exurgit Episcopus? Ubi magnorum Prin-cipum impetuntur jura, quæ de manu Ecclesiæ susceperunt; quis eadem tuitu-rus accurret, si non accurrit Episcopus? Ubi demùm sacrorum Antistitum pri-vilegia diruuntur, quis *opponet murum pro domo Israel* (*g*), si non opponit Episcopus?

(e) *Act. Apostol. cap. 12. num. 5.*

(f) *S. Bernard epist. 342.*

(g) *Ezechiel cap. 13. num. 5.*

15. Igitùr jàm non ex uno, sed ex multis titulis, mediocritas nostra hic ad causam vocatur: Et ne Libertas, atque Immunitas, quibus nùnc usquè à suâ origine potita est Ecclesia, ulteriùs laceretur; *pro officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas* (*h*). Apostolica Sedes, Episcopi

Eccle-

(h) *Syricius PP. ep. ad Himerium Tarracon.*

Ecclesiarum, Ordinarii locorum, qui per viam collationis; Augustissimus Imperator, Orthodoxi Reges, Principes, & Magnates; cuncti demùm Clerici, & Laici, qui per viam jurispatronatus de beneficiis ecclesiasticis disponere consueverunt favore, tùm indigenarum, tùm extraneorum, ac sine onere personalis residentiæ quoàd beneficia merè simplicia; hodiè ad has angustias rediguntur, ut non ampliùs Clericos etiàm extraneos, benemerentes, & dignos, ac nullum sine residentiæ personalis debito, ipsis beneficiis valeant insignire; non est negligenda, nec silentio committenda tanta captivitas ecclesiasticæ libertatis: sed propulsanda, & in brachio forti validissimè retundenda. Proindè *apprehendimus arma, & scutum, & exurgimus in adjutorium* ejus (a): pro scuto studia literarum, pro armis calamum adhibentes, ac ostendentes, quod Ecclesia Dei libera est, non captiva, & *Sedes Apostolica Domina est, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus prælata, & ideò nullâ omninò ratione sub jugum à quoquam mitti potest* (b).

(a) Psalm. 34. n. 2.

(b) Victor. PP. III.

16. Hanc ergò Thesim hìc tuendam assumimus, quod *liberum, & licitum est Ecclesiæ, illiusque Ministris, atque in primis Romano Pontifici, ejusdem Ecclesiæ Capiti: nec non Episcopis, aliisque omnibus, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum Collatoribus, atque ad ea Nominatoribus: ipsa beneficia non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri. Et quod Beneficiarii merè simplices à residentiæ personalis debito sunt immunes*. Hujusmodi argumentum principalitèr prosequemur. Incidentèr verò, & occasione acceptâ, in locis opportunioribus, de aliis quoque articulis, & quæstionibus eloquemur, quas pauló suprà num. 4. indicavimus à sæpefatis Contradictoribus impugnari; Ostendemusque, ipsos irrationabilitèr nimiùm in hac parte procedere, atque longè à veritatis tramite deviare. Quoàd Libertatem autèm Ecclesiæ præficiendi sacris præbendis etiàm Clericos extraneos, loquimur extra loca, privilegio Apostolico, vi cujus repellantur ipsimet extranei, communita: quippè in quibus restrictio libertatis Ecclesiæ fuit aliis commodis compensata: & ibi nihilominùs adhùc patens restat accessus extraneis ad beneficia per eos, ad quos pertinet ipsius privilegii vinculis non ligari. Quod sanè cum generalitèr pro toto terrarum orbe debeat prævalere; potissimè pro inclyto Regno Neapolis locum habere oportet, ubi pluribus modis evidentissimè comprobabimus, præfatam Libertatis, & Immunitatis rationem nulli magìs esse proficuam; & viceversa totum Contradictorum conatum nulli magis esse damnosum, quàm Serenissimo Regi, Reverendissimis Episcopis, Excellentissimis Magnatibus, universo tandem Clero, & Populo nobilissimæ Urbis, atque Regni Neapolitani: quorum ingenuitatem obtestando rogamus, ut sepositâ Contranitentium opinione, rationes, quas eisdem proponimus in hoc Opere, meditentur, ponderent, examinent, introspiciant, & veritatem tandèm agnitam amplectantur: rati, nos eorum felicitati non invidere, sed famulari; nec ipsorum utilitati detrahere, sed favere.

17. Cunctos alios itidèm cujuscumque Nationis Lectores, ad quos hic noster labor pervenerit, obsecramus, ut perpensis hinc indè motivis, quibus tàm nos, quam Contradictores antefati loquuntur; judicium de ratione pronuntient: plurimum namquè in Domino confidimus, quod libentèr properabunt nostris vocibus adhærere: quippè, vaniloquiis protelatis, hic omninò sincera dicimus, in sensu veritatis effamur, solius justitiæ, solius pacis, solius charitatis studio peroramus, nec quidquam captiosè proferimus, sed fundate: fuimus etenim solertes, ut quæ asserimus gravium scriptorum, in margine notatorum, sermonibus innitatur: quarè poterimus quidèm errare, quià infallibilitatis privilegio non munimur: Sed citrà omnem ambiguitatem, malitiâ suggerente, in errorem nullatenùs impingemus: & sempèr ignoscendi *erroribus nostris paratior via erit: quià non sunt referenda ad culpæ nostræ titulum, de quibus testificatio adhibetur Auctorum* (c). Quoàd reliqua, Librorum Artifices, quos

(c) S. Isidorus lib. de offic. eccl. in Præfat.

quos impugnamus, generali *Contradictorum* nomine nuncupabimus: talitèr tamèn, ut cùm in totâ præsentis Lucubrationis seriè reperietur, Contradictores asserunt hoc, vel illud; intelligendum sit, non semper omnes id protulisse, sed vel unum, vel duos, vel cunctos. Interdùm etenim aliquis ex eis quidquam asserit, quod non alius, in principali nihilominùs negotii quidditate concordes. Continget quoquè aliquandò nos iisdem uti motivis, quos ipsi adhibent: idque faciemus illâ liberâ usucapatione rerum, quę reddit cuncta Sacræ Literaturæ documenta unicuique communia: normâque illâ servatâ, quam cum Philosophis Ethnicis tenendam esse suggeſtit D. Augustinus: *si quæ fortè vera dixerunt, non solùm formidanda non sunt, verùm etiàm ab eis, tamquàm ab injustis possessoribus in nostrum usum vendicanda* (a):

(a) *S. Augustin. de Doctr. in. Christian. lib. 2. cap.* 40.

18. Quoàd methodum in hoc Opere custoditam, sciat benevolens Anagnostes, nos observasse in libris Contradictorum congestam ingentem rerum mixturam, septemque Scientias ab ipsis introductas, & interdum etiàm vel invitè pertractas, ad eorum opinionem sustinendam, nempè Sacram Scripturam, Theologiam, Sanctos Patres, Concilia, Leges, Historiam, & Politicam. Totidem ergò & nos debere uti facultatibus rati sumus: verùm opus esset, ut earumdem peritia in nobis opportunè concurreret: adeò quidèm excellentèr, ut ex iisdem aptiùs concinnatis, magisque ordinatè dispositis, possemus & oppositum eorum, quæ ipsi suadendum susceperunt, probare; & quidquid ipsi objecerunt validissimè propulsare. Utinàm igitur parvitas nostra id haberet, quod de Hugone à S.Victore Trithemius Abbas celeberrimus memoravit: *In scientiâ septem artium liberalium nulli suo tempore secundus fuit* (b). Præfatis septem adiicienda esset octava, quę styli elegantiam concernit, ut quod dicitur, faciliùs eloquii dulcedine Lectorum mentibus inferatur. Sed quid poterit exiguitas nostra, parùm in ipsis scientiis erudita, & quod majus est, præter mediocris Bibliothecæ subsidia, quolibet alio peritorum hominum adjutorio destituta?

(b) *Trithem. in Chronic. Hirsaug. an.* 1140.

19. Nihilominùs in Deo unicè confidentes, qui *dat verbum evangelizantibus virtute multâ* (c), & ipsos quoque *surdos facit audire, & mutos loqui* (d), non quâ deberemus, sed quâ poterimus ubertate sermonis, descendimus in arenam: Rationibusque, ac motivis *Scripturalibus*, *Theologicis*, petitis ex *Sanctis Patribus*, & *Conciliis*, *Legalibus* tandèm, *Historicis*, ac *Politicis*, probandas suscipiemus Libertatem, & Immunitatem, quas Contradictores in suis Codicibus impugnarunt. Et quidèm in *Primo Tomo*, ab initio Ecclesiæ usquè ad sæculum decimum quartum inclusivè, & in *Secundo Tomo*, à sæculo decimo quarto usquè ad nostram ætatem, ea quâ fas erit attentione, de sæculo in sęculum conquiremus quidquid pręfatę septem scientię suppeditant, ad probandam libertatem Ecclesię in provehendo etiàm Clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia: ut omnibus notum sit, quod Ecclesia semper, & ubiquè hac libertate potita est: hunc esse *ordinem ab Apostolo Petro cæptum, & usquè ab hoc tempus per traducem succedentium* sibi ætatum *servatum* (e): firmitèrque, inconcussè, constantèr, *ex patribus ad patres per manus traditam fuisse hanc sententiam* (f). In *Tertio Tomo* respondebimus cunctis Argumentis, quę ipsimet Contradictores adversus sępefatam libertatem opponunt, & *vitreas eorum argutias, ac fragilia, quibus sibi multum videntur acuti, & nitidi, argumenta confringemus* (g). In *Quarto Tomo* demùm probandam aggrediemur Immunitatem Beneficiariorum merè simplicium à personalis debito residentię: subindè responsum dantes Objectionibus, quibus Contradictores oppositum suadere connixi sunt.

(c) *Psalm.* 67. *num.* 12.
(d) *Marc. cap.* 7. *n.* 37.
(e) *S. August. libr. quæst. Vet. & nov. Testam. cap.* 110.
(f) *S. Athanas. lib. de Decr. Nicæn. fidei cont. Euseb.*
(g) *S. Augustin. lib.* 3. *contr. Julian. in fin.*

20. Quę agendo si quid boni continget à nobis dici; det gloriam Deo benignus lector, sciens, quod, cum nos *sufficientes non simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*; tota *sufficientia nostra ex Deo est* (h). Si quid autèm fortè minùs scitè, minùs idoneè proferemus; id imperitię nostrę imputet, laudans

(h) 2. *Corinth. cap.* 3. *num.* 5.

dans intentionem, si actum non potest; & preconium dans voluntati, quod volentis fortasse scriptio non meretur. Sciat nihilominus nos ad correctionem esse promptissimos, & equanimitate multâ hec cum D. Ambrosio sentire: *Ego beneficio adnumero, si quis mea legens scripta, dicat mihi quo videatur moveri. Primum quià & in iis, quæ scio falli possum. Multa etiam prætereunt, multa quibusdam aliter sonant. Pulchrum est, si fieri potest, cavere omnia. Deindè quià non debeo molestè ferre, si, cum de Apostolicis, & ipsis Evangelicis, Dominicisque verbis plerique multas quæstiones serant; etiàm in meis scriptis reperiant, de quo disputandum putent* (a). Vaniloqui, àc dicaces homines, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, resque judicant non proùt sunt, sed proùt esse desiderant, vel proùt ipsi pro eorum insipientiâ concipiunt; parum solliciti erimus attendere quid effutiant: doctos, & candidos viros, eorumque judicium in magno pretio habebimus, nec ullatenùs gravabimur illorum subire censuram, admonitiones audire, nos substernere correctioni: *melius est* enìm *à sapiente corripi, quam stultorum adulatione* palpari (b).

(a) *S. Ambros. epist. 8. ad Sabinum.*

(b) *Eccl. cap. 7. n. 6.*

21. Veruntamèn de hoc, ut putamus, gloriari sempèr poterit pusillitas nostra, quod veritati scribimus, non privatæ opinioni: nec ut præmium in terris pro labore quæramus, sed ut mercedem in cælis præstolemur à Domino prò justitiâ. Proùt sciemus ità loquemur. Si meliora nobis discere contigisset; libentèr ea nùnc in propatulo poneremus. Nihil Ecclesiæ dabimus, quod non haberet, nihil ei debitum declamabimus, quod non hucusquè tenuerit in pacificâ possessione. *Sequuti morem, ac ordinem majorum* (inquiebat Liberius Papa), *nihil addidimus Episcopatui urbis Romæ, nihil minui passi sumus* (c). Idipsum & nos in sensu congruo replicamus. Nihil Summo Pontifici, nihil Episcopis, nihil Ordinariis locorum, nihil summis Principibus, nihil Magnatibus, nihil tandem Clericis, & laicis, beneficiorum ecclesiasticorum Collatoribus, vel respectivè ad ea nominatoribus, deberi profitebimur, quod non usquè modo in suâ habuerint potestate. Restat hìc demùm, ut eximius Lector magnanimè ignoscat mendis, si quæ fortè in impressione præsentis Operis accidet insilire. Nàm immunes ab erratis paginas è Typographi manu exire, pro miraculo est: nec proficit cunctis erroribus evellendis attenta quæque sollicitudo: quippè adhùc illorum irreptio quamcumque accuratam, & vel exquisitam sempèr solertiam correctoris evincit. Quarè si quando ei verbum pro verbo, litera pro litera, postillæ interversę, ac interpunctiones suis non collocatæ in locis occurrent; ipse indulgeat generosè, fallaciam corrigat, ac quidquid vitiatum erit suâ suppleat comitate.

(c) *Liberius PP. ep. ad Constantium.*

22. In reliquis nos hanc qualemcumque parvitatis nostræ lucubrationem, singulasque illius partes, & apices in eâ contentôs, jàm ex nùnc judicio, & auctoritati Sanctæ Sedis Apostolicæ humillimè subjugamus, non tàm proposito, quàm verbis Mellislui D. Bernardi: *quæ diximus absquè præjudicio dicta sint saniùs sapientis: Romanæ prę sertìm Ecclesię auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, reservamus: ipsius si quid alitèr sapimus parati judicio emendare*. Profectò sicut nos nunquam pudebit à peritioribus discere quod nescimus; ità & multò fortiùs ab illâ, quæ mater est omnium Ecclesiarum (e), & instrui, & corripi, & legem recipere decoris loco libentissimè suscipiemus. Petrum Judicem habere concupiscimus, qui caput est Sacerdotalis officii, & per quem Christus cunctis *Episcopis dedit clavem cælestium honorum* (f). Tandèm Sanctissimi Patris nostri *Clementis* Papæ Undecimi oraculis acquiescemus, qui hodiè Vicariam Christi potestatem in terris retinet; qui residet in loco Petri, quem *omnes Antistites habent sui nominis, & honoris auctorem* (g). Sed jàm ad Opus properemus, *narrationemque incipiamus: de Præfatione tantum dixisse sufficiat* (h).

(e) *Cap. non decet 1. dist. 12. cap. In die eo de for. compet.*

(f) *S. Gregor. Nyss. adv. eos, qui castig. ægrè ferunt.*

(g) *S. August. epist. 93.*

(h) *2. Machab. 2. num. 33.*

S E-

S E R I E S
C A P I T U M,

Quæ in hoc Primo Tomo continentur.

SÆCULUM CHRISTI PIMUM.

SÆCULUM CHRISTI II.

SÆCULUM CHRISTI III.

SÆCULUM CHRISTI IV.

CA-

SÆCULUM CHRISTI V.

SÆCULUM CHRISTI VI.

SÆCULUM CHRISTI VII.

CA-

SÆCULUM CHRISTI VIII.

SÆCULUM CHRISTI IX.

SÆCULUM CHRISTI X.

CA-

SÆCULUM CHRISTI XI.

SÆCULUM CHRISTI XII.

SÆCULUM CHRISTI XIII.

SÆCULUM CHRISTI XIV.

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI PRIMUM.

CAPUT PRIMUM.

In quo ex dictis, & factis Christi Domini, *Sanctorumque* Petri, & Pauli, *atque aliorum* Apoſtolorum, *probatur, quod Eccleſia per totum ejuſdem Chriſti* Sæculum Primum, *integrâ libertate potita eſt, conferendi Eccleſiaſtica Beneficia non modo Clericis Indigenis, verum etiam extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Lex gratiæ lex libertatis eſt. Maxime autem libera eſt Eccleſia, nec debet novis ſervitutibus ſubjugari. Libera inquam præſertim eſt in diſpenſatione ſuorum bonorum.*

2 *Quoties de addendâ novâ ſervitute Eccleſiæ Dei agitur, reſiſtendum eſt: quippe Chriſtus Eccleſiæ ipſi chirographum libertatis ſuo ſanguine ſcripſit. Libera autem eſt, ut valeat beneficia Eccleſiaſtica non modo indigenis, verum etiam extraneis impertiri.*

3 *Licet primis Eccleſiæ temporibus non eſſent beneficia, quemadmodum ſunt modo; erant tamen aliæ largitiones eiſdem æquivalentes, in quarum loco beneficia ipſa fuerunt ſubrogata.*

4 *Chriſtus non fecit virtutes multas in Nazareth, inquiens, quia nemo Propheta acceptus eſt in patriâ ſuâ. Naturale eſt Civibus aliis Civibus invidere. Nazareni Chriſto detrahebant.*

5 *Cauſæ quare Cives invidiâ ferantur in alios Cives, vel eſt, quia notam habent eorum tenuitatem, vel propter nimiam familiaritatem, quæ aliquid infirmitatis in aliis detegere ſolet. Ex parentibus parum notis interdum filii prodierunt inſignes.*

6 *Querimoniæ Goffridi Vindocienſis, Stephani Tornacenſis, & Petri Bleſenſis, eo quod in patriâ eſſent parum accepti. Nedum Chriſtus, ſed etiam Prophetæ, minores habiti ſunt in patria, quam apud exteros, juxta Zachariam Chryſopolitanum.*

7 *Raro homines in patriâ benevolentiam ſortiuntur. Papam, inquit B. Augu-*

stinus Triumphus, non debere in loco, ubi natus est, residere, propter invidiam, & æmulationem aliorum.

8 *Tres rationes propter quas Propheta, vel Prælatus non est acceptus in patriâ. 1. propter familiarem conversationem. 2. propter generis cognitionem. 3. propter æmulationem.*

9 *Christus juxta Eusebium Gallicanum, non fuisset à Nazarænis contemptus, si fuisset extraneus. Cum dignitas sacerdotalis non fuerit tuta in Christo à suorum Civium invidiâ, patet, quod quantum in se est, melius collocari videtur in extraneo, quam in indigena: & idem est de stipendiis Sacerdotii.*

10 *Ut in pluribus Propheta non est acceptus in patriâ: interdum tamen contrarium est. Beneficia Ecclesiastica non solis extraneis, sed etiam indigenis conferenda sunt, & hi cæteris paribus sunt illis præferendi.*

11 *Monachatus est Ecclesiasticum beneficium. Monachos probat S. Hieronymus esse non posse perfectos in patriâ. Si Monachalia beneficia melius patent extraneis, ergo etiam Clericalia, nisi aliæ rationes aliud exposcant.*

12 *Ex textu evangelico, Prophetæ non accepti in patriâ suâ, liquet, quod sacerdotale munus, adeoque sacerdotalia stipendia, sive beneficia conferenda sunt potius extraneis, quam indigenis, nisi aliud cæteris paribus rerum circumstantiæ requirant.*

13 *Apostoli à Christo electi, ex variis Regionibus prodierunt, vel saltem ex diversis Tribubus filiorum Israel nati sunt. Inter Tribus non erat societas quoad omnia. Vetita erant Matrimonia inter natos ex diversis Tribubus.*

14 *Discipuli quoque à Christo designati, ex variis Orbis partibus sunt electi, quos voluit urbes, & loca circuire, nullo secum ullato subsidio, illud à populo suscepturi, qui dignus est Operarius mercede suâ.*

15 *Etiam Christus loculos habuit. Apostolos, & Discipulos misit per Orbem, sub nomine Operariorum, quippe illis merces, non de congruo, sed ex debito pendenda est.*

16 *In hac mercede significari Ecclesiastica beneficia, discimus ex epistolâ Nicolai Papæ I. ad Photium, & ex canone Concilii Constantinopolitani IV. Generalis VIII.*

17 *Apostoli & Discipuli officio sacerdotali functi non sunt solum in loco ubi nati erant, sed alibi quoque. Si autem Christus mandavit eis mercedem dari à gentibus, à quibus erant extranei, proculdubio voluit extraneos beneficiorum esse capaces.*

18 *Si Contradictores nomine extraneorum intelligunt Clericos aliunde venientes, convincuntur Christi facto & doctrinâ. Si intelligunt beneficiarios non residentes, errant, quia falso supponunt, quod hi non laborent, nec operentur, ideoque non sint digni mercede.*

19 *Licet beneficiarii simplices non eam partem laboris exerceant, quæ respondet officio Episcopali, vel Parochiali; exercent tamen illam, quæ officio Clericali respondet.*

20 *Beneficia successerunt in locum decimarum, primitiarum, & oblationum, quæ Levitis debebantur non ex solâ ministratione actuali in Tempo, cum pauci ex illis actualiter ministrarent, sed etiam, & primario, ratione ordinis Levitalis, seu Sacerdotalis.*

21 *Quod dicitur de Levitis, applicetur beneficiariis nostri temporis. Itaque ex designatione stipendii, Apostolis, & Discipulis suis à Christo assignati, probatur libertas Ecclesiæ in admittendo etiam Clericos extraneos ad beneficia.*

22 *Textus refertur Apostoli Pauli ad Corinthios, de mercede operantibus debita. Paulus Asiaticus eam sibi deberi ex justitiâ probat à Corinthiis Europæis.*

23 *Sex rationibus probat Apostolus deberi stipendia ministris Ecclesiæ. Etiam Ethnici, & Pagani ea suis Sacerdotibus exhibebant, prout de Ægyptiis,*

ptiis, Atheniensibus; & Romanis constat.

24 *D. Paulus tali jure non est usus, poterat tamen uti. His stipendiis Ecclesiastica beneficia respondent. Et succedunt alimentis, quæ in Veteri Lege debita erant Sacerdotibus, & Levitis.*

25 *Ex doctrinâ igitur D. Pauli beneficia Ecclesiastica nedum indigenis, sed etiam extraneis debita sunt: modo ministri Ecclesiastici munere perfungantur.*

26 *Apostolus à Corinthiis non accipiebat subsidia, imo illis conferebat ex his, quæ ab aliis acquirebat: poterat tamen juxta D. Thomam, multo magis ab ipsis Corinthiis ea suscipere.*

27 *Ex textu Apostoli ad Corinthios infert D. Thomas, quod Papa potest ab unâ Ecclesiâ bona suscipere, & alteri Ecclesiæ applicare, quia tota Ecclesia unus corpus est, cujus unum membrum alteri debet opitulari. Idem proportionaliter dic de aliis Prælatis.*

28 *Si licitum est Papæ, & proportionaliter aliis Ecclesię Prælatis, bona unius Ecclesiæ alteri in perpetuum applicare, multo magis potest beneficium unius loci, Clerico alterius loci ad usufructuandum concedere. Nec in solo casu necessitatis, sed etiam utilitatis Ecclesiæ.*

29 *Ex doctrinâ D. Thomæ patet exigi quidem causam aliquam, sed non causam necessitatis, ad applicanda bona unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, alibi constitutæ.*

30 *Recurrit argumentum, quod si licitum est bona unius Ecclesiæ justâ de causâ alteri Ecclesiæ in perpetuum applicare; multo magis licitum est beneficium, in unâ Ecclesiâ erectum, Clerico Ecclesiæ alterius loci, ad tempus vitę suæ possidendum, concedere.*

1 V*BI venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* (a) Lex gratiæ, lex libertatis est, & exemptionis omnium Christianorum à quolibet jugo indebitæ servitutis: magis autem est lex totalis exemptionis Ecclesiæ, à quocumque servili jugo: quippe Christus, & carnem sumens, & sanguinem de Cruce profundens, Ecclesiam suam liberam, & immunem prorsùs effecit, ac immunem, atque liberam esse voluit, non habentem maculam, neque rugam, sanctam, impollutam, perfectam, omnisque servilis subjectionis expertem. Undè bene Paschalis Papa I. in responsis ad Consulta S. Anselmi Cantuariensis, resistendum esse, ait, iis qui Ecclesiam Dei novis servitutibus satagunt subjugare quippè *liberam esse Ecclesiam Paulus dicit* (b) Quemadmodum autem in cæteris suis rebus Ecclesia libera est; ità & in eo quod spectat ad sacrorum bonorum dispensationem (quæ sive per eleemosynam, ad pauperum subsidium; sive per remunerationem, ad Sacerdotum, & Clericorum stipendium, impertit) libera pariter est, ac nullis omninò subest vinculis servitutis.

(a) Galat. 4. 4.

(b) S. Anselm. Cantuar. lib. 3. ep. 45. in med.

2. Et idcircò quotiès humanæ adinventiones aliquid excogitant, quo eandem Ecclesiam implicamentis indebitæ servitutis involvant; quoties terrenæ potestates eam sibi subiicere connituntur; resistendum esse ait quoque Goffridus Vindociensis: quippe *Ecclesia libera, & casta esse debet: quando verò Ecclesia Sæculari potestati subiicitur, quæ ante Domina erat; ancilla efficitur: & quam Christus Dominus dictavit in Cruce, & quasi propriis manibus de Sanguine suo scripsit, chartam libertatis amittit. Hanc enim libertatis chartam Christus vindicavit in Cruce, & suæ Sponsæ Ecclesiæ per semetipsum dedit. Nam Christus Pastor bonus sponsam fidelem quærit, respuit infidelem: liberam sibi sociat, abiicit ancillam* (c). Velut ergò Sponsa Christi, & Sponsa libera, Ecclesia, usque ab initio

(c) Goffrid. Vindoc. opusc. 6.

initio suæ institutionis, hanc quoque libertatem sortita est, ut bona, Sacrorum Ministrorum usufructui destinata, quæ dicuntur Ecclesiastica beneficia, liberè possit, & valeat prò suo libito dispensare, tùm Clericis extraneis, tum Indigenis: tàm ab uno, quàm ab alio loco venientibus: non modo ex hoc, sed etiam ex alio Regno progenitis; dummodò benemerentibus, idoneis, ac Sacrorum Ministrorum titulo decoratis.

3. Ad probandam autem constantem, perpetuam, & successivam hujus veritatis firmitatem, per omnia tempora custoditam, & de Sæculo in Sæculum traductam, ut ordinatè procedamus, exordium sumimus ab initio Ecclesiæ: in quâ, tametsi sub primis illis temporibus, non fuerint, quemadmodum sunt modo, Ecclesiastica beneficia; fuerunt tamen aliæ largitiones Ecclesiasticæ, eisdem æquivalentes, vel consentaneæ: fuerunt & facta, atque dicta, quæ si ritè perpendantur, & opportunè applicentur, nos edocent, quid nunc sit sentiendum de ipsis Ecclesiasticis beneficiis: quidque Christus, quid Apostoli, tùm verbis, tùm gestis, nobis dictatum reliquerint, circà dispensationem bonorum Ecclesiæ: qualitèr nempè illorum tempore fiebat, & qualitèr modo fieri debeat. Nam in idem recidunt Ecclesiastica beneficia nostræ ætatis, ac distributio bonorum Ecclesiæ, quæ tunc Sacris Ministris porrigebantur, in tot portionibus redituum manualium, nunc autem præbentur in tot determinatis fundis, ad usufructuandum concessis. Nec ista differnut ab illis, sed potius eisdem sunt consentanea, tanquam in ipsorum locum substituta: nam subrogatum naturam sapit illius, in cujus locum est subrogatum (*a*). Sed jam rationes, ad Causam nostram facientes, in medium proferamus, quæ singulariter sumptæ, & multò magis collectivè consideratæ, intentum satis validè probant, prò quo pugnamus. Et in primis, ut quantum patitur natura, & primi ratio Ecclesiæ Sæculi, aliqua ad rem facientia proponamus, cum clariores probationes hoc tempore haberi non possint; quædam dicta & facta Christi exhibebimus, quæ ad favorem faciunt libertatis Ecclesiæ in dispensatione Sacrorum beneficiorum, tàm Clericis extraneis, quàm Indigenis.

(a) *Cap Ecclef. 3. Ut lit pend. l. si cum §. qui injuriarum, ff. Si quis caut. DD. ap. Barbos. Axiom. 213. n. 1.*

4. Itaque in Evangelio Dominus noster Jesus Christus, Summus, & Primus Sacerdos, ac Pontifex legis gratiæ, postquam plurimas Urbes, & loca *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes, quoniam Deus erat cum illo* (*b*) se quoque contulit Nazareth, ubi fuerat enutritus (*c*) ibique Synagogam ingressus, Sacerdotali muneri sacræ prædicationis operam daturus, obvium habuit explicandum textum Isaiæ, de se ipso loquentem (*d*) ac de Evangelio, per illum diffundendo, tractantem (*e*). Et licet ubique operaretur mirabilia, tamen in Nazareth non fecit virtutes multas, propter incredulitatem Nazarenorum (*f*): qui, pro eo ut illum diligerent, detrahebant ipsi, illumque opprobriis afficiebant, atque hoc scommate vellicabant: *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? &c. Undè ergò huic omnia ista, & scandalizabantur in eo* (*g*). Igitur Christus virtutem ibi nullam faciebat (*h*) ob nequitiam Nazarænorum, qui invidiâ, & livore in illum concitati, tametsi virtutem ipsius irritam reddere non possent; frustrabant tamen: mirantibusque aliis, quod ibi signa non faceret, nec prodigia, quæ alibi profusissimè perpetrabat; talem reddidit de hujusmodi omissione rationem: *Utique dicetis mihi hanc similitudinem, Medice cura teipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patriâ tuâ. Ait autem: Amen dico vobis, quià nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ.* (*i*) Juxta dogma ergò Evangelicum, & infallibilem Christi vocem, in patriâ Sacerdotio defungi, & in loco originis civibus præsidere, res est plena discriminis: quandoquidem, teste Hieronymo, *naturale est Cives semper Civibus invidere, non enim considerant præsentia viri opera, sed fragilis recordantur infantiæ, quasi non & ipsi per eosdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerint.* (*l*)

(b) *Actor. 10. 38.*
(c) *Lucæ 4. 4.*
(d) *Isai. 61. 1.*
(e) *Luc. 4. 18.*
(f) *Matth. 13. 57.*
(g) *Matth. 13. 55.*
(h) *Lucæ 6. 5.*
(i) *Lucæ 4. 23.*
(l) *S. Hier. in cap. 13. Matth.*

5. Profectò magnus esse solet Civium in alios Cives ejusdem loci livor, & invidia,

vidia, inter quos civilis charitas sæpe sæpius talitèr obliteratur; ut æquales, dispendium proprium censeant honorem, quem detegunt in æquali: non secùs ac si foret sibi detractum quidquid fuit aliis divinâ largitate concessum. Et uti brevitèr Theophylactus ait, Cives *suam confusionem existimant gloriam Contribulis* (a). Quod si deest inter ipsos invidia, non deficit aliundè tamen contemptus, indè proveniens, quod plerumque viri insignes, vel tenuis fortunæ sunt, vel ex humili conditione sunt orti, idque alii Cives notum habentes, attendunt magis nativam tenuitatem, quàm adultam virtutem: & sic, ex generis pusillitate, parvipendunt meriti magnitudinem, (b) sicut contigit Christo cum Nazarenis, de quibus S. Joannes Chrysostomus, *ex vecordiâ suâ vilipendunt eum, ob illum, qui ei pater esse putabatur: cum tamen exemplis priscorum potuissent commoveri, quia à Parentibus parum notis insignes filios procreatos novissent. Nam David ignoti Agricolæ erat filius: & Amos Caprarii filius, & ipse caprarum custos. Moyses quoque Legislator multò inferiorem seipso parentem habuit. Cum igitùr eo maximè admirari, & venerari deberent, quod à tali natus, ità divinitùs loquebatur, undè admirari, & colere debebant, indè ad aspernendum concitantur* (c). Ex assiduâ quoque familiaritate, quæ nunquàm, vel satis rarò, non aliquid infirmitatis detegit in Concive, manat indignatio, quâ eorum alter alterum prosequitur. *Quando homo*, inquit D. Thomas, *est in patriâ suâ, multi, qui cognoscunt infirma sua, semper reducunt in memoriam infirma: hoc enim est à malitiâ hominum, ut magis infirma cogitent, quàm perfecta* (d). *Ideò quos familiares magis habemus, minus revereri consuevimus, & quos familiares habere non possumus, magis reputamus*. (e) Dictimque contingit, ut abextraneis, vel apud extraneos, promoveatur aliquis ad honores, quos nec à Civibus, nec apud Cives suos probabilitèr habuisset. Et ità David, à Fratribus ab aulâ Saul distentus, ad Regem fuit ab extraneis introductus (f). Joseph quoque qui à Fratribus in patriâ inhumaniter afflictus est; in Ægypto est à viro extraneo humanissimè sublimatus. (g)

6. Dolet Goffridus Vindociensis, se in patriâ perpessum fuisse calumnias (h). Condolet Stephanus Tornacensis Vvillelmo amico suo, quod in patriâ non esset acceptus (i). Aureamque hanc scripsit epistolam cuidam necessario suo Petrus Blesensis: *Mihi ad votum frequentèr occurrit terram nativitatis meæ revisere, cum tamen illuc nulla me trahat affectio, quam desiderium vos videndi. Non sum acceptus in Patriâ meâ: & sicut Propheta succinit, non cognoverunt me Fratres mei: atque alius Propheta conqueritur, Domus nativitatis meæ facta est mihi spelunca aspidum, & habitatio scorpionum. Gremium mihi misericordiæ, & aliis concaptivis meis, regio nativa præclusit, quos expuens alibi facere Patriam nos coegit*. (l) Egregiè quoque hac de re Zacharias Chrysopolitanus, expendens textum Evangelii, de quo loquimur, ait: *Non solum ipse Dominus, & Caput Prophetarum, de quo Moyses prædixit, Prophetam vobis suscitabit Deus de Fratribus vestris* (m) *sed & Elias, & Jeremias, cæterique Prophetæ, minores in patriâ, quam in exteris Civitatibus, habiti sunt. Mos enim est Cives Civibus invidere, & non præsentia viri opera, non virtutem considerare, sed infantiæ fragilitatem recordari* (n).

7. Adeò universalitèr verum est, homines in loco nativitatis plus odii, quàm benevolentiæ reperire: ut si quibus è contra contingit; rara sit avis, albicans musca, inconsuetus eventus, paucissimis communis, de quibus, si respectu ad multo plures, qui malevolentiam Civium experiuntur, contendere voluerimus, *non poterimus respondere unum pro mille* (o). Etiam Papa, qui primum, & præcipuum totius Ecclesiæ beneficium possidet (p) si in Patriâ resideret, Civium suorum odium non vitaret. Ideoque B. Augustinus Triumphus, vir valdè pius, & doctus, ac Neapoli cum inscriptione beatitudinis tumulatus, hanc thesim exhibet, ac tuetur. „ Papa in Patriâ, ubi oriundus est, residere non debet, ob contemptum, „ qui ex nimiâ familiaritatate, ejus generis cognitione, ac invidiæ æmulatio-

(a) *Theophilact. in c. 4. Joan.*

(b) *Alphonf. Tostat. in 13. Matth. qu. 88.*

(c) *S. Joan. Chrisost. homil. 49. in Matth.*

(d) *S. Th. in cap. 13. Matth.*

(e) *S. Thom. in cap. 4. Joan.*

(f) *S. Jo. Chrysost. in Psal. 50.*

(g) *Hugo Card. in Matth. 13. 57. §. Sine honore.*

(h) *Goffr. Vindoc. l. 4. ep. 25.*

(i) *Steph. Tornacensis ep. 111.*

(l) *Petr. Blesens. ep. 162.*

(m) *Deuter. 18. 18*

(n) *Zachar. Chrysopol. in unum ex quatuor l. 2. cap. 79. §. Amen.*

(o) *Job 9. 3.*

(p) *Selva de benef. p. 1. qu. 2. num. 8. Barbos. jur. Eccles. univ. l. 3. c. 4. n. 47.*

tio-

„ tione nasci solet. *Idque probat hac ratione, quod* sicut scribitur Joan. 4. ipse „ Salvator humani generis testimonium perhibuit, quod Propheta in suâ Patriâ „ honorem non habet. Duobus enim diebus stetit in Samariâ, & multa miracula „ fecit, & multo tempore conversatus est in Galilçâ, undè natus erat, & pauca „ miracula ibi fecit, propter incredulitatem eorum. (*a*)

(a) *B. August. Triumphus de potest. Eccl. q. 21. art. 2.*

8. *Deindè subdit*: Quare autem Propheta, seù Prælatus habeatur in contem„ ptu, & despectu in propriâ Patriâ, quantum ad præsens spectat, triplex ratio „ potest assignari. Prima propter familiarem conversationem: Nimia enim fa„ miliaritas contemptum facit, seù parit. Undè dicit Glossa Luc. 4. super illo verbo: „ Nemo Propheta acceptus est in Patriâ suâ, quod contemnuntur quodammodo „ semper etiam optima quæque, quando non raro contingunt alicui, sed suppetunt „ ad velle: Et sic etiam contingit in hominibus, quia familiaritas, quæ semper prç„ sto est; debitâ reverentiâ privatur à notis ejus, Secunda propter generis ejus, & „ parentelæ cognitionem. Undè super illo verbo Matth. 13. Undè huic sapientia, „ & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? Fratres ejus „ Jacobus, & Joseph? dicit Glossa Hieronymi: Non considerabant Judæi præsentia „ opera, sed fragilem recordabantur infantiam. Contemnebatur etiam ab eis vi„ litas originis, quæ sæpè consuevit contemni, juxta illud, quis est filius Isai? (*b*) „ Sed humilia respicit Dominus, & alta à longe cognoscit. (*c*) Tertia propter „ invidiæ æmulationem, quià ut dicit Glossa Marci 6. naturale est Cives semper „ Civibus invidere. Unde Hieremias, cæterique Prophetæ, minores semper in „ Patriâ suâ habiti sunt, quam in cæteris Civitatibus. Cui consonum est id, quod „ dicit Philosophus (*d*): Quod propinquis tempore, loco, & ætate magis invi„ demus (*e*).

(b) *1. Reg. 25. 10.*
(c) *Psalm. 137. 6.*
(d) *Arist. 2. Rhetor. c. de invidia.*
(e) *B. August. Triumph. loc. citat.*

9. Igitur, *non est Propheta sinè honore, nisi in patriâ suâ, & in Domo suâ, & in cognatione suâ* (*f*). Cumque Christus non Artificis, non Philosophi, non Senatoris, non Ducis militum, vel alterius professionis virum notabilem, *sed Prophetam* produxerit in exemplum, Prophetæ autem nomine Sacerdotes, & Ecclesiæ ministri apertissime intelligantur; nos proculdubio commonuit, quod Sacerdotia, & præbendæ Ecclesiæ, quantum in se est, potius extraneis, quam indigenis essent conferendæ, ne qui eas sortiuntur, invidiæ pateant Civium, & contemptui Contribulium. Ipse namque Christus, primus, & æternus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, (*g*) invidiam subiit, & contemptum sustinuit suorum Civium: à quibus fuisset exemptus, si fuisset extraneus. Audi Eusebium Gallicanum, *Invidiâ quadam, & indignatione dicere cæperunt* (Nazaræni) *nonne hic est filius Joseph? Hoc igitur solum minùs habere videbatur, quod extraneus non erat, quod ejus parentes noverant. Si enim aliundè venisset, eisque omninò incognitus esset; tunc eis per omnia venerabilis, omnique reverentiâ dignus, haberetur* (*h*). Si itaque, nec in ipso Christo, summo Sacerdote, tuta fuit ab invidiâ hominum, & contemptu, dignitas Sacerdotalis, in viro indigenâ collocata; patet quod, quantum res in se ipsâ est, ad Sacerdotum venerationem, & ad Sacerdotii contuendum decorem, præstat, ut Sacerdotium ipsum in extraneos collocetur, eisque per consequens, potiùs quàm indigenis, stipendia Sacerdotii, seù beneficia sacra couferantur.

(f) *Marci 6. 4.*
(g) *Psalm. 109. 4.*
(h) *Euseb. Gallican. homil. in fer. 2. post Dom. 3. Quadrag.*

10. Non quod soli exteri sint præeligendi, & indigenæ prorsùs sint à beneficiis Ecclesiasticis repellendi, sed quod illis potius, quàm his, de sui naturâ congrueret prçbendas dari, (nisi ex alia parte, & in casibus practicis, rationabiles causç suaderent, bonum esse præbendas non tantum extraneis, quantum etiam, & crebrius, indigenis impertiri.) Hocque ad invidiam civium elidendam, quandoquidem *Nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ* (*i*). Nemo, idest ordinariè, & ut plurimùm, quatenùs in moralibus, ac naturalibus, regula, quæ in multis verificatur, pro verâ habetur, licèt in aliquo raro casu deficiat. Et ità dùm scribitur in Evangelio, neminem Prophetam esse acceptum in patriâ, Dominus loquitur prout in pluribus accidit (*l*) juxtà illud, *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas*

(i) *Lucæ 4. 24.*
(l) *S. Th. in Joan. c. 4.*

pidas eos, qui ad te missi sunt, (*a*) & alibi, *quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri* (*b*) licet è contrà, & Nathan, & Gad, aliique Vates in honore fuerint apud Davidem; & Isajæ officia venerationis exhibuerit Ezechias: pariter, & Elias, Eliseus, Daniel, Oseæ, Joannes Baptista, & alii apud Judæos impense fuerint honorati (*c*). Quià ergo ut plurimum indigenæ, præbendis Sacerdotalibus decorati, & invidiam Civium subeunt, & eorum sunt contumeliis expositi: undè pax Ecclesiæ turbatur, & Sacerdotalis ordo dedecore, & odio lancinatur; ut plurimùm etiàm Ecclesiastica beneficia sunt extraneis conferenda; tuncque solum, cæteris paribus, indigenæ sunt extraneis præferendi, cùm æqualibus meritis concurrentibus, invidiæque, ac æmulationis causâ cessante, indigena potest munia Ecclesiastica æquè benè, ac extraneus adimplere.

(a) *Matth. 23. 37.*

(b) *Actor. 7. 52.*

(c) *Vid. Sylveiram in Evang. to. 3. l. 5. c. 30. q. 8. nu. 42. & Cornel. à Lap. in Matth. 13. nu. 57.*

11. Ad hæc verba Christi prospiciens Divus Hieronymus, suadet Monachis, ut extrà locum suæ originis, proposito suæ vocationis incumbant, quià nemo Propheta in patriâ suâ honorem habet. Monachis inquàm, qui viventes de patrimonio Christi, & fructibus bonorum, Deo à fidelibus oblatorum, sunt veluti totidem præbendati (*d*), & inter Beneficiatos, seù cum Beneficiatis à Contradictoribus collocantur. En sententia Hieronymi: *Non quæro, inquies, honorem, sufficit mihi conscientia mea. Neque Dominus quærebat, quippe qui ne à turbis Rex constitueretur, aufugit. Sed ubi honor non est, ibi contemptus est: ubi contemptus, ibi frequens injuria: ubi autem injuria, ibi, & indignatio: ubi indignatio, ibi quies nulla: ubi quies non est, ibi mens à proposito sæpè deducitur: ubi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex studio, minus fit ab eo, quod tollitur, & ubi minus est, perfectum non potest dici. Ex hac supputatione illa summa nascitur, Monachum, perfectum in patriâ suâ esse non posse: perfectum autem esse nolle, delinquere est* (*e*). Quod si alicui deest in patria invidia Concivium, subintrat consanguineorum affectio, quæ crebrò viris Ecclesiasticis oneri est. Unde Ordericus Vitalis, de se narrans, quod natus in Angliâ, clericatu fuerat insignitus in Ecclesiâ Sancti Petri, & Pauli, quæ versa est in Cœnobium, alloquitur hac piâ apostrophe Deum. *Non tibi placuit, ut illic diutius militarem, nè inter parentes, qui servis suis multoties oneri sunt, & impedimento, paterer inquietudinem, vel aliquod detrimentum in observatione legis tuæ, per parentum carnalem affectum incurrerem &c. Decennis itàque Britannicum mare transfretavi, & ut in Normanniam veni, cunctis ignotus, neminem cognovi, linguam ut Joseph in Ægypto, quam non noveram audivi: suffragente tamen gratiâ suâ, inter exteros omnem mansuetudinem, & familiaritatem reperi &c. In Monasterio Uticensi undecimo ætatis meæ anno ad Monachatum susceptus sum &c.* (*f*) Nihilominus estò, vel propter Concivium invidiam, vel propter consanguineorum subdolam affectionem, res ordinariè hoc modo succedat; interdum tamen neutrius est periculum adeoque, etiam in patriâ Monachi propriæ regulæ possunt observantiam custodire, ac perfectioni adipiscendæ operam, & diligentiam totam impendere; quare bene inquit D. Ambrosius; *Ecce Paulus, & Antonius, ex Thebæis apud Thebæos perfecti sunt. Ecce Hilarion ex Palæstinis apud Palæstinos perfectus est. Ecce Macarius ex Ægyptiis apud Ægyptios perfectus est. Ecce Oxirynchus Civitas ex propriis Civibus tota perfecta est.* (*g*) Cum ergo hæc ità se habeant, quantum ad vitam Monasticam exercendam, & ità beneficia Monachalia potiùs extrà patriam, quàm in patria sint habenda; jam patet, quod etiam beneficia Clericalia potius extraneis, quàm indigenis sunt tradenda (salva cautelâ, & moderatione superius indicatâ) non enim est major ratio de beneficiis Clericalibus, quàm de Monasticis.

(d) *Thomassin Vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 13. n. 1.*

(e) *S. Hier. ad Heliod. ep. 1.*

(f) *Order. Vital. hist. Eccles. l. 13. in fine ad ann. 1141. f. 924.*

(g) *S. Ambros. ep. cuid. interrog. cur Deus &c. to. 5. f. 424.*

12. Auget vim argumenti idem D. Ambrosius, sic pergens in suo eloquio, *obsecro itaque illos, qui hæc apud vos fieri posse denegant, ut vigilanti studio considerent, cur non dixerit Dominus, nemo Propheta perfectus est in patriâ suâ, sed nemo acceptus est in patriâ suâ: ibi quid aliud intelligendum est, nisi quià non acceptum dixit, nequaquam receptum* (*h*) ex quibus innotescit, quod, quantùm ad mini-

(h) *S. Ambros. loc. citat.*

ministeria sacra exercenda, tantùm abest, beneficia Ecclesiastica esse indigenis tribuenda, exclusis extraneis; ut potius, viceversà, ex textu Evangelico, claro, & corrusco, ipsiusque Christi dogmate, convincatur, quod beneficia ipsa essent potius extraneis conferenda, indigenis ablegatis: nisi aliud, ut innuimus, in casibus practicis, recta ratio, & prudentia dictitet exequendum. Igitur *si nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ* (a), vel, ut habet textus Syriacus, *in provinciâ suâ*, nullusque est *Propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, & in Domo suâ, & in cognatione suâ* (b), sequitur, quod operæ pretium sit, ut Sacerdotes, & Clerici, per Prophetas designati, ne invidiâ, & æmulatione Concivium inhonorentur, Prophetale officium, seù munus Sacerdotale, & Clericale exerceant extrà patriam, extrà domum, extrà cognationem suam, & cum officio, ac munere Clericali, stipendia quoque Clericalia, seù beneficia sacra, sortiantur: quod idem est, ac dicere, beneficia sacra esse potius extraneis, quàm indigenis conferenda; nisi aliud, cæteris paribus, Ecclesiæ universalis, vel particularis servitium, necnon circumstantiæ temporum, & personarum, exposcant. Itaque totum summando simul argumentum, ex hac Christi propositione, clarè probatur libertas Ecclesiæ in conferendis Ecclesiasticis beneficiis, tam Clericis indigenis, quàm extraneis.

13. Celebre etiam est factum Christi, quando sapientissimè elegit Apostolos, & Discipulos suos: primò enim elegit duodecim Apostolos, & misit illos ad prædicandum, ut se adhuc in mundo versante, tyrocinium ponerent Sacerdotalis officii; ab eis inter gentes, & populos obeundi (c). Hique, ex variis Regionibus orti sunt, quippe aliquos eorum extrà Judaicam nationem fuisse genitos affirmatur. Nempè Simonem Chananæum, non à Canâ Galileæ, sed à Regione Chanaam profluxisse, secundum aliquos, de quibus Abulensis (d) Bartholomæum quoque à nonnullis dicitur prodiisse ex Ptolemæorum Regio sanguine, sicque fuisse ex Ægypto originariè progenitum (e), de quibus quidquid sit, saltem sine dubio cuncti Apostoli fuerunt ex diversis Tribubus filiorum Israel: nàm Judas Iscariotes ex Tribu Ephraim, vel, secundum alios, ex Tribu Issachar, est progenitus (f): Jacobus Alphæi, & Judas Thaddeus, in Evangelio Fratres Domini nuncupati, è Nazareth de Tribu Nephtali ortum duxerunt (g). Alii de eâdem Tribu Nephtali, alii de Tribu Zabulon prodierunt (h), & de Apostolis censent S. Hieronymus (i) Theodoretus (l) atque alii, divinum Psaltem prophetice prædixisse, *Principes Juda Duces eorum; Principes Zabulon, Principes Nephtali* (m) idest Apostoli, qui de his Tribubus nati sunt, glossat Hugo Cardinalis (n). Inter has autem Tribus erat quidem societas, sed non quoad omnia, & præsertim ubi de præjudicio in bonis temporalibus agebatur. Hinc vetita erant matrimonia inter natos ex diversis Tribubus (o), nisi fortè per dispensationem (p), quæ tamen non dabatur, quoties periculum esset, ut ex connubiis, hæreditates familiarum, de unâ ad alteram Tribuum pertransirent (q). Nihilominus Lævitæ poterant sine dispensatione cum cunctis Tribubus per matrimonia commisceri (r).

14. Post electos autem Apostolos, *designavit Dominus, & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem Civitatem, & locum quo erat ipse venturus* (s). Ad prædicationis nempe munus, & ad officium dirigendi animas in viâ Domini illos destinavit, qui proculdubiò ex variis Orbis partibus sunt electi. Leguntur nomina eorum apud Volaterranum ex Historicis (t), & ex Juris Consultis, apud Camillum Borellum (u), necnon & apud Petrum Suberti de cultu vineæ Domini (x) apud Dorothæum quoque in Synopsi Sanctorum Patrum, & apud Vvicellium in Hagiologio (y), sed parum constanti fide: cum Eusebius protestetur, se discipulorum nomina nunquam scripta reperisse (z). Inter hos autem Barnabas fuit in Cypro natus (a), Philemon Colossensis (b), Nicolaus advena Antiochenus (c), & sic de aliis (d). Tam vero Apostoli, quàm Discipuli, quantumvis pares in dignitate non fuerint; fuerunt tamen in ordine Sacerdotalis gradus æquales: Jamque ex tunc Apostolis Episcopi successerunt, & Sacerdotes

Disci-

(a) *Luc. 4. 24.*
(b) *Mat. c. 6. 4.*
(c) *Matth. 10. 1.*
(d) *Abul. in Matth. 10. q. 40.*
(e) *Petr. de Natal. in Catal.*
(f) *S. Hieronym. in Matth. 10. 10. & in Isai. 28.*
(g) *Card. Baro. an. 34. n. 7. Corn. à Lap. in Matth. 13. 55. § Simon. Tostat. in Matt. 2. q. 87. tom. 1.*
(h) *Baron. loc. cit.*
(i) *S. Hieronym. in Isai. c. 9.*
(l) *Theod. in Is. 67.*
(m) *Psal. 67. 28.*
(n) *Hugo Card. in psal. 67. 28.*
(o) *Numer. 36. 7.*
(p) *Tostat. in Judic. 10. q. 5. in fin.*
(q) *Becan. Annal. vet. test. c. 21. q. 6.*
(r) *Tostat. in Judic. q. 5. Bec. loc. cit.*
(s) *Lucæ 10. 1.*
(t) *Raph. Volater. Vrbanor. côment. l. 19.*
(u) *Camil. Borellus sum. decis. t. 1. tit. 5. n. 6.*
(x) *Subert. de cultu Vin. Dom. p. 7. c. 3.*
(y) *Vide Cornel. à Lap. in Luc. 10. 1.*
(z) *Euseb. hist. l. 1. cap. 14.*
(a) *S. Epiph. hæres. Euseb. hist. l. 3. c. 3.*
(b) *Corn. à Lap. in ep. ad Philem. in princ.*
(c) *Actor. 6. n. 5.*
(d) *Corn. à Lap. in Luc. 10. 1. Sylveira in Evang. t. 3. l. 5.*

Discipulis, uti docent SS. Anacletus (*a*), Hieronymus (*b*), Beda (*c*), Bonaventura, & alii (*d*). Mittens autem Christus Apostolos, & Discipulos, expressè præcepit eis, ne quid secum afferrent, *non aurum, non argentum, neque pecuniam in Zonis*: *Non sacculum, neque peram, neque calceamenta* (*e*), sed mercedem sui laboris ab illis consequerentur, quibus officia Ecclesiastica ministrarent, hac ratione utrobique indicatâ, quia *dignus est operarius mercede suâ*. (*f*)

15. Temporaneum fuisse præceptum hoc Apostolis, Discipulisque à Domino injunctum, ne quid possiderent, ac nè quidquam secùm afferrent; edocent D. Joannes Chrysostomus (*g*), D. Paschasius (*h*), & alii Patres, passimque recentiores (*i*) eò quòd tunc Apostoli, & Discipuli missi sunt ad Evangelium solis Judæis annuntiandum, apud quos consuetudo vigebat, ut suis præceptoribus de alimentis congruis providerent, quemadmodum affirmat Divus Thomas (*l*). At verò cùm post Resurrectionem injunctum est illis, ut nedùm apud Judæos, sed etiam apud Gentiles, & Barbaros, ac per universas orbis plagas, evangelium disseminarent; talis non est eis facta inhibito, sed relicta est eisdem potestas, secùm sumptus congruos deferendi, non secus ac, & ipse Christus, qui pridem non habebat *ubi caput suum reclinaret* (*m*), postmodum loculos habuit, quorum custodiam Judæ proditori commisit (*n*). Sed & cum primùm Apostolis, atque Discipulis Dominus profectionem ad Hebræos commisit, & ne quidquam subsidii secùm circumferrent inhibuit, eos tamen illuc sub nomine Operariorum direxit, ut sicut terrenis Operariis debitum est stipendium laboris, sic & illis merces prædicationi congrua penderetur: *Qui peram*, inquit D. Gregorius, *& sacculum portare prohibuit, sumptus, & alimenta ex prædicatione concedit. Dignum est enim, ut ab eis terrena stipendia consequamur, quibus patriæ cælestis præmia afferimus* (*o*). In eundem sensum conveniunt S. Augustinus (*p*), S. Thomas (*q*), d. S. Paschasius (*r*), & signanter id. S. Chrysostomus, adnotans, ideò Christum Apostolos, & Discipulos operariorum nomine decorasse, ut mercedem, non de congruo, sed ex debito, illis exhibendam esse monstraret (*s*).

16. In hac mercede, Operariis Evangelicis debitâ, & aliis Clericis, ac Sacerdotibus Deo famulantibus in sacrę religionis officiis exhibendâ, significari Ecclesiastica beneficia, certo certiùs est, cum de facto ecclesiastica beneficia nil nisi stipendia sint, atque merces, operariis Evangelicis debita, qui in statu Clericali, & Deo serviunt, & saluti animarum operam dant, & suæ dignitatis munera adimplent. Ità Nicolaus Papa I. objurgans Photium, qui saltu præcipiti, ex laico se verterat in Antistitem, & Patriarchale beneficium S. Ignatii Constantinopolitani, prorsùs impudentèr invaserat; ei intimat jussionem Domini sic sonantem, *dignus est operarius cibo suo*: *dignus est operarius mercede suâ* (*t*). Hincque arripit motivum eundem Photium acriter corripiendi, quod mercede indignus esset, cùm operarii Evangelici justum titulum non haberet: nec nisi latrocinali audaciâ processisset, Patriarchium Ignatii occupando, dum illi mercedem, illi stipendia debita sustulisset, ad quem ut ad verum Operarium, & Antistitem Urbis Constantinopoleos, pertinebant (*u*). In eadem pariter mercede, à Christo Operariis Evangelicis assignatâ, Patres Concilii IV. Constantinopolitani, Generalis VIII., beneficia ecclesiastica discrevere, statuentes, *quoniam quidem dicit alicubi divinum eloquium, dignus est operarius mercede suâ, hujus rei gratia, & nos decernimus, atque promulgamus, ut magnæ Ecclesiæ Clerici, qui in subjectis ordinibus morati sunt, ad majores gradus ascendant, & si digni claruerunt, melioribus perfrui mereantur honoribus* (*x*).

17. Hujus Canonis vim infrà fusiùs examinabimus, dùm Objectionibus Conciliaribus respondebimus, nunc satis sit illum memorasse. Diximus autem paulò antè, quòd duodecim Apostoli, & septuagintaduo discipuli Christi, non omnes ex eâdem Urbe, neque ex eâdem Provinciâ, & Regione, sed expluribus, atque dissitis Orbis Regnis, Urbibus, atque locis, ortum duxerunt: nullusque ex eis

(a) *S. Anacl. ep. 2.*
(b) *S. Hieron. ep. ad Marcellam.*
(c) *Beda in cap. 15. Lucæ.*
(d) *S. Bonav. in Luc. 10. 1. §. post hæc.*
(e) *Matth. 10. 9. Lucæ 10. 1.*
(f) *Matth. 10. 10. Lucæ 10. 7.*
(g) *S. Jo. Chrysost. ho. 9. in ep. ad Philip.*
(h) *S. Paschas. lib. 6. in Matth.*
(i) *Bellarm. de Cler. c. 2. Sylveira loc. cit.*
(l) *S. Th. in Matth. 10.*
(m) *Matth. 8. 20.*
(n) *Joan. c. 12. 6. & c. 13. 29.*
(o) *S. Greg. hom. 17. in Evang.*
(p) *S. August. l. 2. de consens. Evang. c. 30.*
(q) *S. Th. in cap. 10. Matth.*
(r) *S. Paschas. lib. 6. in Matth.*
(s) *S. Jo. Chrysost. in hom. 33. in Matth.*
(t) *Matth. 10. 10. Lucæ cap. 10. 7.*
(u) *Nicol. Pap. I. ep. 11. ad Photium.*
(x) *Conc. Constantinopol. IV. c. 13.*

eis constitit, ad Apostolicum, & Sacerdotale officium exercendum, in pago, vel oppido, vel municipio, undè ortum traduxerat, & cujus erat indigena: sed cuncti huc, illuc, prout illis fuit vel cælitùs designatum, vel S. Petri nutu præceptum, in diversas Mundi plagas, & ad incognitas provincias, atque Urbes, perrexerunt, ubi erant extranei, ac ibi sacerdotalia, & respectivè pontificalia, vel clericalia ministeria adimpleverunt, vel ad tempus, vel in perpetuum consistentes, mercedemque, ac stipendia, laboribus suis debita, perceperunt, seu beneficia Ecclesiastica tenuerunt. Quod non temerè, non latrocinali modo, non injustè fecerunt, sed auctoritate Divinâ, illorum favore decernente, *dignus est operarius mercede suâ* (a). Quo fit, ut dùm Christus sacris ministris mercedem sui laboris voluit esse debitam, & ut ex debito voluit illis esse pendendam; hac jussione, beneficiorum Ecclesiasticorum fundamenta jecerit: quæ mandans primo loco dari Apostolis, & Discipulis, ab illis gentibus, apud quas hi erant extranei; proculdubiò voluit extraneos beneficiorum esse capaces: & sic taliter usque ab initio, beneficiorum distributio est Christi voce statuta, ut non modo indigenis, sed & extraneis debeantur: Sacrisque Ministris Deo famulantibus, undecumque veniant, sint debita, tamquàm cibus laboranti, & tamquàm merces, operario, juxtà præceptionem Evangelicam, destinata.

(a) Luca 10. 5.

18. Quare si Contradictores, nomine extraneorum, intelligunt illos, qui aliorsùm veniunt, & ex alienâ Civitate, vel Regione progeniti, ad illorum loca se conferunt, ac ibi ecclesiastica beneficia suscipiunt; ex præsenti Christi facto, atque doctrinâ vincuntur, cum ipse deputaverit Apostolos, & Discipulos, illosque extrà propriam patriam ad ecclesiastica officia obeunda transmiserit, datâ eis potestate mercedem sui operis exigendi, seù, quod idem est, beneficia Ecclesiastica consequendi: & ità extranei ubilibet in locis, ubi Episcopali, vel Parochiali, vel Chorali, se applicant ministerio, vel alitèr operarii sacri munus exercent; licitè, ac justè possunt ecclesiastica consequi beneficia. Si verò prò extraneis intelligunt illos, qui non morantur in locis, ubi merè simplicia retinent beneficia; quatenùs non inibi residentes, per consequens non laborent, non deserviant, non operentur, & idcircò nec sacri operarii munus exerceant, neque mercedem, Operariis evangelicis debitam promereantur; Contradictores in palmari versantur æquivoco, quià supponunt, quòd beneficiarii merè simplices, à loco sui beneficii abscedentes, non laborent, non deserviant, non operentur, & consequenter nec Operarii Evangèlici sint, nec mercedem illis debitam, mereantur: sed in hoc enormitèr errant: quod, ut appareat, perpendendum est, quid sibi velint, *laborare*, *& operari*.

19. Apostoli, & Discipuli, per Orbem à Christo disseminati, operabantur, Evangelium prædicaudo, sacramenta ministrando, animarum saluti sedulitatem assiduam impendendo; sed præter hæc, quæ officium Episcopale, vel Parochiale concernunt, loco alligatum, & inibi adimpletum, ubi consistebant; alia etiam faciebant, Deo grata, & Ecclesiæ utilia, ut est Missas celebrare, oretenùs psallere, mentalitèr orare, aliisque piis operibus operam dare, quæ poterant ubilibet adimplere, sivè in determinato loco consisterent, & residerent, sivè non: & licèt hæc ad Episcopale, vel parochiale munus non pertinerent; ad Clericale tamen officium spectabant, & Clericalem mercedem promerebantur, si Episcopalem, vel parochialem non percipiebant. Sub hoc themate re consideratâ, & beneficiariis nostri temporis applicatâ, enitescit, quòd beneficiarii merè simplices, tametsi partem illam laboris Ecclesiastici non exerceant, quæ in prædicatione, in Sacramentorum admistratione, & in Episcopalis, vel parochialis muneris executione consistit; aliam tamen partem exercent, quæ in sacræ psalmodiæ recitatione, in mentali oratione, in Missarum celebratione, eleemosynarum largitione, aliorumque piorum operum executione concluditur: quæ ad Clericale, vel Sacerdotale pertinent ministerium, nulli loco alligatum, sed eo modo, illo in loco,

loco, & sub talibus terminis obeundum, quales vel præscriptio fundatorum, vel Ecclesiæ leges, & stylus illis apposuerunt. Cùm autem in dictis beneficiariis merè simplicibus, sit labor sacer, & operatio religiosa, quæ illos intèr Operarios Ecclesiasticos constituit, & est causa sufficiens ad consequendam mercedem; debet etiam esse in eis effectus ipsius operis, & laboris, nempè adeptio mercedis præceptæ à Christo, quod in idem resonat, ac beneficii ecclesiastici consecutio: & ità, vel resideant, vel non resideant, in loco beneficii; dummodò adimpleant onera sibi apposita, beneficium ipsum possunt licitè, & plusquàm licitè retinere.

20. Cæterùm negari potest etiam suppositum, nempè quòd Ecclesiastica beneficia danda sint solùm operantibus, & laborantibus actualitèr in Ecclesia: Nam hoc est falsum, si in suo formali, & præciso conceptu consideretur. Etenim beneficia ecclesiastica succedunt in locum decimarum, primitiarum, & oblationum, quæ olim Sacerdotibus, & Levitis in veteri Testamento porrigebantur (*a*): hæ autem non eis tradebantur formalitèr, & præcisè ratione laboris, & operis. Nam ab initio viginti duo millia virorum ordinis levitici, inter Hebræos numerabantur, (*b*) qui postea successive ad longe ampliorem numerum excreverunt, nempe ad centum viginti millia, in viginti quatuor classes, aut ephemerias distributa, ita ut una tantum classis ex eisdem Templo Domini per singulas hebdomadas ministraret (*c*). Qua de re Josephus contra Appionem (*d*), Sigonius de Republicâ Hebræorum (*e*), & alii (*f*). Ex tam prolixo ergo sacrorum virorum numero admodum pauci actualiter operabantur in Templo, & quotidiana officia sui ordinis adimplebant, cum nihilominus Levitalia, & respective Sacerdotalia susciperent emolumenta: quæ sane ex duplici capite illis pendebantur, quorum unum primarium erat, & alterum secundarium. Primarium erat ratione Ordinis Sacerdotalis, & Levitici, ad quem cum nullus provehi posset, nisi natus ex Leviticâ Tribu, quæ patrimonio carebat, necesse erat ut eis alimenta in decimis, & respectivè in primitiis, & oblationibus conferrentur. Secundarium caput erat ratione ipsius Ordinis actualitèr exerciti, cùm scilicèt Sacerdotes, & Levitæ proprium Ordinem exercebant, deserviendo Templo, præces fundendo, victimas immolando, & immolantibus famulando, legem expendendo, ob quæ munia præmium sui laboris, & mercedem sui operis merebantur.

(a) Num. 18. 21.

(b) Num. 3. 39. 43. & ibi Corn. à Lap.

(c) 1. Paralipom. cap. 23. 24. & seq.

(d) Joseph. contr. Appion. lib. 2.

(e) Carol. Sigon. de Republ. Hebræorum lib. 5. cap. 3.

(f) Hugo Card. & Lyran. in Deut. 18. 6.

21. Sicut autem Sacerdotibus, & Levitis ex solâ primâ causâ, nempe ex solâ eorum dedicatione ad divinum cultum (in quo statu Deum precibus se soli colebant, & aliis privatis devotionis actibus, atque pietatis officiis incumbebant) datum erat decimas, & primitias adipisci, quamvis deesset secunda causa, videlicet quamvìs in Templo solemnitèr & publicè non servirent; ità ex paritate rationis, tùm Sacerdotibus, tùm Clericis nostris, ex solâ primâ causâ scilicet eorum dedicationis divino ministerio (quippe in quo statu, privatis orationibus, & religionis actibus, ac divino cultui incumbunt) licere debet præbendas Ecclesiasticas retinere, tametsi aliquando in eis desit secunda causa, nimirùm licèt Ecclesiæ in loco beneficii actualitèr non deserviant. Eccur enim quod olim legalibus ministris Domini permittebatur, nunc Evangelicis denegabimus? Nunc, cum *& Ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior Seniorum, & Sacratior est unctio Sacerdotum* (*g*). Itàque ex designatione stipendii, quod Christus Apostolis, & Discipulis, ad evangelizandum transmissis, voluit esse pendendum, tamquàm ex obligatione, & velut mercedem operariis Evangelicis debitam, pro quanto ex factis, & doctrinâ primi Christi sæculi, ratio deduci potest, probatur libertas Ecclesiæ in conferendis beneficiis Ecclesiasticis prò suo libito, quibuslibet Clericis, undècumque venientibus, ac quomodocumque in messe Domini operantibus, sivè labore, ad beneficiarios residentiales pertinente; sivè opere, à non residentialibus exhibendo, dummodò aliquo modo operentur, & Deo in officio Sacerdotali, vel Clericali, sub ratione aliquâ famulentur,

(g) S. Leo serm. 5. de Passion.

22. Alia ratio desumitur ex doctrinâ Apostoli ad Corinthios, de stipendiis Ecclesiasticis, sic scribentis: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut ego solus, & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat stipendiis suis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi, non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniàm debet in spe, qui arat arare; & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? Sed non usi fumus hac potestate &c. Nescitis quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant? Ità & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum* (a). Paulus igitur, natione Asiaticus, & Patriâ, vel secundum aliquos Giscalensis in Judæa natus, vel secundum alios verius, Tarsensis in Ciliciâ (b), Religione Christianus, ex Judaismo conversus, probat sibi, atque Barnabæ socio suo, in Cypro exorto, deberi stipendia sacra à Corinthiis, natione Europæis, Provinciâ Achivis, apud quos Apostolatus officio persungebatur, & Evangelium diffundebat. Quemadmodum & aliis Apostolis idipsum, & esse, & fuisse debitum contestatur, signantèr Cephæ, ideft Petro (c), & fratribus Domini, nempe Jacobo, Joanni, & Judæ, Christi secundum carnem cognatis (d).

23. Probat, inquam, Apostolus sex argumentis, licere sibi, ac Barnabæ, omnibusque Ecclesiæ Ministris, stipendia sacra percipere, quod idem est, ac beneficia Ecclesiastica retinere, primò Cephæ, aliorumque Apostolorum fratrum Domini exemplo. 2. ex similitudinibus agricolarum, militum, & pastorum. 3. ex lege Moysi. 4. ex more Sacerdotum, & Levitarum veteris Testamenti. 5. ex Dei, & Christi ordinatione. 6. ex naturalis legis dictamine, quæ docet Ministris Ecclesiæ stipendia, suo labori congrua, & consentanea suæ operationi, deberi (e), quippè, & Infideles, Ethnici, ac Pagani, suis Sacerdotibus, cibaria, stipendia, & mercedem, vel ex ære publico (f), vel ex decimis, & primitiis, vel ex aliis obventionibus, contradebant, prout de *Ægyptiis*, legitur in Genesi (g) de *Atheniensibus*, memorat Sozomenus (h) de *Romanis*, recensent Livius, Tacitus, Cicero, Plinius, Diodorus, Herodotus, Xenophon, & Plutarcus (i). Hæc autem stipendia pendenda esse docet Apostolus Ministris Ecclesiæ, non ex munificentiâ, sed ex debito: non ex largitate, sed ex obligatione (l). Nàm sic Dominus Apostolos, & Discipulos *mittebat, ut eis hæc deberi demonstraret ab illis ipsis, quibus Evangelium credentibus annuntiarent, tamquàm stipendia militantibus, tamquàm fructum vineæ plantatoribus, tamquàm lac gregis pastoribus*, inquit Divus Augustinus (m).

24. Tàm claris autèm, & tàm perspicuis argumentis probat Paulus jus Sacerdotum in exigendis stipendiis, suo labori congruis, ut tota series verborum ejus, explicatione non egeat. Et licèt ipse tali jure non sit usus, nihil exigens à populis, quibus Evangelium annuntiabat, sed de opere suarum manuum victitando (n), tamèn ostendit, se mercedem sui operis, & stipendia suo labori consona, exigere potuisse, sicut *& si aliquis militet propriis stipendiis, tamèn habet jus exigendi stipendia, etsi non accipiat*, ut exemplificat Hugo Cardinalis (o). Ex quo Apostoli textu, aliisque Scripturæ, & Evangelii auctoritatibus, colligunt communitèr Patres, quod Clericis, Sacerdotibus, & Ministris Ecclesiæ, stipendia, & merces opportuna debentur; idque præsertim affirmant Clemens I. (p), Origenes (q), Hieronymus (r), Chrysostomus (s), Augustinus (t), aliique plures, qui de hac materiâ pertractant. His verò alimentis, & stipendiis, prima radix, & origo beneficiorum ecclesiasticorum respondet, nullique dubium est, quin & ex

(a) 1. Cor. 9. 4. & seq.

(b) Act. 20. 3. S. Hieron. de Script. Eccl. c. 5. in Paul. Willegas Flos Sanctor. Vit. S. Pauli 30. Junii.

(c) Hugo Card. in 1. Corinth. 9. 5.

(d) Corn. à Lap. in 1. Cor. 9. 5. §. Fratres.

(e) S. Th. in epist. ad Hebr. c. 7. Cornel. à Lap. in 1. Cor. 9. 12.

(f) S. Thom. loc. cit.

(g) Genes. 47. 22.

(h) Sozom. hist. l. 5. cap. 15.

(i) Liv. lib. 1. Tacit. Annal. l. 4. Cic. de Nat. Deor. l. 3. & de Divin l. 3. Plin. l. 19. c. 14. & 15. Diodor. l. 5. Herod. l. 1. & 9. Xenoph. de laud. Agesil. Plutarc. in probl. Rom probl 16.

(l) Hugo Cardinal. in 1. Corinth. 9.

(m) S. Aug. de consens. Evangelist. l. 2. cap. 30. tom. 4.

(n) Actor. 20. 34.

(o) Hugo Card. in 1. Cor. 9. §. respondeo

(p) Clem. lib. Constit. cap. 38. & 39.

(q) Origen. hom. 11. in Numer.

(r) S. Hier. in Malach. 3.

(s) S. Jo. Chrysost. hom. 43. in 1. Cor.

(t) S. Aug. ser. 215. & 219. de temp. & lib 50. hom. 48.

ex eis etiam collatio, & distributio eorundem beneficiorum fundamentum accipiat (a). Quod & ipsi Contradictores non abnuent confiteri, nec valebunt impugnare, si attendant successioni horum stipendiorum, quam deducit Apostolus ab alimentis, solitis in lege veteri pendi Sacerdotibus, & Levitis: nam per ly, *qui in Sacrario operantur*, *quae de Sacrario sunt*, *edunt*; intelliguntur Sacerdotes immediatè sacrificantes, orantes pro populo, & alia munia sacerdotalia obeuntes: per ly verò, *& qui Altari deserviunt*, *cum Altari participant*, Levitæ connotantur, uti sentit Theodoretus, & cum eo Sancti Chrysostomus, & Hieronymus (b). Qui Levitæ licèt immediatè non sacrificarent, decimas tamen, ait D. Thomas, accipiebant, *quia ministrabant Sacerdotibus*. *Et ità non proptèr se, sed proptèr Sacerdotes dabantur eis* (c). Harumque decimarum, & stipendiorum nomine, significari, seu quantum natura rei permittit, adumbrari Ecclesiastica beneficia, ipse D. Thomas alibi insinuat (d), & allegatus Hugo Cardinalis: attento semper hoc principio, quod quoties agitur de signis, & signatis: ac de figuris, & figuratis, non est necessarium, quod unum cum altero in omnibus, & per omnia concordet, sed sufficit, quod inter se in aliquâ congruâ parte conveniant (e).

(a) *Hugo Card. in 1.Cor.9.5.§ numquid.*

(b) *Vid. Bened. Justin. in 1.Cor.9.13.*

(c) *S.Thom. in ep. ad Hebr.c.7. lec.2.*

(d) *S.Th. quodl. 9. art. 15. in 3. argum.*

(e) *Alphons.Tostat. in Matt.26.q.21.§ sed.*

25. Igitur ex Apostoli doctrinâ (& pro quanto ex figurâ figuratum deduci potest) habemus, Ecclesiastica beneficia, in eorum primordiis, & radice considerata, esse debita nedùm indigenis, sed etiam extraneis, dummodo in Sacrario operentur, & Altari deserviant; seu dummodò Ministri Ecclesiastici munere perfungantur, dum dicit deberi à Corinthiis, qui erant Græci, & Europæi, stipendia sacra, tum sibi Cilici, & Asiatico; tum Barnabæ, in Cypro nato, atque pariter Asiatico. Sed Paulus ipse majoris perfectionis, & ædificationis gratiâ: cupidusque manifestationis discriminis à *Pseudoapostolis*, *Operariis subdolis* (f) tali potestate, stipendia illa exigendi à Corinthiis non utebatur, sicuti sæpius protestatus est (g), potiusque *in labore*, *& operatione*, *noctè*, *& die* operabatur, ad necessaria sibi, ac sociis comparanda (h). *Non quasi*, inquit, *non habuerimus potestatem*, *sed ut nosmetipsos formam daremus vobis*, *ad imitandum nos* (i). Poterat autem ubique in omnibus Ecclesiis, à se cum tanto labore, sudore, ac lacrymarum imbre fundatis, non solùm præsens, sed etiam absens, exigere: cum omnes fideles, ab ipso conversi, ob tanta, & talia beneficia, essent ei summoperè devincti; Et ipse etiam in absentiâ de illis curam gereret; pro ipsis oraret; ad eos scriberet; semper paratus ipsis quoque absens, eo modo, quo poterat, saltem spiritualiter precibus, & sacrificiis opitulari. Et ita profectò docuit, quod Ecclesiastica beneficia, & extraneis non secus, ac indigenis sint debita; & ab illis etiam possideri possunt, qui in locis, ubi erecta sunt, non morantur. Si autem ecclesiastica beneficia, etiam extraneis operantibus aliquo modo in ministerio sacro sunt debita, jam constat de libertate Ecclesiæ in eorum distributione, & de libertate cunctorum, qui nomine Ecclesiæ beneficia conferunt, in largitione eorundem beneficiorum, non tàm indigenis, quàm etiam extraneis.

(f) 2.Cor.11. n.13.

(g) *Actor.20.34. 1. Cor.9.12.15 1.Thessal.2.9. 2.Thessal.3.*

(h) 2.*Thessal.3.8.*

(i) 2.*Thessal.3.9.*

26. Optimam quoque rationem nobis exhibet idem Apostolus Paulus ad Corinthios scribens: *Alias Ecclesias expoliavi*, *accipiens stipendium ad ministerium vestrum* (l), quasi diceret: videte, ò Corinthii, quantâ charitate, atque moderatione vobiscum ago: nam quantumvis vos divites sitis, adhuc nihil à vobis accepi, sed potius ab aliis Ecclesiis sumpsi, tametsi pauperie laborantibus, eas veluti despoliando, ut vobis parcerem, ne putaretis me vestra quærere, non vos (m). Itaque Apostolus nihil à Corinthiis exigebat: ab aliis tamen Ecclesiis opportuna subsidia sumebat, non tantum pro necessariâ sibi propriâ subventione; quantum etiam pro adjutorio ipsis Corinthiis, si qui erant indigentes, promptius exhibendo. Ex quo eventu optimè infert D. Thomas de Aquino, gloria simul, & protector Regni Neapolitani, ac totius Ecclesiæ Doctor egregius, non licuisse Corinthiis negare Apostolo subsidia, si quę ab illis postulasset, quandoquidem & ab

(l) 2.Cor.11.n.8.

(m) *Cornel. à Lap. in 2.Corinth. 11. 8.*

ab aliis, pro illorum servitio, subventiones congruas accipiebat. *Ex hoc*, inquit S. Doctor, *convincit eos, quod non possint dicere Apostolo, quod non liceret ei accipere ab eis. Si enim accipitur ab aliis ad servitium eorum, multo magis licet ei accipere ab ipsis* (a).

27. Successivè D. Thomas aliam trahit illationem favore Summi Pontificis, illiusque Ministrorum, in libertate disponendi de bonis Ecclesiæ, ex uno in alium locum, de unâ in aliam urbem, oppidum, vel regionem, prout prudentia sibi suggerit expedire: *Ex hoc etiam*, ait, *apparet, quod Legatus Papæ, visitans unam partem Legationis, potest accipere stipendia. Et quod Dominus Papa pro necessitate unius patriæ, potest accipere subsidium ab aliis partibus Mundi. Ratio est, quia Ecclesia est sicut unum corpus. Videmus autem in uno corpore naturali, quod natura, quando deficit virtus in uno membro, subministrat humores, & virtutem, accipiens ab aliis membris* (b). Sane cum bona Ecclesiæ, secundum eundem Sanctum Doctorem, sint aliquo modo Summi Pontificis (c), & ad illum spectet eorumdem suprema, ac libera dispensatio (d), valde justum est, ut liberè valeat bona unius Ecclesiæ alterius subsidio deputare. Et quod dicitur de Papâ, verificari debet etiam proportionaliter de aliis Ecclesiæ Prælatis, quoad bona Ecclesiastica, eorum jurisdictioni subjecta, præsertim de jure antiquo: & etiam de jure novo, in aliquibus casibus, de quibus Canones, & Canonistæ. Quippe ipsi quoque Prælati sunt eorumdem bonorum respectivè dispensatores (e). Cum etenim suam dignitatem, ac potestatem ei consonam, sortiantur à Summo Pontifice; in illius quoque jure succedunt quoad partem hujusmodi bonorum, dispensationibus illis assignatam. Jure autem ejus uti debet, qui in jus succedit alterius (f).

28. Si ergo Summus Pontifex, tamquam supremus administrator bonorum Ecclesiæ (& respectivè alii Ecclesiæ Prælati, vel dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, congruâ semper proportione servatâ) possunt applicare bona Ecclesiæ unius Urbis, vel Regionis, Ecclesiæ alterius loci, vel Civitatis, multo magis possunt beneficium Ecclesiasticum alicujus loci, ad usufructuandum dare Clerico alterius loci: nam nonne plus est bona unius Ecclesiæ in perpetuum alteri Ecclesiæ applicare, quam beneficium unius loci, ad tempus possidendum Clerico alterius loci præbere? Cui autem licitum est majus, licitum est etiam id quod est minus (g). Nec dicatur S. Thomam loqui de casu necessitatis, quæ cum legem non habeat, licere facit etiam ea, quæ alioquin non licerent (h). Quæ autem ex necessitate fiunt, in exemplum trahi non debent (i). Nam D. Thomas, tametsi utatur termino necessitatis, revera tamen non intelligit præcisam necessitatem, sed potius utilitatem: tum quia necessitas, & utilitas æquiparentur (l): tum etiam quia crebrò necessarium, pro utili, & expediente suscipitur (m).

29. Et quod hic sit sensus D. Thomæ patet ex ejus doctrinâ, alibi per eum propositâ. Expendens enim locum illum Apostoli ad Philippenses: *Scitis autem & vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum à Macedoniâ, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati, & accepti, nisi vos soli, quia & Thessalonicam semel, & bis in usum mihi misistis* (n). Expendens inquam D. Thomas hunc locum, ait: *Apostolus à quibusdam nihil accipiebat, scilicet Corinthiis, & Thessalonicensibus &c. quo in usum proprium uteretur. Et quia Thessalonicenses erant otio dediti, laborabat, dans eis exemplum laborandi. Isti verò erant boni in absentiâ, & præsentiâ. Unde dicit 2. Corinth. 11. Alias Ecclesias expoliavi accipiens stipendium ad ministerium vestrum. In ratione dati spiritualis, & accepti temporalis. 1. Corinth. 9. Si nos vobis spiritualia seminavimus, non magnum est si nos carnalia vestra metamus. Quia & Thessalonicam &c. Et hoc est argumentum, quod Papa potest ab unâ Ecclesiâ accipere in subsidium aliarum, non autem sine quacumque causâ* (o). Vides exigi quidem causam, non verò necessitatem: nec D. Thomam pro necessitate intelligere veram, & præcisam necessitatem, sed solum utilitatem, vel rationabilem causam.

30. Quâ

(a) *S. Thom. in 2. Cor. 11. lect. 2.*

(b) *S. Thom. loc. cit. lect. 2. in fine.*

(c) *S. Th. in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 2.*

(d) *S. Th. 2. 2. q. 100. art. 1. Sotus de Just. & Jur. l. 3. qu. 6. art. 2. ad 3. argumentum.*

(e) *S. Thom. 2. 2. qu. 6. art. 2. ad 3.*

(f) *Cap. Is, qui in jus de reg. jur. in 6. l. si aquæductus, ff. de contr. empt.*

(g) *Alex. in l. in suis in princ. ff. de liber. & posthum. Barbos. tr. var. loc. 67. n. 1. & 3.*

(h) *Cap. quod non. de reg. jur. cap. quanto, de consuetud. Barbos. Axiom. 157. n. 2.*

(i) *Côc. Later. 3. c. 3.*

(l) *Faguan. in cap. quævis nu. 2. de ætat. & qual. l. 1.*

(m) *Idem in cap. Tuæ fraternitati n. 18. de sponsal. lib. 4.*

(n) *Philip. 4. 15.*

(o) *S. Thom. in Philip. c. 2. lect. 2.*

30. Quâ positâ doctrinâ D. Thomæ, recurrit argumentum, quod si ex rationabili causâ, & Ecclesiæ utilitate, liberum, & licitum est Papæ bona unius Ecclesiæ alteri extraneę Ecclesiæ conferre, atque in perpetuum applicare; multò magis, eâdem concurrente rationabilitate causæ, & Ecclesiæ utilitate, liberè potest beneficium unius Ecclesiæ extraneo Clerico alterius Ecclesiæ, ad tempus solum vitæ suę possidendum præbere: & si hoc licitum est Papæ, licitum erit etiam aliis Ecclesiæ Prælatis, servatâ debitâ proportione: itaut ad eos semper pertineat judicare, an rationabilis causa, & utilitas, in casibus practicis concurrat, necnè. De illâ etenim definire, non est plebis, neque minuti populi, hominumve otio deditorum, sed Præsulis, & dispensatoris beneficiorum, cujus conscientia oneratur, ut beneficia ipsa, pensatis personarum, locorum, ac temporum circumstantiis, solam justitiam, & Dei, ac Ecclesiæ servitium præ oculis habens, rectè, ac prudentèr distribuat. Adeoque totâ serie præsentis Capituli ritè consideratâ, pro quanto materiæ sterilitas permittit, & angustia motivorum, quæ à primo Christi Sæculo deducuntur; Si cuncta æquanimitèr ponderentur, & singula singulis congruè referantur; bene infertur, quod liberum, & licitum est Ecclesiæ, inprimisque Summo Pontifici ejusdem Capiti, necnon Episcopis, aliisque omnibus, tam ordinariis, quam delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, Ecclesiastica beneficia non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

CAPUT II.

In quo ex aliis Sacræ Scripturæ periodis, ac sententiis, & præsertim ex doctrinâ D. Pauli Apostoli ad Corinthios, & *D. Lucæ* in Actibus Apostolorum, & *ex aliis rebus, per Apostolos gestis, probatur Ecclesiæ libertas in conferendo Ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 *Primo Christi sæculo non erant beneficia, ut sunt nunc. Bona Ecclesiæ oblata vendebantur. Deinde inceperunt retineri, & eorum reditus dispensari.*

2 *Licet tunc non essent beneficia; erant tamen aliæ res, quibus nunc beneficia ipsa succedunt: & sicut ad eos admittebantur Clerici extranei; sic admitti etiam debent ad ecclesiastica beneficia.*

3 *Fiebant hoc tempore collectæ pecuniarum. Eas Apostolus mandat fieri in Ecclesiis Corinthi, & Galatiæ. Antiochiæ quoque, in Macedoniâ, & in Achajâ colligebantur pecuniæ, ad Ecclesias mittendæ.*

4 *Mittebantur hæ collectæ Sacerdotibus, qui prius Ecclesiæ, & Ministris ejus providebant, deinde portionem pauperibus erogabant.*

5 *Olim ex toto orbe subsidia mittebantur ad Ecclesias Palæstinæ, usque ad tempora Theodosii. Corinthii non de superfluis, sed ultra vires, conferebant.*

6 *Erat in omnibus Ecclesiis locus, ad colligendas eleemosynas deputatus. Immensa collectio in Ecclesiâ Carthaginensi memoratur. Has collectas Romæ S. Leo, Constantinopoli S. Jo. Chrysostomus promovent.*

7 *Largi erant fideles in his erogationibus, quæ speciem habebant ecclesiasticorum beneficiorum. Nam de illis sportulæ Clericis, & pauperibus portio competens præbebatur.*

8. In

8 *In quos usus verterentur hæ collectæ, ex D. Justino, & Tertulliano. Non pro solis ecclesiis localibus deserviebant, sed etiam pro extraneis.*

9 *Prodigiosa fuit liberalitas aliquorum in mittendo subsidia Ecclesiis alibi constitutis. Quid de Papis scribat Dionysius Corinthius.*

10 *Inter Antistites rutilarunt SS. Pacianus Barcinonensis, Audoenus Rotomagensis, Patiens Lugdunensis, & alii. Ad has erogationes etiam extranei, & etiam infideles admissi sunt.*

11 *Tanta alicubi erat largitas in pauperibus adjuvandis, ut horum aliqui eâ abuterentur. Historia Protei refertur.*

12 *Quæ sane collectæ non fuerunt factæ de superfluis, sed ultra vires, & penè de necessariis, regulâ largiendi sumptâ non à superfluitate, sed à debito charitatis.*

13 *Exemplis S. Exuperii Tolosani, Gregorii Nazianzeni, & Gregorii Magni, ostenditur, quod non de superfluis erogationes illæ fiebant.*

14 *Pro redimendis captivis res Ecclesiæ distrahi posse jura decernunt. SS. Augustinus, Ambrosius, & alii in hac re munificentissimi fuerunt.*

15 *Clarè probatur Patres præfatos non de superfluis, sed de penè sibi necessariis, hæc egisse. Fit memoria S. Acacii Amidensis, qui 7. mille Persas captivos redemit, sacris vasis in pecuniam redactis.*

16 *Ratio cur indigenæ indistinctè cum advenis de præfatis subsidiis participarent, est quia apud Deum non est distinctio Judæi, & Græci, liberi, & servi. Et ratio rationis est, quia Ecclesia est una, & omnes unum in eâ.*

17 *In politicis est diversitas populorum: at in ecclesiasticis una omnium est natio, & omnibus inest jus adipiscendi tamea, quæ Deus præparavit in Cælis diligentibus se, quam, quæ in Ecclesia præparavit deservientibus sibi.*

18 *In præfatis erogationibus olim consistebant ecclesiastica beneficia, & nedum Clerici, sed etiam pauperes rationem habebant beneficiariorum.*

19 *Fideles vendebant prædia, & pretium ad pedes Apostolorum ferebant: quæ subinde largitiones taliter in Ecclesiâ creverunt, ut quosdam cierent ad invidiam.*

20 *Ex his largitionibus quatuor partes fiebant, cunctisque dabatur prout opus habebant, sive indigenis, sive extraneis.*

21 *Ad has erogationes originem beneficiorum ipsi referunt Contradictores, ad quas extranei admittebantur. Ponitur historia Ananiæ, & Saphiræ.*

22 *Solus Petrus Ananiam, & Saphiram perculit, quia ipse erat caput Ecclesiæ, ac fidelis dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam.*

23 *Bona Ecclesiæ sunt bona ipsius Dei, ergo etiam Petri, qui est Christi Vicarius. Doctrina Petri Alliacensis, & Jo. Parisiensis, de potestate Papæ in dispensando bona Ecclesiæ.*

24 *Papæ, ut dispensatoris bonorum Ecclesiæ præcipuè est ad beneficia admittere, etiam extraneos, eo modo, quo ad bona oblata Ecclesiæ admittendi fuerunt extranei.*

25 *Linteum animalibus plenum, visum à Petro significabat Ecclesiam: animalia munda Judæos, & immunda Gentiles. Hos incorporari Ecclesiæ jubet Dominus.*

26 *Doctrina D. Augustini circa visionem hanc Petri, Ecclesiæ typum præferentis. Voluit Deus etiam alienigenas admitti ad Ecclesiam, & consequenter ad ejus bona, tam spiritualia, quam temporalia.*

27 *Qui admittebantur ad Ecclesiam, etsi alienigenæ, admittendi erunt quoque ad participandum de bonis Ecclesiæ. Si Cornelius cum baptismo sacerdotium accepisset, bona sacerdotibus debita meruisset.*

28 *Exclusio extraneorum à beneficiis culpam involvit acceptionis personarum. Et sicut eis negari non potest fides, & bona Ecclesiæ spiritualia, sic neque bona tempo-*

temporalia negari possunt, data in eis capacitate.

29 *Bona spiritualia, & temporalia Ecclesiæ correlativè se habent: à correlativis autem optimè sumitur argumentum: ergo quibus patet aditus ad prima, patere debet quoque ad secunda.*

30 *Apostoli in locis episcopale beneficium tenuerunt, à quibus erant extranei. Discipulos quoque suos in diversis urbibus, etsi extraneos præfecerunt.*

31 *Recensentur plures Episcopi, quos D. Petrus misit in Oriente, in Africâ, in Italiâ, Germaniâ, Hispaniâ, Siciliâ &c.*

32 *Ecclesias in regionibus præfatis D. Petrus instituit. Dici potest esse de traditione Apostolicâ, quod extranei admittendi sint ad beneficia.*

33 *Quanta sit vis Traditionis, & quomodo plura Concilia ejusdem ope varios Hæreticos debellarunt.*

34 *Traditione Clemens VI. Papa vicit Alphonsum XI. Regem Hispaniæ, obsistentem ne beneficia sui Regni extraneis conferrentur.*

35 *Nec dicatur Apostolos, eorumque Discipulos non fuisse extraneos ab Ecclesiis adeptis, quia in eorum patriâ non erat erecta Ecclesia, & ipsi fiebant Caput Ecclesię, cui se desigebant. Nam hęc delusio rationis est.*

36 *Extraneitas non desumitur ex voluntate residendi, vel non, sed ex ortu extrà locum beneficii. Erectę jam erant Ecclesię, ex quibus desumpti fuerunt plures Episcopi, per Orbem ab Apostolis missi.*

1. CURRENTE Seculo Christi primo (quemadmodum advertimus ab initio) nondum erant Ecclesiastica beneficia, illo modo, quo nunc sunt constituta: quia non adhuc Ecclesia possidebat multos fundos, & bona sibi à fidelibus, pietatis titulo, oblata, & si quæ habebat, prout ex Scripturis habuisse constat (*a*), erant bona, in agris, & fundis non consistentia, sed in eorum pretio, ministris Ecclesiæ delato (*b*), & ita res se habuit, donec *videntes summi Sacerdotes, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles, plus utilitatis posse conferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi traderent, eo quod ex sumptibus eorum, tam præsentibus, quam futuris temporibus, plura, & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quam, ex pretio ipsorum; cœperunt prædia, & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere. Ipsæ vero res in ditione singularum paræciarum Episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant, & sunt usque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus, communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent.* (*c*)

(a) 1. Actor. 4. 32.

(b) 2. Cap. futuram 12. qu. 1.

(c) Cap. Videntes 12. qu. 1.

2. Si autem nondum erant beneficia, in titulum erecta, nec adhuc mos erat Clericis assignandi determinata prædia, fundos, & bona, quibus ipsi Clerici fruerentur, & de altari viverent, tamquam altaris ministri; profectò distingui tunc non poterat libertas Ecclesiæ in eis pro suo libito distribuendis, tum Clericis extraneis, tum indigenis. Nihilominus quia eo tempore erant collectæ pecuniarum, quas Apostoli fieri mandabant, in Ecclesiæ usum cessuræ: erant & erogationes bonorum, seu illorum prætii, quod à fidelibus Ecclesiæ præbebatur: erat & methodus, quam Apostoli tenuerunt in constitutione, & distributione beneficiorum Episcopalium; ex his omnibus optimè elucet quanta fuerit Ecclesiæ libertas in re, de qua agimus, definiendâ; ideoque ex illis, in præsenti Capitulo, est ostendenda libertas ipsa, quâ Ecclesia primo Christi Sæculo fruebatur, & semper frui debebit, admittendi ad ecclesiastica beneficia quoscumque Clericos, undecumque venientes, sive indigenas, sive extraneos, quemadmodnm eos tunc admittebat ad illas res, reditus, & proventus, quibus nunc succedunt ecclesiastica beneficia.

3. Porrò celeberrimæ fuerunt collectæ pecuniarum, quæ primo Christi Sæculo fieri consueverunt. Eas Divus Paulus Apostolus jussit fieri in Ecclesiâ Corinthi, eo modo, quo ordinaverat in Ecclesiis Galatiæ: ut corrogati ex eis nummi, vel per manus ipsius Pauli, vel aliorum operâ, ad Ecclesiam Hierosolymitanam transmitterentur. *De collectis*, inquit, *quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat recondens, quod ei benè placuerit, ut non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem. Quod si dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt* (a). Hujusmodi collectarum pium usum, nedùm Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sed etiam aliis Ecclesiis, per Judæam constitutis, diffundendarum, legimus in Actis Apostolorum, ubi dicitur, quod Christiani Antiochiæ consistentes, collectas pecuniæ congesserunt, & ut legitur in textu, *Discipuli autem prout quisque habebat, proposuerunt sibi in ministerium mittere habitantibus in Judæâ fratribus. Quod fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabæ, & Sauli* (b). Pari pietate ex Macedoniâ, & Achajâ congregatæ sunt opes, ad præfatas Ecclesias transmittendæ, quas enarrat Apostolus in secundâ ad Corinthios scribens: *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ: quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum &c. Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas* (c).

4. Pergit deindè Apostolus, & Corinthiis ipsis subjungit: *Nam de ministerio, quod fit in Sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam, & Achaja parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos &c. Hoc autem dico: qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet; Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitiâ, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus* (d). Sermo est hic de Collectis, quæ in Ecclesiis Corinthi, Macedoniæ, Achajæ, & Antiochiæ fiebant, & Hierosolymitanæ, aliisque Judææ Ecclesiis, mittebantur, non pauperibus immediatè dandæ, sed Sacerdotibus, & Diaconibus, quos vocat Lucas in Actibus Apostolorum, *Seniores*, ibi; *mittentes ad Seniores* (e), vel, ut habet lectio Græca, & Syriaca, ad *Presbyteros, per manus Barnabæ, & Sauli* (f). Transmittebantur ergo hæ pecuniæ, hinc inde per Ecclesias congregatæ, ad manus Sacerdotum, qui primò necessitatibus Ecclesiæ, & Ministrorum ejus opitulabantur, & deindè congruam portionem etiam in pauperes diffundebant. Quæ propterea collectæ rationem habent oblationum, & erogationum, ex quibus Ministri ecclesiastici victum, sive sportulas suscipiebant, & quibus posteà beneficia ecclesiastica succedserunt.

5. Nec solùm ex Macedonicis, & Achaicis, Corinthiâ, & Antiochenâ Ecclesiis, sed etiam ex toto Orbe, subsidia olim pecuniaria colligi consueverunt, ad Ecclesias mittenda, in Palæstinæ finibus constitutas; qui mos usque ad Theodosii Imperatoris tempora perduravit (g), de eoque adversùs Vigilantium ita D. Hieronymus est locutus. *Hac in Judæâ usque hodie perseverante consuetudine, non solùm apud nos, sed & apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die, ac nocte, & patrem non habent in terrâ, nisi solum Deum, Synagogarum, & totius Orbis foveantur ministeriis* (h). Neque putetur, quod per præfatas, aliasque extraneas Ecclesias, fuerit Ecclesiis Palæstinæ, tantummodò de iis, quæ sibi erant superflua, contributum; nam ex Epistolâ Pauli patet, quòd Corinthii *supra virtutem voluntarii fuerant* (i), idest suprà facultatem, & vires proprias contulerunt, (l), ubi S. Ambrosius, *tàm simpliciter*, inquit, *& devoto animo obtulisse illos ministerium, quod ultra vires eorum erat, prædicat, ut cum lacrymis deprecantes offer-*

(a) 1. Cor. 16. 1.
(b) Actor. 11. 29.
(c) 2. Cor. 8. n. 9. & 14.
(d) 2. Cor. 9. n. 1. & 6.
(e) Act. 11. 30.
(f) Vide Sylveir. in Act. Apost. c. 11. qu. 9. n. 61.
(g) Cornel. à Lap. in 1. Cor. 16. 1.
(h) S. Hieron. adv. Vigilant. post ep. 53.
(i) 2. Cor. 8. 3.
(l) Cornel. à Lap. in 2. Cor. 8. 3.

offerrent, ut vel sic cogerent accipi à se, quod accipiendum non videbatur; quià plus erat quàm poterat eorum substantia (a). Et certè oportet quod Corinthii, nedùm ex superabundantibus, sed etiam ex necessariis penè sibi opibus in has collectas erogaverint, dùm Apostolus profitetur, illos ultra id, quod ipse sperabat, libentissimè contulisse (b), seu ut ait Chrysostomus, *testatur Paulus dicens, certiores autem vos facio fratres de gratiâ Dei, quæ data fuit in Ecclesiis Macedoniæ, quòd profunda paupertas illorum exundavit in divitias simplicitatis ipsorum, nam pro viribus testor, etiam supra vires prompti fuerunt, multâ cum obtestatione rogantes nos, ut beneficium, & societatem ministerii susciperemus in Sanctos* (c).

(a) *S. Ambros. in 2. Cor. 8.*

(b) *2. Cor. 8. 5.*

(c) *S. Joan. Chrysost. in dictum Pauli, oportet & hæreses esse to. 4.*

6. Nedum autem solo primo Christi Sæculo, sed etiam aliis subsequentibus, observatus est mos iste sacrarum collectarum pecuniæ, in usus ecclesiasticos destinatæ: Eratque in omnibus Ecclesiis locus, ad colligendas eleemosynas, sive largitiones, & subsidia ecclesiastica deputatus, quem S. Cyprianus *Corbonam* vocat (*d*), S. Paulinus *Mensam* (*e*), S. Augustinus, sive Possidius in ejus vitâ, *Gazophylacium* (*f*), Tertullianus *Aream* (*g*), Concilium Eliberitanum *Concham* (*h*), Evangelium *Loculos* (*i*), alii aliter nuncupabant. Ubi aliquando tanta pecuniarum congregata fuit congeries, ut penè hominum excedat fidem id, quod de collectis suæ Ecclesiæ, ad redimendos captivos missis, memorat S. Cyprianus, *sestertia centum millia nummûm, quæ istic in Ecclesiâ, cui de Domini indulgentiâ præsumus, Cleri, & plebis, apud nos consistentis, collatione, collecta sunt, quæ vos illic prò vestrâ diligentiâ dispensabitis* (*l*). Ubi, si error non supponatur in summâ, incredibile prope est, à solâ Ecclesiâ Carthaginensi, tàm immensam auri, & argenti copiam potuisse conferri. Satis tamen inde bene deducitur, collectas ibi fieri consuevisse abundanter. Easdem collectas fieri, & pecunias profusâ manu, ac liberalitèr erogari, commonet S. Leo, tamquàm ex Apostolicâ institutione præceptas, dicens, *& ideò dilectissimi satisfiat Apostolicis institutis, & quià die Dominicâ prima est futura collectio, omni vos devotioni voluntariè præparate, ut unusquisque, secundum sufficientiam suam, habeat in sacratissimâ oblatione consortium* (*m*). Easdem collectas, in Ecclesiâ Constantinopolitanâ intermissas, accuratiùs restitui mandat S. Joannes Chrysostomus (*n*), credique debet, in cunctis Orbis Ecclesiis eandem viguisse disciplinam: cum nihil in Ærarium sacrum conferre, speciem criminis repræsentaret tempore S. Cypriani, sic adversùs avaritiam divitum conclamantis, *locuples, & dives, Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omninò non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis* (*o*).

(d) *S. Cypr. de oper. & eleс.*

(e) *S. Paulin. ep. 32.*

(f) *Possid. in Vit. S. Aug. cap. 24.*

(g) *Tertul. in Apolog.*

(h) *Conc. Eliberitan. cap. 48.*

(i) *Jo. 12. 6.*

(l) *S. Cyprian. ep. 60.*

(m) *S. Leo ser. 5.*

(n) *S. Jo. Chrys. hom. de eleemos. & collat.*

(o) *S. Cypr. serm. de eleemosyna.*

7. Fideles igitur in omnibus Christianitatis Ecclesiis, suppetias dabant, collectas faciebant, eleemosynas conferebant, non tenues, non exiguas, non manu coarctatâ collatas, sed abundantes, ac lautas, de quibus idem S. Cyprianus. *Nec tenere jam, nec teneri patrimonium debet, quo quis, & deceptus, & victus est &c. Incunctantèr, & largitèr fiat operatio. Census omnis in medelam vulnerum erogetur &c. Sic sub Apostolis fides viguit, sic primus credentium populus Christi mandata servavit: prompti erant, largi erant; distribuendum per Apostolos totum dabant &c.* (*p*). Hæ autem erogationes opum, & pecuniarum, quæ fiebant primo Christi Sæculo, sequentibus temporibus, ut innuimus, fieri perrexerunt. Et de suo tempore, ut vidimus, testatur D. Hieronymus eas tantas fuisse, ac de tot locis, & regionibus Hierusalem usque transmissas, ut ibi Deo famulantes Ecclesiarum *totius orbis foverentur ministeriis*: quod pietatis opus impensè laudat, & fortiter adversus Vigilantium tuetur (*q*). Ipsæ vero erogationes, vel erant, vel speciem quamdam habebant ecclesiasticorum beneficiorum: transibant enim in potestatem Ecclesiæ: & cum omne, quod in templo Dei *offertur, sive voluntarium, sive votivum, sive pro satisfactione, debeat offerri secundum dispositionem Prælati*, ut insinuat D. Thomas (*r*), eodem ordine, & intentione fuisse tunc oblatas collectiones illas pecuniæ, non est in dubio revocandum. Evadebant igitur possessiones, & patrimo-

(p) *S. Cypr. de lapsis.*

(q) *S. Hier. adv. Vigil. post ep. 53. tom. 2. fol. 594.*

(r) *S. Th. in ep. ad Hebr. c. 5. lec. 1.*

nium Ecclesiæ, cujus Antistes primo ex eis victum Clericis impertiebat, & deindè quod supererat in pauperes etiam partiebatur. Et certè quòd hujusmodi subsidia primariò essent Clericorum usui destinata, infertur ex monito, quo aliquandò S. Hieronymus charitatem propriam incitans se pulsavit. *Clerici de Altari vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori, securis ponitur ad radicem, si munus ad Altare non defero. Nec possum obtendere paupertatem, cum in Evangelio Anum viduam, duo, quæ sibi supererant, æra mittentem, Dominus laudaverit &c.* (a). Principalitèr ergò collectæ, in Corbonam Ecclesię collatæ, illuc tendebant, ut inde Clerici de altari viverent, sportulas acciperent, & mercedem labori suo congruam obtinerent: quod idem est ac dicere, fuisse præbendas sacras, sive ecclesiastica beneficia, vel quid eisdem consentaneum.

(a) *S. Hier. ad Heliod. de Vita Eremit.*

8. Neque hujusmodi oblationes, & pecuniæ per Ecclesias corrogabantur, ad solùm subsidium Ecclesiis Palęstinæ ferendum, sed illis etiam, quæ in aliis regionibus consistebant. Neque ad solos Clericos alendos, in Ecclesiâ ministrantes: neque ad solos pauperes juvandos, communitèr quæstuantes; sed etiam ad alios sacros usus, quos describit S. Justinus his verbis, *pro arbitrio quisque suo, quod visum est, contribuunt, & quod ità colligitur, apud Præpositum deponitur. Atque ille inde opitulatur pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliam causam egent, quique in vinculis sunt, & peregrè advenientibus hospitibus, & (ut simpliciter dicam) indigentium is omnium curator est* (b). In eodem penè sensu Tertullianus. *Hæc quasi deposita pietatis sunt: nam indè non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris, ac puellis, re, & parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel custodiis dumtaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt* (c). Ita res se habebat ætate D. Justini, ita tempore Tertulliani. Nec dubium est, quod idipsum de præfatis collationibus etiam primo Christi Sæculo exercebatur. Notetur autem, quòd hujusmodi collectæ non pro solis Ecclesiis, ubi corrogabantur, deserviebant, sed etiam pro aliis extraprovincialibus, & extranationalibus, ad quas, vel partìm, vel integrè mittebantur: & sive in patriâ, sive extra patriam, distribuerentur, non solum indigenæ, sed extranei quoque de iisdem indiscriminatim participabant, nempè Clerici undecumque venientes, & alii omnes, peregrè proficiscentes, necnon Domestici, Senes, Naufragi, in Insulas deportati, & ad metalla damnati: Ac generalitèr cunctis indigentibus, sive extraneis, sive indigenis, Ecclesia tantâ liberalitate opitulabatur, ut multi, etiam non gravitèr egentes, postpositis artibus, & opificiis, quibus vivere potuissent, huc illuc commeantes, ex Ecclesiæ largitionibus victitarent, quos tempore Gratiani Imperatoris opus fuit legibus ab hac inertiâ coercere (d).

(b) *S. Justin. Apol. ad Antonin.*

(c) *Tertul. in Apologet. cap. 39.*

(d) *Leg. 9. de Mend. Cod. Theodos.*

9. Sanè primi Ecclesiæ Sęculi exempla historica non habemus; non enim omnia scripta sunt, quæ tunc acciderunt; & quæ tunc scripta sunt, non omnia ad nostram ætatem pervenerunt. Non ea inquam habemus, quibus pateat, quam exuberans fuerit Patrum, & Fidelium illius temporis contributio pecuniarum, & subsidiorum in usus ecclesiasticos, de quibus tum indigenę, tum extranei participarent. Sine ambiguitate tamen eam talem fuisse censemus, quæ sub congruâ proportione respondeat illi, quæ proximè subsequentibus sæculis floruit in Ecclesiâ. Nam profectò prodigiosa fuit aliquorum Antistitum liberalitas, quâ ex collectis, sive reditibus propriæ Ecclesiæ, tùm Ecclesiis aliorum locorum, tùm pauperibus alienigenis subsidia affluentissima contulerunt: immortaliaque sunt exempla Sanctorum Cypriani Carthaginensis (e), Augustini Hipponensis (f), Paulini Nolani (g), Gregorii Nazianzeni (h), Magni Gregorii Romani (i), aliorumque Romanorum Pontificum, & Episcoporum, quorum nimiùm laciniosum esset opus, si cunctorum fieri vellet individuata recensio. Notabilis est inter Pontifices Symmachus, qui pecunias, ac vestes S. Fulgentio Ruspensi, aliisque 220. Episcopis in Sardiniâ, & alibi per

(e) *Card. Baron. an. 254. n. 108.*
(f) *Id. an. 409 n. 34*
(g) *Id. an. 431. n. 196*
(h) *Id. an. 389. n. 43.*
(i) *Id. an. 593. n. 60.*

bi per Africam relegatis, annualitèr exhibebat (a), ac S. Gregorius, de quo Joannes Diaconus, ejus vitæ ſcriptor, hæc habet, *longum eſt, nimiſque difficile ſi eleemoſynarum ejus ſaltem hujuſmodi proſequar actiones; hoc brevitèr aſſero, quia & non petentibus ultrò diſtribuit, & omnibus ſibi petentibus hilaritèr miniſtravit* (b). Et generalitèr de omnibus Romanis Pontificibus, ſive de Romanâ Eccleſiâ, ità loquitur Dionyſius Corinthius, apud Euſebium, ad Romanam ſcribens Eccleſiam. *Apud vos jam mos inveteravit, ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis, & Eccleſiis permultis, quæ in quaque Civitate ſunt, vitæ mitteretis ſubſidia. Sed planè non ſolùm egentium ſublevatis inopiam, verùm etiam fratribus, qui ſunt ad metalla damnati, opem fertis, ſicque per ea beneficentiæ ſubſidia, quæ jam à primis Eccleſiæ veſtræ jactis fundamentis paſſim mittere conſueviſtis, cum ſitis Romani, Romanorum conſuetudinem, à Patribus traditam ſedulò obſervatis* (c).

10. Inter Epiſcopos verò rutilant S. Pacianus Barcinonenſis, qui, ex Hiſpaniâ uſque ad extremas Galliæ oras, charitatis ſuæ ſubſidia tranſmittebat. S. Audoenus Rotomagenſis, qui monaſteriis, & xenodochiis, huc, illuc per Franciam conſtitutis, lauta ſubſidia dirigebat (d), & quando Romam ſe contulit, ad viſitanda limina Apoſtolorum, *cumulabantur altaria ſanctorum auro, & argento, itemque manus pauperum implebantur: gaudebat urbs tota, eum qui toto eſſet notus in orbe ad ſe veniſſe* (e). Pariter Exuperantius in Apuliâ Epiſcopus, qui uberem æris ſummam Nolanæ Eccleſię erogavit (f). Item Epiſcopus quidam Syracuſanus, quem laudat D. Gregorius, quòd & Romanam, & alias Eccleſias, in longinquis Regnis poſitas, ſuis largitionibus irrigaret (g). Sanctus quoque Patiens Lugdunenſis, de quo Sidonius Apollinaris ſic ſcribit. *Poſt Gothicam depopulationem, poſt ſegetes incendio abſumptas, peculiari ſumptu inopiæ communi per deſolatas Gallias gratuita frumenta miſiſti. Vidimus anguſtas tuis frugibus vias. Vidimus per Araris, & Rhodani ripas, non unum, quod unus impleveras horreum. Tu, ut de mediterraneâ taceam largitate, victum Civitatibus Tyrrheni maris erogaturus, granariis tuis duo potius flumina, quàm duo navigia compleſti*: proh magnam charitatem, non intra nativi loci anguſtias coarctatam, ſed ad alias quoque regiones liberaliſſimè dilatatam, de qua idem Auctor, *tranſit in alienas provincias vigilantia tua, & in hoc curæ tuæ latitudo diffunditur, ut longe poſitorum conſoletur anguſtias* (h). Atticus etiam Conſtantinopolitanus in hoc liberaliſſimus fuit, quem refert Socrates, ſæpè ad alias Urbes auri pondera, ad recreandos Inopes miſiſtaſſe, & aliquando Calliopo Presbytero Nicæno, tercentos aureos protuliſſe, ut eos pauperibus conferret, nec hæreticos quidem ab illorum participatione ſecluderet (i), quos de facto, alioſque paritèr infideles, non eſſe ab Eccleſiaſticis penſitationibus excludendos, docuit ſuo facto S. Baſilius, qui, prout S. Gregorius Nyſſenus teſtatur, à ſuis eleemoſynis ipſos Judæos nullatenus repellebat (l). Et verbo definivit D. Gregorius, dùm ait, *miſericordia priùs fidelibus, & poſteà Eccleſiæ hoſtibus eſt facienda* (m). Pridemque adhuc Divus Leo Maximus eloquio ſuo aureo peroravit; *Pietatis opera erga illos quoque exercenda, qui nondùm Evangelium receperunt, quia in omnibus hominibus naturæ eſt diligenda communio.* (n). Audiatur quoque de hac re D. Valerianus Epiſcopus Cemelenſis: *quid eſt quod in faciendis eleemoſynis, non eſt cujuſquam excipienda perſona, nec habendum electionis judicium? Quia res, quæ neceſſitati ſervit, erogationis ordinem non requirit. Quid autem tibi eſt opus quærere, utrum Chriſtianus, an Judæus: utrum hæreticus, an Gentilis: utrum Romanus, an Barbarus: utrum liber, an ſervus, ſit ille, qui poſtulat? Ubi incumbit neceſſitas, non opus eſt ut perſonam diſcutias: ne cum indignos miſericordiâ ſegregas, Dei filium pariter amittas* (o).

11. Omittimus alios nobiliſſimos Antiſtites, quorum glorificata eſt charitas ingentibus erogationibus, huc illuc per Eccleſias tranſmiſſis, de quibus infrà redibit ſermo (p). Hoc ſit ſatis, tantam eorum fuiſſe alicubi largitatem, ut pauperes, tali adjutorio abutentes, aliquandò *ventris cauſa quaſi mercaturam per to-*

tum

(a) Anaſtaſ. Biblioth. in Symmach. Paul. Diac. lib. 15. Vid. infr. cap. 33. nu. 4.

(b) Jo. Diac. in Vit. S. Greg. c. 56.

(c) Euſeb. l. 4. c. 24.

(d) Thomaſſin. p. 3. l. 3. c. 29. n. 11.

(e) Sur. in Vit. S. Audoeni c. 23. die 24. Auguſti.

(f) Baron. an. 431. n. 196.

(g) S. Greg. lib. 6. ep. 9.

(h) Sidonius lib 6. ep. 12. & apud Surii die 17 Sept. Vid. infr. Sæc. 10. cap. 26. n. 31.

(i) Socrat. lib. 7. c. 26

(l) S. Greg. Niſſen. orat. in funer. S. Baſilii

(m) Baron. an. 425. nu. 22.

(n) S. Greg. ſerm. 3. de Quadrag.

(o) S. Valerian. ho. 7. poſt med. fol. 738.

(p) Vid. infr. Sæc. 10 c. 26. n. 31.

tum vitę tempus mendicando exercerent, prout memorat Socrates (*a*). Recensetque Lucianus, Christi hostis, & blasphemator impudentissimus, quemdam Philosophum, ex Insulâ Paro progenitum (qui ob parricidium, aliaque nefandissima crimina factus infamis, apud suos delitescebat) ad Christianos divertisse, ibique, Baptismo fictè suscepto, & docendi, ac Scripturas explicandi munere adepto; fuisse ob fidem carceri mancipatum, ubi Christianorum largitate adjutus, pluriumque Ecclesiarum suppetiis saginatus, à Præside Syrię tandem de carcerali ergastulo dimissus, auroque onustus, ad propria remeavit, fidem pro loco, & tempore mutans, unde Protei nomen adeptus est: qui postmodùm fide, ac honore prorsùs amisso, fuit etiam Româ à Domitiano Principe ejectus, & demùm, se flammis jactitans non lædendum, in Olympicis ardenti rogo, non minus stultè, quam petulanter se injecit, & ibi vel invitus inter crepitantes incendii flammas adustus est (*b*). Tanta erat Ecclesiarum charitas, & Antistitum largitas, in subsidiis aliorsùm conferendis, ad filios aliarum Ecclesiarum liberalissimè sublevandos.

(a) *Socrat. lib. 7. cap. 25.*
(b) *Baron. an. 75. à 1. 9.*

12. Nec obtendatur, gloriosissimos hosce viros, omni præconio majores, eatenùs de collectis, & reditibus proprię Ecclesię, Ecclesiis extraneis contulisse, quatenùs suæ non indigebant: sicque de superfluis, non de necessariis, sive de sibi congruis erogasse: licere autem, imo debere alienis Ecclesiis conferri, quòd uni superfluum est, pręcepto charitatis id exposcente, ut una alteri in opportunitatibus opituletur. Nec solùm collectiones pecuniarias, & reditus Ecclesiæ vagos, sed etiam beneficia ecclesiastica posse, & debere Clericis alienarum Ecclesiarum impendi, quoties proprię Ecclesię sunt superflua. Quod tamen locum non habeat in causâ Contradictorum, quatenùs eorum Ecclesię superflua beneficia non tenent, quæ in extraneos dispensentur. Non inquam hoc obtendatur; quippè citò corruit oppositio, si perpendatur, ex verbis Apostoli connotari, collectas à fidelibus, fuisse factas *suprà propriam virtutem*, idest ultrà vires proprii patrimonii, uti paulò ante tetigimus (*c*). Dici autem non potest fuisse superflua Ecclesię tradentium, subsidia, quæ hi ultrà vires proprias conferebant. Præterquam quòd, ubi agitur de suppetiis, indigentibus conferendis, regula non est à superfluis desumenda, sed à debito charitatis, quę interdum ad necessaria quoquè quodammodo se diffundit: sic enim explicat textum illum Isaię, *frange esurienti panem tuum* (*d*). D. Augustinus improperans, *non dixit integrum panem, cum fortè pauper ille alium non haberet, sed frange inquit, hoc est dicere; etiam si sit tibi tanta paupertas, ut non habeas nisi unum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue* (*e*).

(c) *2. Cor. 8. 3. & ibi Corn. à Lap. Vid. hic supr. n. 5.*
(d) *Is. 48. 7.*
(e) *S. Aug. ser. 62. de temp.*

13. Sed meliùs objectionem dissolvunt exempla Sanctorum, quę hic affatim subsequuntur. S. Exuperius Tolosanus, quem paulò antea memoravimus, in collectis hujusmodi profusissimus, aliquandò ingentem pecunię summam, ad Monachos Palęstinę, atque Ægypti confovendos, per Sisinium Monachum destinavit (*f*), nec certè de superfluis suę Ecclesię, sed penè de necessariis erogavit: nam ita patrimonium ecclesiasticum distraxit, ut ea sibi deessent, quibus ad victum opus habebat: *S. Exuperius*, inquit D. Hieronymus, *Tolosę Episcopus, Viduę Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis, fame torquetur alienâ, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditiùs, qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro* (*g*). Paritèr S. Gregorius Nazianzenus omnia bona sua Ecclesię Nazianzenę pauperibus destinavit, qui sibi erant extranei: quippè ipse ex Arianzo, fuit Episcopus non Ecclesię Nazianzenę, sed primò Sasimensis, & successivè fuit Antistes, anteaque administrator Ecclesię Constantinopolitanę, prout latiùs infrà ostendemus (*h*), omnia inquam bona sua, & prędia pauperibus extraneis erogavit, ne libris quidem ipsis sibi relictis, quorum aliquos, cum Adamantius Rhetor sibi posceret commodari; Gregorius eorum pretium, pauperibus refundendum exegit (*i*). Rursus S. Gregorius Magnus tam effusè hoc opus charitatis implevit, ut de eo scribatur, quod *cun-*

(f) *Baron. an. 406. n. 35.*
(g) *S. Hier. epist. ad Rustic. Vid. hic infra c. 3. n. 13.*
(h) *Vide infra hic cap. 7. à n. 10.*
(i) *Baron. ann. 389. n. 43.*

ctorum

ctorum patrimoniorum, prediorumque reditus adæravit (a), & aliquandò ad subveniendum extraneis Ecclesiis interpellatus, obstupuit qualiter posset tot domesticis, & exteris collationibus respondere: hęc *Ecclesia*, inquit, *quę uno eodemque tempore Clericis, Monasteriis, pauperibus, populo, atque insuper Longobardis, tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum afflictione premitur* (b).

14. Rem ponderemus ex alio capite. *Qualiter succurrendum sit redemptionibus captivorum; & sanctorum canonum, & mundanarum legum sanctio evidenter educuit*, quemadmodum scripsit ipse D. Gregorius Episcopo Sipontino (c). Nam in Concilio Remensi pręcipitur ne res Ecclesiæ distrahantur, *excepto si ardua evenerit necessitas pro redemptione captivorum* (d), & in lege Cęsarea definitur, *Sanctissimas Ecclesias pręcipimus alienare res immobiles pro captivorum redemptione* (e). In hoc autem opere taliter se gesserunt Patres primi sęculi, ut nullatenus liberalitate cesserint illis, qui sęculis immediatè post succedentibus emicarunt: Nec se minus munificos exhibuere, quam Sancti Ambrosius Mediolanensis (f), Augustinus Hipponensis (g), Deogratias, & Cyprianus Carthaginenses (h), Acacius Amidensis (i), & alii plures, inter quos lucidissimum Ecclesię Gallicanę sydus, Cęsarius Arelatensis fuit, de quo memorat ejus vitę auctor, quod innumeros redemit *eo argento, quod Venerabilis Eonius, Antecessor ejus, Ecclesiæ Mensæ reliquerat*, & eousque pervenit, ut sacram supellectilem exhauserit, *thuribulis, calicibus, patenis pro eorum redemptione datis, excussisque à cancellorum columnis ornamentis argenteis* (l). Quid plura? S. Paulinus Nolanus pro redimendis captivis omnia distraxit, & post datas opes, post æraria evacuata, post adęratum patrimonium, nil aliud habens, quo piissimè hujusmodi charitatis officiis operam daret, pro eximendo Viduę cujusdam filio è compedibus Vvandalorum, seipsum compedem fecit, propriamque dexteram catenis ferreis subrogavit, quas à manibus adolescentis excussit (m).

15. Hi certè sancti Viri, & liberalissimi Antistites, non de superfluis Ecclesiæ propriç contulerunt, sed de congruis, & ferè necessariis: nec enim sacra vasa distraxissent, nec seipsos Barbarorum compedibus intulissent, si pecuniis, & reditibus superfluis abundassent. Item si pro pauperibus adjuvandis, aliisque Ecclesiis confovendis; & famem sustinuerunt, uti Exuperius: & libros vendiderunt, uti Nazianzenus: & patrimonia, & reditus adęrarunt, uti Gregorius; proculdubiò non superflua erogarunt, sed penè sibi necessaria absciderunt. Hoc ergò ipsi pro adjuvandis Ecclesiis extraneis egerunt. Hoc pro sublevandis naufragis, qui pariter extranei erant, egerunt (n). Hoc pro redimendis captivis, itidem extraneis, pergerunt. Imò S. Acacius Amidensis, non extraneos catholicos, non christianos redemit, sed ethnicos, & infideles. Nam cum Bararanes Rex Persarum, & Alamandarus Rex Saracenorum, consertis armis in Theodosium secundum Cęsarem irrupissent, de triumpho pręsumentes; victoria è contra Romanis adhæsit, qui infinitis Barbaris cęsis, & penè centum millibus ex eis in Euphratem demersis; septem millia in captivitatem duxerunt. Hos ergò, natione Persas, & Saracenos, Religione verò Paganos, Acacius, sacris Ecclesiæ vasis in pecuniam redactis, misericorditer redemit, ac postquam illos pavit, refocillavit, & confovit; commeatu tandem congruo instructos, ad nativas Urbes remisit (o).

16. Si quęratur, quare tam indistinctè, advenę simul, & indigenę, localesque pariter, cum extraneis; de stipendiis, alicubi per Ecclesias coacervatis, participarent? Ratio est in promptu: quia apud Deum *non est distinctio Judæi, & Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum* (p). In Ecclesia Dei non distinguuntur *Gentilis, & Judæus: Circumcisio, & Preputium: Barbarus, & Scytha: servus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus* (q). Et ratio rationis est, quia Ecclesia Dei non est multiplex, sed una (r), una respectu unius Dei, una respectu unius fidei, una respectu unius Baptismatis (s), una demum, quia Christiani non sunt plura, *sed unum corpus, & unus spiritus, sicut* voca-

(a) *Jo.Diac.l.2.c.24*

(b) *S.Greg.lib.4.ep.34.*

(c) *S.Greg.l.3.ep.17*

(d) *Concil. Remens. c.22.*

(e) *Novel.120.c.19.*

(f) *Baron.ann.387. n.62. Vid. infr. tom.3. c.3.n.43.*

(g) *Id.Baron.loc.cit.*

(h) *Baron.an.44. n.71. & an 264. n.108. & an. 455. n.15.*

(i) *Id.an.420.n.30.*

(l) *Surius in Vit. S. Cæsarii die 27. Aug. c.24. & Baron.an.508 n.11.*

(m) *Uranius in Vit. S.Paulin. ap.Sur.die 22.Jun. S.Greg. Dial. l.3.c.1.*

(n) *Soc.l.2.c.26.*

(o) *Card.Baron. an. 420. n.30.*

(p) *Rom.10.12.*

(q) *Coloss.3.11.*

(r) *Cap.legimus dist. 93. c.loquitur 24 q.1. S. Aug. de oper.Mon. c.25.tom.2. Petr.Cluniac.l.3. ep.2. Steph. Tornacens. ep 8. S.Th. in 2.Cor.11. lec.2.in fine.*

(s) *Ephes.4.n.5.*

vocati sunt in unâ spe vocationis suę (a). Et in uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sunt, sive Judęi, sive Gentiles: sive servi, sive liberi: & omnes in uno spiritu potati sunt (b). Nec altera Romanę Urbis Ecclesia, altera totius Orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britannia, & Africa, & Persis, & India, & omnes barbarę nationes, unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis (c). Ob istam ergo Dei, Fidei, & Baptismatis unitatem, omnes quotquot Christianam sequuntur religionem, unum sunt, omnes à Christo *redempti Deo in sanguine suo, ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione*, atque omnes faciunt unum *Regnum Deo* (d); quia omnes ejusdem Ecclesiæ filii sunt, adeoque omnes ęque civium, & æque indigenarum nomina promerentur. Quare D. Hieronymus expendens locum illum Apostoli (e): *ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*, dicit, *domesticus fidei est, qui eadem tibi religione conjungitur* (f), quasi nulla sit inter Christianos differentia, quippè in quibus unitas fidei, & nulla discrepantia in religionis integritate concurrit.

(a) Rom. 12. 4. Eph. 4. 4.
(b) 1. Cor. 12. 13.
(c) S. Hier. ep. 85. ad Evagr.
(d) Apoc. c. 5. n. 9.
(e) Galat. c. 6. 10.
(f) S. Hieron. ep. 150. ad Hedib. qu. 1.

17. In politicis datur inter homines varietas populorum, & differentia nationum, sive, ut ait Rupertus Abbas, *ex hoc homines multum à semetipsis dissentiunt, quod multarum Tribuum, dissonantium linguarum, dissimilium populorum, & diversarum sunt nationum* (g). At in ecclesiasticis, unus populus est, una cunctorum Christianorum est natio, quia unus eorum est Deus, atque una Ecclesia: & sicut inter omnes Christi filios una, & communis est ratio participandi de cœlestibus beneficiis, quæ præparavit Deus diligentibus se; sic etiam commune est jus participandi de terrenis beneficiis, quæ in Ecclesiâ præparavit Deus deservientibus sibi. *Hoc est enim nativitate spirituali verè liberos Dei fieri: hoc est, lege cœlesti, æquitatem Dei Patris imitari. Quodcumque enim Dei est, in nostrâ usurpatione commune est, nec quisquam à beneficiis ejus, ac muneribus arcetur, quominùs humanum genus bonitate, ac largitate Divinâ æqualiter perfruatur* (h). Itaque politicæ rationes, & humana sophismata possunt scissuras inter Christianos, tùm laicos, tùm ecclesiasticos comminisci, & Nationes à Nationibus, Diœcesanos à Diœcesanis, ac penè Vicanos ab alterius vici incolis dispertiri. At Ecclesia pia Mater has differentias nescit, has nænias non agnoscit: & inter suos filios harum vocum diversitate non ludit: æquè enim omnes undecumque natos amplectitur: æquè omnes suæ largitatis amore prosequitur: æquè omnes velut cives habet, atque indigenas: liceatque de eâ cum Nazianzeno profari, *ipsa Christianorum communis est patria, cujus omnes ęquè hospites, & advenę sumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus* (i).

(g) Rupert. Abb. in Apoc. l. 4. § cum autē.
(h) Cypr. ser. de eleemos.
(i) S. Greg. Nazian. Orat. 25.

18. Cum igitur omnes Christiani, & pręsertim clerici, ęque sint ubique, saltem quoad res ecclesiasticas, indigenæ, atque cives; nil mirum est, si Ecclesiæ, ab Apostolis memoratę, necnon Episcopi superiùs nominati, collectas faciebant, & de una ad aliam Ecclesiam, nedùm de superfluis, sed etiam de sibi necessariis, vel opportunis, liberalitèr transmittebant. In his autem erogationibus ecclesiastica beneficia fundamentum sumere suprà diximus: nunc adjungimus cum Thomassino, pauperes, collationibus Ecclesiarum adjutos, rationem beneficiariorum quodammodò præseferre (l) ut hinc appareat, quàm justo titulo, ex collationibus per Ecclesias corrogatis, argumentum ducamus ad ecclesiastica beneficia. Itaque si eo tempore, quo bona ecclesiastica in solis piorum eleemosynis, & oblationibus consistebant, ac ex collectis, per B. Paulum Apostolum demandatis, ad participandum de iisdem bonis admittendi erant, & admittebantur extranei, vel illuc accedentes, vel in Ecclesiis commorantes, ad quas per alias Ecclesias portio aliqua bonorum pręfatorum transmittebatur; nescimus videre cur sicut dictę largitiones, & bona, quę rationem in se continebant ecclesiasticorum beneficiorum, alienigenis quoque conferri poterant; eisdem pariter conferri non possint ipsa ecclesiastica beneficia, quę aliud non sunt, quam perceptio redituum ecclesiasticorum, ipsis erogationibus ęquivalens, & ab eisdem substantialitèr non distincta? Quare si liberum usque à primo Chri-

(l) Thomassin. vet. & nov. Eccl. disc. p. 3. l. 3. c. 26. n. 39.

Christi seculo fuit Ecclesiæ, præfatas collectas facere nedum indigenis, sed etiam extraneis profuturas; liberum ei erit etiam beneficia ecclesiastica ipsis extraneis impertiri: & si hoc liberum est Ecclesię; liberum etiam erit ejusdem Ministris, atque omnibus, qui jure Ecclesiæ beneficia sacra dispensant.

19. Alia ratio desumitur ex his, quę de iisdem largitionibus in Actis Apostolorum leguntur. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quę possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia &c. Neque enim quisquam egens erat inter illos: quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quę vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, dividebant autem singulis, prout cuique opus erat* (a). Sacra quędam ęmulatio hoc primo Ecclesię seculo Christianos urgebat, tanto fervore, ut & domos, & prędia distraherent, atque pecunias indè comparatas, ad pedes Apostolorum religiosissimè afferrent: *non in manus ipsorum ponebant* (inquit Chrysostomus) *sed ad pedes, declarando simul fidem, pietatem, ac reverentiam: & quod majoris ducebant, quod ab eis reciperentur, quàm quod darent dona* (b). Ex hinc cœpit in Ecclesiâ mos invalescere sacrarum largitionum, viris ecclesiasticis collatarum, quæ talitèr successu temporum sunt adauctę, ut & ad invidiam cierent Principes, & Paganos quoque ad iracundiam provocarent, uti testantur SS. Ambrosius (c), & Hieronymus (d), quibus consonant plures Imperatorum leges (e), & ex Historicis, Marcellinus (f). Abundantiam autem hujusmodi largitionum probant etiam, & Sacra supellex aurea, atque argentea, quâ, sub ipsis fidei primordiis, Ecclesias abundasse innuunt Sancti Optatus Milevitanus (g), & Augustinus (h): prædiaque, ac possessiones, quorum meminere Sancti Pontifices Pius, & Urbanus, tamquam de rebus per Ecclesias possessis (i): Et thesauri demùm pecuniarum, quos sub Pontificatu Sixti Papæ II. S. Laurentius habuit, pauperibus erogandos (l).

20. Hujusmodi sacrarum largitionum quatuor partes jam ab initio fiebant, quarum una Episcopo. 2. Clero. 3. necessitatibus Ecclesiæ, & quarta pauperibus pendebatur: de illis infra latiùs redibit sermo, cum de eadem re opportunius peragetur: nunc opus est adnotare, quod dividebatur singulis, prout cuique opus erat (m). Singulis nempè Clericis, & pauperibus, non hinc, vel inde natis: non ex unâ, vel ex aliâ Natione prodeuntibus; sed cunctis, qui vel Ecclesiam componebant, vel ad eam divertebant, vel alitèr ab illâ subsidium, & stipendia ecclesiastica postulabant. Illa enim Ecclesia, de qua loquitur textus, homines continebat, non unius Urbis, & Provinciæ tantum, sed teste D. Basilio habebat, *homines ex diversis nationibus, & regionibus profectos, per exactam morum, ac disciplinæ similitudinem adeò velut unum coaltos, ut in pluribus corporibus unus tantum animus esse videretur* (n): & cum ex tantis, ac taliter dissitis Regnis, originem traxissent, nulla reputabatur inter eos esse distinctio, *frivolaque illa verba, meum, & tuum, quæ tot bella Mundo invexerunt, ex sanctâ illâ Ecclesiâ erant exterminata*, inquit Chrysostomus (o). De facto *Barnabas Levites Cyprius, cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum* (p). Barbabas, inquam, natione Cyprius, pretium agri, quem, juxta Hugonem Cardinalem, & Lyranum, in Cypro habebat (q), intulit ad pedes Apostolorum, in Hierusalem tunc degentium, & de illo participarunt Clerici aliarum nationum, inibi tunc existentes: viceque versa Barnabas particeps fuit erogationum ab aliis nationalibus collatarum, nullâ consideratâ inter eos distinctione, inter indigenas, & extraneos: inter cives, & forenses: inter extranationales, & compatriotas: talitèr, ut, teste S. Ambrosio, *jure fraternitatis essent illis omnia communia: scilicet, ut qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & vitâ: hoc est, ut quibus erat una fides, esset & una substantia: & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus. Nefas enim putabant religiosi Viri eum sibi participem non adsciscere in substan-*

(a) *Act.4.32.*

(b) *S.Jo.Chrys.hom. in verb.Pauli:Oportet & hereses esse. to.4.*

(c) *S.Ambr. ep.35.*

(d) *S.Hieron.ep.ad Nepotian.*

(e) *C.de Episc. & Cler. C.Theodos. l.20. 26.*

(f) *Ammian. Marcellin. l.27.*

(g) *S.Optat. Milev. l 2.*

(h) *S.Aug. ep.165. & l.3.cont. Crescon. c.20.*

(i) *Pius I.ep.2.Urban.I.ep.ad omnes Episcopos.*

(l) *S. Leo serm. in nat. S.Laur.S.Ambr. de offic. l.2.c.28.*

(m) *Actor.4.35.*

(n) *S. Basil. in Constit. Monach. c.19.*

(o) *S. Jo. Chrys. in dictum Pauli:Oportet & hereses esse. to.4.*

(p) *Actor.4. 36.*

(q) *Hugo Card. & Lyran.in Actor.4. 36.*

tiâ, qui particeps esset in gratiâ: atque ideò charitate fraternitatis omnibus communitèr utebantur, nisi quod major est fraternitas Christi, quàm sanguinis &c. (a).

(a) S. Ambr. serm. 34. n. 5.

21. Porrò ad has bonorum erogationes, quorum pretium ad pedes Apostolorum conferebatur, originem, sive initium beneficiorum ecclesiasticorum ipsi referunt Contradictores: cumque de iisdem erogationibus, ut diximus, tam indigenæ participarent, quam extranei; jam Contradictores proprio ipsorum gladio jugulantur: sicut enim de præfatis erogationibus, quæ initia sunt beneficiorum ecclesiasticorum, extranei Clerici participabant; sic & de ipsis beneficiis justum est nunc ab eisdem participari. Sed operæ pretium est reliquas totius sacri eventus circumstantias ponderare. Sequitur enim Textus: *Vir autem quidam, nomine Ananias, cum Saphirâ uxore suâ vendidit Agrum, & fraudavit de pretio agri, consciâ Uxore suâ, & afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus: Anania? Cur tentavit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri &c. Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expiravit.* Paulò post & Saphira, ejusdem culpæ rea, *cecidit ad pedes ejus, & expiravit* (b). Quid est quòd fraudis bonorum, Apostolis tradendorum, non omnes Apostoli, sed solus Petrus ultor extitit? Et ut fraudulentos Conjuges pœnâ competenti compesceret; ipse unus ex tot Coapostolis, in Votifragos arma suæ districtionis exemit?

(b) Actor. cap. 5. à n. 1. ad 10.

22. Ratio procedit ex hoc, quòd bona, Christo in Ecclesiâ contradita, Ecclesię Capitis, seu illius, qui totum in se corpus Ecclesiæ continebat, erant administrationi submittenda. Petrus autem erat Caput Ecclesię, & Corpus in se Ecclesiæ continebat: nam uti benè syllozizzat D. Augustinus. *Si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum; non ei diceret Dominus, tibi dabo claves Regni Cęlorum: quæcunque solveris in terra, erunt soluta in Cælo &c.. Si hoc Petro tantùm dictum est; non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit &c. Petrus, quandò Claves accepit, Ecclesiam Sanctam repræsentavit* (c). Et sicut Christi Ecclesia non subsistebat sine Petro Christi Vicario, sic in Petro tota referebatur Ecclesia, cujus Rector solus erat ipse Petrus, in cujus potestatem omnia debebant Ecclesiæ bona transfire: ipse illa suâ auctoritate acceptare: ipse eadem suâ prudentiâ defendere: ipse suâ justitiâ contueri: & fraudatores per suæ sententiæ damnationem divino judicio subjugare: *Petrus*, inquit D. Gregorius, *auctore Deo, Ecclesiæ Principatum tenens, à bene agente Cornelio, & sese ei humilitèr prosternente, & immoderatiùs venerari recusavit, seque illi similem recognovit &c. Sed cum Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit; mox quantâ super cæteros potentiâ excrevisset, ostendit: verbo enim eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit, & summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso, coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic communionem æqualitatis meruit Sanctitas actionis, hic Zelus ultionis jus aperuit potestatis &c.* (d). Demum ad quem pertinere poterat de bonis Ecclesiæ judicium ferre, nisi ad Petrum, qui expressè, ac literalitèr à Christo vocatus fuit, *fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* (e)

(c) S. Aug. tract. 50.

(d) S. Greg. lib. 26. Moral. c. 22.

(e) Lucæ 12. 42.

23. Porrò in sententiâ D. Prosperi, sive Juliani Pomerii, piissimi, ac doctissimi Patris, seu Scriptoris ecclesiastici, *Possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt Sacerdotes, non sunt inter res Mundi deputari credendæ, sed Dei* (f), quòd si Dei, ergo & Petri, qui ejusdem est in terris Locumtenens, & Vicarius, potestati debent auctoritativè substerni: ad cujus intelligentiam, placet hic attexere sensum Joannis Parisiensis, ac Petri Cardinalis Aliacensis, in hanc sententiam concurrentium, *quòd non solùm quælibet Congregatio ecclesiasticorum virorum est una in spirituali unitate, sed omnes ecclesiasticæ congregationes habent quamdam generalem unitatem, in quantum sunt una Ecclesia, habens connexionem ad unum principale*

(f) S. Prosper. sive Julian. Pomer. de Vit. Cont. l. 2. c. 16.

cipale membrum, cui incumbit Ecclesiæ cura generalis, scilicet Dominum Papam: ideò ipse, tamquàm supremum caput, & principale membrum universalis Ecclesiæ est generalis dispensator omnium generalitèr bonorum ecclesiasticorum, spiritualium, & temporalium (a). Et certè Petro, cui commisit Christus *Claves Regni Cælorum* (b): cui præcepit, *pasce oves meas, pasce agnos meos* (c): Super quem tandem suam fundavit Ecclesiam, dicens, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* (d); quis neget supremum jus cuncta dispensandi Ecclesiæ bona? De illis pro suo arbitrio disponendi? Et fraudatores eorum suâ sententiâ compescendi?

24. Ergò Petri, & successorum ejus auctoritati cuncta subsunt Ecclesiæ bona, quæ Ecclesiæ à fidelibus sunt oblata, ut ipse liberè, ac licitè, tamquàm *fidelis servus, & prudens*, & ut Oeconomus, ad hoc specialitèr deputatus, illa, juxta eorum primævam dispensandi methodum, & dispenset, ac distribuat inter filios Ecclesiæ: cum autem ex bonis ad pedes Apostolorum positis, & à Petro morte Ananiæ, & Saphiræ vindicatis, non tantùm indigenæ, quantùm & extranei deberent esse participes, hęcque fuerit antiqua methodus, quâ cœperunt prima Ecclesiæ bona distribui; sequitur, quod & eâdem ratione sint à Pontifice, & à quibus, Pontificis auctoritate, vel indulto, conceduntur, sint inquam etiam nunc fidelitèr dispensanda: Nam tam Episcopi quoque, quam cuncti alii, tum ordinarii, tum delegati beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores, non eadem beneficia dispensant, nisi auctoritate Petri, & Pontificis, vel ex generali concessione illis indultâ, in corpore Juris clausâ, & per Pontificem approbatâ: vel ex particulari privilegio eisdem respectivè collato. Quibus ita se habentibus, jam patet, quòd Ecclesia libera est in distributione beneficiorum, nec ullum habet obstaculum quominus eadem valeat quibuslibet Clericis, undecumque prodeuntibus dispensare.

25. Optima etiam ratio ad primum Christi sæculum pertinens, desumitur ex facto Petri, *cum cecidit super eum mentis excessus, & vidit Cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum &c., in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia Cæli. Et facta est vox ad eum: surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus, absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune, & immundum. Et vox iterum secundo ad eum: quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris &c.* (e). Petro autem super his hæsitante, venerunt Viri, à Cornelio transmissi, ut pergeret à Joppe Cæsaream, & eum, licet à Judæorum fide alienigenam, & à Petri religione prorsùs extraneum, sanctificaret. Tunc intellecto visionis mysterio, *Aperiens Petrus os suum dixit: in veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi* (f). In Vase, sive linteo, per Petrum viso, significari Ecclesiam communitèr sentiunt Patres, & Expositores. Ex Patribus S. Ambrosius (g), S. Hieronymus (h), Origenes (i), & alii. Ex Scripturæ Expositoribus, Lyranus (l), Cornelius à Lapide (m), Hugo Cardinalis (n), & alii. Erant in hoc vase animalia munda, & immunda, nempe Judæi, per animalia munda significati: & alienigenæ, ac Gentiles, per animalia immunda notati, *ex utrisque enim una conflatur Ecclesia* (o). Hæc manducari à Petro Christus jubet, idest Ecclesiæ incorporari (p). Nec alienigenas pro immundis haberi, quia à Deo purificatos, vel per baptismum, omnia mundantem, uti sentit Ambrosius (q): vel per sanguinem Christi, qui abstersit immunditiam veteris legis, prout explicat Irenæus (r).

26. Sed audiendus est D. Augustinus: *Petrus trepidabat tradere gentibus Evangelium, quia illi, qui crediderant ex Circumcisione, prohibebant Apostolos tradere incircumcisis Christianam fidem, & dicebant, non eos debere ad participationem Evangelii accedere, nisi accepissent Circumcisionem, quæ tradita erat Patribus eorum. Vas ergo illud dubitationem s[...]it Petro, & ideò post illam visionem*

(a) *Joan. Parif. de potest. Regia, & Papal. c. 6. Petr. Altac. de Eccl. auctor. Lus. p. 2.*
(b) *Matth. 16. 19.*
(c) *Jo. 21. 15.*
(d) *Matth. 16. 18. Vid. S. Th. 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 7.*
(e) *Actor. 10. 11.*
(f) *Actor. 10. 34.*
(g) *S. Ambr. ser. 10.*
(h) *S. Hier. ep. 89. ad August.*
(i) *Origen. hom. 7. in Levit.*
(l) *Lyran. in Act. 10. 11. §. & descendens.*
(m) *Cornel. à Lap. in Act. 10. 11. §. Tertio.*
(n) *Hugo Card. in Act. 10. 11. §. Vas.*
(o) *Cornel. à Lap. loc. cit. §. In quo.*
(p) *Hugo Card. loc. cit. §. Et manduca.*
(q) *S. Ambr. l. 7. in cap. 10. Lucæ.*
(r) *S. Irenæus lib. 3. cap. 12.*

nem admonitus Spiritu Sancto, ut descenderet, & ires cum eis, qui à Cornelio erant, eo perrexit. Cornelius ergo, & qui cum illo erant, tamquam ex illis animalibus habebantur, quæ in Vase erant demonstrata. Et infrà: *Sicut ergo supra dictum est: Beatus Petrus typum Ecclesiæ habuit Catholicæ. Quod autem ascendit in solarium, hoc significat, quòd Ecclesia cupiditatibus Sæculi abjectis, spiritualitèr ascensura erat in altum &c. Quòd autem hic Petrus esurire dicitur, hoc significat, quòd Ecclesia salutem gentium esuriret. Linteum illud, quòd de Cælo submissum est, Ecclesiam significat. Animalia, quæ in linteo erant, omnium gentium præferebant imaginem. Quatuor lineæ, quibus vas illud dependebat, quatuor partes mundi, in quibus Christi Evangelium prædicatur, significasse videntur. Quòd tertia vice submissum est vas illud, significat Mysterium Trinitatis, & Sacramentum baptismatis* (a). Igitur tota series visionis, Petro in exstasi præmonstratæ, illuc solummodò tendit, ut ostendat, nedum Judæos, sed etiam Gentiles, & cohærentèr nedum indigenas, sed etiam extraneos esse ad Ecclesiam admittendos, & consequentèr etiam ad Ecclesiæ bona, tam spiritualia, quam corporalia, inter quæ postrema proculdubio comprehenduntur ecclesiastica beneficia.

(a) *S. Aug. ho. 45. & 50 tom. 10.*

27. Nec dicatur admissionem Cornelii alienigenæ fuisse ad solam fidem, & ad Spiritualia Ecclesiæ bona, non verò ad temporalia, & ideò nihil probare, quòd beneficia ecclesiastica sint etiam extraneis conferenda, licet admittendi sint ad fidem. Nam in primis respondemus, quòd admissio Cornelii, quæ fuit directè, & primariò ad fidem, ad bona quoque, sive beneficia temporalia Ecclesiæ consecutivè tetendit: nam quorum erat cor unum, & anima una: quorum conferebantur in commune reditus, & peculia; quis credat fuisse disparem in bonorum ecclesiasticorum participatione fortunam? Et Cornelius cur à bonis Ecclesiæ temporalibus arcendus erat, qui ad ejusdem spiritualia admittebatur? Quæso si Cornelius cum Baptismo, etiam Clericatum, & Sacerdotium suscepisset; numquid non fuisset capax bonorum Ecclesię, quę erant Clericorum victui destinata? Sed, quidquid sit de hujusmodi ratiocinio, certe hoc successu, illisque prȩsertim verbis, *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam acceptus est illi* (b): mysticè significari ecclesiastica beneficia, & normam in eorum distributione tenendam, satis innuit Hincmarus Remensis, dum Episcopum Bellovacensem, minus ritè electum, consecrare detrectans, Ludovici Balbi Imperatoris, de hoc illum sollicitantis, officia contempsit, dicens, *quoniam non est Deus personarum acceptor, in hac causâ nullius personam accipio* (c). Sed clariùs, & opportunè ad casum nostrum prolocutus est Innocentius Papa III. dum increpando Thomam Patriarcham Constantinopolitanum, eo quòd solis Venetis beneficia suarum Ecclesiarum largiretur, jussit, ut ad illa *Viros literatos, & aliàs idoneos, undecumque originem duxerint, in prędictis Ecclesiis, & maximè in majori instituere non omittat &c. attendens, quòd in omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo* (d).

(b) *Act. 10. 34.*

(c) *Hincmar. Rem. to. 2. f. 194. & seq.*

(d) *Cap. ad decorem de instit.*

28. Exclusio ergo extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis culpam involvit, ab hoc divino eloquio percussam, nempè acceptionis personarum, atque injurię illis illatæ, qui ex omni gente facientes justitiam, accepti sunt Deo. Et sicut ob hanc culpam, non possunt extraneis licitè denegari, & fides, & Sacramenta, & indulgentiæ, & bona Ecclesię spiritualia; sic & nec bona Ecclesiæ temporalia eisdem valent licitè denegari: servatâ semper in horum collatione, normâ, per sacros Canones constitutâ. Stat itaque inconcussa libertas Ecclesię in distributione suarum præbendarum: quę si non valent ad solos indigenas coarctari, sine vitio acceptionis personarum, & sine injuriâ eorum, qui ex omni gente facientes justitiam, accepti sunt Deo; jam patet, quòd ab illis etiam extranei non possunt, salvâ justitiæ integritate repelli.

29. Eo vel maximè, quod spiritualia, & temporalia, tam initio Ecclesiæ, quàm

quàm nunc etiam; correlativè se habent: à correlativis autem optimum sumitur argumentum (*a*). Correlativorum enim est idem judicium, & de uno dispositum, trahitur ad alterum, (*b*) præsertim quoties utrobique militat eadem ratio (*c*). Eadem autem, vel saltem quoad substantiam notabiliter non dissimilis, est ratio admissiva alicujus ad bona Ecclesiæ spiritualia, ac ad bona ipsius temporalia: ergo quibus per fidem patefactus fuit accessus ad bona Ecclesię spiritualia; aditus quoque apertus est ad bona ejusdem temporalia: & idcircò ubi dicitur in Canone *Videntes*, quod Ecclesia fatiùs censuit prędia sibi retinere, quam vendere, ut ex eorum fructibus, congrua pręberentur subsidia fidelibus, communem *vitam* ducentibus; alia lectio habet, fidelibus communem *fidem* ducentibus (*d*). Unde agnoscas, quod admitti ad fidem, & ad bona Ecclesię spiritualia, admissionem quoque correlativam involvit, ad ipsius bona temporalia. Adeoque vocatio Cornelii ad fidem altè perorat prò debito admittendi extraneos nedum ad bona Ecclesię spiritualia, verum etiam ad temporalia, qualia sunt ecclesiastica beneficia. Sed ad alia transeamus.

(a) *Leg. 1. C. ne liceat petenti. l. fin. C. de indict. ut tol. Barbos. Tr. var. Loc. 29. n° 1.*
(b) *L. 1. C. de transac. l. si servo C. de furtis. Bald. cons. 14. n. 2. l. 4. Barbos. axiom. 61. nu. 1.*
(c) *Farinac. prax. Crim. p. 4. cons. 85. num. 74.*
(d) *Cap. Videntes. & ibi not. margin. 12. qu. 1.*

30. Notabilis, & intentui nostro, ut putamus, proficua est methodus, ab Apostolis observata, in constitutione, atque distributione beneficiorum Episcopalium, quibus ipsi usque ab initio Ecclesię principaliter intenderunt. Ipsi enim in diversis Orbis partibus, atque Urbibus, Evangelium prędicantes, ibi Episcopali officio, & beneficio potiti sunt. Petrus Antiochię, & indè Romę: Joannes Ephesi: Andręas apud Patras: Thomas Calaminę: vel, ut melius de illis S. Joannes Chrysostomus peroravit, *Petrus Urbis Romæ doctor extitit: Evangelio Paulus Orbem terrarum confirmat: Andreas dirigit Græciæ Sapientes: Simon Barbaris Deum demonstrat: Baptismo Thomas albos reddit Æthiopes: Judęa Jacobi Cathedram colit: Marci solium, quæ ad Nilum est, Alexandria, veneratur &c. Joannes, qui adhuc facit verba de Deo, & post exitum vitæ, tamquam vivus Ephesum curat: Bartholomęus Sapientiâ verâ imbutus Licaones instituit: Philippus admiranda patrans Hierapoli salutem affert; universi in universos conferre beneficia non desistunt* (*e*). Apostoli, inquam, extranei erant ad urbibus recensitis, & tamen hoc nihil illis obstitit, quin ibi ritè, ac licitè, munia implere, atque beneficia possent episcopalia retinere. Sed & ab ipsismet Apostolis multos eorum discipulos hùc illùc per Orbem fuisse transmissos, ut evangelicam veritatem disseminarent, & Episcopatum in assignatis sibi urbibus exercerent, certo certius est apud doctos, & sacrę antiquitatis peritos. Ita S. Joannes Papiam Hieropolitanę Ecclesię prefecit. Andręas Stachym Byzantiis, Philogonum Synopensibus, & Callistum Nicęnis dedit Antistites. Paulus, Corinthum Silæ, Thessalonicam Sylvano, Crescentem Chalcedonensi urbi, Andronicum Pannoniæ, Simplicium Odissę, Urbanum Macedonię Episcopos destinavit.

(e) *S. Joan. Chrisost. Orat. in Ss. 12. Apost.*

31. Sed cæteris prætermissis, quos Apostoli variis urbibus Præsules indiderunt, aliquos prosequamur ex illis, quos B. Petrus Apostolorum Princeps in multis, ac dissitissimis Orbis locis, Episcopos delegavit. Sanè in *Partibus Orientalibus* Petrus constituit Episcopum Antiochiæ Evodium: Epaphroditum Lyciæ: Urbanum Tarsi: Olympium Philipporum: Figellum Ephesi: Apollum Smyrnę: Rufum Thebarum, & Pátrarum Herodionem &c. In *Africâ* prefecit Marcum Ecclesiæ Alexandrinæ: Crescentem Carthaginensi &c. In *Italiâ* ab illo Præsules habuerunt Ravenna Apollinarem: Priscum Capua: Hermagoram Aquileja: Euprepium Verona: Luca Paulinum: Syrum Papia: Ptolomæum Nepeta: Prosdocimum Patavium: Terracina paphroditum: Romulum Fesulæ: & Neapolis Asprenatem. In *Galliâ* fortiti sunt à Petro regendas Ecclesias Remensem Xystus: Tolosanam Saturninus: Martialis Lemovicensem: Catalaunensem Memmius: Petragoricensem Frontonius: Nannetensem Clarus: Claromontensem Austremius: Georgius Aniciensem: Bellovacensem Lucianus: Sabinianus Senonensem: & Cenomanensem Julianus &c. *In Germaniam* missi sunt à D. Petro Maternus, Valerius, Crescens,

Eu-

Eucharius, Egistus, & Marcianus, qui primas Regionis illius fundarunt Ecclesias; *In Hispaniam* ab ipso Petro directi sunt Torquatus, Ctesiphon, Secundus, Idaletrius, Cæcilius, Esichius, & Elesratius. *In Siciliam* Pancratius, Marcianus, Berillus, & Philippus.

32. Ne autem similibus enumerandis diutiùs immoremur, hoc unum est, quod, ut ait D. Leo, Episcopalis *muneris Sacramentum ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principalitèr collocaret, ut ab ipso quasi quodam Capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet* (a). Quod & Innocentius Papa I. in epistolâ ad Decentium Episcopum Eugubinum, ita expressit: *cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerint Sacerdotes* (b). Hi autem superiùs recensiti, ac alii quoque alibi sive à Petro, sive à Paulo, sive à cęteris Apostolis huc illuc per Orbem Episcopi constituti, erant, ut innuimus, extranei ab Ecclesiis, quas sortiti sunt, in viâ Domini dirigendas: & tamen extraneitas nihil eis intulit prejudicii, quominùs ritè possent beneficiis Episcopalibus insigniri. Imò si rem volumus sinceris oculis intueri, hęc methodus ab Apostolis introducta, & ab illorum temporibus ad nostram usque ætatem continuata, facit, ut congruè dici possit, esse de traditione Apostolicâ, quòd extraneis promiscuè cum indigenis accessus pateat ad ecclesiastica beneficia: *Quod enim*, inquit Augustinus, *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur* (c). Et ità servantibus hanc praxim omnibus Orbis Regionibus, ut pro libito Collatorum, vel Nominatorum, beneficia possint mixtim extranei cum indigenis adipisci; liceat dicere cum Hieronymo: *totius Orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtinet, nàm & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpant* (d). Si autem de traditione Apostolicâ est, vel saltem ad eam referri potest, admissio extraneorum ad ecclesiastica beneficia; nil aliud nobis superest, quàm Contradictores cum Sanctis Paulo, & Irenęo monere, *Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis* (e): *Oportet ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt* (Apostoli) *iis, quibus committebant Ecclesias* (f).

(a) S. Leo ep. 89.
(b) Innoc. I. ep. 1. ad Decent. Eugubin.
(c) S. Aug. contra Donatist. c. 24.
(d) S. Hier. in Dialog. advers. Lucifer. cap. 4.
(e) 2. Thessal. 2. 15.
(f) S. Irenæus l. 3. cap. 4.

33. Nec parvi momenti est ratio Traditionis, quando eam sæpè elegit Ecclesia, uti viam faciliorem, quâ posset hæreticos debellare: Sic enim in *Romano* Concilio, tempore Cornelii Papæ, Novatianam confodit Hæresim: in *Antiocheno*, Paulum Samosatenum: in *Niceno*, Arrium: in *Constantinopolitano*, Macedonium: in *Aquilejensi*, Palladium: in *Telensi*, Jovinianum: in *Milevitano*, Pelagium: in *Ephesino*, Nestorium: in *Calcedonensi*, Eutychen: in *Bracarensi*, Prisillianistas: in *secundo Niceno*, Iconomachos: in quo etiam sequens canon communibus est suffragiis constitutus: *Si quis traditionem sive scripto, sive consuetudine valentèm non curaverit, anathema sit* (g). Benè ergo ex Traditione deducimus argumentum. Non quod hic occurrat identitas rationis; sed quod sit paritas à traditione in materiâ fidei, ad traditionem in materiâ regiminis ecclesiastici. Itaque si seriò, & accuratè perpendimus, quod in Oriente, & Occidente, ab usque tempore Apostolorum, inceperunt præfici Ecclesiis tam viri indigenæ, quam extranei, & hoc semper continuatum est per 17. Sæcula, in totâ Ecclesiæ latitudine, & nunc quoque in Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Lusitaniâ, Belgio, Germaniâ, Poloniâ, Hungariâ, Dalmatiâ, in omnibus tandem Christianitatis Regionibus, etiam in illis, quæ privilegio Apostolico, exclusivo extraneorum munitæ sunt, si libet Papæ collatori beneficiorum Episcopalium, respectivè, vel principibus nominatoribus ad illa, hujusmodi beneficia, & dari possunt extraneis, & quotidianè eisdemmet conferuntur; hoc unde fluere potest, nisi ab Apostolicâ traditione? *Traditio est*, ajebat, D. Chrysostomus, *nihil quæras ampliùs* (h). Ità, & nos dicimus, traditio est, quod beneficia Episcopalia licitè conferri possint etiam

(g) Conc. Nicæn. II. Act. 7.
(h) S. Jo. Chrysost. ho. 4. in Thessal. 2.

etiam Clericis extraneis: nihil quæras ampliùs: Et quod de beneficijs Episcopalibus dicitur æquâ ratione in beneficiis etiam inferioris ordinis habet locum (*a*).

34. Hanc rationem tanti ponderis esse censuit Clemens Papa VI. ut eâ Regem Castellæ Alphonsum XI. à beneficiis ecclesiasticis suæ ditionis extraneos repellentem, vicerit, & ad eosdem liberè ut anteà ibidem admittendos adegerit: *Numquid*, inquiebat, *Apostoli Domini, quorum doctrinâ fulget Ecclesia, & Christiana fidei incrementa suscepit, imo in quibus fidei jacta sunt fundamenta, & quorum sunt Episcopi successores, extrà proprias Nationes, & gentes, Provincias alias, atque Regna, in sortem prædicationis, disponente Domino, non susceperunt? Nunquid Beatus Jacobus, per quem Hispaniis Evangelicæ veritatis lumen resplenduit, & Sacri Baptismatis innotuit Sacramentum, in Hispaniis ortus est? Quid igitùr mirum si Romanus Pontifex, ad exequendum ministerium servitutis injunctæ, illius, cujus vices gerit in terris, & apud quem non est Judæi, Græcique distinctio, neque acceptio personarum, instructus exemplo; personas idoneas eligit, & quamquàm alienigenas, vacantium Ecclesiarum regimini præficit, deputatque Pastores ad Dominici gregis curam?* (*b*) Loquitur Pontifex de Apostolis, sed & ad eorum discipulos, atque alios eorum successores intentum suæ locutionis extendit, ac tacitè ad vim traditionis, ab Apostolis ad sua usque tempora deductæ, totam rationem refert: Regem commonens, ut institutum tantæ antiquitatis, tantâque perseverantiâ continuatum, nollet evertere, sed Ecclesiam, quam liberam invenerat, in sua nativâ libertate relinqueret.

(a) *Conc.Turon. an. 1163.c. 1. Lessius de justit.& jur. l.2.c.34. dub.14. n.64. Barbos. Vot.decis. l 2.Vot.33. num.4.*

(h) *Clem.VI. apud Raynald.an.1343.n.14*

35. Nec quidquam officit, si dicatur, Apostolos, eorumque discipulos non fuisse extraneos, sed potius indigenas in Ecclesiis, quibus præficiebantur, tametsi alibi natos, quippe nondum introductâ fide in eorum patriâ, dici non poterant Clerici aliarum Ecclesiarum, quoniam in locis, è quibus duxerant ortum, nondum erectæ erant Ecclesiæ: Et viceversà præfecti in Antistites Ecclesiarum, quas ipsi fundabant, Caput, & membrum principale earum, quibus præerant, evadebant: ibi enim se novæ Ecclesiæ regimini alligabant, ibidem in perpetuum moraturi: & ideò tum ex tituli Episcopalis nexu, tum ex proposito apud eandem Ecclesiam in perpetuum residendi fiebant indigenæ, & cessabant esse in futurum extranei. Non inquam ita dicatur, nam hujusmodi elocutio non est præfatæ rationis evacuatio, sed delusio, quam nos alibi confutabimus, & nunc satis eam urgemus, allegatâ responsione Clementis Papæ VI. Alphonsum XI. convincentis: qua clarè insinuat, extraneitatem, quoad beneficia ecclesiastica consequenda, non desumi ex non residentiâ apud Ecclesias adeptas, sed ex non ortu, sive ex origine, aliunde deductâ, quam à locis ubi Ecclesiæ ipsæ reperiuntur erectæ: alias frigida, & insulsa fuisset responsio Pontificis data Regi, qui non conquerebatur, quod Episcopus Cauriensis in acceptâ Ecclesiâ non resideret, neque cum illâ non esset Spirituali nexu junctus, & incardinatus; sed quod nativitatem aliorsum sortitus esset. Nec opus fuisset, quod Pontifex Apostolorum exempla, & praxim Ecclesiæ, pro ratione adduceret, ad Regem persuadendum: sed satis fuisset illum commonere, ut adverteret, quod Episcopus Cauriensis, etsi secundum carnem extrà Castellæ terminos natus, inibi tamen non erat extraneus, quippe junctus spirituali connubio Ecclesiæ adeptæ, & apud eam in perpetuum moraturus, non erat ibi ampliùs extraneus, sed indigena.

36. Non ergò ex debito residendi fiebat Episcopus Cauriensis indigena apud Hispanos, neque ex voluntate extrà beneficii locum commorandi, beneficiarii pro extraneis reputantur; sed extraneitas, quoad hoc propositum, unicè consistit in origine aliundè habitâ, quam à loco, ubi quis adipiscitur beneficium: hanc autem nihil obsistere Clericis, quin possint ecclesiastica consequi beneficia, satis convincitur ex hac ratione, ab exemplo Apostolorum, eorumque Discipulorum, deductâ. Circa quam etiam non est omittendum perperam excogitari;

quod

quod neque Apostoli ipsi, neque illorum Discipuli essent Clerici Ecclesiæ loci, ubi nati erant, eo quod tunc in eis locis erectę nondum essent Ecclesiæ, nam falsum est hoc, quandoquidem jam erat erecta Ecclesia Hierosolymitana, non tam Urbem Hierusalem complectens, quam loca, per quæ tota ejus diœcesis porrigebatur: & Apostoli erant ex Palęstinâ, cujus Caput erat Hierusalem, adeoque ad Ecclesiam, seu diœcesim Hierosolymitanam pertinebant, ejusque Clerici dicebantur. Citò etiam erectæ sunt Ecclesiæ Antiochiæ, Corinthi, Ephesi, Thessalonicæ, Philipporum, & aliæ per totam Palæstinam, Asiam, Græciam, &c. undè sumpti sunt Discipuli per Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, Africam, Siciliam &c., ab Apostolis distributi: & sic hi à propriis Ecclesiis divulsi sunt, ut Officia, & beneficia Episcopalia longè ab Ecclesiis, quarum erant Clerici, obtinerent. Corruit proindè talitèr usque ad fundamenta præfata rationis delusio, ut ratio ipsa nihil de propriâ efficaciâ disperdat: Semperque verum remanet, atque certum, quod primo Christi Sæculo liberum erat Ecclesiæ admittere ad beneficia etiam Clericos extraneos: adeoque sicuti tunc, ità etiam nunc liberum, & licitum est eidem Ecclesiæ, inprimisque Summo Pontifici, ejusdem Capiti, nec non Episcopis, aliisque omnibus, tam Ordinariis, quam delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa nominatoribus, ecclesiastica beneficia tùm Clericis indigenis, tùm etiam extraneis elargiri.

SÆ

SÆCULUM CHRISTI II.

CAPUT III.

In quo ex dictis, & factis Sanctorum Dionisii Corinthii, & Clementis Alexandrini; *necnon ex* Tertulliano, *probatur, quod Ecclesia, per totum Christi* Sæculum Secundum, *integrâ libertate potita est, conferendi ecclesiastica beneficia, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Sæculum Christi secundum etsi aridum, aliqua tamen documenta subministrat, ad rem nostram facientia. Refertur pars epistolæ S. Dionysii Corinthii.*

2 *In eâ recenset morem tum Romanæ, tum Corinthiæ Ecclesiarum, conferendi extraneis varia subsidia. Quibus consentanea sunt ecclesiastica beneficia.*

3 *Ejusdem sunt naturæ bona Ecclesiæ mobilia; ac immobilia: ergo si negentur ecclesiastica beneficia Clericis extraneis, negari debebunt etiam subsidia, & eleemosynæ de rebus Ecclesiæ pauperibus extraneis.*

4 *Et ita nullus Clericus, vel Laicus administrator bonorum Ecclesiæ, poterit pauperes, captivos, puellas, orphanos &c. subsidiis adjuvare, si sint extranei.*

5 *Pauperes sunt beneficiarii Ecclesiæ. Sicut autem pauperes extranei admittuntur ad participandum de bonis Ecclesiæ, ad usum pauperum destinatis; ita etiam Clerici extranei admittendi sunt ad alia bona, quæ sunt usui Clericorum destinata.*

6 *Mos fuit, ut Ecclesiæ pręberent subsidia pauperibus, atque aliorsum illa transmitterent. Quam liberalis in hoc fuerit Ecclesia Romana. Largitas S. Gregorii Magni refertur.*

7 *Ecclesia Constantinopolitana itidem liberalissima fuit. Similiter & Antiochena, demum Alexandrina, necnon Cęnobium Cluniacense.*

8 *Nedum confluentibus ad se pauperibus, Ecclesiæ subsidia conferebant, sed etiam eis alibi transmittebant. Exempla SS. Jo. Eleemosynarii, & Gregorii, Exuperii &c.*

9 *Ecclesiæ, illarumque Præsules, præfata subsidia extraneis conferebant, non de sibi superfluis, sed potius de penè sibi necessariis: quod probatur exemplis.*

10 *Ex verbis D. Gregorii patet, quod non de superfluis, sed potius de necessariis,*

Ecclesiæ subsidia extraneis transmittebant. Retunditur fabula restitutionis 5. mille aureorum factæ Marcioni ab Ecclesia Romana.

11 S. Chrysostomus majores proventibus fuisse sumptus dicit. Imperator mensuram posuit ordinationibus Clericorum. Concilium Parisiense inquit proventus Ecclesiarum non esse nimios.

12 In redemptione captivorum Ecclesia subsidia sua confert. Quanti fuerint in hoc opere S.Gregorius, & Joannes IV. Pontifices, ac S.Cæsarius Arelatensis.

13 Item S. Hilarii Arelatensis, Acacii Amidensis, & Candidi Surenensis mira fuit in captivis redimendis liberalitas. Jura distractionem bonorum Ecclesiæ, pro hoc pietatis opere approbant.

14 Ex SS. Justino, Jo. Chrysostomo, Petro Cluniacensi, ostenditur liberalitas Ecclesiæ in subveniendis advenis. Canones quoque huic rei favent.

15 Si de bonis Ecclesiæ, ad subveniendos pauperes deputatis, participant pauperes, etiam extranei; eodem modo alterius partis bonorum, quæ ad usum Clericorum destinata sunt, etiam Clerici extranei debent esse participes.

16 Repelli non possunt Clerici extranei à beneficiis, quin repellendi sint quoque pauperes extranei à subsidiis Ecclesiæ. Utrorumque autem exclusio est injusta, & ipsis dispensatoribus bonorum Ecclesiæ damnosa.

17 Tertullianus quis, & qualis fuerit, & quanto eum honore sit prosecutus S. Cyprianus. Apologiam scripsit pro Christianis.

18 Apologias pro Christianis edidere Quadratus Atheniensis, Melito Sardensis, Apollinaris Hierapolitanus, Justinus, Apollonius, & Lucianus.

19 Docet Tertullianus inter fideles sui temporis omnia indiscreta fuisse, præter uxores: communis ergo erat inter illos admissio ad bona Ecclesiæ.

20 Apud Deum non est distinctio Judæi, & Græci. In Ecclesia non est differentia nationis, quia ex omnibus nationibus una componitur Ecclesia.

21 Ex Tertulliano patet, quod sæculo Christi secundo, extranei de bonis Ecclesiæ participabant, nec ratio nationis, sed ratio fidei in hac rè attendenda est, Clericisque ubilibet patere debent Ecclesiæ beneficia.

22 Tertulliani tempore de bonis Ecclesiæ subsidia porrigebantur solis fidelibus, non infidelibus, nisi naturæ necessitas aliud postularet.

23 Solis fidelibus porrigebantur subsidia Ecclesiæ, quia fideles secundum Deum sunt inter se fratres. Infideles verò sunt extranei.

24 Si fideles ubique ad consortium in bonis Ecclesiæ admittendi sunt, quia sunt fratres; multo magis in Clericis id verificari debet, qui nedum fide, sed etiam clericatu sunt fratres.

25 S. Clemens Alexandrinus, quis, & qualis fuerit, & quam laudatus. Dicit omnes fideles unum esse, quia unam componunt Ecclesiam.

26 Sicut nullus fidelis à consortio fidei est repellendus, ita & neque arcendus est à bonorum Ecclesiæ consecutione. Sanctus Clemens natione Græcus, Alexandriæ promotus est.

27 Secundo Christi sæculo adeò creverant Christiani, quod cuncta replebant, nec deerant Clerici indigenæ beneficiorum episcopalium capaces, tamen committebantur quoque viris extraneis.

28 In Hispania, in Lusitania, in Sicilia, in Italia Christianis plena, extranei promiscuè cum indigenis sunt beneficiis episcopalibus insigniti.

29 Ipse summus Pontificatus, hoc sæculo, etiam Græcis, Afris, Syris, & Carnis obtigit. Si extraneis patebant beneficia episcopalia, & ipse Papatus; numquid aditus non eis dabatur ad beneficia minutiora?

ARI-

1. ARIDUM quidem, & sterile satis est secundum Christi sæculum, quod intramus, quippe in quo, & Ecclesiæ paupertas, & Historicorum inopia, quâ illa ætas infelicissimè laboravit: necnon Tyrannorum rabies, atque Gentilium contradictio, quæ clericalem professionem eodem tempore fatigarunt; monumentorum abundantiam, proposito nostro faventium, subtraxère. Veruntamen non adeò exinanitum est sæculum ipsum documentis, ut non saltem aliquas probationes consentaneas libertati Ecclesiæ, de quâ agimus, subministret: Etquidem tales, quæ tametsi beneficia ecclesiastica in recto, & individualiter non percutiant, attingunt tamen, & sufficienter concernunt. Sanè cum ecclesiastica beneficia præsertim episcopalibus minora, eo modo, quo nunc sunt, tunc temporis non adessent; impossibile est rationes adinvenire, beneficia ipsa verbis dilucidis exprimentes: nihilominus, quia eodem seculo decurrente, alia fuère, quæ cum ecclesiasticis beneficijs arctissimâ sunt affinitate connexa; ex illis ad hæc ritè deducitur argumentum. In primis itaque adest *B. Dionysius Corinthius*, Natione Argiuus, Chorinthi Episcopus, omniumque penè Græciæ Antistitum, & Ecclesiarum instructor (*a*), quem Trithemius hoc prosequitur elogio, fuit *vir eloquentissimus, & in divinis scripturis valde eruditus, ovilis Christi vigilantissimus pastor: tantæ sollicitudinis, & Industriæ, ut non solum suæ Civitatis populum salutaribus documentis instrueret, sed etiam extranearum plebes Urbium, per Epistolas ad Constantiam fidei provocaret* (*b*). Floruit anno Christi 170. Hic ex octo epistolis ad diversos scriptis, quarum jam nihil superest præter meros titulos (*c*), unam ad Romanos direxit, cujus tametsi textus disperierit, medulla tamen ejus apud Eusebium his notatur eloquiis: *à principio moris est nobis omnes fratres variis juvare beneficiis, multisque ecclesiis, quæ sunt per diversa terrarum, cuncta, quibus indigent destinare: singulorum quoque necessitates in omnibus consolari. Sed & per metalla fratribus relegatis, quæ usus poscit, præbere. Hæc ab initio Romanæ Ecclesiæ facere moris fuit, à Patribus sibi hujuscemodi institutione demissâ, & semper integrè custoditâ. Beatus vero vester Episcopus Soter non solum servavit quæ Patres tradiderant, sed & auxit in melius, qui non tantum Sanctis, quę usus corporalis poscit, impertiit; verum & advenientes fratres clementi satis, & mitissimo consolatur alloquio* (*d*). Paulò infrà referemus canones, de subventione advenis conferendâ, ex bonis ecclesiasticis pertractantes (*e*).

2. Recenset autem hìc S. Dionysius morem Ecclesiæ, tùm propriæ, tùm Romanæ, conferendi extraneis, per varia terrarum spatia constitutis, congrua subsidia, pro petentium egestate: ipsosque extraneos variis juvandi beneficiis ex reditibus ecclesiasticis: quod nedum licite tunc factum esse docet, sed & velut quoddam dogma, & practicum institutum, à Majoribus in Ecclesiam suâ ætate transfusum, id impensè commendat. Unde nulli dubium est, quin sicut ab initio potuerunt licite conferri viris extraneis beneficia, quæ tunc in manualibus erogationibus consistebant; ita & nunc, cùm eadem beneficia non jam in manualibus erogationibus consistunt, sed in determinatorum usufructu prędiorum, libere, ac licite valeant à Papâ, & Episcopis, aliisque, tam ordinariis, quam delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa nominatoribus, non modo viris indigenis, verum etiam extraneis dispensari. Alias nimium enorme præjudicium, nedum in Clericos, verum etiam in pauperes extraneos redundaret, si beneficiorum susceptio ad solos indigenas arctaretur. Curritque competenti passu argumentum à beneficiis ad subsidia pauperum, & à pauperibus ad beneficiarios, quandoquidem etiam pauperes inter beneficiarios Ecclesiæ recensentur (*f*).

3. Porrò bona Ecclesiæ, quæ à principio in solis pecuniis, & donariis manualibus consistebant (*g*), & dividebantur in Clericos, & pauperes ab Ecclesię Prǽsulibus (*h*), cœperunt posteà successu temporum etiam in latifundiis, prędiis, & bonis immobilibus consistere (*i*), quę nutu pariter Superioris, vel Clericis ad fruen-

(a) *S. Hier. de script. Eccl. in Dionys. c. 27. Euseb. hist. l. 4. c. 24.*

(b) *Trith. de script. Ecclesi. in Dion. Cor.*

(c) *Petrus Ann. appar. ad posit. Theolog. lib. 4. art. 9.*

(d) *Euseb. hist. l. 4. c. 24.*

(e) *Vid. infr. in hoc cap. num. 14.*

(f) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. l. 3. c. 26. n. 19.*

(g) *Cap. exempl 12. c. habebat 17. 12. q. 1.*

(h) *Actor. c. 5. 1. Concil. Antioch. c. 25.*

(i) *Cap. videntes 16. caus. 12. qu. 1.*

fruendum darentur, vel ad subveniendum pauperibus destinarentur. Sivè autem bona Ecclesię mobilia sint, sive immobilia: sive in prędiis perfruendis consistant, sive in fructibus, manuali erogatione participandis; ejusdem sunt naturæ, ejusdem sunt qualitatis, prout ipsi quoque Contradictores insinuant: ergo si contendatur, quod bona ecclesiastica immobilia, ad usufructuandum Clericis tradi solita, nempè beneficia ecclesiastica non eis licitè valeant dispensari, quoties sint origine extranei; ex consequenti etiam sequitur, primò quod excludendo cunctos extraneos à beneficiis, non benè succurratur omnibus pauperum, & extraneorum necessitatibus: Secundò, quod quemadmodum Clericis extraneis beneficia ecclesiastica conferri non possunt; ità etiam alia bona ecclesiastica mobilia, idest fructus agrorum, decimæ, eleemosynæ, & quidquid in Ecclesia, seu ab Ecclesiâ congregatur, atque ad sublevandos pauperes destinatur, non eis licitè valeat erogari, si sint extranei. Et ita neque Papa, neque Episcopi, neque Abbates, neque Clerici, neque Monachi, neque Ecclesiastici, neque Laici, nulli demùm collatores, provisores, nominatores, protectores, contrectatores, vel administratores bonorum Ecclesiasticorum, Confraternitatum, Hospitalium, locorum piorum, vel alitèr dispensatores bonorum sacrorum, omnes, inquam, hi non poterunt licitè nec eleemosynas pauperibus extraneis impertiri, neque captivos extraneos redimere: neque similia pauperibus extraneis profutura exercere.

4. Paritèr non poterunt licitè puellas pauperes extraneas dotare: neque malè nuptas extraneas adjuvare: neque meretrices extraneas, ad meliorem frugem redeuntes, intrà Asceteria concludere: neque religiosis mendicantibus extraneis stipem impendere: neque orphanos extraneos educare: nec infirmos extraneos colligere: nec invalidis extraneis subvenire, neque peregrinos hospitari, neque alias miserabiles personas extraneas refovere: quod quantùm in se contineat pręjudicii, omnibus pauperibus communis, nemo non videt, ac quantùm in se præseferat confusionis, omnium bonorum operum convulsivæ, non est qui ex se facillimè non agnoscat. Neque declinari potest vis argumenti dicendo, extraneitatem resistere participantibus de bonis immobilibus, sive de beneficiis Ecclesiæ, non verò accipientibus simplices erogationes ab eâ: quippe utrobique est par ratio, utrobique agitur de dispensatione bonorum Ecclesiæ: & uti supra innuimus, ac rursus paulò infrà ostendemus, etiam pauperes, subsidia de manu Ecclesiæ recipientes, sunt beneficiarii ecclesiastici, ammovibiles, & manuales (a), quemadmodum sunt tales Clerici, prædiis, in beneficium erectis, ad vitam propriam perfruentes: merè etenim accidentalitèr se habet, quod participatio fructuum Ecclesiæ sit manualis, vel ad vitam: sitque perpetua, vel ammovibilis. Igitur ad tantam confusionem, & generale pauperum detrimentum, radicitùs extirpandum, dicendum est, quod nec ipsis pauperibus, si sint extranei, ecclesiasticæ largitiones, neque Clericis, si paritèr sint extranei, neganda sunt ecclesiastica beneficia, dummodò benemerentibus, atque dignis.

(a) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. lib. 3. c. 26. n. 19.*

5. Pauperes inquam sunt, & ipsi quoque Ecclesiæ beneficiarii, si non propriè, saltem analogicè, & similitudinariè: adeoque quidquid proponitur adversus Clericos extraneos, ut excludantur ab illa specie beneficiorum Ecclesiæ, quæ dari solent Clericis; afficere videtur etiam contrà pauperes extraneos, ut ab alia specie beneficiorum excludantur, quæ dari solent pauperibus. Hinc licet refrigescente charitate inter Christianos, ad evitandas varias querimonias, & confusiones, ad melius subveniendum Ecclesiarum opportunitati, vel necessitati, & ad majorem graduum ecclesiasticorum decorem, satius fuerit beneficia ecclesiastica in titulum erigere, indigenis ut plurimum conferenda; tamen est quoque necessarium, non solum elargitionum manualium extraneos pauperes participes facere, sicque illos lato modo, similitudinariè, & analogicè beneficiarios agere; sed etiam extraneos Clericos, strictè, propriè, & univocè, non semper, sed quandoque (rariùs, vel crebriùs, prout locorum, temporum, ac personarum ratio deposcit) veros

bene-

beneficiarios constituere? Nam alio modo nèc Ecclesiæ libertati consulitur: nec, ut expedit Prælatorum, & maximè Summi Pontificis authoritas in beneficiorum dispensatione cognoscitur, & conservatur: neque patronorum, & eorum qui habent jus nominandi ad beneficia libertas custoditur: neque benè succurritur omnibus propriarum Ecclesiarum necessitatibus: nec pro omnibus casibus, qui possunt occurrere, providetur: nec tandem plenè cum extraneis charitatis præceptum adimpletur.

6. Sanè mox referemus Canones (*a*), mandantes admitti pauperes ad participationem redituum ecclesiasticorum: editos proculdubio juxta traditionem, & disciplinam præsentis Sæculi, quinimo & juxta doctrinam Apostolorum, ac morem, qui ab initio Ecclesiæ incepit, & perseveranter in ea permansit. Superius quoque latè demonstravimus antiquissimum æquè, ac pietate plenum Ecclesiæ morem, erogandi subsidia indigentibus, etiam extraneis, & ultrò ad aliena loca transmittendi erogationes, ac pecunias, ad subveniendos pauperes destinatas, nullo attento respectu, an participantes ex illis essent extranei, vel indigenæ. Nunc aliqua alia ad ubertatem addamus, facto probantia, id quod hic theoricè conclamamus. *Ecclesia Romana* in hoc liberalissima semper fuit, & præter alibi allata, scire præstat, quod tempore Divi Gregorii Magni (cum jam invaluisset usus, ut suæ præbendæ, & beneficia essent Clericis assignata) S. Pontifex tria monialium millia alebat (*b*), & ultrà alias eleemosynas, *Natalitio Apostolorum, vel suo, mixtos solidos offerens, peregrinis nihilominùs vestimenta donabat* (*c*): Ecclesia commune cunctorum horreum videbatur (*d*): Tamque prolixus erat catalogus hominum, cujusvis sexus, ac ætatis, ex Urbe, & suburbanis ejus, ex Urbibusque, tùm circumvicinis, tùm transmarinis, inscriptus, qui distributionum, sportularum, & erogationum ejus erant participes, ut Joannes Diaconus, veritus ne multitudo nominum in laterculo notatorum, credibilitatis limites transiliret; satiùs existimaverit eam silentio reticere (*e*). Innocentius Papa III. octo mille pauperes, Romæ consistentes, illucvè aliundè confluentes, alebat, præter eos, quos in quibusdam determinatis ædibus sustentabat (*f*). Idipsum proportionalitèr, modò magis, modò minùs, pro temporum opportunitate, fecerunt alii Pontifices, tam qui hoc Sæculo Christi secundo, quam qui subsequentibus Sæculis Ecclesiæ præfuerunt. Nostraque ætate infinitæ sunt eleemosynæ, quæ tàm ex ærario Pontificio, quam ex piis locis Romanæ Urbis ubertim in pauperes extraneos, vel Romam advenientes, vel in partibus commorantes, liberalissimè dispensantur. Pium autem hoc institutum recens non est, sed ex verbis D. Dionysii Corinthii constat illud viguisse in Ecclesiâ Romanâ etiam præsenti secundo Sæculo, quod percurrimus.

(a) *Vid. hic infra n.14.*

(b) *Joan. Diac. l. 2. cap.17.*

(c) *Id. loc. cit. c. 25.*

(d) *Idem cap. 26.*

(e) *Idem cap. 30.*

(f) *Raynald. ann. 1202. n. 31.*

7. Paritèr *Ecclesia Constantinopolitana* satis munifica in hisce fuit. Nam inter cæteros, Atticus Episcopus, præter subsidia, quæ suis dioecesanis pauperibus erogabat, aliquandò decem millibus pauperum, in Bithynia consistentium, est suppetias elargitus (*g*). Et D. Joannes Chrysostomus, mediatus Attici prædecessor, de subventionibus à se faciendis, seu è promptuario suæ Ecclesiæ proferendis, ità loquitur, *ipsa necesse habet impendere viduarum cætibus, choris virginum, hospitum adventibus, peregrè proficiscentium afflictionibus, eorum qui sunt in vinculis calamitatibus, eorum qui sunt manci, ac mutili, necessitatibus, & aliis hujusmodi causis* (*h*). Ex quibus patet, quam magna esset æris ecclesiastici effusio in omnes, tùm indigenas, tùm extraneos, ad quos illa Ecclesia suæ charitatis viscera dilatabat. *Ecclesia quoque Antiochena* non minores erogationes indigenis promiscuè, ac extraneis faciebat, dum de illa idem S. Chrysostomus subeffatur, *cogita tecum quot viduis, quot virginibus quotidiè succurrat. Jam enim numerus earum in catalogo præscriptus ad tria millia pervenit. Et prætereà multis, qui carceres habitant, auxiliatur, multis in Xenodochiis laborantibus, multis advenis, multis leprosis, omnibus, qui altari assistunt, cibaria, & indumenta præbet,* mul-

(g) *Socrat. lib. 7. cap. 25.*

(h) *S. Joan. Chrysost. hom. 21. in ep. ad Cor.*

multis etiam, qui quotidiè ad petendum accedunt (a). Demùm *Ecclesia Alexandrina* compari pietate in infinitos pauperes, indigenas pariter, ac extraneos, ferebatur: nàm tempore S. Joannis Episcopi, vulgò Eleemosynarii, septem millia pauperum, & quingenti erant albo Ecclesiæ conscripti (b), & cum è Syriâ, à Persis devastatâ, se ingens hominum congeries Alexandriam recepisset; Joannes omnibus illis, etsi extraneis, subsidia est congrua dilargitus, magno animo professus, *si totus mundus congregaretur Alexandriæ, eleemosynæ indigens, immensos thesauros Dei non angustabunt, neque Sanctam Ecclesiam* (c). Largaerat similitèr charitas Cœnobii Cluniacensis, de quo Petrus ejus Abbas, *video res Cluniacensium, velut totius Christianæ Reipublicæ ærarium esse, de quo omnes hauriunt, quod penè exhauriunt, in quo rari pauca iniiciunt, de quo plures multa accipiunt* (d). Ità Ecclesiæ Orbis majores tali se censuerunt charitatis lege constrictas, ut cunctis indifferenter deberent, sive advenis, sive indigenis, subventiones de rebus ecclesiasticis erogare.

(a) *S. Joan. Chrysost. hom. 7. in Matth.*
(b) *Vita S. Joan. Eleemos. cap. 14.*
(c) *Eadem Vit. loc. citat.*
(d) *Petr. Cluniacen. l. 4. ep. 8.*

8. Et nedùm confluentibus ad se pauperibus extraneis Ecclesiæ, earumque Antistites largas erogationes conferebant, sed etiam ad alias Ecclesias longè dissitas subsidia mittebant. Alibi plures Sanctos Antistites allegavimus, qui de bonis suarum Ecclesiarum in alios populos diffuderunt, & ecclesiasticas stipes longè à se remotis populis transmiserunt (e), quorum feriem per eos, qui sequuntur nunc aliqualitèr adaugemus. S. Joannes Eleemosynarius, de quo suprà, Modesto Patriarchæ Hierosolymitano, ad pauperes recreandos, & ad farciendas Ecclesias, quas Persarum excursio devastaverat, ingenti munificentiâ præstò fuit (f). D. Gregorius Joannem Episcopum Syracusanum hoc eloquio collaudat, *qui illic apud vos innumeros pauperes habetis, pro explenda largitate misericordiæ, etiam loca alia, & longè posita requiritis* (g): De ipso S. Gregorio refert auctor ejus vitæ quod per totius mundi latitudinem suæ pastoralis sollicitudinis oculos circumtulit; notatque præsertim, quòd Anthemio Subdiacono scripsit, *discedenti tibi mandavimus, & postmodùm præceptis discurrentibus injunxisse me memini, ut curam pauperum gereres, & quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares; & vix de paucis hæc facere curasti* (h): De S. Exuperio Tolosano refert S. Hieronymus, quòd in Monachos, & Moniales, ac pauperes Hierusalem, Palestinæ, & Ægypti, suas eleemosynas propagavit, Nilo ipso Æthiopiæ flumine liberalior, *Gavisus sum*, inquit, *te esse sospitem, & memorem mei, omniumque fratrum, qui in sanctis locis Domino serviunt, in quorum refrigeriis facis tibi amicos de iniquo mammona &c. Siginnius Ægyptum ire festinat, ut odorem bonæ fragrantiæ, qui à te missus est, fratribus illuc quoque perferat, & nequaquam Æthiopiæ flumine, sed Galliarum largissimis aquis rigentur arva sitientia* (i). S. Elphegi Episcopi primò Vintoniensis, deindè Archiepiscopi Cantuariensis, memorabile est, quod refertur in ejus vitâ, *nullum Parochianorum suorum publicè mendicare permisit, nec alterius loci pauperem vacuum abire sivit, immane, horrendumque nefas reputans, si quod natura commune constituit, hoc velit homo, ceu proprium usurpare &c. Nam si patiente uno corporis membro, compatiuntur cætera; compertum est ejusdem corporis membrum non esse, quod patiente alio, compassionis affectum nescit habere* (l). Alios omittimus, ne lectorem exuberantiâ fatigemus.

(e) *Vid. hic supra cap. præced. à n. 9.*
(f) *Vita S. Joan. Eleemos. cap. 19.*
(g) *S. Gregor. lib. 6. epist. 9.*
(h) *Joan. Diac. Vit. S. Greg. lib. 2. cap. 55.*
(i) *S. Hieron. præfat. in 1. & 2. Zachar.*
(l) *Sur. die 19. April. in Vit. S. Elphegi.*

9. Nec hinc ad solitum suffugium convolent Contradictores, dicendo, quòd intantùm præfati Sancti Antistites alienis pauperibus, alienis piis usibus conferebant, inquantùm sibi propriarum Ecclesiarum reditus abundabant, & de superfluis porrigebant, non de subsidiis, quæ necessaria essent suæ Ecclesiæ pauperibus, & ministris: alibi etenim satis hoc objectum diluimus: sed quia ipsimet objecto, tamquam hastæ Achillis, Contradictores fortitèr innituntur; adhuc aliqua ad uberiorem illius eversionem addamus. Et quidem strictim, atque ad hominem proloquendo: Auctor vitæ præfati S. Elphegi recenset, quod idem Beatus vir, à Danis captus, in vinculis non brevitèr est moratus, eò quòd Ecclesia sua, talis non

non erat facultatis, ut & memorata subsidia pauperibus tùm extraneis, tùm indigenis conferre posset, & pretium Danis pro sui redemptione persolvere: maluitque ipse in captivitate squallere, quam subsidia eadem pauperibus subtrahere, & in suam redemptionem convertere (*a*). Non ergò S. Elphegus de superfluis, alienis pauperibus erogabat, sed de sibi, ac suæ Ecclesiæ aliquo modo necessariis. Pariter S. Exuperius Tolosanus eâ indigentiâ laborabat, ut fame palleret, eâque inopiâ premebatur, ut sanguinem Christi non in calice aureo, vel argenteo, sed in cyatho vitreo, & corpus Domini in canistro vimineo consecraret (*b*), ergò non de superfluis ad pauperes Hierosolymitanos, Ægyptios, & Palæstinos, transmisit, sed de sibi, & suæ Ecclesiæ aliquo modo necessariis. S. Gregorius in Divinam providentiam referebat, quòd Romana Ecclesia posset tot impendiis sufficere, de eâ mirabundus exclamans: *Viginti jam, & septem annos ducimus, quod in hac urbe inter Longobardorum gladios vivimus. Quibus quàm multa hâc ab Ecclesiâ quotidianis diebus eroguntur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt &c. Et tamen hæc Ecclesia, quæ uno eodemque tempore, Clericis, monasteriis, pauperibus, populo, atque insuper Longobardis, tàm multa indesinentèr expendit, ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum premitur afflictione &c.* (*c*)

10. Ipse S. Gregorius Joannem Syracusanum, alibi eleemosynas, pro juvandis pauperibus, ministrantem, sic alloquitur, *benedictionem, quam pauperibus fraternitas vestra transmisit, lator præsentium homo vester Candidus, nobis dispensantibus suis manibus erogavit: quod vobis secundum animum vestrum fortasse parum visum est: Nos tamen secundum modum vestræ substantiæ esse nimium, & ultrà modum æstimamus, ut qui illic apud vos innumeros pauperes habetis; pro explendâ largitate misericordiæ, etiam loca alia, & longè posita, requiratis* (*d*). Non ergò de superfluis D. Gregorius, ac Joannes Syracusanus, sed de sibi, & suis Ecclesiis quodammodo necessariis, alienis pauperibus ministrabant. Et ita resolvitur gratiosa illa fabella Contradictorum, quod Romana Ecclesia, recepta à Marcione Pontico quinque aureorum millia, eidem restituerit (*e*), eò quòd tantis excrevisset divitiis, ut pecuniâ illâ nullatenùs indigeret: non enim Romana Ecclesia ob exuberantiam divitiarum refudit quinque aureorum millia à Marcione delata, sed illa prorsus cum domino contaminato rejecit, & velut malè parta procul à se longius ablegavit: vel ideò illa projecit, ut non diceretur, quod, facto per censuras extorre à fidelium societate Marcione; illius interim sibi pecuniam vendicasset.

11. S. Joannis Chrysostomi largitatem in juvandis pauperibus extraneis collaudavimus, sed ipsius quoque vox audiatur, ità eloquentissimè perorantis. *Ne hos proferamus prætextus, quod Ecclesia multa possidebat: quandò ejus facultatum videris magnitudinem, cogita etiam inscriptorum pauperum greges, ægrotantium multitudinem, innumerabilium expensarum occasionem. Sumus etiam parati vobis reddere rationem. Quando reddiderimus rationem, & ostenderimus sumptus non esse minores proventibus, sed aliquandò etiam majores* (*f*). Non ergò de superfluis divitiis D. Chrysostomus erogabat, quando suis subsidiis extraneos refovebat, sed de sibi, & suæ Ecclesiæ quodammodo necessariis. Quid plura? Si opus fuit, ut Imperator mensuram poneret ordinationibus Clericorum, & horum præcisum numerum definiret (*g*), quippè aliàs non poterant Ecclesiæ respondere erogationibus consuetis; manifestum est, quod Ecclesiis non inerant superflua, quæ viris extraneis traderentur, sed hos mixtim cum indigenis admittebant ad effectus suæ charitatis: ac his, atque illis confusè dabant, non de redundantibus, sed de necessariis. Itaque *cesset*, inquit Concilium Parisiense, *cesset ambitio, quæ dicere solet, nimis rerum habere Ecclesias Christi, & personas, quia quantæcumque sunt res Ecclesiæ, si eo modo, quo dispensandæ sunt, dispensentur, nimiæ non sunt* (*h*). Et ità nunquam dici potest quod Ecclesiæ, subsidia extraneis de rebus sibi superfluis sint largitæ. Quæ omnia dicta sint opportunè, ac relativè ad doctrinam S. Dionysii Corinthii, superius recensitam. Nam licet auctoritates, & exempla, in

(a) *Sur. loc. sup. cit*

(b) *S. Hieron. ep. ad Rustic. vid. hic sup. c. 2. num. 13.*

(c) *S. Greg. l. 4 ep. 34.*

(d) *S. Greg. lib. 6 epist. 9.*

(e) *Card. Baron. an. 167. num. 6.*

(f) *S. Joan. Chrysost. ho. 21. in ep. 1. ad Cor.*

(g) *Authentic. Dudum tit. 3. Ut determin. sit numer. Clerie.*

(h) *Concil. Parisien 829. cap. 18.*

in præsenti capitulo allegata, extra secundum Christi Sæculum evenerint, sive fuerint respectivè dictatæ; docent tamen de propagatione per universam Ecclesiam piissimi illius instituti, subsidia porrigendi pauperibus, etiam extraneis, quod secundo Christi Sæculo decurrente in aliquibus Ecclesiis jam fuerat introductum: valetque argumentum ab his ad beneficia, pro illa ætate, ut dicemus.

12. Eandem pietatem observavit Ecclesia tam præsenti secundo Christi Sæculo, quam sequentibus, in conferendo pecunias *pro redemptione captivorum*: hùcque, illùc ad hunc effectum eas transmisit, quamquam captivi ipsi essent extranei. De hoc angelico charitatis opere, per Romanam Ecclesiam liberalitèr adimpleto, memoria est apud Anastasium Bibliothecarium in Joanne Papa IV. narrantem, quod per totam Dalmatiam, & Istriam, lautam pecuniæ contulit summam, ut captivi possent de Slavorum manibus liberari (*a*): Et antè illum S. Gregorius Papa I. ità de hoc negotio est locutus: *Et sacrorum canonum, & legalia statuta permittunt, ministeria Ecclesiæ pro captivorum esse redemptione vendenda* (*b*). In perpluribus ejus epistolis videre est sollicitudinem, qua prò eisdem redimendis incitabatur (*c*). Christianos quosdam Narbonenses, servos Judæorum factos, propriâ pecuniâ redemit (*d*). Laudavit Episcopum Fanensem, quod ad redimendos captivos aurum mutuò suscepisset, & ad id solvendum, indulsit, ut sacra vasa posset venundare, si liberet (*e*). Nec minor fuit in aliis Orbis Ecclesiis charitas in captivos: Nàm celebris est collecta, quam D. Cyprianus, auditâ captivitate fidelium, à Barbaris factâ, Episcopis per Numidiam constitutis, formitèr intimavit, coacervatis indè ter mille aureis (*f*). S. Cæsarius Arelatensis Francos, in captivitatem à Gothis ductos, fractis sacris vasis redemit (*g*). Et Ravennæ consistens, ingens vas argenteum, sibi à Theodorico Rege donatum, pro captivis ibidem redimendis insumpsit (*h*).

13. S. Hilarius paritèr Arelatensis, *quidquid argenti omnes Basilicæ habuerunt, captivorum redemptioni protinùs deputavit &c. Et usque adeò credidit omnia distrabenda, quousque ad patenas, vel calices vitreos veniretur* (*i*). Nota est Acacii Amidensis charitas, qua ut diximus 7.m. Persarum quos exercitus Theodosii II. Imperatoris captivos fecerat, Vararano eorum Regi redemptos, & commeatu instructos, remisit (*l*). Candidus Surenensis Episcopus duodecim millia captivorum de manu Cosrois Persarum Regis redemit (*m*). Et quia D. Gregorius innuit, leges simul canonicas, & civiles redemptionem captivorum de bonis Ecclesiæ uniformitèr imperare (*n*), hic quoque adnotamus sanctionem Justiniani, dicentem, *sanctissimas Ecclesias præcipimus alienare res immobiles pro captivorum redemptione* (*o*): Et aliam Concilii Aurelianensis, ità sonantem, *in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum, & pauperum refectione, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit expendatur* (*p*). Notabilis est quoque sanctio Concilii Constantinopolitani IV. octavi generalis, definiens, *neminem prorsùs Episcopum vendere, vel utcumque alienare cimelia, & vasa sacrata, excepta causâ olim ab antiquis canonibus ordinatâ, videlicèt pro redemptione captivorum*. (*q*).

14. Itidem pro subveniendis *advenis, & peregrinis*, (cui operi sedulò incumbebat Ecclesia hoc secundo Christi sæculo, & successivè sequentibus sæculis incumbere perseveravit) bona ecclesiastica esse liberalitèr impendenda, & praxis Ecclesię docet & ejus leges, & exempla. Testis est S. Justinus, ejusdem secundi sęculi scriptor, quod ex proventibus ecclesiasticis suo tempore pars *peregre venientibus hospitibus* pendebatur (*r*). S. quoque Joannes Chrysostomus id suo populo memoravit, quod Ecclesia, pręter alios, *multis in Xenodochiis laborantibus, multis advenis* succurrebat (*s*). Auctor vitæ Petri Cluniacensis recenset, quod ejus charitas fecerat, ut Cœnobium illud esset *commune universorum hospitium, & velut generale, absque ullius exceptione, cunctorum asylum, Episcoporum, Abbatum, nobilium etiam laicorum quotidianus concursus: Monachorum, & Clericorum agmina,* pau-

(a) *Anastas. Bibliothecar. in Joan. IV.*
(b) *S. Greg. lib. 6. ep. 35.*
(c) *S. Greg. l. 3. ep. 17. l. 5. ep. 34. l. 6. ep. 23. l. 7. ep. 14. l. 8. ep. 2.*
(d) *Id. lib. 6. ep. 21.*
(e) *Id. lib. 6. ep. 13. & 35.*
(f) *S. Cypr. ep. 60.*
(g) *Vita S. Cæsarii cap. 14. apud Sur. die 27. Augusti.*
(h) *Baron. ann. 508. n. 7. & 13.*
(i) *Vita S. Hilarii Arel. apud Sur. die 5. Maii.*
(l) *Socrat. l. 7. c. 21.*
(m) *Procop. de Bello Persic. lib. 2.*
(n) *S. Greg. l. 3. ep. 17.*
(o) *Justinian. Novel. 120. c. 29.*
(p) *Conc. Aurel. an. 507. can. 7.*
(q) *Conc. Constantinopol. IV. c. 15. cap. Apostolis 19. 12. qu. 2.*
(r) *S. Justin. Apol. 2. ad Antonin. Pium.*
(s) *S. Jo. Chrysost. ho. 7. in Matth.*

pauperumque nunquam deesse poterat turba: domus universas, hospitia cuncta assiduè penè replebat; suscipiebantur alacritèr omnes (a). Hæc quoad praxim diversarum ætatum, ab ipsis Ecclesiæ initiis deductam, per præsens Christi secundum Seculum propagatam, & subsequentibus temporibus liberalitèr observatam. Audiamus quid de jure. Canones, in distributione bonorum Ecclesiæ, partem assignari mandant, *pauperibus, & peregrinis fideliter erogandam* (b), vel *erogationi peregrinorum, & pauperum* profuturam (c), vel *peregrinis aut quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo religionis intuitu* conferendam (d). Idem dicendum est de pauperibus *in mari naufragantibus*, aut alio infortunio afflictis, cum quibus adeo misericors erat D. Epiphanius, ut in ejus vitâ scribatur, *cum largus esset in pauperes, & in eos, qui naufragiis, vel aliis infortuniis afflicti erant &c.* (e).

(a) *Bibl. Clun. f. 556. 1308.*
(b) *Cap. concesso 26. caus. 12. qu. 2.*
(c) *Cap. de reditibus 28. caus. 12. q. 2.*
(d) *Concil. Tolet. 4. an. 633. c. 37.*
(e) *Socrat. l. 2. c. 26.*

15. Igitur si bona ecclesiastica, eorumque reditus, & proventus, ad sublevandos pauperes deputati, licitè possunt subveniendis cunctis indigentibus, ubicumque consistentibus, applicari: pauperibus aliarum Ecclesiarum adjuvandis: captivis alienigenarum gentium redimendis: peregrinis aliorsum confluentibus hospitandis: naufragis aliundè venientibus refovendis, quæ omnes sunt variæ formæ, per quas admittuntur pauperes extranei ad participandum de illâ specie rerum Ecclesiæ, quæ sunt subveniendis pauperibus peculiaritèr destinatæ; eccur quæsò etiam extranei Clerici participare non poterunt, de aliâ parte rerum Ecclesiæ, quæ sunt specialitèr deputatæ pro stipendiis Clericorum, nempè de ecclesiasticis beneficiis? Tàm sunt bona ecclesiastica, quæ, ut suprà, *pauperum* usibus sunt addicta; quam quæ sunt *Clericorum* alimoniæ destinata: tàm sunt extranei pauperes, quàm sunt Clerici: tàm sunt beneficiarii Ecclesiæ pauperes, qui subventionibus ecclesiasticis perfruuntur; quàm Clerici, qui beneficia possidenda percipiunt: igitur debet esse utrobique par ratio: intèr utrosque debet æqua esse conditio: & debet patère accessus *Clericis extraneis* ad bona, quæ per Ecclesiam Clericis beneficii titulo distribuuntur, sicut *pauperibus extraneis* patet accessus ad bona, quæ Ecclesia pauperibus erogat titulo subventionis: hæc enim quoque est quædam species tituli beneficialis, de quo Thomassinus, *verè pauperes inscribendi sunt albo beneficiariorum, ab Ecclesiâ alendorum* (f).

16. Uno verbo si *Clerici extranei* repellendi sunt ab ecclesiasticis beneficiis, necesse est, ut etiam *pauperes extranei* repellantur à subventionibus ecclesiasticis, quia pari passu procedunt fruitio rerum Ecclesiæ, titulo beneficii; & earundem fruitio, titulo subventionis: diverso quidem modo, (quia beneficia dantur in titulum perpetuum Clericis; subventiones verò, & eleemosynæ de rebus Ecclesiæ porriguntur ammovibiliter, & ad nutum distributoris earundem) sed uniformi ratione, ac principio, quia tam sunt bona Ecclesiæ, ac patrimonium Christi, hæc, quam illa: eo solo discrimine, quod una pars istarum rerum ad usum pauperum deputatur, alia verò usui addicitur Clericorum, sed quoad substantiam, una, & eadem utrobique earumdem rerum est ratio. Ast exclusio pauperum extraneorum à subventionibus ecclesiasticis injusta est, & valdè damnosa, tùm ipsis pauperibus, tùm bono publico, & etiam auctoritati, quam habent Clerici, vel laici administratores, & respectivè protectores, vel contrectatores bonorum Hospitalium, Confraternitatum, scholarum, locorumque piorum, quæ sunt ad usus pauperum destinata; ergò eodem modo exclusio quoque Clericorum extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis erit injusta, ac damnosa, tùm ipsis Clericis, tùm bono publico, & etiam auctoritati Clericorum, & Laicorum, ad quos spectat beneficia ipsa conferre, vel respectivè, ad ea nominare, quæ Clericorum usibus sunt addicta. Hæc quoque opportunè dicta sint occasione verborum D. Dionysii Corinthii, quibus tàm Romanam, quàm Corinthiam laudat Ecclesias, eo quod pauperibus extraneis subsidia prompta conferrent, & ultrò etiam transmitterent.

(f) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. l. 3. c. 26. n. 19.*

17. Septimius Florens *Tertullianus*, Natione Afer, Patriâ Carthaginensis, professione primò Causidicus, ac demùm Presbyter; vir acris, & vehementis ingenii,

dictus à S. Hieronymo (*a*), ac sine dubio humanis pariter, atque divinis uberrimè imbutus disciplinis: quem tantâ existimatione prosecutus est S. Cyprianus, ut nullâ die ab illius lectione vacaret, ac Ministro suo crebrò diceret, *Dà Magistrum*: *Tertullianum videlicèt significans* (*b*). Floruit circa annum Christi 195: inciditque in ea tempora, quando Christiani sub severo Principe, quà tormentis, quà calumniis, acerbissime vexebantur: ideoque pro illis Apologeticum scripsit, ad eorum mores, & opera contuenda. Hoc subsidio utebantur sæpe sępius Christiani, persecutionibus infidelium Cæsarum fatigati, quibus etsi possent vi, & armis occurrere (in immensum quippe numerum jam excreverant) malebant tamen soliùs modestię, ac patientię significationibus obviare. Libellis ergò Apologeticis, Imperatori oblatis, vel ad alios directis, rem suam prosequebantur, & integritatis animi, quâ vivebant, rationem publicam Christianâ libertate reddebant.

18. Ità Quadratus Apostolorum discipulus, ac deinde Episcopus Atheniensis, Apologiam Hadriano Cæsari exibuit (*c*), cujus exemplum sectati Aristides Philosophus, paritèr Atheniensis (*d*), necnon & Serenus Gannius (*e*), eadem de causâ, ipsi Principi sua scripta, doctrinâ, & ęquitate plena miserunt. Justinus quoque Philosophus, & Martyr Apologiam pro Christianę fidei, & Christianorum probitate Antonino Pio Principi inscripsit (*f*): ac successivè alteram Imperatoribus Antonini successoribus, Romanæque urbis Senatui replicavit (*g*). Melito itidem Episcopus Sardensis Apologiam edidit, religioni nostrę faventem, quam Imperatori Marco Aurelio destinavit (*h*), eo tempore, quo & Apollinaris, Hierapolis Antistes, in Christianæ fidei defensionem, non tam adversus Ethnicos, quam adversus alios Infideles, volumen utillimum compilavit (*i*). In prędidium demùm evangelicæ legis, ejusdemque sequacium, Apologias disertissimas edidère, Apollonius Martyr (*l*): Lucianus & ipse Martyr (*m*): Athenagoras Philosophus (*n*): Theophilus Episcopus Antiochenus (*o*): Apollinaris Hierosolimitanus (*p*): Cyprianus Cartaginensis (*q*): Origenes (*r*): Minutius Felix (*s*), & alii, quos inter nulli fuit secundus Florens *Tertullianus*, de quo tractamus.

19. Igitur hic Auctor, in suo Apologetico adversus gentes, de Christianorum fraternitate, inter cętera, hęc habet, *quod fratres nos vocamus, non alias opinor infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum est. Fratres autem vestri sumus jure naturę, matris unius, & si vos parum homines, quia mali fratres. At quantò dignius fratres, dicuntur, & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantię ejusdem ad unam lucem expiraverunt veritatis? Itaquè quia animo, animâque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, pręter uxores* (*t*). Docet hic Tertullianus, fidelibus sui temporis, fide, ânimoque commixtis, res fuisse sinè diversitate communes: quibus debuisse pariter esse communia bona ecclesiastica, quę sunt res Christianorum, res Sacræ, res, Ecclesię deservientibus, destinatę, clarum est. Sicque aptando disciplinam nostris temporibus observandam ei, quàm de suâ ętate memorat Tertullianus, dicere oportebit, quod sive Clerici sint ex unâ, sive ex aliâ urbe progeniti; quo ad officia ecclesiastica exercenda, & ecclesiastica bona participanda, dummodò Clerici sint, omnes ubilibet eandem habent rationem indigenę, nec ullus ubilibet est pro extraneo reputandus.

20. Reminiscimur hic verborum Apostoli ad Romanos scribentis; *Non est distinctio Judęi, & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum* (*u*): ex quibus cum scripturaliter comprobetur, quòd cuncti Christifideles in eadem Christi religione consentientes, proscriptâ omni *varietate*, *tàm nationum, quàm complexionum* (*x*), Fratres in Christo sunt, & debent se prò fratribus reputare; liquet, quod quantum ad res sacras, & ecclesiasticas, nullum inter Christianos datur discrimen indigenæ, vel extranei, *etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, &*

omnes

(a) *S. Hier. de script. Eccl. in Tertul. c. 53.*
(b) *S. Hier. loc. cit.*
(c) *Euseb. in Chro. ad an. 128. & in hist. l. 4. c. 3. S. Hier. de script. Eccl. in Quadrato.*
(d) *Euseb. ubi sup. in Chron. & S. Hier. de script. Eccles.*
(e) *Luc. Dext. in Chr. an. 110.*
(f) *S. Justin. orat. ad Antonin.*
(g) *Ist. Orat. ad Sen. Rom Eus. l. 4. c. 15.*
(h) *Eus. in Chron. ad an. 172. & in hist. l. 4. c. 25.*
(i) *Eus. hist. l. 4. c. 26.*
(l) *Eus. hist. l. 5. c. 20.*
(m) *Card. Baron. an. 311. n. 4.*
(n) *Athenag. orat. pro Christian.*
(o) *Theophil. ad Anton. l. 3.*
(p) *Lucius Dexter in Chron. an. 174.*
(q) *S. Cypr. advers. Demetrian.*
(r) *Orig. contr. Celsum lib. 7.*
(s) *Minut. Felix in Octavio.*
(t) *Tert. in Apolog. c. 36.*
(u) *Rom. 10. 12.*
(x) *Corn. à Lap. 12. 1. Colos. 3. 1. § 3.*

omnes in uno Spiritu potati sumus (a). Differentias autem illas Itali, & Galli: Siculi, & Hispani: ex Polonia, vel ex Germania progeniti &c. fecit hominum politica ratio, quas ideo in politicis quidem habere locum præstat, quia in his diversa est ratio nationum, & diversæ regulæ sunt, quibus vivunt: sed quoad Clerum, & Clericos, & quoad res Ecclesiasticas, & Ecclesiam, nullatenùs attendi debent, quia una, & eadem apud omnes est Ecclesia, *nec altera Romanæ Urbis Ecclesia*, inquit S. Hieronymus, *altera totius orbis existimanda est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis* (b). Cùm igitur omnes Clerici, cujuscumque regionis sint, unum componant corpus Ecclesiasticum; æqualitèr quoque debent ubique jurium Cleri esse participes: æquè ubique prò indigenis haberi: & sic nullibi debent Clerici à Beneficiis Ecclesiasticis, ratione extraneitatis præcisè repelli, sed ad illa sunt admittendi, crebriùs, vel rariùs, prout locorum temporum, ac personarum, attentâ ratione, Collatores, vel Nominatores existimant expedire.

(a) 1. Corinth 12. 13.

(b) S. Hieron. ep. 85. ad Evagrium.

21. Idem Tertullianus, referens methodum, quæ in administratione bonorum ecclesiasticorum, suo tempore observabatur, ait: *præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei constat &c. Modicam unusquisque stipem menstruâ die, vel cum velit, & si modò possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam indè non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris, ac puellis, rè, ac parentibus destitutis, ætateque domitis Senibus: item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ fiunt* (c). Si de bonis Ecclesiæ fiebant piæ erogationes, quæ & ultrò transmittebantur etiam naufragis, & ad metalla damnatis, & ad pœnam longè in insulas deportatis; certè hujusmodi subsidia præbebantur viris, vel ortu, vel incolatu extraneis, sed ejusdem fidei communione, & Christianæ fraternitatis titulo indigenis: ergò ad participationem bonorum ecclesiasticorum, non ratio nationis, sed ratio fidei attenditur: quià quos natio facit secundum carnem extraneos; fides reddit, quoad res ecclesiasticas, connativos. Ex hisque duo deducuntur. Primum, quod si bona ecclesiastica distribuenda sunt secundum eorum naturam; extranei sunt illorum capaces, quia per hoc Sæculum Christi secundum, & per omnia Ecclesiæ tempora, cum sint data tum extraneis, tum indigenis, necessariò consequitur, quod de naturâ suâ, possunt viris quoque extraneis dispensari. Secundum est, quod si bona ecclesiastica sunt præbenda iis, quibus ab exordio Ecclesiæ concedebantur: cum ab exordio Ecclesiæ, & per secundum hoc Sęculum, teste Tertulliano, concederentur etiam extraneis; oportet inferre, quod nunc quoque extraneis possint dari, sivè uti manuales erogationes, juxtà formam eorum temporum: sivè uti beneficia, ad vitam perfruenda, juxtà morem posteriorem, quo nunc vivitur in Ecclesiâ.

(c) Tertul. in Apolog. cap. 39. n. 2.

22. Notabile est, nec sine mysterio, id, quod in præfatis verbis innuit Tertullianus, nempè quod piæ erogationes rerum Ecclesiæ suppeditabantur solis Fidelibus, non Infidelibus, nisi aliud naturæ necessitas postularet, quandoquidem in sententiâ D. Leonis, *pietatis opera ergà illos quoque exercenda, qui nondum Evangelium receperunt; quia in omnibus hominibus naturæ est diligenda communio* (d): in Infideli etenim egeno, uti piè pariter, & acutè advertit S. Augustinus, duo occurrunt, *homo, & peccator: quod homo, opus Dei est: quod peccator, opus hominis est. Da operi Dei, noli operi hominis, hoc est peccatori placenti tibi propter peccatum* (e). Hinc de S. Basilio narrat frater ejus Gregorius Nyssenus, urgente fame, per venditionem prædiorum, etiam Judæis indigentibus succurrisse (f), & Socrates refert, S. Acacium Episcopum Amidensem (ut innuimus) ex bonis Ecclesiæ suæ tantundem septem mille Persis captivis contulisse, quantum eis opus fuit, pro li-

(d) S. Leo ser. 3. de Quadrages.

(e) S. Augustin. in Psalm. 101.

(f) S. Greg. Nyssen. orat. in funer. Basilii.

(a) *Socrat.l.7.c.21.* libertate integralitèr consequendâ (*a*). At præscindendo à casu meræ necessitatis;
cur inquam, ex ecclesiasticis bonis, Ecclesia suas erogationes Tertulliani tempo-
re, solis fidelibus largiebatur, non verò Ethnicis, & Paganis?
23. Profectò hoc non ex aliâ causâ fuit, nisi quià fideles omnes sunt fratres:
nedum secundum naturam humanam, sed etiam secundum gratiam: Fratres chari-
tate, fratres spiritu, fratres in Christo. Infideles verò extranei reputantur, &
non fratres, nisi secundùm naturam humanam, quibus pias largitiones erogando,
& si merces à Deo habeatur; major tamen merces danti fidelibus retribuitur:
undè S. Joannes Chrysostomus, *qui dat eleemosinam infideli, modicam quidem,*
tamen habet mercedem; Qui autem fideli, duplicem habet mercedem. Primùm,
quià creatura Dei est, deindè quià servus Dei est: qui autem infideli dat, unam
habet mercedem, quià creatura Dei est, sed voluntate adversùs Deum (*b*). Et
(b) *S.Joan.Chrysost. homil.22. oper.imperfect. Vid. infrà Sæc.5. cap.9.num.10.* eloquentissimè S. Leo, *quod vestris usibus religiosâ parcitate subtrahitis, in ali-*
moniam pauperum, & in cibos debilium transferatis: omnibus quidem indigenti-
bus generali benevolentiâ consulentes, sed maximè eorum memores, qui sunt de
membris Corporis Christi, & nobis Catholicæ fidei unitate copulantur. Plus
enim debemus nostris prò consortio gratiæ, quam alienis prò communione natu-
(c) *S.Leo serm.4.de Jejun.7. mensis.* *ræ* (*c*).
24. Duo nobis per hęc referantur, *primum*, quod ecclesiastica bona sunt
indistinctè cunctis fidelibus danda, ex quocumque loco duxerint ortum, quatenùs
omnes fideles sunt simùl fratres in Christo, simùl ejusdem Ecclesię filii, simùl
ejusdem sacri Corporis membra, & ex quâcumque orbis parte sint orti, sunt ha-
biles, & capaces erogationum Ecclesię. Si autem cuncti fideles, undecumque
progeniti, jus habent participandi de manualibus largitionibus Ecclesię, eo quod
univocentur in fide; multò magis cuncti Clerici, undecumque sint nati, jus ha-
bent participandi de rebus ipsius Ecclesiæ, quæ non in manualibus largitionibus,
sed in fruitione fundorum ad tempus consistunt, quatenus cuncti nedùm sunt simul
fratres naturâ, ratione humanitatis, & fratres gratiâ in Christo, ratione sacri Bap-
tisinatis; sed etiam sunt simul fratres ministerio, velut Christi ministri, ratione
Ordinis Clericalis: Sicque quoad participationem bonorum ecclesiasticorum, non
datur respectu ad Clericos diversitas intèr indigenas, & extraneos. *Secundum*, quod
nobis innotescit, est, quod bona Ecclesiæ, Clericali ordini destinata, nedùm
nativis Clericis, sed etiam sunt alienigenis impertienda, interveniente justâ causâ:
sicut & justâ causâ concurrente, eleemosynæ, non solum fidelibus, sed etiam
infidelibus, sunt tradendæ: ergò, saltem concurrente justâ causâ, beneficia Ecclesia-
stica possunt licitè extraneis erogari. An autem hic & nunc, atque in casibus
practicis, hæc justa causa intercedat, vel non; ad dispensatores beneficiorum
spectat, non ad Laicos, neque ad plebem, prudentiâ suggerente, decernere.
Quarè toto rationis simul sumpto complexu, enitescit, quod juxtà Tertulliani do-
ctrinam, & secundi Sæculi disciplinam, libera est Ecclesia in admittendo, unâ
cum indigenis, Clericos etiam extraneos ad ecclesiastica beneficia.
25. Floruit hoc eodem Sæculo *S. Clemens Alexandrinus*, natione Gręcus, pa-
triâ Atheniensis (*d*), professione Philosophus, Panteni (Stoicæ sectæ Philosophi,
(d) *S. Epiph. adv. hæres.l.1. tom.2. hæres.32.* qui Alexandriæ scholam tenebat) discipulus, & successor, Alexandrinæ tandem
(e) *Petrus Amat. Appar. ad posit.Theolog. l.4. art.7.* Ecclesiæ Presbyter, atque in eâ Neophytorum instructor, & Catechistes (*e*): Vir
apprimè doctus, & eruditi Origenis magister, quem Alexander Hierosolymorum
Episcopus, ad Antiochenos scribens, hiscè laudibus, apud Divum Hieronymum,
celebravit: *Hæc vobis Domini, ac fratres scripta transmisi per Clementem, bea-*
tum præsbyterum, virum illustrem, & probatum, quem vos quoque scitis, &
nunc pleniùs recognoscetis, qui cum huc venisset juxtà providentiam, & visitatio-
(f) *S. Hieronym. de Script. Eccles. in Clem. Alex.* *nem Dei, confirmavit, & auxit Domini Ecclesiam* (*f*). Hic memoratam Chri-
stianorum fraternitatem hiscè verbis commendat; *fratres sunt, qui revera per*
electam creationem, & morum consensionem, & operum substantiam: eadem faciunt,
&

& cogitant, & loquuntur opera sancta, & honesta, quae Dominus voluit ipsos, cum sint electi sentire (a). Et alibi dicit, quod omnes, qui ad Ecclesiam sunt admissi, sivè ex Græcorum, sivè ex Judæorum gente, sivè aliundè progeniti, omnes idem Ecclesiæ corpus componunt (b), quia omnes de uno spiritu bibunt (c).

26. Cum itaque intèr omnes Christifideles, quantumvis ortu distantissimos, per religionem tamen perfecta sit unio, & stricta fraternitas, à Christi fide concreta; sicut nullus à consortio Ecclesiæ repellitur, ità nullus à participatione bonorum ipsius Ecclesiæ est reputandus extraneus: & quemadmodùm à reditibus ecclesiasticis, ad eleemosynam destinatis, nullus licitè repellitur Christianus, quantumvis extraneus, & in longævis partibus natus, ità & ab eisdem, ad alendos Clericos deputatis, nullus Clericali ordine insignitus, est rationabilitèr excludendus. Certè S. Clemens, de quo loquimur, in Græciâ natus, ac patriam sortitus Athenas, nihilominùs fuit Alexandriæ, ubi erat extraneus, sacro Presbyteratu insignitus, adeoque etiam presbyterali beneficio, sive stipendiis, quæ presbyteris de Ecclesiæ proventibus debebantur. Et ità hoc suo facto docuit, se licet extraneum, & Sacerdotium Alexandriæ recepisse, & stipendia Sacerdotalia sortitum esse, nullamque in ejus personâ consideratam fuisse distinctionem extranei, vel nativi: quippè, ut benè Theophilactus ait: *Si adeò disjunctos, tantoque intervallo distantes, spiritus nos conjunxit, atque univit; quantò magis postquam unum facti sumus, non debemus contristari, ceù discrimen quoddam sit inter nos* (d). Et dogmate ergò, & facto, docet Clemens Alexandrinus, nullam debere esse nationum diversitatem, quæ Clericos à participatione fructuum Ecclesiæ reddat extraneos.

27. Erat hoc tempore Christi fides in omnibus penè Orbis partibus dilatata, & eo usque amplificata, ut Tertulliano teste in Apologetico, Christiani regna, provincias, civitates, municipia, & castra replerent. Ubi autem tot aderant Christicolæ, non deerant profectò Clerici, ad beneficia ecclesiastica idonei: vel si deerant Clerici, non deficiebant viri fideles, qui poterant facillimè sacris ordinibus insigniri. Nihilominùs certum est, quod hoc eodem secundo Christi Sæculo se volvente, beneficia ecclesiastica, præsertim Episcopalia, indigenis mixtim cum extraneis concedebantur, nullâ originis, vel nationis diversitate prorsùs attentâ. Longum esset singularum Ecclesiarum, quæ in mundo sunt, elenchum retexere: longiùs Antistitum, qui in illis hoc secundo Sæculo floruerunt, catalogum perscrutari: aliquas proindè tantummodo recensebimus, ut ex eis, quid sentiendum sit de cæteris, judicetur.

28. In Hispaniâ, cum Christiana religio, ruente primo Christi Sçculo, esset uberrimè jam diffusa (e), secundo Sæculo decurrente, plura numerabantur Collegia, ad instituendos Clericos destinata (f), ex quibus tametsi eligi possent viri ad munia ecclesiastica promovendi: jamque abundaret tota illa Regio Clericis indigenis, capacibus infularum, tamen episcopale beneficium Ecclesiæ Toletanę Turibio viro Italo, & Romano, legitur obtigisse (g). In Lusitaniâ quoque, ubi fides ęquè, ac in Hispaniâ vigebat, Episcopali Braccarensi beneficio prçerat alter Civis Romanus, nomine Ovidius (h). Viceversâ in Italiâ, Christianis plenâ, in quâ fides catholica, quo magis Tyrannorum persecutionibus premebatur, eo amplius invalescebat; Ravennatis Ecclesiæ Antistes fuit Probus Hispanus (i). Apud Siculos introducta fides Christiana per Philippum Agyrensem D. Petri Discipulum (l), citò cunctam illam insulam occupavit: ibi tameu Clericis indigenis postpositis, extranei prælecti sunt ad Ecclesiastica beneficia, & intrà hoc Sæculum Syracusana Ecclesia Præsium Græcum sibi gavisa est præfuisse (m). In Regno Neapolis, Cataldus Hibernus Tarentinam (n), & Donatus frater ejusdem Cataldi Lyciensem sunt Ecclesias moderati (o). Leucius Alexandrinus Brundusinæ (p). Salomon Romanus Atinensi (q), alii aliis Ecclesiis præfuère, tametsi origine extranei.

(a) *Clem. Alexan. strom. l. 7.*
(b) *1. Corinth. 12. 12*
(c) *Clem. Alex. lib. Pedagog. c. 6.*
(d) *Theophylact apud Bened. Justinian. in 1. Corinth. 12. 12.*
(e) *Lucius Dexter in Chron. an. 100.*
(f) *Idem ubi supra an. 185.*
(g) *Vid. Ser. Archiep Tolet & Luc. Dext. in Chron. an. 185 f. 257.*
(h) *Vid. Ser. Archiep Braccarens. & Luciū Dexter. loc. cit. an. 110*
(i) *Luc. Dexter in Chron. an. 100 f. 198. & 204.*
(l) *Rocc. Pirr. Sicil. Sacr. tom. 1. in notit. 1. Eccl. Panorm. in princ*
(m) *Rocc. Pir. loc. cit. to. 2. notit. 2. n. 8.*
(n) *Ferdinan. Ughel. Ital. Sacr. to. 9. in Archiep. Tarent. n. 2.*
(o) *Idem in Episc. Lycien. f. 94.*
(p) *Idem in Archiep. Brundus. f. 9.*
(q) *Idem tom. 6. in Episc. Atinens. f. 535.*

29. In

19. In Gallia. Sed quid hùc illùc, atque hinc indè viros extraneos, beneficiis Episcopalibus decoratos, per Ecclesias inquirimus, quando Summi Pontificatus apicem, in Romanâ Ecclesiâ, Clero, & Clericis indigenis abundante, intra præsens Sæculum, sunt adepti, & Thelesphorus, & Hyginus, & Eleutherius Græci (*a*), & Victor Afer (*b*), & Anicetus Syrus (*c*), & Pius Aquilejensis (*d*), & Evaristus Bethlehemites (*e*), & alii aliundè à Româ progeniti? Si primarium inter Hierarchiæ ecclesiasticæ beneficia, quale est Romanus Pontificatus (*f*): Si principalia ex beneficiis Episcopalibus, quæ in Italiâ sunt, in Sicilia, in Lusitania, in Regno Neapolis, in Hispania &c., licitum erat Clericis extraneis adipisci; numquid non licuisset assequi minutiora? Numquid non verum est, quod secundo Christi Sæculo decurrente, Ecclesia totali, & integrâ libertate potiebatur, admittendi ad ecclesiastica beneficia tàm Clericos extraneos, quàm indigenas? Et si Ecclesia tunc totâ illâ, superius indicatâ, libertate perfruebatur; eccur nunc etiam non eâdem gaudere debet? Quid ab eo tempore, quid peccavit, ut nunc æquali ac tunc, non mereatur libertate potiri?

(a) *Anastas. Bibl. Luitprand. Platin. & alii in Telesph. Hygin. & Eleut.*

(b) *Ciacon. Vit. Pontif. in Victor. Baron. an. 194 n. 1.*

(c) *Anastas. Luitprand Ciacon. &c. in Anicet.*

(d) *Card. Baron. an. 158. Platin. & alii in Pio I.*

(e) *Vid. in serie Pontific.*

(f) *Barbos. Jur. Eccles. Univ. l. 3. cap. 4. n. 47. cum aliis, ibi.*

SÆ.

SÆCULUM CHRISTI III.

CAPUT IV.

In quo ex dictis, & factis multorum Patrum, doctrinâ, & respectivè sanctitate, celebrium, ac præsertim SS. Hippolyti *Portuensis*, Gregorii *Thaumaturgi*, Alexandri *Cappadocis*, Cypriani *Carthaginensis*, *atque* Origenis, *& aliorum probatur, quod Ecclesia, per totum ejusdem Christi* Sæculum tertium, *integrâ libertate posita est, conferendi Ecclesiastica beneficia non modo Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.*

SUMMARIUM.

1 S.Hippolytus Martyr, *natione Arabs, vel Græcus, & Episcopus in Arabiâ, Episcopali posteà beneficio Portuensi potitus est.*

2 S.Gregorii Thaumaturgi *laudes referuntur. Fratrem habuit Athenodorum, fueruntque ambo Episcopi diversarum Ecclesiarum.*

3 *Discordes Comani in Præsulis electione compromiserunt in ipsum S.Gregorium, qui non aliquem civem, sed Alexandrum Carbonarium elegit.*

4 S.Alexandrum Cappadocem *Clerici Hierusalem, ac Episcopi Palestinæ Hierosolymorum Antistitem deputarunt, tametsì extraneum.*

5 *Claruerunt Tertio Christi Sæculo* Eusebius, *&* Anatolius *Alexandrini, qui successivè Laodicenæ præfuerunt Ecclesiæ, quamvis extranei.*

6 *Quâ paritèr ætate floruerunt S. Methodius Tyriensis, S. Lucianus Nicomediensis, S. Parthenius Lampsacenus, & alii, qui diversis in locis, à quibus erant extranei, beneficia possederunt.*

7 *Isti tam Sancti, & docti viri beneficia extra patriam non suscepissent, si notum eis fuisset, juribus divino, naturali, & humano inhiberi, ne beneficia extraneis conferantur.*

8 Origenes *quis, & quantus vir fuerit: quosque habuerit adversarios, & quos fautores. Ejus doctrina, ubi errore caret, honoranda est.*

9 *De hospitalitate exercendâ, & peregrinis adjuvandis, multa profert Origenes. Ab Eleemosynâ ad beneficia ipsi Contradictores argumentum ducunt.*

10 *Enumerans Origenes qualitates requisitas in promovendo ad Sacerdotium, non nominat indigenatum: quem tamen non omisisset, si de jure divino, & naturali exigeretur, in sensu Contradictorum.*

11 *Ipse*

11 *Ipse Origenes Alexandrinus, dum per Palæstinam transiret, ab Episcopis Hierosolymitano, & Cæsariensi, Presbyteratu ordinatus est, carens literis dimissorialibus, etsi haberet commendatitias.*

12 *Demetrius Alexandrinus hac rè auditâ Origenem excommunicavit. Se anteà Origenes, castitatis colendæ studio, eunuchum fecerat.*

13 *Eviratio non est irregularitas juris divini, & naturalis in lege novâ, sed Canonici. Demetrius in culpam vocavit Origenem ob solam evirationem, non verò propter extraneitatem.*

14 *Demetrius Alexandrinus nullam agnovit culpam in extraneitate, ob quam Origenes ordinari non posset. Varii Præsules fuerunt eunuchi.*

15 *Laicus erat Origenes, quando Presbyter factus est, nec ulli Ecclesiæ fuit affixus. Obiit Tyri. Ejus promotionem omnes laudabant. Demetrius illam carpebat, & culpam etiam in Ordinatores refundebat.*

16 *In hoc Origenis facto septem Patres Ecclesiæ sententiæ nostræ favent, quod extraneitas à beneficiis Ecclesiasticis non repellat.*

17 S. Cyprianus *quis, & qualis fuerit. Consulit Eucratio Episcopo, nè permittat histrionem artem mimicam edocere; sed ei subsidia præbeat inter cæteros dè proventibus Ecclesiæ viventes.*

18 *Quod si Ecclesiæ Eucratii facultates deessent, monet S. Cyprianus, ut histrio ille Carthaginem mitteretur, ubi ab Ecclesiâ sportulas obtinuisset.*

19 *Alibi S. Cyprianus Clero suo scribit, ut de reditibus Ecclesiæ abundè peregrinis subsidia conferri satagerent. Nec histrioni, neque peregrinis præfatis de superfluis fuit collatum.*

20 *Superfluitas redituum vel non, vel vix in ulla Ecclesiâ dari potuit. Verba D. Jo: Chrysostomi de ipsis reditibus referuntur.*

21 *Quatuor viri, à Romanâ Ecclesiâ toto Cælo extranei, hoc sæculo Christi tertio. Summum Pontificatum adepti sunt. Ex his Anterus Calaber.*

22 *Decretum Anteri Papæ, de translationibus Episcoporum ab unâ ad aliam Ecclesiam, editum refertur, ad consultationem Antistitum Hispaniæ.*

23 *Sequitur textus ejusdem Decreti, admittentis translationem Præsulis de una ad aliam Ecclesiam, si adsit necessitas, vel utilitas.*

24 *Contenta in hac epistolâ Anteri certa sunt. Episcopi sic translati, vel à primâ Ecclesiâ, vel à secundâ extranei sunt.*

25 *Anteri decretum, à Cælestino PP. I. fuit confirmatum, occasione transferendi Proclum Cizicenum ad Ecclesiam Constantinopolitanam.*

26 *Proclus fuerat discipulus S. Joannis Chrysostomi, Cizicenis datus in Præsulem, qui eundem recusarunt accipere.*

27 *Plura Concilia transitiones Antistitum de unâ ad aliam Ecclesiam vetuerunt. Factæ tamen justâ de causâ, & cum legitimâ auctoritate, permissæ sunt.*

28 *Probat Socrates, licitas esse translationes Antistitum de unâ ad aliam Ecclesiam, justâ de causâ, & legitima auctoritate factas.*

29 *Recensentur plures Episcopi, de uno ad aliud beneficium Episcopale translati ante tempora Cælestini. Episcopi translati vel à primâ, vel à secunda sede, sunt extranei.*

30 *Multorum nomina recensentur, qui in Oriente, & Occidente, translati fuerunt de uno ad alium Episcopatum.*

31 *Ex Pelagiò Papa II. & Hincmaro Remensi alterutrâ ex his causis concurrente, necessitatis, vel utilitatis, licita est Antistitum translatio.*

32 *Si dicatur quod causa utilitatis, vel necessitatis justificet translationem Antistitum; etiam causa necessitatis, vel utilitatis justificat collationem beneficiorum extraneis.*

PRO-

1. PROSEQUIMUR arreptum iter, & jam tertium Christi sæculum introgredimur, ubi lauta nobis datur seligere documenta, & exempla, quæ validè probant libertatem Ecclesiæ, in conferendis sacris præbendis, tum Clericis extraneis, tum indigenis. Et in primis occurrit nobis *S. Hippolytus* Martyr (quem natione Arabem fuisse censet Ughellius (*a*), Clementis Alexandrini discipulus,& ejusdem etiam Clementis hortatu Romam profectus, ubi à Callisto Papa I. Episcopatum Portuensem obtinuit (*b*). Claruit autem anno Christi 220. (*c*). Hic, Trithemio teste, vir fuit, in divinis scripturis valdè studiosus, & eruditus (*d*), multaque scripsit, ac penè incredibilia volumina Græco idiomate (*e*), ac tàm propter sanctitatem, inter Divos (*f*), quàm propter doctrinam inter Scriptores ecclesiasticos numeratur (*g*). Eum fuisse Metropolitanum Arabiæ testatur Gelasius Papa I. (*h*), nimirum antequàm venerit in Italiam (*i*). Successivèque fuisse Episcopum Portuensem tradunt Nicephorus (*l*), Zonaras, & alii permulti (*m*). An verè fuerit Arabs, vel ex aliâ regione ortus, nobis est totalitèr incompertum: nec mirum! nam etiam D. Hieronymus, nedùm cujàs esset, sed etiam cujus Ecclesię esset Pontifex, ignoravit (*n*). Fortè, cum tot, ac tanta volumina Gręco sermone conscripserit, potuit esse origine Gręcus. Veruntamèn utcumque res se habeat, fueritque vel Gręcus, vel Arabs, certè, quia ab initio in Arabiâ Episcopalem sedem obtinuit, & posteà in Italiâ Portuensem cathedram impetravit, proculdubio, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ, erat extraneus, & beneficium Episcopale obtinuit in loco, à quo nedùm erat extradiæcesanus, sed etiam extraprovincialis, & extranationalis, ac toto Cœlo remotus: Arabia etenim est pars Asiæ; Italia verò emicat in Europâ: quod si Arabibus in Italia, & Italis in Arabiâ, patens tunc fuit aditus ad Episcopalia beneficia; jam videt lector quam amplâ libertate potiretur Ecclesia præficiendi beneficiis nedum Clericos indigenas, verum etiam extraneos. Hac autem libertate nunquam Ecclesia decidit, nunquam eâ potuit denudari: adeoque illâ plenè adhuc potitur, quemadmodum tertio currente Christi Sæculo fruebatur.

2. *S. Gregorius* Ponticus, ob miraculorum multitudinem, & præstantiam, Thaumaturgus communitèr appellatus, à Trithemio vir doctus, & sanctus (*o*), à D. Basilio, magnus Gregorius nuncupatus (*p*), floruit anno Christi 233. (*q*). Qui usque à primâ ætate studio literarum addictus, in eisdem valdè profecit (*r*), fratremque habuit nomine *Athenodorum*, qui non secùs ac ipse, tum Episcopali eminuit dignitate, tum sanctorum fastis felicitèr est adscriptus (*s*). Porrò S. Gregorius fuit Episcopus Neocesareæ in Ponto (*t*). Sanctus autem Athenodorus, cujus Ecclesiæ Præsul fuerit, ignoratur (*u*). Tamen quià uterque non successivè, sed in ipso juventutis flore Episcopatum adeptus est (*x*), ex eisque Gregorius, primo Antiocheno Concilio interfuit, contrà Paulum Samosatenum, Gallieni tempore celebrato (*y*): Athenodorus verò, nedùm illi primo, sed etiam secundo ejusdem loci Concilio adfuit, ob eandem causam, sub Aureliano Principe, convocato (*z*); citrà dubium est, quod uterque uno, & eodem tempore beneficium Episcopale in duabus distinctis Urbibus tenuerunt: & sic vel tàm Gregorius, quàm Athenodorus (utpote fratres, & ejusdem loci indigenæ, ac naturales) vel saltem eorum alterutèr, præbendam Episcopalem obtinuit in Ecclesiâ, à quâ erat extraneus. S. Gregorius Nyssenus, qui ejus vitam scripsit, ejusdem patriam sub silentio præterivit: sed cum narret hæc: *à quibus natus sit, aut quamnam ab initio habitaverit Civitatem, ut quæ ad propositam narrationem nihil nobis conferant, prætermittemus* (*aa*); Satis indicat Gregorium non fuisse Neocæsariensem: non enim tacuisset Nyssenus Urbis nomen, tamquam patrię, quam subindè nominat ut Sedem Episcopalem, si eadem fuisset Thaumaturgo Urbs Episcopalis, & patria.

(a) *Ughel. in Episc. Portuen. n. 1. to. 1. Ital. Sacr.*

(b) *Card. Baronius an. 229. n. 4. & in notis ad Martyrolog. 22. Augusti.*

(c) *Bellarm. & Tritem. de Script. Eccles. in Hippolyto.*

(d) *Trithem. loc. cit.*

(e) *Sixt. Senens. Bibl. Sanct. l. 4. in Hippolyto.*

(f) *Martyrol. Rom. die 22. Aug. Usuard. Beda, Ado, eod. die.*

(g) *S. Hieron. Trithem. Bellar. de script. Eccles. in Hippolyto.*

(h) *Gelas. I. lib. 2. de Nat. in Christo contr. Eutych.*

(i) *Card. Baron. in not. ad Martyrol. 22. August.*

(l) *Nicephor. lib. 5. c. 15.*

(m) *Martyrolog. 22. August. Sixt. Senen. Bibl. San. l. 4. in Hypp. Baron. in Martyr. loc. cit. & an. 229. n. 4. 5.*

(n) *S. Hieronym. de Script. Eccl. c. 61.*

(o) *Trithem. de Scrip. Eccl. in Greg. Neocæsarien.*

(p) *S. Basil. in epist. ad Neocæsarien. 62. 63. 64.*

(q) *Card. Baron. an. 233 n. 6. & in not. ad Martyr. die 17. Nov. Bellarm. de Scriptur. Eccl. in Greg. Neoc.*

(r) *S. Hier. de Script. Eccl. cap. 65. Honor. Augustod. Trithem. eod. tit.*

(s) *Martyrol. Rom. die 18. Octobr. & 17. Novembr.*

(t) *S. Greg. Nyss. in vit. S. Greg. Thaum.*

(u) *Baron. an. 233. n. 5. & 6.*

(x) *Euseb. l. 6. c. 23. Baron. loc. cit.*

(y) *Euseb. hist. lib. 7. c. 22. Baron. in not. ad Martyr. die 12. Nov.*

(z) *Euseb. hist. lib. 7. c. 22. Baron. an. 266. n. 3. & 272. n. 1. 2.*

(aa) *S. Greg. Nyssen. in vit. S. Greg. Thaum. c. 2. in fin.*

3. Rursùs addens, quod Phędimus Amaseę Pręsul, illi latitanti, & per trium dierum itèr distanti, nè munus Episcopale amplecti cogeretur, *prò manu verbum imposuit; cum Deo consecrans, qui corpore non aderat, & ei illam civitatem attribuens, quam usque ad ea tempora contigerat teneri errore idolorum* (a), patefacit quod Thaumaturgo non est commissum regimen patriæ, sed alteriùs urbis, quam contigit ejus solertiâ pastorali indigere. Insupèr dum S. Gregorius Thaumaturgus in Neocæsariensi Cathedrâ residebat, accidit ut cives Comani pro deligendo sibi Episcopo disceptarent: qui cum tandem in ipsum Gregorium compromisissent, ille non aliquem ex incolis ejusdem urbis, sed virum rudem, & exoticum, qui tunc forte de Ponti montibus Comanam Urbem carbonem venditurus, accesserat, prælegit (b), fuitque insignis ille, ac celleberrimus *Alexander Carbonarius*, qui Comanam Ecclesiam optimè rexit, & sub Decio Imperatore, igne tortus, martyr occubuit, (c). Igitur hic summatim adsunt tres sancti viri, qui vel recipiendo Episcopatum, vel respectivè, Episcopum deligendo, factis propriis demonstrarunt, ecclesiasticas præbendas, ipsumque episcopale beneficium, ritè posse viris extraneis conferri; qui & iisdem propriis operibus ostenderunt, eam per idem tertium Christi Sæculum, inter fideles, viguisse sententiam, quod viri extranei, non secùs ac indigenæ, sacrorum essent beneficiorum, in quacumque orbis parte, capaces: quomodo enim arcerentur à beneficiis inferioribus viri extranei, si ad episcopalis beneficii fastigium licitè poterant pervenire?

(a) *Idem loc. cit. c. 6.*

(b) *Idem Greg. Nyssen. ubi supr. c. 12. ap. Surium die 17. Nov.*

(c) *Martyrol. Rom. 11. aug. Baron. an. 253 n. 138.*

4. *S. Alexander* Cappadox vir doctrinâ, & sanctitate conspicuus (d), floruit anno Christi 250. & sub Decio Imperatore martyrium feliciter consummavit (e). Hic cum esset episcopus Cappadociæ, & ut ait S. Hieronymus, *desiderio sanctorum locorum Hierosolymam pergeret, & Narcissus Episcopus ejusdem urbis jam senex regeret Ecclesiam, & Narcisso, & multis Clericis ejus revelatum est alterâ die manè intrare Episcopum, qui adjutor Sacerdotalis cathedræ esse deberet. Itaque re ità compertâ, ut prædicta fuerat, cunctis in Palestinâ Episcopis in unum congregatis, adnitente quoque ipso, vel maximè Narcisso, Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit* (f). Distat Cappadocia ab Hierosolymis infinito penè intervallo: quippe Cappadocia est Regio Asię minoris, Euxino Mari adjacens, inter Galatiam, & Armeniam posita, introrsus ad Austrum (g). Hierosolymitana verò Urbs, Metropolis est Judeæ, in Palestinâ existentis, regione Asiæ majoris (h), & tamen tàm Narcissus, quàm Alexander, ambo sanctorum fastis adscripti (i), necnon Clerici Hierosolymitani, & cum eis cuncti Episcopi Palęstinæ, in eo voto fuerunt, quod ipse Alexander, sinè culpâ, inibi posset beneficium episcopale consequi, ubi erat nedùm extradiæcesanus, sed etiaam extraprovincialis, & extranationalis: quo facto nos proculdubio suis vocibus, & quidem concordibus erudierunt, ritè, & rectè beneficiis ecclesiasticis posse præfici Clericos etiam extraneos, dummodo benemerentes, & dignos.

(d) *Trith de Script. Eccl. & Honor. Augustod. eod. tit. in Alex.*

(e) *Euseb. hist. l. 6. c. 7. 8. & 32. Niceph. l. 5. c. 9. & 10. Baron. an. 199. nu 9. & 205. n. 3. & 253. n. 124. & in not. ad Martyr. 18. Martii. Beda, Vsuardus, Ado, & Surius, eod die.*

(f) *S. Hier. de Scrip. Eccl. c. 62.*

(g) *Philip. Ferrar. Lexic. Geogr. V. Cappadocia.*

(h) *Idem verb. Hierusalem.*

(i) *Martyrol. die 18. Martii, & 29. Octob. ibiq. Card. Baron. in notis.*

5. Floruerunt hoc eodem tertio Christi Sæculo duo celeberrimi viri, patriâ Alexandrini, *Eusebius*, & *Anatolius*, qui successivè cathedram Episcopalem Laodicenam in Syriâ sunt adepti. De primo narrat Eusebius (l), quod à Dionysio Episcopo suo Antiochiam missus ad primam Synodum, adversus Paulum Samosatenum celebratam, adeò egregiè prò fidei Catholicæ tuendâ puritate se gessit, ut redire in patriam non sit permissus, ideòque Laodicenâ Ecclesiâ, tunc per mortem Socratis viduatâ, donatus est (m). *Anatolius* verò, à Theotecno Cęsareæ Palęstinæ Episcopo in Antistitem ordinatus, ut sibi in Episcopatu succederet, per aliquod tempus Coepiscopus ibi sedit. Verum ad secundum Antiochiæ Concilium properans, ob eandem Samosateni causam convocatum, cum Laodicenam urbem advenisset, eidem Ecclesiæ, quæ ob mortem Eusebii fortuitò tunc vacabat, Laodicenis poscentibus, est præfectus (n). Anatolii doctrinam celebrant S. Hieronymus, aliique de Scriptoribus ecclesiasticis tractantes (o). Ejusdem sanctitatem testantur ecclesiastica monumenta (p). Itaque tamersi Alexandria urbs sit præcipua

(l) *Euseb. Cæsar. hist. l. 7. c. ult.*

(m) *Vid. de eo Card. Baron. an. 263. 12. & 283. 10.*

(n) *Euseb. Cæsar. hist. l. 7. c. 26. Surius vit. S. Anatolii die 3. Julii.*

(o) *S. Hier. Honor. Augustod. & Trith. de Scriptor. Eccles. in Anatolio.*

(p) *Surius loc. cit. Martyr. Roman. Ado, Vsuard. 3. Julii. Niceph. l. 6. c. 36.*

pua Ægypti, regionis Africæ: Cæsarea verò, atque Laodicea, urbes sint Syriæ, regionis Asiæ; nihil obstitit, quin Patres Concilii primi Antiocheni (quos ferè infinitos fuisse referunt historiæ (a), necnon Theotecnus Primas Palęstinæ, totusque Clerus, & populus Laodicenus, dignum, & justum esse, censuerint, quod Eusebius, & Anatolius, in Cæsariensi, & Laodicenâ Ecclesiis, respectivè beneficium episcopale consequi mererentur: undè nobis documentum validissimum exhibetur, quod communis Ecclesiæ sensus hoc eodem tertio Christi Sæculo fuit, ritè, ac rectè posse sacras præbendas, & ipsa beneficia episcopalia tùm Clericis extraneis, tùm indigenis dispensari, multò magis verò beneficia ordinis inferioris, vel quidquid erat tunc, cui nunc succedant ipsamet beneficia.

6. *S. Methodius*, Olympi priùs in Lyciâ, mox Tyri in Phæniciâ Episcopus, claruit anno Christi 255. (b), & nedùm inter Scriptores ecclesiasticos (c), sed etiam inter sanctos, in Ecclesiâ clarissimos, numeratur (d). Pariter *S. Lucianus*, priùs Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, ac deindè Nicomediæ Episcopus, floruit anno Christi 280 (e), & ipse quoque, tàm Scriptorum ecclesiasticorum (f), quàm sanctorum catalogo adscriptus est (g). Hi autem in binis, ac dissitissimis Ecclesiis stipendia presbyteralia, & respectivè episcopalia, promerentes, procuIdubio ecclesiastica beneficia consecuti sunt in locis, à quorum alterutro, & extranei erant, & extradiæcesani, & extraprovinciales, quinimò, & extranationales. Quibus Beatis viris addi posset *S. Parthenius*, filius Diaconi Melitensis in Armeniâ, atque ejusdem Ecclesię Presbyter, qui deindè factus est episcopus Lampsacenus in Mysiâ, ruenteque hoc Sæculo vixit (h). Addi posset quoque *S. Pierius* Presbyter Alexandrinus, qui per hæc ipsa tempora vixit, & post persecutionem Diocletiani in Romanam Ecclesiam se recepit (i), ubi & S. Laurentius Hispanus, intra hoc Sæculum, cum Levitali officio Diaconale quoque assecutus est beneficium.

7. Addi demùm possent & alii, qui per hoc idem spatium temporis effulserunt, in sortem Domini vocati, & Deo in Ecclesiis, à quibus erant extranei famulantes: Sed eorum, quos hucusque recensuimus, series sit sufficiens: non enim dubium est, quin isti, tàm sancti, & tàm sapientes Viri, cunctos suis operibus edocuerint, ritè, ac rectè posse fieri, quod fecerunt: quandoquidem non est credibile, quod ipsi sacras præbendas in locis, à quibus erant extranei suscepissent, si notum illis fuisset, divino, ac naturali jure, atquè canonicis constitutionibus interdici, nè beneficia ecclesiastica Clericis extraneis conferrentur, prout ex opposito jactitatur. Quinimò cum hucusque ostensum sit, quod & primo, & secundo, & tertio Christi Sęculo, solitum fuit beneficia ipsa, nedùm Clericis indigenis, sed etiam extraneis impertiri: argumentumque ab eo, quod solitum est fieri, postulatum, sit in jure, & apud Doctores, validum, atque potens (l); nihil aliud ex hucusque propositis inferri potest, nisi, quod libera, est Ecclesia, in admittendo etiam Clericos extraneos, nedùm indigenas, ad ecclesiastica beneficia. Sed ad alia properemus.

8. *Origenes* Adamantius, natione Ægyptius, patriâ Alexandrinus, professione Grammaticus, & Philosophus, ac tandem dignitate Præsbyter, omniumque scientiarum peritissimus (m), atque zelo fidei Christianæ nulli secundus: prò quâ etiam tormenta immodica passus est (n), quamquam in ipso Martyrii articulo defecerit, Idolis thus adhibens, ne fœdum stuprum, sibi ab Æthiope inferendum, nisi sacrificaret, miserabilitèr sustineret (o), floruit anno Christi 226. De illius salute anceps est judicium, connumerantibus aliis eundem inter Catholicos, aliis inter Hæreticos, ob errores, qui in ejus scriptis ebulliunt: an à se prolatos, an verò Hęreticorum operâ suis scriptis inspersos, ignotum est. Certè illum impensè laudarunt Eusebius Cęsariensis, qui & apologiam pro ipso scripsit, Pamphilo Presbytero attributam (p). Joannes quoquè Hierosolymitanus (q), Palladius Galata (r), Evagrius Ponticus, & alii ex antiquioribus, illius pro-

(a) *Card. Baron. an. 266. n. 3.*

(b) *Honor. Augustod. de Script. Eccl. Sixt. Senens. Bibl. Sanct. l. 4. in Methodio.*

(c) *Eidem & S. Hier. ac Bellarm. de Script. Eccl. in Methodio.*

(d) *Martyr. Roman. Beda, Usuard. Ado 18. Sept.*

(e) *Sixt. Senen. Bibl. Sanct. l. 4. Trithem. de Script. Eccl. verb. Lucianus.*

(f) *Iidem, ac S. Hier. & Honor. Augustod. de Script. Eccl. in Luciano.*

(g) *Martyr. Roman. die 7. Jan. & ibi Card. Baron. in Notis.*

(h) *Vid. Surium die 7. Febr.*

(i) *Sixt. Senen. Bibl. Sanct. l. 4. Thrithem. de Script. Eccl. verb. Pierius.*

(l) *L. Si quis donaturus ff. de usur. Pereira de Potest. eligendi c. 6. n. 2. Barbos. loc. com. argum. juris loc. 302. cum aliis ab eo allegat.*

(m) *S. Hier. de Script. Eccl. c. 54.*

(n) *S. Epiph. hæres. 64.*

(o) *S. Epiph. loc. cit.*

(p) *Euseb. hist. lib. 6. S. Hier. l. 2. in Ruffin.*

(q) *S. Hieron. ep. 61. ad Pammach. S. Epiph. ad Joan. Jerosol. inter ep. S. Hier. ep. 60.*

(r) *S. Hier. ad Ctesiphontem c. 2.*

propugnatores fuerunt: & ex modernioribus Joannes Picus Mirandulanus, Gilbertus Genebrardus, Stephanus Binetus, Petrus Halloxius, & alii (*a*). Vicè versa verò impugnatores habuit Methodium Tyriensem (*b*): Eustatium Antiochenum (*c*). Pachomium Tabennensem, & alios, ac presertim sanctos Epiphanium, Basilium, Hieronymum (*d*): sed de pereximiâ illius doctrinâ, ubi errore caret, nemo dubitat, quin sit habenda in honore, nam & Sancti Patres ejusdem existimationem congruam habuerunt(*e*). Tales autem,ac tanti ponderis habuit circumstantias hujus viri promotio, ut bonum sit eandem aliquantò fusiùs recensère.

9. Origenes igitur, quem sensum habuerit, de Clericis extranei sad præbendas ecclesiasticas admittendis, deduci potest ex verbis, quæ protulit de advenis, & peregrinis, hospitalitatis officiis confovendis: ait enim in Epistolam D. Pauli ad Romanos, *dicens*, Apostolus, *sectandam esse hospitalitatem, non illud solum ostendit, ut venientem ad nos hospitem suscipiamus, sed & requiramus, & solliciti simus, & sectemur, ac perquiramus ubique hospites, nè fortè in plateis sedeant, nè extrà tectum jaceant. Recordare Loth, & invenies, quod non illum hospites, sed ipse quæsierit hospites, & hoc erat hospitalitatem sectari* (*f*). Et in Genesim. *Audite hæc, qui peregrinis clauditis domos: audite hæc, qui hospitem, quasi hostem vitatis. Loth in Sodomis habitabat. Alia ejus benè gesta non legimus. Hospitalitas in eo sola ex usu veniens memoratur, evadis ignes, evadis incendia ob hoc solum, quod domum suam patefecit hospitibus. Hospitalem domum Angeli ingressi sunt: Clausas hospitibus domos ignis ingressus est* (*g*). Sanè magnam vim faciunt Contradictores super ratione, in dispensandis eleemosynis observandâ: contenduntque has esse indigenis, non extraneis conferendas: argumentum deducentes ab eleemosynis ad beneficia: quâ de rè infrà latiùs erit sermo. Nulli quoque dubium est, quin sint ejusdem nature ille res, quæ ad alendos peregrinos ab Ecclesiâ destinantur, ac illæ, què munerandis Clericis sunt addictæ: omnes etenim sunt res Ecclesie, patrimonium Christi, & pretium peccatorum. Itàque Origenes sentiens, quod ad eleemosynas, & ad hospitalitatis officia, nedum per Ecclesiam, sed etiam per ipsos Laicos exercenda, extranei sint admittendi, in eâ quoquè sententiâ fuit, quod Clerici extranei sint ad prebendas ecclesiasticas admittendi, ut currat dictâ proportio.

10. Sed audiamus illum declamantem in Leviticum, de indumentis Pontificis, & Sacerdotum antique legis agentem, & de qualitatibus eorum, qui sunt Sacerdotio decorandi: ait enim, *licet Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamèn convocatur & Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præsentia populi, ut sciant omnes, & certi sint, quià qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc adstante populo, nè qua postmodum retractatio cuiquam, nè quis scrupulus resideret* (*h*). Enumerat Origenes prerogativas, & conditiones, quibus preditus esse debet quisquis est ad Sacerdotium promovendus: quas qualitates dicit debere esse, *præstantiam, doctrinam, sanctitatem, & virtutis eminentiam*: sed quod debeat esse indigena, oriundus, civis, naturalis, de hoc nec verbum facit: & tamen, si de jure naturali, divino, & canonico esset, quod sacre prebende non nisi indigenis conferantur, prout contendunt Contradictores; Origenes hanc qualitatem, utpotè gravissimam, & urgentem, nullatenùs tacuisset. Cumque prudenter, atque rationabiliter cogitari non possit, quod in hac rerum descriptione, prærogativa indigenatus fuerit casu, ignorantiâ, vel ex torpore intermissa; nihil aliud concludi potest, nisi, quod Origenes nullam agnovit adesse legem, que collationem officiorum, & stipendiorum, sivè beneficiorum ecclesiasticorum, ad solos indigenas coarctaret.

11. Sed nè hoc argumentum, ex Origenis scriptis eductum, tamquam negativum,

(a) *Vid. Bellarm. de script. Eccl. in Origen. & Natal. Alex sæc. 3. c. 3. art. 3. & dissert. 16*
(b) *S. Epiph. hæres. 64. S. Hier. de script. Eccl. c. 54.*
(c) *S. Hier. loc. cit.*
(d) *S. Epiph. hæres. 54. S. Basil. de Spiritu sancto cap. 30. S. Hier. ubi impugnat Periarchon.*
(e) *Vid. Natal. ab Alex. hist. sæc. 3. c. 3. art. 12. §. 3. vers. anno.*
(f) *Origen. in epist. ad Rom. c. 12. lib. 9.*
(g) *Origen. in Genes. c. 17. hom. 5.*
(h) *Origen. in c. 8. Levit. tom. 6. in med.*

tivum, pro infirmo, & imbecilli habeatur; fiat affirmativum ex ejus gestis. Alexandriæ morabatur Origenes, à Demetrio Episcopo ad ecclesiasticę scholę regimen deputatus, quam anteà Clemens Alexandrinus, ejus Præceptor, moderabatur (*a*), cùm Ecclesiæ plures, in Achajæ partibus constitutæ, illum ad eas pergere deprecatæ sunt, pro Hæreticis, ibi degentibus, convincendis, *quo cum pergeret*, inquit Eusebius, *& iter necessariò ageret per Palæstinam, presbyter apud Cæsaream ab illius Provinciæ Episcopis ordinatur* (*b*): nempè ab Alexandro Hierosolymitanorum, & à Theoctisto Cæsariensium Episcopis (*c*). Origenes ergò Ægyptius, & Alexandrinus, Hierosolymis, & in Palæstinâ, ordinatur, ubi nedùm non erat indigena, sed erat positivè extradiæcesanus, extraprovincialis, & imò extranationalis: nec ejus ordinatio facta est de proprii Episcopi assensu, quamquam apud S. Hieronymum legatur, quod *propter Ecclesias Achajæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio ecclesiasticæ epistolæ, Athenas per Palæstinam pergeret* (*d*), quippè ecclesiasticæ illius epistolæ nomine, non *dimissorialis*, ut à quocumque Antistite posset ordinibus insigniri, sed *Commendatitia* intelligitur, quâ Origenis fides, & pietas, sui Præsulis testificatione pateret (*e*). Quandoquidem autem, in sensu Contradictorum, antiquis temporibus erat semper idem ad ordines, & ad beneficia ecclesiastica promoveri, nempè cum ordinibus etiam stipendia de bonis Ecclesiæ, Clericis debita, promereri; quidquid hic dicitur de ordinatione, afficit etiam prò ecclesiasticis beneficiis.

(a) S. Hier. de script. Eccl. c. 54.

(b) Euseb. hist. lib. 6. c. 20.

(c) S. Hier. loc. cit. Euseb. lib. 6. c. 7.

(d) S. Hier. ubi supr.

(e) Thomassin. nov. & vet. Eccl. Discipl. p. 2. lib. 1. c. 1. num. 8.

12. Infremuit ad hæc audita, super ordinatione Origenis, Demetrius Episcopus Alexandrinus, illius Ordinarius, eumque majoris excommunicationis telo trajectum, ab Ecclesiâ publicè reprobavit, tantâque *in eum debacchatus est insaniâ, ut per totum mundum super nomine ejus scriberet* (*f*). Causam clamoris refert Eusebius, non zelo, sed invidiæ Demetrii, qui cum audisset, Origenem, castitatis custodiendæ studio, virilia sibi, vel penitùs amputasse, vel ut aliis placet pharmaco desiccasse (*g*), *tametsì hoc audax ejus facinus vehementèr admiratus est, tamèn incredibilem animi propensionem, & ingenuitatem fidei amplexatus, eum illicò confidere, ac bono animo esse jubet, & majore curâ, ac studio in munus Catecheseon incumbere hortatur. Ac tùm quidem Demetrius eo animo fuit, & sententiâ. Verùm non longo temporis spatio post, idem, cum Origenem prosperè, ac feliciter rem gerentem, & magno splendore, famæque celebritate, apud omnes prædicatum, animadverteret; ardore quodam æmulationis (ut est hominum captus) incensus, apud Episcopos totius Orbis, eum, tanquàm absurdissimi facinoris reum, per literas notare tentabat. Et quoniam Theoctistus Cæsareæ Episcopus, & Alexander Hierosolymorum, spectati in primis, & præstantes, præ cæteris Palæstinæ Episcopis, amplissimâ dignitate, & summo honoris gradu, Origenem dignum arbitrati, manus illi, ut Presbyterio fungeretur, imposuerant; Idcircò Demetrius simul atque Origenes ad tam magnam gloriæ claritatem processerat, atque adeò apud omnes homines ubique gentium non obscurum virtutis, & sapientiæ nomen, decusque obtinuerat, cum nulla alia criminatio contrà Origenem ipsi suppeteret, facti illius, quod ineunte ætate conscivisset, calumniam, tamquam gravem ignominiæ notam, ei objectavit, eosque simul, qui illum presbyterum creavissent, criminibus involvere conatus est* (*h*).

(f) Hieron. de scrip. Eccl. c. 54.

(g) Card. Baron an. 230. num. 4.

(h) Euseb. hist. lib. 6. c. 8.

13. Sed quidquid fuerit de internâ Demetrii Alexandrini æmulatione cum Origene; certum est, quod vox querimoniæ, in ore illius resonans, justa erat, propter spontaneam ipsius Origenis evirationem. Hanc aliqui, talis Viri defensores, à culpâ excusant, eo quod pharmaco sibi generandi potentiam abstulerit, adeòque propriè se ipsum non mutilaverit. Attamèn, ut omittamus tale evirationis qualecumque sit delictum, sivè pharmaco, sivè mutilatione peractum; hoc certissimum est, impedimentum illud, seù irregularitatem, ex tali actione provenientem, ut innuit Cardinalis Baronius (*i*), non esse in lege novâ, jure divino, & naturali introductam: sicuti vetitam fuisse, & esse extraneitatem autumant

(i) Baron. an. 230. num. 4.

Con-

Contradictores. Ideòque mirum est, quod Demetrius Origenem carpserit propter impedimentum, ex eviratione spontè procuratâ, solo canonico jure obortum, & non propter extraneitatem à loco, in quo promotus fuerat, naturali, atque divino jure, ut ab ipsis contenditur, interdictam. Evidens quippè est, quod Demetrius Alexandrinus adeò acritèr in Origenem invectus fuerit, non tam ob ipsius castrationem, jam à multis annis anteà peractam, & sibi jam dudum manifestam, quam propter ipsius ordinationem cum tali impedimento canonico ad effectum productam: eodem enim crimine, uti patet ex verbis Baronii supralaudati, incoluebat Ordinatores, & Ordinatum. Constat autem, quod Alexander Hierosolymitanus, & Theoctistus Cæsariensis Episcopi, Origenis promotores, nullam partem in ipsius castratione habuerant, sed solum in ordinum collatione post ipsius evirationem. Prò qua eviratione vi solius juris canonici tale impedimentum incurritur, quatenùs canonum Apostolicorum decreto (a), Laicus voluntarius sui abscissor à Clero in perpetuum repellendus decernitur: Clericus verò ab ordine deponi jubetur. Et ità Leontium Antiochenum fuisse, ex hoc titulo, ab Episcopatu dejectum, narrant Socrates (b), Theodoretus (c), & alii: ipsumque Leontium S. Athanasius, de Arrianis loquens, hoc acuto scommate denotavit: *inter eos Leontius ille castratus, quem nec sub laici quidèm specie ad communionem admitti oportuit, eo quod se ipsum abscidit, ut liberè cum Eustolio dormiret (d).*

(a) *Canon. Apost. c. 21. & 22. 23. 24.*
(b) *Socrat. l. 2. c. 21.*
(c) *Theodor. l. 2. c. 24.*
(d) *Athan. ep. ad solitarios.*

14. Non desunt tamen aliqui contendentes, quod Origeni nullam intulit irregularitatem propria sui ipsius eunuchizatio, & quod levissimæ sint rationes, quibus Cardinalis Baronius eam inculpat (e), sed fortè non minùs levia sunt motiva, quibus illam excusantes, utuntur (f). Undè neutriùs partis rationibus hic discussis; hoc unum est, quod Demetrio Episcopo Alexandrino duplex fuit causa carpendi Origenem: prima, & potior erat, quod sacros Ordines, & consequentèr etiam stipendia Ecclesiastica, suscepisset Hierosolymis, ubi erat extraneus, contrà prætensum jus divinum, & naturale, à Contradictoribus exaggeratum. Et secunda, quod eunuchizatus ad Presbyteratum accessisset, contrà solius juris canonici constitutum. Attamèn quià Demetrius, parvifacto vitio extraneitatis, solam culpam carpsit, ut opinabatur, commissam in ordinum, post evirationem, susceptione; patet quod ipse nullam culpam extraneitatis in Origene notavit, sed solam consideravit prætensam culpam susceptæ ordinationis, post spontaneam castrationem. Hanc ordinationem infectam crimine reputavit Demetrius, abominatione dignam, & omnino plectendam, nihil attento, quod etiam Meliton Episcopus Sardensis anteà fuisset eunuchus (g), quippè hic, & alii, qui eodem paritèr defectu posteà laborarunt (uti SS. Germanus, & Ignatius Antistites Constantinopolitani (h), aliique plures, de quibus in Ecclesiasticis monumentis), vel vi alicujus infirmitatis, vel hostium suorum violentiâ eunuchi facti sunt, vel respectivè aliquo impetu Spiritus Sancti spontaneè se absciderunt: & ità præfatum Melitonem vocat S. Hieronymus *eunuchum in Spiritu Sancto*. Quo afflatu si se evirasset Origenes, cum de tali superno motu nihil constaret Demetrio, hic habuit justum titulum abscissionem illam prò canonico impedimento in Presbytero conclamandi.

(e) *Cardin. Baron. an. 232. num. 5.*
(f) *Natal. ab Alex. hist. Sæc. 3. dissert. 15. qu. 1. art. unic.*
(g) *S. Hier. de script. Eccl. in Polycr. Ephes. c. 45.*
(h) *Card. Baron. an. 714. l. 2 num 4. & an. 813. num. 11. & 847. num. 34.*

15. Laicus itàque erat Origenes, cùm ab Alexandro Hierosolymitano, & Theoctisto Cœsariensi ordinatus est, sed nec Cœsariensi Ecclesię, neque Hierosolymitanæ, neque Alexandrinæ fuit affixus (i). Quinimò nunc in hac, nunc in illâ ipsarum Urbium consistebat, uti narrat Eusebius, dicens, *intereà jugi, & continuato labore in explanatione divinorum voluminum persistebat, sivè Alexandriæ, sivè apud Cæsaream positus, sicut ex ipsis ejus commentariis indicatur (l).* Et Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, *tantùm venerationis ergà Origenem, scientiæ, & doctrinæ gratiâ, habebat, ut indesinentèr constringeret eum secùm morari (m).* Donec tandem in urbe Tyri mortuus est, & sepultus (n). Hanc Origenis ordinationem justam, & legitimam fuisse strenuè tuitus est S. Alexander Episcopus Hierosolymitanus, ejusdem ordinator, & sub Decio Imperatore Mar-

(i) *Thomassin. de discip. p. 2. lib. 2. c. 1. n. 10.*
(l) *Euseb. hist. l. 6. c. 20.*
(m) *Idem loc. cit. c. 21.*
(n) *S. Hier. de scrip. Eccl. c. 54.*

Martyr gloriosissimus, qui referente D. Hieronymo, scripsit *ad Origenem, &c prò Origene contrà Demetrium, eo quod juxtà testimonium Demetrii, eum presbyterum constituerit* (*a*). Ab omnibus quoque passim fuisse hujusmodi promotionem laudum præconiis celebratam, testatur Eusebius, dicens, *idque dignissimè factum ab omnibus laudaretur, & nè sic quidem dignus honor sapientiæ ejus, ac virtutibus, in eum collatus diceretur* (*b*). Solus illam improbabat Demetrius Alexandrinus, & causam quærens reclamationem suam aliquo justo titulo cohonestandi; ad culpam se voluit suscepti presbyteralis ordinis post voluntariam evirationem præfatam: & promotionem hanc ut injustam ubilibet pervulgavit: *Momordit*, inquit Eusebius, *hic sermo Demetrium, & non inveniens in eum causam alteriùs criminis, hoc, quod aliquandò puer adhùc ille egerat, & Episcopus jam iste laudaverat, postmodum criminis loco protulit, etiam in illos culpam, qui eum ordinaverant, conatus inflectere* (*c*).

(a) S. Hier. de script. Eccl. in Alex. Cap. pad. c. 61.

(b) Eufeb. hist. lib. 6. cap. 8.

(c) Eufeb. loc. cit.

16. Habemus ergò in hoc unico successu septem Patres, pro causæ nostræ justitiâ perorantes: nempè primò Origenem: 2. Alexandrum Hierosolymitanum: 3. Theoctistum Cæsariensem: 4. Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ Episcoporum: 5. Demetrium Alexandrinum: 6. Eusebium Cæsareæ Palestinæ Episcopum: 7. tandem S. Hieronymum. *Primus*, nempè *Origenes*, causæ nostræ favet, quià extrà patriam, & provinciam ordines sacros suscepit, nullique Ecclesiæ est formitèr alligatus. *Secundus*, & *tertius*, nempè *Alexander Hierosolymitanus*, & *Theoctistus Cæsariensis*, nobis favent, quia sacros ordines Origeni, viro extraneo contulerunt, neutri ex suis Ecclesiis affixo. *Quartus*, nempè *Firmilianus*, nobis favet, quià Origenem Alexandrinum, in Palestinâ ordinatum, ad se in Cappadociam vocavit. *Quintus*, nempè *Demetrius Alexandrinus*, nobis favet, quià promotionem Origenis improbans, non extraneitatis vitium opposuit Promotoribus, vel Promoto, sed solam culpam evirationis. *Sextus* demùm, & *septimus*, nempè *Eusebius*, atque *D. Hieronymus*, nobis favent, quià ordinationi Origenis, tamquam justę, & legitimę, applaudunt. Nulla erat necessitas ordinandi Origenem, irregularem ex eviratione, extraneum ortu, & extranationalem, nec ullius Ecclesiæ se affixioni subiicientem: non ejus Episcopi concurrebat assensus, sed alta reclamatio: non est factus indigena Ecclesiæ, in quâ ordines suscepit, sed hùc illùc, pro suo arbitrio, & voluntate resedit: hisque ità se habentibus, non in eo carpta est extraneitas, sed sola eviratio. Quid ergò ad hæc dicemus? Nisi, totam rei feriem, septem Patrum vocibus conclamare, *nullius momenti haberi, vel locum undè Origenes oriundus esset, vel Ecclesiam, ubi baptizatus &c.* quià *merè laicus erat: ex quo intelligebant Episcopi minimè necessarium esse Demetrii consensum, ut illum ordinarent* (*d*). Hoc autem in idem recidit, ac asserere, potuisse tunc temporis laicos extraneos ubilibet ad Sacerdotii apicem sublimari, & consequentèr etiam ad ecclesiastica beneficia, ex eo quod, secundum Contradictores, ut innuimus, idem tunc erat sacris ordinibus, & beneficiis ecclesiasticis insigniri. Sicque subsistere nunc quoquè debet, quemadmodùm tunc subsistebat, libertas Ecclesiæ in conferendis prò suo libito sacris præbendis etiam viris extraneis.

(d) Thomassin. de discíplin. par. 2. lib. 1. c. 1. n. 8. in fin.

17. S. *Cyprianus*, natione Afer, patriâ Carthaginensis, professione Rhetor, *Cæcilius* cognomento vocatus, à Cæcilio Presbytero, quem habuit ad fidem persuasorem, dignitate tandem Episcopus Patriæ, ac Martyr generosissimus, floruit anno Christi 250. fuitque vir eloquentiâ, & sanctitate celeberrimus, de quo paucis verbis S. Hieronymus hoc prolixum texuit elogium, *hujus ingenii superfluum est indicem texere, cum sole clariora sint ejus opera* (*e*). Hic ab Eucratio Episcopo requisitus, an esset ad communionem admittendus quidam Histrio (qui à theatro quidem jam cessaverat, sed populos edocebat modum scurillia edifcendi, obtendens sibi ad victum comparandum, nullam hac meliorem artem occurrere) respondit non esse admittendum, eo quod putaret, *nè majestati divinæ, nè evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor, & honor Ecclesiæ, tàm turpi, & tàm* infa-

(e) S. Hier. de script. Eccl. in Cyprian. c. 67.

infami contagione fœdetur (a) Ideòque ipse S. Cyprianus consulit Eucratio, ut Hi-
(a) S. Cypr. lib. 1. ep. 10. strionis egestati, competenti fructuum Ecclesiasticorum contributione succurrat: *Quod si penuriam*, inquit, *talis, & necessitatem paupertatis obtendit, potest inter*
(b) S. Cypr. loc. cit. *cæteros, qui alimentis Ecclesiæ sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari* (b).

18. Obstabat tamen hujusmodi provisioni paupertas Ecclesiæ Eucratii, minùs habilis ad stipendia cunctis pro eâ laborantibus, & egenis, sub eâ viventibus, conferenda, ideoque monet Eucratium Cyprianus, ut Histrio Carthaginem petat, recepturus ab Ecclesia Carthaginensi sportulas, & erogationes, sibi ad victum, & vestitum idoneas: *Quod si illic Ecclesia non sufficit, ut laborantibus præstentur alimenta, poterit se ad nos transferre, & hic, quod sibi ad victum, atque vestitum necessarium fuerit accipere, nec alios extrà Ecclesiam mortalia docere, sed ipse salu-*
(c) S. Cipr. l. 1. ep. 10. *taria in Ecclesia discere* (c). Sæpè in ore contradictorum est, ecclesiastica beneficia idem esse, ac antiqua stipendia, & sportulas, seù in illarum largitionum loco succedere, quas olim Ecclesia Clericis, aliisque sibi deservientibus, sivè sub se degentibus, conferebat. En autem quod S. Cyprianus reditus suæ Ecclesiæ nedùm indigenis, sed etiam extraneis, & quidem laicis, & histrionibus, licèt non rogatus, impertit: stipendia sacra eis ultrò defert: erogationes tandem Ecclesiasticas eis ex se spontaneus elargitur: ergò fructuum Ecclesiæ, qui manualibus largitionibus porrigebantur, nedùm indigenæ, sed etiam extranei, tùm ætate D. Cypriani, tùm secundum ejusdem doctrinam, erant capaces: capaces autem proculdubio fuissent etiam ipsorum Ecclesiæ bonorum, si non in manualibus erogationibus, secundùm morem illorum temporum, sed in usufructu prædiorum, prout nunc in usu est, constitissent.

19. Idem S. Cyprianus, ad Presbyteros, & Diaconos suę Ecclesiæ scribens, eis curam pauperum commendat, & peregrinorum, aliundè Carthaginem concurrentium: *infirmorum* ait, *& omnium pauperum curam peto diligenter habeatis: sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate meâ propriâ, quam apud Rogatianum Compresbyterum nostrum dimisi, quæ quantitas, nè fortè jam universa erogata sit, misi eidem per Naricum Acolytum aliam portionem,*
(d) S. Cypr. l. 3. ep. 24 *ut largiùs, & promptiùs apud laborantes fiat operatio* (d) Nec dicatur Cyprianum sive Histrioni, sivè peregrinis, subsidia contulisse in mero casu necessitatis, & de superfluis suę Ecclesiæ, in quibus solis circumstantiis licitum sit Ecclesiæ bona extraneis impertiri: nam nulla apparet necessitas in peregrinis, & Histrione, quin possent, vel eleemosynis, vel aliundè sibi subsidia comparare: Et maxime Histrionem non videtur necessaria postulasse, sed lauta, cum de illo pronuntiet Cyprianus,
(e) S. Cypr. l. 1. ep. 10. *contentus sit frugalioribus, & innocentibus, cibis. Nec putet salario se esse redimendum, ut à peccatis cesset* (e) Pariter quis credat Cyprianum peregrinis, & Histrioni de superfluis obtulisse, quandò ejus Ecclesia, usque adeò tenuitate redituum laborabat, ut ad redimendos captivos opus fuerit & Clericos, & laicos ad hone-
(f) S. Cypr. ep. 60. stam aliquam contributionem urgere? (f)

20. Imò nos hujusmodi superfluitatem, vel non, vel vix in ullâ Ecclesiarum potuisse dari censemus, rati cunctis Ecclesiis auream illam D. Joannis Chrysostomi adaptabilem esse sententiam: *Ne hos præferamus prætextus, quod Ecclesia multa possideat. Quandò ejus facultatum videris magnitudinem, cogita etiam inscriptorum pauperum greges, ægrotantium multitudinem, innumerabilium expensarum occasionem: sumus etiam parati vobis reddere rationem. Quandò reddiderimus rationem, & ostenderimus sumptus non esse minores proventibus, sed aliquandò etiam*
(g) S. Jo: Chrys. hom. 21. in ep. 1. ad Corinth. *majores* (g). Nec igitur ex superfluis, neque in articulo præcisæ necessitatis, S. Cyprianus bona Ecclesiæ peregrinis, & Histrioni statuit elargiri, sed pro suo libito, & prudentiâ, quâ sibi persuasum habuit, reditus Ecclesiasticos, pro libertate collatorum, posse non minùs extraneis, quàm indigenis erogari. Quod autem ipse de manualibus Ecclesię largitionibus sensit, hoc & de illius fundis, ad usufructum dandis, seù de beneficiis clericalibus, ex rationis identitate, sentiendum esse patefecit

fecit, & se in illâ opinione versatum esse, atque illam tenuisse sententiam, quod libera sit Ecclesia, in suorum dispensatione bonorum, non solum favore indigenarum, sed etiam favore extraneorum, juxtà opportunitatem personarum, temporum, & locorum.

21. Præter hæc, quæ diximus, quatuor Pontifices, per hoc tertium Christi sæculum, habuit Romana Ecclesia, origine à se prorsus extraneos, nempè *Anterum* Græcum, *Sixtum II.* Atheniensem, *Cajum* Dalmatam, & *Eutychianum* Ligurem, sive Etruscum, Lunis natum, de quibus Anastasius Bibliothecarius, Abbo Floriacensis, Platina, & alii (*a*). Qui sanè Pontifices facto proprio docuerunt, ritè posse Clericos extraneos Ecclesiastica consequi beneficia, dum ipsi, tametsi toto Cœlo extranei à Romanâ Ecclesiâ, in ea culmen Ecclesiasticorum Beneficiorum (*b*), nempè Summum Pontificatum adepti sunt. Ex eis autem *Anterus*, nedum factis id docuit, eo quod Petiliæ natus est (quæ Urbs erat quondam in Magna Græcia, nunc Calabria dicta, prope Bellicastrum, in Regno Neapolitano,) & in Sardiniâ morabatur, Monachalem ibi vitam exercens, tandèmque in Pontificem electus est (*c*); sed etiam scriptis, & doctrinâ: quippe auctoritate Apostolicâ definivit, posse Episcopos, de unâ ad aliam Ecclesiam, opportunitate sic exigente, transferri. Consultus enim super hoc ab Episcopis Provinciarum Bæticæ, & Toletanæ, eisdem per subsequentis decretalis seriem respondit.

(a) *Anast. Bibl. Abbo Floriac. & Plat. in Anter. Sixt. II. Cajo, & Eutychian.*
(b) *Barbos. Jur. Ecc. univ. l. 3. c. 4. n. 47.*
(c) *Alph. Ciacc. vit. Pont. in Anter. Pap.*

22. *De mutatione Episcoporum, unde Sanctam Sedem Apostolicam consulere voluistis, scitote, eam communi utilitate, atque necessitate fieri licere, sed non ambitu cujusquam: aut dominatione. Petrus Sanctus magister noster, & Princeps Apostolorum, de Antiochiâ, utilitatis causâ, translatus est Romam, ut ibidem potiùs proficere posset. Eusebius quoque de quadam parvâ civitate, Apostolicâ auctoritate, mutatus est Alexandriam. Similiter Felix de civitate, quâ ordinatus erat, electione civium, propter doctrinam, & bonam vitam, quam habebat, communi Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, ac populorum consilio, translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate ad civitatem, qui non suo libito, aut ambitu hoc facit, sed utilitate quadam, aut necessitate, aliorum hortatu, & consilio potiorum, transfertur. Nec transfertur de minori civitate ad majorem, qui hoc non ambitu: nec propriâ voluntate facit; sed aut vi à propriâ sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non superbè, sed cum humilitate ab aliis translatus, & inthronizatus est &c. Non ergò mutat sedem, qui non mutat mentem. Nec mutat civitatem, qui non suâ sponte, sed consilio, & electione aliorum, mutatur. Non ergò migrat de civitate ad civitatem, qui non avaritiæ causâ, nec sponte dimittit suam, sed (ut jam dictum est) aut pulsus à sede suâ, aut necessitate coactus, aut electione, & exhortatione sacerdotum, & populorum translatus est ad alteram civitatem. Nam sicut Episcopi habent potestatem ordinare regulariter Episcopos, & reliquos sacerdotes, sic quoties utilitas, aut necessitas coegerit supradicto modo, & mutare, & inthronizare potestatem habent* (*d*).

23. Et infrà: *Quemadmodum Jamnes, & Mambre resistiterunt veritati* (*e*), *sic & illi mente reprobi, amantes voluptatem magis quam Deum, quod licet, docent non licere, idest Episcopos migrare de civitate in civitatem, prætaxato modo: & quod non licet, docent licere, idest misericordiam non agere circà patientes necessitatem, hoc est eis, qui Episcopum non habent, & sacro Episcopali indigent ministerio, Episcopum de alia civitate, causâ utilitatis, vel necessitatis tribui: & Episcopis perfectionem, aut necessitatem patientibus, aliam cathedram dari negant &c. Negantes autem, hæc, licet speciem habeant pietatis; virtutem tamen ejus abnegant. Nam in tali negotio prosapiam non agnosco &c. Alia quoque est causa utilitatis, & necessitatis, & alia avaritiæ, & præsumptionis, aut propriæ voluntatis. Avaritiæ quoque causâ, vel præsumptionis, aut propriæ voluntatis, non sunt Episcopi mutandi de civitate ad civitatem, sed utilitatis, vel necessitatis &c.* (*f*).

(d) *Anter. Pp. ep. ad Episc. Prov. Bæth. & Tolet. in to. 1. Conc.*
(e) *2. Timot. 3. Exod. 7*
(f) *Cap. mutationes. 7. qu. 1.*

24. Quantæ sit auctoritatis hujusmodi epistola decretalis Anteri, non est præ-

 sentis

ſentis temporis diſputare: alibi de hoc agemus, & de cunctis epiſtolis verba faciemus, quas primi Romani Pontifices, uſque ad Siricium, dictitarunt, rationeſque allegabimus, quibus earum efficacia comprobatur. Qui plura nunc deſiderat, videat Auctores (*a*). Nam nobis ſatis eſt, quod exempla Petri, Euſebii, & Felicis, quos Anterus ex unâ ad aliam Eccleſiam translatos fuiſſe aſſerit, vera ſunt, ac doctrinæ in Decretali Anteri contentæ fidem adſtruunt: ideòque nulli dubium rationabilitèr eſſe debet, quin tertio Chriſti ſæculo, & fierent, & licitè fieri poſſe cenſerentur, mutationes Epiſcoporum de unâ ad aliam Eccleſiam. Quià verò Epiſcopi ſic translati, vel à primâ, vel à ſecundâ Eccleſia erant extranei; & quod dicitur de Epiſcopis, æquâ lance verificatur etiam de Parochis, Canonicis, Abbatibus, Portionariis, & aliis beneficiariis (qui ſi tunc nondum erant eo modo, quo nunc ſunt, eſſe tamèn poterant, & certè nunc ſunt; erantque etiam illâ ætate officia, ſtipendiis eccleſiaſticis munerata, quibus præſentis temporis beneficiâ ſuccedunt: nec minus epiſcopatus eſt beneficium (*b*), quam ſint alia inferioris ordinis beneficia) hinc fit, quod juxtà Anteri Papæ doctrinam, & praxim tertii Chriſti ſæculi, apparet, uſque ab eo tunc licitam omninò fuiſſe collationem beneficiorum, factam extraneis.

(a) *Cæleſt. Sfondrat. Reg ſacerd in princip. Franc. Turr. & alii.*

(b) *Barb Jur. ecleſ. univ. l. 3. c. 4. n. 54.*

25. Hac, uti remur, de causâ, præfatique Anteri fretus auctoritate, & exemplo, Cœleſtinus Papa I. idipſum de Epiſcoporum translationibus ſanxit, occaſione (ut ex Baronio exiſtimat Thomaſſinus (*c*) tranſvehendi Proclum de Cizicenâ ſede ad Conſtantinopolitanam, cujus tranſitum approbavit auctoritate Apoſtolicâ Cœleſtinus, ipſe, cujus mutationis ſeries eſt, quę ſubſequitur, eamque prętat hic attexere tametſi ſæculo mediatè ſubſequenti ad effectum perductam, ut appareat, quod ſanctio Anteri ſtatìm habuit executionem parâtam, & quod hiſtorici eventus antiquorum temporum ejuſdem vim comprobarunt. Depoſito per Concilium generale impio Neſtorio, qui licèt patriâ Germanicienſis, primò Presbyteratum, & Monachatum in Eccleſiâ Antiochena fuerat aſſecutus, à quâ erat extraneus, & indè ad Præſulatum inſignis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fuerat elevatus (*d*), Imperator Theodoſius II., & pars potiſſima Epiſcoporum, Cleri, atque civium, Bizantii conſiſtentium, ſatagerunt Proclum in illâ Sede locare; ſed proptèr quorumdam invidiam, retardata eſt promotio, cauſantium, quod cum Proclus Cyzicenæ Eccleſiæ connubio ſpiritaliter junctus eſſet, non poſſet aliam interìm adipiſci: cum tamen hoc Froclo nihil deberet officere, ſicut ei non obſtiterat, quin Cyzicenam ſedem aſſequeretur, tametſi anteà in Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ Diaconatus munere fungeretur, quâ de rè Socrates, *qui cum ad ætatem virilem perveniret, multum cum Epiſcopo Attico verſatus eſt, illiuſque ſermonum ſcriba fuit, quem in literis, & virtute admodùm proficientem, Atticus ad gradum Diaconatus evexit* (*e*):

(c) *Thomaſs. vet. & nov. Eccl. diſcipl p. 2. l. 2. c. 61. n. 32.*

(d) *Socrat. l. 7. c. 29. Card Baron. an. 428. n. 19.*

(e) *Socrat. l. 7. c. 40.*

26. Fuerat Proclus diſcipulus S. Joannis Chryſoſtomi, tantę familiaritatis, ut viderit ei, ſcribenti in epiſtolam ad Galatas, D. Paulum, inſuſurrantem ad aures, & quid ſcribendum eſſet, velut cælitùs dictitantem (*f*). Mortuo Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano, pars ingens Cleri, & populi Proclum, tunc Presbyterum, in Antiſtitem depoſcebat: pars autem alia, Philippum, Sidæ natum, & Presbyterum Conſtantinopoleos, peroptabat (*g*), ſed utriuſque factioni pręvalvit clamor populi, Siſinnium poſtulantis, qui & cathedram viduatam obtinuit, moxque Proclum Cyzicenis in Antiſtitem conſecravit, quem iſti ex reluctantiâ propriâ refutarunt: undè Proclus Conſtantinopolim remigrans, ibi ſine ſede conquievit, ſacris literis edocendis incumbens (*h*). Defuncto Siſinnio, iterum de Proclo, vel Philippo, eidem ſubſtituendo eſt actum, ſed perperam, nam utrique prępoſitus eſt Neſtorius: huicque ſucceſſive à throno Epiſcopali dejecto, ſuffectus eſt Maximus, ſive Maximianus (*i*); quo tandem ad Cœlites evocato, *ab Imperatore Theodoſio* (inquit Socrates) *res prudentèr tractata fuit: Nam ne controverſia, & tumultus in Eccleſiâ denuò cieretur, abjectâ cunctatione, dum adhùc Maximiani corpus inſepultum jaceret, per Epiſcopos, qui ibi aderant, Proclum in ſede epiſcopali collocandum curavit.*

(f) *S. Jo: Damaſc. de imag orat. Pallad. vit. S. Jo: Chryſ.*

(g) *Socr. l. 7. c. 26. 27.*

(h) *Idem loc. cit. c. 26*

(i) *Baron. an. 431. n. 137.*

vit. Huic etiam negotio suffragabantur epistolę Cælestini Romani episcopi, quas da Cyrillum episcopum Alexandriæ, & ad Joannem episcopum Antiochiæ, & ad Rufum Thessaloniceæ, episcopum, misit, quâ eos docuit nihil obstare, quominùs qui uniùs civitatis nominatus fuisset Episcopus, vel jàm esset Episcopus, ad aliam civitatem transferretur (*a*).

27. Translationi Procli è Cyzicena ad Constantinopolitanam Ecclesiam, nedùm Cęlestinus Papa I. suam auctoritatem interposuit, sed & Cyrillus Alexandrinus, & Joannes Antiochenus, suis votis calculum addiderunt. Etlicèt decretis Antiocheni Concilii (*b*), Sardicensis (*c*), & Nicęni (*d*), fuisset pręventivè interdicta transmigratio episcopi de unâ ad aliam Ecclesiam, (quod interdictum posteà & S. Leo Magnus (*e*), & Concilium Calcedonense (*f*), & Constantinopolitanum IV. (*g*), & alii Canones (*h*), replicarunt); tamęn, non legitima transitio, seù legitimâ auctoritate facta; sed ambitiosa mutatio, & proprio arbitrio ad effectum perducta, fuit hujusmodi prohibitioni subjecta: seù, ut ait Auctor Tractatus de translationibus, in Jure Orientali, *migratio prohibita est, non translatio* (*i*). Certum est enim, quod justis intervenientibus causis, & legitimâ intercedente auctoritate, olim Concilii Provincialis, vel etiam episcopi Metropolitani, vel Primatis, & Patriarchę (*l*), nùnc verò, soliùs Romani Pontificis (*m*), Episcoporum mutationes, de unâ ad aliam Ecclesiam, semper licitę fuerunt, in diesque magis sunt licitę. Et qui hoc negant, magno in errore versantur (*n*), Cujus, nedùm omnium sęculorum observantiâ, sed etiam ipsorum Apostolicorum Canonum sanctionibus convincuntur, quorum unus ita se habet, *Episcopo non liceat, suâ relictâ Parochiâ, ad aliam transire, etiam si à pluribus cogatur: nisi sit aliqua causa, rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere: utpotè ad majus lucrum, cum possit ipse iis, qui illic habitant, pietatis verbo conferre; idque non ex se, sed multorum episcoporum judicio* (*o*).

(a) *Socr. l. 7. c. 39. & 40.*
(b) *Concil. Antioc. c. 21.*
(c) *Concil. Sardic. c. 5. & 7.*
(d) *Concil. Nicęn. I. c. 15.*
(e) *S. Leo ep. 48. c. 8.*
(f) *Concil. Chalced. c. 5. & 20.*
(g) *Concil. Constantinop. 4. c. 9.*
(h) *Cap. si quis de ordine: c. non oportet. c. episc. cap. propter, & alia cap. 7. quæ. 1.*
(i) *Jur. Orient. to. 1. pag. 293.*
(l) *Concil. Carth. 4. c. 27. c. episc. 37. 7. qu. 1.*
(m) *C. inter corporalia c. licet de transl. Prælat.*
(n) *C. scias 37. 7. qu. 1.*
(o) *Canon. Apost. c. 13.*

28. Prosequitur hujusmodi quæstionem Socrates, & tàm sacrorum Canonum auctoritate, quàm Historicorum testificatione, atque plurium exemplorum adunatione, probat, licitas esse prefatas Antistitum mutationes; quosdamque refert, qui ab adeptis Ecclesiis nedùm erant extradiœcesani, sed etiam extraprovinciales, & extranationales: memoratque potestatem, quâ in hiscè pollet Romanus Pontifex, dicens, *Perigines Ecclesiæ Patrensis designatus fuit Episcopus, quem, ubi populus illius urbis eum repudiaverat, Episcopus Romanus mandavit, ut Episcopo Corinthi Metropolis mortuo, in sede Episcopali illius urbis collocaretur* (*p*). Justissima ergò, & rectissima fuit usquè ab initio, sanctio Anterl Papæ, translationes Episcoporum de unâ ad aliam Ecclesiam, Apostolicâ auctoritate fieri posse decernens, quotiès justâ, & rationabilis causa concurrit id exequendi, ab eo examinanda, qui super hoc jus suum exercet. Ab Antero ergò potuit Cœlestinus didicisse jura suæ dignitatis, cum Procli translationem approbavit. Et quià jam per totum Orbem translationes Episcoporum de unâ, ad aliam Ecclesiam fiebant; intercedebatque justa causa permittendi transitum Procli è Cyzicenâ ad Constantinopolitanam Metropolim; Cœlestinus non nisi laudabilitèr se gessit, suam ei auctoritatem, de providentiâ, & benignitate Apostolicâ, conferendo.

(p) *Socrat. l. 7. c. 35.*

29. Prætèr enim translationes, quas Anterus in memoratâ epistolâ allegat, noverat optimè Cœlestinus, à S. Basilio Cœsariensi, Euphronium, è Coloniensi Ecclesia, ad Nicopolitanam Metropolim fuisse translatum (*q*): Atticum Constantinopolitanum Sylvano Philippopolensi permisisse transitum ad Cathedram Troadensem (*r*): A Narcisso Hierosolymitano in propriam sedem fuisse insertum Alexandrum Episcopum Cappadociæ (*s*): Athanasii Episcopi auctoritate, quemdam Episcopum fuisse, è solio, cui insidebat, ad Ptolemaidense, traductum (*t*). Undè cùm Cœlestinus jam dudùm antè sua tempora, translationes Episcoporum legitimè fieri didicisset, justè suam auctoritatem interposuit prò complendâ Procli translatione præfatâ. Et quidquid sit de mente Socratis, cùm asseruit, *res*

(q) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discip. p. 2. l. 2. c. 61. n. 9.*
(r) *Socrat. l. 6. c. 36.*
(s) *S. Hieron. de script. Eccl. c. 62.*
(t) *Synes. ep. 67.*

erat planè indifferens apud veteres, quotiès usus poscebat, Episcopum ab unâ Civitate ad aliam transferre (*a*); certè crebrò translationes fiebant: Et tàm Anteri, quàm Cœlestini Pontificum decretis, quibus declararunt, justis intervenientibus causis, vèl necessitatis, vèl utilitatis communis, licitum esse transitum Episcoporum de unâ, ad aliam sedem, affluentèr comprobatur, Clericos extraneos beneficiorum Ecclesiasticorum esse capaces: quippè Episcopi translati, (& idem dicendum est de Parochis, aliisque beneficiariis, congruâ proportione servatâ,) vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ, sunt extranei. Sed & adhùc alios adnectamus Episcopos, qui post tempora præfata, antiquis tamèn Ecclesiæ sæculis, fuerunt de unâ ad aliam sedem transvecti: in eundem enim scopum, cùm præallegatis collimant, & ostendunt, decretum Anteri effectum suum integralitèr habuisse, ac per consequens, à lege Pontificiâ, usquè à tertio Christi sæculo promulgatâ, favorem suscepisse provectionem Clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia.

30. Dositheus Episcopus, de Seleuciensi Ecclesiâ, ad Tarsensem translatus est (*b*). Reverentius, de Archifeniciensi ad Tyriensem (*c*): Joannes, de Gordoliensi ad Preconnensem (*d*): Theodorus, de Apamiensi ad Salimberiensem (*e*): Eustatius, de Berœensi ad Antiochenam (*f*): Aprunculus, de Lingoniensi ad Arvernensem (*g*): Forminius, de Agathensi ad Venciensem (*h*): Fructuosus, de Dumensi ad Bracarensem (*i*): Felix, de Hispalensi ad Toletanam (*l*): Actardus, de Nanetensi ad Turonensem (*m*): Quintianus, de Ruthenensi ad Claromontanam (*n*): Joannes Talaida, de Alexandrinâ ad Nolanam (*o*): Ebbo, de Remensi ad Hildeshemiensem (*p*): Hildegrinus, de Catalaunensi ad Selingestadiensem (*q*): Eustasius, de Myrensi ad Thessalonicensem (*r*): Osualdus, de Vorcestrensi ad Eboracensem (*s*): Frotarius, de Burdegalensi, ad Pictaviensem, & de Pictaviensi ad Bituricensem (*t*): Dunstanus, de Vorcestrensi ad Londinensem, & de Londinensi ad Cantuariensem (*u*): Justus, de Roffensi: Oddo de Vellensi: Elphegus de Vintoniensi, ad eandem Cantuariensem (*x*): Licerius de Carensi ad Ilerdensem (*y*), & alii permulti, quorum omnium nimiùm laboriosum esset congerere catalogum, non sinè tædio tandèm lectoris oculis percurrendum. Unum adjungimus, S. Bonifacium Moguntinensem, de quo scribitur in ejus vitâ, *aliquandiù in civitate Agrippinensi Colonia sedit, & emergente necessitate, atque utilitate, ad civitatem Moguntinam translatus est* (*z*).

31. Itaque, ait Hincmarus Remensis, *si certa causa necessitatis, vel utilitatis exegerit, ut quilibet Episcopus de civitate, in quâ ordinatus est, transferatur ad aliam civitatem, Synodali dispositione, vel Apostolicæ Sedis consensione, apertissimâ ratione manifestum fieri debet, quià transfertur causâ fidei, non temporalis commodi: prò Animarum lucro, non prò rerum temporalium quæstu: non suo vitio, sed aliorum repudio &c.* (*aa*). Utilitatem, vel necessitatem, disjunctivè requiri ad translationem Episcoporum, determinavit etiam Pelagius Papa II. Benigno Archiepiscopo scribens, *sciat, frater dilectissime, aliud esse causam necessitatis, & utilitatis, aliud causam præsumptionis, ac propriæ voluntatis. Non ergò mutat sedem, qui non mutat mentem: idest qui non causâ avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ delectationis, migrat de civitate ad civitatem, sed causâ necessitatis, aut utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas uniùs utilitati, aut voluntati præferenda est.* (*bb*). Quotiès igitùr vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ deposcit, aliquem Antistitem, (& respectivè etiam inferiorem beneficiarium) de unâ ad aliam Ecclesiam transferri, licitum est id executioni mandare, ut & Anteri, & Cœlestini, & Pelagii II. decretis, & exemplis, in præsenti capitulo allegatis, plusquàm evidentèr apparet: & quià sic translati, ut innuimus, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ, sunt extranei, patet, hinc lautè probari libertatem Ecclesiæ in conferendis ecclesiasticis beneficiis Clericis nedùm indigenis, verùm etiam extraneis.

32. Quod si dicatur causam necessitatis, vel utilitatis, justificare translationem

(a) *Socrat. l.7.c.35.*
(b) *Stephan. 6. epist. ad Basil. Imp.*
(c) *Idem. ap. Baron. an.365.n.12.*
(d) *Idem loc. cit.*
(e) *Idem loc. cit. vid. etiam Socrat. l.7.c.35.*
(f) *s. Hier. de script. Eccl. c.85.*
(g) *s. Greg. Turon. hist. l.2.c.23.*
(h) *Idem l.9.c.24.*
(i) *Concil. Toletan. x.*
(l) *Conc. Tolet. 16. c. 22.*
(m) *Baron. an.871.n. 82.*
(n) *s. Greg. Tur. hist. l.3.c.2.*
(o) *Liberat. Brev. c. 18.*
(p) *Conc. Tricass. epist. ad Nicol. P.P. I.*
(q) *La Cointe in Annal. Franc.*
(r) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p.2. l.2. c.67. n.15. & at.*
(s) *Surius in vit. s. Osual. 15. Oct. c.7.*
(t) *Conc. Pontigon. an.776.*
(u) *Surius in vita S. Dunstani die 19. Maii.*
(x) *Ex lib. Pont. Angl.*
(y) *Lucius Dexter in Chron. an.268.*
(z) *Otlon in vit. s. Bonif. ap Surium.*
(aa) *Hincm. Remens. t.2. fol 744.*
(bb) *Pelag. 2. epist. 2. c. scias 35. 7. qu. 1*

nem prefatam; nos etiàm dicimus, causam utilitatis, & necessitatis justificare collationem beneficiorum extraneis: spectabitque ad Collatores beneficiorum, aùt ad illa Nominatores, considerare, an necessitas, vel utilitas Ecclesiæ deposcat, ut beneficium tunc vacans, & alicui conferendum, in actu practico, conferatur extraneo potiùs, quam indigenæ, vel è contra. Quâ consideratione premissâ, si adequabit mentem suam Collator, vel Nominator, quod hìc, & nùnc necessarium, vel utile sit Ecclesię servitio, ut beneficium detur extraneo; jam illi poterit ritè dari, sicut eâdem causâ concurrente, ad illud ritè transferri valet extraneus. Ergò tùm ex totâ serie successuum hic narratorum, tùm ex decreto Anteri, sanctionibus Pelagii, & Celestini Pontificum roborato, luculentèr probatur libertas Ecclesię in transferendo beneficiarios ab unâ ad aliam Ecclesiam, à quâ sunt extranei. Et quià par quoque ratio viget inter translationem, & collationem, eadem quoque libertas, etiam quoad collationem remanet comprobata: simulquè sumptis omnibus documentis, in præsenti capitulo recensitis; optimè convalidatur assertum, de quo nobis est sermo, nempè, quod liberum, & licitum fuit Ecclesię, currente Seculo Christi tertio, Clericos, etiam extraneos beneficiis sacris præficere: in ipsiusque vim libertatis, licitum est quoquè modo eidem Ecclesię, ac in primis Romano Pontifici ejusmet Capiti, necnon episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa nominatoribus, ecclesiastica beneficia non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI IV.

CAPUT V.

In quo ex Decretis, documentis, & factis plurium Conciliorum, *Sanctorumque Patrum, probatur, quod per totum* quartum Christi Sæculum, *Ecclesia Dei, totali, & integrâ libertate potita est conferendi Ecclesiastica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Abundat Sæculum* IV. *probationibus libertatis Ecclesiæ, de qua agimus. Veneranda sunt Concilia ex Constantino Imperatore, & Cælestino PP. I.*

2 *Concilium Ancyranum, post decretum de lapsis non admittendis, edixit nè Episcopi non recepti in propriis Diœcesibus, alienis Præsulibus vim facerent &c.*

3 *Supponit Concilium dari Episcopos alienigenas à locis, quibus fuerant præpositi. Electio Antistitum debebat fieri à Comprovincialibus Episcopis.*

4 *Concilia Nicænum* I. *&* II. *Bracarense* II. *Constantinopolitanum* IV. *apertè decernunt Episcopos nonnisi à Coepiscopis eligendos esse.*

5 *Falsum est ab initio electos fuisse Episcopos suffragiis Cleri, & populi. Populus solam præsentiam exhibebat: indè testimonium, posteà alicubi etiàm consensum adhibuit.*

6 *Clerus, & populus interdùm electioni Antistitum, à Coepiscopis factæ, obsistebat, & electos recipere detrectabat. Exempla Episcoporum, ut supra non admissorum referuntur.*

7 *Ex Concilio Ancyrano excluditur, quod electio fieret de solo Ecclesiæ gremio, & ostenditur, quod viri extranei episcopalibus beneficiis præficiebantur.*

8 *Concilium Romanum* I. *& alii canones decernunt, ex reditibus Ecclesiæ quatuor fieri partes, ad quarum quartam vocant peregrinos.*

9 *Concilium Agathense, ac Toletanum* III. *similia favore peregrinorum decernunt. Etiam extranei ergò bonorum Ecclesiæ sunt capaces.*

10 *Ex Papis, Simplicius, & Symmachus: Ex Patribus, SS. Cyprianus, & Justinus, de aditu peregrinis patente ad bona Ecclesiæ, verba faciunt.*

11 *Hæc bonorum distributio de Apostolorum traditione est. Cur autem de portione*

ad usum pauperum destinatâ participant pauperes extranei; & de alia, ad usum Clericorum destinatâ, non participabunt Clerici extranei?

12 *Collatores beneficiorum possunt de illis gratificari Clericis etiam extraneis, sicut hoc quarto Christi Sæculo poterant Episcopi gratificari pauperibus peregrinis.*

13 *Concilium Nicænum I. cur fuerit congregatum? & quot canones ediderit? Unus ex Arabicis, admittit posse de unâ ad aliam sedem transferri Episcopum.*

14 *Idem Concilium prohibet nè Clerici uniùs Diœcesis in aliâ recipiantur, illius Clero inserendi, loquens de Clericis, residentiali beneficio præditis.*

15 *Ad plures titulos potest Clericus ordinari, juxtà Concilium Chalcedonense. Ordinati ad titulum alicujus Ecclesiæ, mandat Concilium Nicænum, nè alieno Clero inserantur.*

16 *Clerici ordinati ad titulum patrimonii, poterant ad aliàs Ecclesias transire. Patres, qui adfuerant Concilio Nicæno, quàm accuratè locuti sint!*

17 *Ex Concilio Nicæno, si Episcopus Clerici traducendi consentiat ejus translationi, optimè potest in aliâ Ecclesiâ ordines, & beneficia suscipere.*

18 *Canones Apostolici sanciunt, nullum Clericum ad alienam Ecclesiam transire, sinè proprii Episcopi assensu. An Canones ipsi genuini sint, nec nè?*

19 *Concilia Arelatense II. Sardicense, Carthaginense III. & IV. prohibent nè alienus Clericus alibi suscipiatur, sinè sui Præsulis permissione.*

20 *Paritèr Concilia Epaonense, Toletanum II. Aurelianense III. & V. ac Arvernense idipsum expressis Canonibus disponunt.*

21 *Itidèm Concilia Bracarense I. Cabilonense, Constantinopolitanum III. & Nicænum II. similes Canones ediderunt.*

22 *Alia omittuntur Concilia idipsum decernentia. Usquè ab Ecclesiæ initio liberum fuit Clericis in aliena Diœcesi recipi cum consensu sui Præsulis.*

1. EN ad quartum Christi Seculum noster jam calamus prosilivit, ut ex eo colligat argumenta, quę libertatem Ecclesiæ probant, in conferendis ecclesiasticis beneficiis, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis. Et quidem valdè lętamur, quod pręsens Sęculum hujusmodi exuberet argumentis: nàm & Conciliorum, & Patrum prolixa series, quà factis, quà dictis, eandem adstruit libertatem. Nè lectorem autem improvidè fatigemus, documenta pręsentis Sęculi pluribus capitulis distinguemus, in quorum prioribus Concilia, in posteriori verò Patres, partitâ methodo, referemus. Et quidem quoad *Concilia*, neminem latet, quod eorum dogmata, & decreta ipsi Christi voluntati, & quodammodo voci, sunt religiosè adscribenda, seù, proùt de illis est elocutus Magnus Imperator Constantinus, apud Eusebium: *quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id universum divinæ voluntati debet attribui* (a). Horum supernale robur expressit S. Cęlestinus Papa I. in epistolâ ad Concilium Ephesinum, sic arguens: *si numero tàm exiguo* (quot sunt duo, vel tres, in nomine Domini congregati) *Spiritus Sanctus non deest, quantò magis par est credere, ibi illum minimè defuturum, ubi tanta sanctorum multitudo convenerit? Etenim consessus ipse, suaptè naturâ facer, ac venerandus est: in quo utique magnæ illius, augustæque Apostolorum Synodi, de quâ in Actis legimus, reverentiam, gravitatemque quodammodo cernere licet. Ut is ergò nullo unquam tempore Apostolos deserebat, quem illi prædicandum susceperunt &c. ità nequè cæteros quoquè Domini Sacerdotes deseret* (b). Concilia autem hujus Sęculi sunt quę sequuntur.

(a) *Euseb in vit. Constant. l. 3. c. 18.*

(b) *Cælestin. I epist. ad Synod. Ephesin.*

2. Concilium *Ancyranum*, Ancyrę in Galatiâ, urbe prænobili, ac totius Provinciæ metropoli, celebratum est anno Christi 314. tempore S. Silvestri Papę I. ac Magni Constantini, Romanorum Imperatoris, cui adfuerunt Episcopi 18.

Cap-

Cappadoces, Pontici, Armeni, Cilices, & Syri, Duce Vitali Antiocheno, in causâ Lapsorum, qui persecutione Maximini perterriti, à communione Ecclesię deciderant. In eo decretum est, Lapsos ipsos ad ecclesiasticam communionem non esse admittendos, nisi pręviâ pęnitentiâ: prout sub Decio constitutum fuerat Romę, à S.Cornelio Papâ: apud Carthaginem, à S.Cypriano: in Ponto, à S.Gregorio: sub Tyrannide Diocletiani, à S. Petro Alexandrino in Ægypto: ac in Hispaniâ, ab Episcopis Eliberi congregatis. Pręter hęc autèm in hujusmodi Concilio Ancyrano alia etiam ad disciplinam spectantia, sancita sunt, inter quæ canon, qui sequitur: *Si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illâ Parochiâ, in quâ fuerant denominati, voluerintque alias occupare Parochias, & vim Præsulibus earum inferre, seditiones adversus eos excitando, hos abiici placuit. Quod si voluerint in Presbyterii ordine, ubi priùs fuerant, ut Presbyteri, residere; non abiiciantur propriâ dignitate* (a).

3. Ingentis profectò existimationis est præsens Concilium, utpotè quod à Magno Generali Concilio Nicæno fuit approbatum, prout ex Actis Concilii Florentini liquet (b). Nostræque causæ peregregiè adstipulatur, ex duplici Capite: 1. quià supponit episcopos fuisse electos aliàs, quàm à Clero, & populo: 2. quià supponit ipsos fuisse alienigenas à locis, quibus dati erant episcopi. Et quòad primum, dicente Concilio, *si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti in illâ Parochiâ;* proculdubiò loquitur, de non electis à populo, & Clero: Improbabile enim est episcopum electum à Clero, & populo, ab his posteànon esse admissum. Nàm, uti benè S. Cyprianus ait, oportet ut cuncti *agnoscant, atque intelligant, episcopo semèl facto, & collegarum, ac plebis testimonio, & judicio comprobato, alium constitui nullo modo posse* (c). Porrò Electio episcoporum ex suâ institutione, & à suâ origine considerata, debebat fieri à Coepiscopis Comprovincialibus, quemadmodum primi Episcopi fuerunt electi ab Apostolis: Inquit enim Eusebius: *Quot, & quinam Apostolorum veri imitatores, eorundem judicio digni judicati sint, qui fundatas ab illis ecclesias pastorali officio gubernarent* (d). Et S. Clemens Papa I. in epistolâ ad Corinthios, (quam genuinam esse tenet Natalis ab Alexandro (e), eamque citant SS. Irenæus (f), Clemens Alexandrinus (g), Cyrillus Hierosolymitanus (h), Epiphanius (i), Hieronymus (l), & Origenes (m), atque alii) dicit, *Apostoli nostri &c. constituerunt episcopos, & deincèps formam dederunt, ut iis defunctis, probati alii viri in eorum ministerium succederent, ab illis, vel deincèps ab aliis celebribus viris constituti* (n).

(a) Conc. Ancyran. can. 17.
(b) Conc. Florent. in Act. 4.
(c) S. Cyprian. ep. 41.
(d) Euseb. hist. l. 3. c. 11.
(e) Natal. ab Alex. hist. sæc. 1. c. 10 art. 10.
(f) S. Irenæ l. 3. adv. hæres. c. 3.
(g) Clemens Alexan. l. 1 Strom.
(h) S. Cyril. Hierosol. Catech. 18
(i) S. Epiph. hæres. 27 n. 6.
(l) S. Hier. in Isaiæ. 14. 52. [illegible] de script. Eccl. in Clement. c. 15.
(m) Orig. de Princip. l. 2. c. 3.
(n) S. Clem. epist. ad Corinth.

4. Et clariùs rem explicat Concilium Nicænum I. statuens, episcopos non à Clero, & populo, sed à coepiscopis esse eligendos: *Episcopum convenit, maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provinciâ episcopis ordinari* (o). Paritèr Concilium Bracarense II. *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad sacerdotium promoventur, sed sit judicium episcoporum, ut ipsi eum, qui ordinandus est, probent, si in sermone, & fide, & spirituali vitâ edoctus est* (p). Concilium quoquè Nicæum II. Generale VII. *Oportet enim, qui est promovendus ad episcopatum, ab episcopis eligi, quemadmodum à Sanctis Patribus Nicęæ decretum est* (q). Et Concilium Constantinopolitanum IV. Generale VIII. *Promotiones, atque consecrationes episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione, atque decreto episcoporum collegii fieri, sancta hæc, & universalis Synodus definit, & statuit: atque jure promulgat, neminem laicorum Principum, vel Potentum semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet episcopi* (r). Ità S. Nicolaus Patarensis in Archiepiscopum Myræ in Lycia à Coepiscopis est electus (s). Ità Alexander Cappadox Narcisso Hierosolymitano suffectus est: & antè illum Dius, de quo Eusebius. *Post Narcissi fugam, ignaris omnibus ubinàm gentium ageret, visum est finitimarum Ecclesiarum episcopis alium ejus loco episcopum ordinare, Dium nomine* (t), & sic de aliis.

(o) Concil. Nicæn. 1. c. 4.
(p) Concil. Bracaren. 2. c. 1.
(q) Conc. Nicæn. 2. can. 3.
(r) Concil. Const. 4. c. 22.
(s) Vit. S. Nicol. Episcop. Myræ.
(t) Euseb. hist. lib. 6. c. 14.

5. Corruit ex his unum de præcipuis Contradictorum fundamentis, nempè olim

olim Episcopos fuisse electos suffragiis populi, & Cleri, & consequentèr solos indigenas Ecclesiis præfuisse, (non enim, inquiunt, Clerus, & populus suffragia conferebant extraneis, & ignotis, sed solis indigenis de gremio suæ Ecclesiæ, & sibi bene cognitis). Nam præterquamquod ex hoc non ritè concluditur, quod electio de solis indigenis fieret, cum Clerus, & populus æquè indigenas, ac extraneos, ex se cognitos habere possent, vel aliorum fidâ relatione perspectos, quibus vota contribuerent; dicimus Clerum, & populum ab initio non suffragium in Episcoporum electione contulisse, sed solam præsentiam. Patet hoc ex epistolâ D. Athanasii ad Orthodoxos, in quâ conqueritur, quod Gregorius sibi fuisset subrogatus sinè canonum observantiâ, *nec populis, & Clericis, qui poscerent, præsentibus* (a). Et Origenes: *requiritur in ordinando sacerdote, & præsentia populi, &c. ille eligitur ad sacerdotium, & hoc adstante populo &c.* (b). Sanctus quoque Cyprianus ait: *Episcopus deligatur plebe præsente, quę singulorum vitam plenissimè novit &c.* (c). Successu tamen temporis Clerus, & populus, nedum præsentiam in electionibus exhibere; sed etiam testimonium alicubi conferre aggressus est, & obtinuit. Alicubi nedùm testimonium; sed & consensum, & votum contulit: ac prò diversitate locorum, varias fuisse consuetudines, liquet ex memorato S. Cypriano, qui loquens de methodo, in electione Romani Pontificis observatâ, dicit: *factus est Cornelius Episcopus, de Dei, & Christi ejus judicio, de clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quę tunc affuit suffragio* (d). Et stylum referens electionum in Ecclesiis Africæ, inquit, *Apud nos, & ferè per Provincias universas, tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui prepositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe presente, quę singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit* (e).

(a) *S. Athanas. ep. ad Orthodox.*
(b) *Orig. hom. 6. in Levit.*
(c) *S. Cypr. ep. 68.*
(d) *S. Cypr. ep. 52.*
(e) *S. Cypr. ep. 68.*

6. Itàque à suo exordio soli Episcopi Comprovinciales, non verò populus, & Clerus, Episcopos eligebant: sed quià & ipsi Clerus, atque populus aliquandò sua dilatare phylacteria satagebant, & Coepiscopis obniti, nisi & ipsi suffragia conferrent; hinc fiebat, ut quandòque à Coepiscopis electos Clerus, & populus refutarent: & ità Patrenses Perigenem non admiserunt (f): Hermetem Biterrenses (g): Laudenenses Roriconem (h): Proclum Cyziceni, aliique alios, quos brevitatis causâ silemus. Et de his loquitur Concilium Ancyranum, ac post illud etiam Concilium Antiochenum (i), de quo paulò infrà tractabitur. Ergò cùm ex dicto Concilio Ancyrano probetur, electiones Episcoporum factas esse à Coepiscopis, non verò à Clero, & populo, deficit, ut innuimus, unum ex potioribus fundamentis Contradictorum, nempè, beneficia debita esse solis indigenis, quià soli indigenę, seù de gremio Ecclesiæ, à Clero, & populo eligerentur ad Episcopatum: cum, uti osteodimus, ab initio nec Clerus, neque populus electioni Episcoporum suffragia conferrent, & neque posteà, nisi in locis, ubi usus ità ferebat, reluctante semper Ecclesiâ laicorum, & maximè plebium super his intrusioni, quia, ut egregiè docuit S. Hieronymus, *Nonnunquam errat plebs, vulgique judicium; & in Sacerdotibus comprobandis unusquisque moribus suis favet, ut non tàm bonum, quàm sui similem quęrat prępositum* (l). Et fortè rejectio Episcoporum, in canone Ancyrano descripta, causam dedit decreto, quod post sexennium in Synodo Laodicenâ emanavit, *Non est permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium promovendi* (m).

(f) *Socr. hist. l. 7. c. 35*
(g) *De Marca de concord. lib. 5. c. 34. n. 5.*
(h) *Flodoard. Chron. an. 848. f. 245.*
(i) *Conc. Antioc. c. 18*
(l) *S. Hier. l. 1. cont. Jovinian.*
(m) *Concil. Laodic. an. 320. can. 13.*

7. Cessante itàque jure populi, & Cleri ad electiones faciendas, saltèm quoad illas Provincias, in quibus mos oppositus non vigebat, cessat primò ex Concilio Ancyrano chimericum illud jus, ex adverso exaggeratum, ut electio fieri deberet de gremio tantùm Ecclesiæ, & sic excluditur coarctatio eligibilitatis ad solos indigenas. Secundò cùm prefatum Concilium Ancyranum dè Episcopis, ut suprà non receptis, decernat, *Quod si voluerint in Presbyterii ordine, ubi priùs fuerant, ut Presbyteri residere, non abiiciantur propriâ dignitate* (n); ostendit Episcopos il-

(n) *Conc. Ancyran. c. 17.*

los, à suis subditis non receptos, ex aliis Ecclesiis fuisse desumptos, *vbi priùs fuerant uti Presbyteri*, sicque, vel fuisse extraneos ab Ecclesiis, ad quas fuerant per episcopatum promoti, vel extraneos ab illis, in quibus antè fuerant Præsbyterali honore insigniti. Quarè, quocumque versùs sermo trahatur, semper verum est, extraneos fuisse, & esse episcopatuum, & consequentèr aliorum etiam beneficiorum capaces. Nequè hic somnietur rejectionem Episcoporum, quàm Ancyranus canon indigitat, ex eo pręcisè fuisse profectam, quòd illi Episcopi non essent indigenæ: nàm in primis nullum omninò in toto canonis textu apparet hujusmodi suppositi defectus vestigium. Secundariò, si res ità se habuisset, Concilium suum canonem sub aliâ formulâ concepisset: videlicèt, prohibuisset, nè extranei sacras infulas alienarum urbium susciperent, ut soli indigenæ eligerentur: non verò alienigenarum electionem permisisset, & si non reciperentur, eis in priori Ecclesiâ Presbyteratus stipendia reservasset. Igitùr ex Concilio Ancyrano benè probatur libertas Ecclesię in conferendis ecclesiasticis beneficiis, etiam Clericis non indigenis, sed extraneis.

8. Concilium *Romanum*, Romæ in Thermis Domitianis, dictis etiam Trajanis, congregatum est tempore S. Silvestri Papæ I. ac Magni Imperatoris Constantini, anno Christi 324. confluentibus ad illud Episcopis 230. vel secundum alios 284. (*a*), quibus Augustus vehicula, & annonas ubilibet præstari præcepit: assistente Consessui ipso Imperatore, matreque illius Helenâ, & Calpurnio urbis Romæ Præfecto. In hoc Concilio, intèr cætera, sacram disciplinam concernentia, canon subsequens est emissus: *De reditibus Ecclesię quatuor partes fiant, quarum una cedat Pontifici, ad sui sustentationem: alia Presbyteris, & Diaconis, & omni Clero: tertia Templorum, & Ecclesiarum reparationi: quarta pauperibus, & infirmis, & peregrinis* (*b*). Omissis autèm aliis particulis hujusce canonis, tamquàm ad rem non facientibus, illam solam nobis opus est ponderare, quæ de *Peregrinis* mentionem facit: & prætèr ea, quę de illis supra diximus, ponderamus, nedum hanc Romanam Synodum, sed etiam plerasque alias, idipsum decrevisse, nàm Canones Apostolorum talitèr definierunt: *pręcipimus, ut in potestate suâ episcopus Ecclesię res habeat, &c. Ex iis autem, quibus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates, & ad peregrinorum fratrum usus ipse percipiat, ut nihil possit eis omninò deesse* (*c*). Concilium Antiochenum paritèr decrevit: *Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum ergà omnes, qui indigent, cum summâ reverentiâ, & timore Dei. Participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget, tàm in his, quàm in Fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, itàut in ullo qualibet occasione fraudentur* (*d*).

9. Similitèr Concilium Agathense decrevit: *casellas, vel mancipiola Ecclesiæ Episcopi, &c. in integro Ecclesiæ jure possideant, idest ut nequè vendere, nequè per quoscumque contractus res, undè pauperes vivunt, alienare pręsumant, &c. Minusculas verò res, aut Ecclesiæ minùs utiles, peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ecclesiæ, in usum præstari permittimus* (*e*). Et Concilium Toletanum III. ea, quæ sequuntur, sancivit: *Hæc Sancta Synodus nulli episcoporum licentiam tribuit, res alienare Ecclesiæ &c. Peregrinorum, vel Clericorum, & egenorum necessitati, salvo jure Ecclesiæ, præstare permittuntur prò tempore, quo potuerint* (*f*), hicque sermonem esse de beneficiis, seù de rebus Ecclesiæ, beneficiario jure concessis, tàm Clericis, quàm peregrinis, quorum *egestas morte terminabatur* (*g*), ex ipsâ verborum lecturâ patet. Alios ulteriùs Conciliorum canones non aggregamus, nè oneri lectori simus. Unum est, quod Ecclesia, usquè à remotioribus suis sæculis, voluit, non modò indigenas, & nativos, verum etiam extraneos, & peregrinos, suorum bonorum esse participes. Hoc enim præcepit, ut vidimus, in Conciliis: hoc ore Pontificum docuit: hoc sanctorum Patrum eloquio prædicavit: ut nulli dubium sit, partem aliquam esse debitam peregrinis illarum rerum, quas pietas fidelium Dei servitio mancipavit.

(a) Cardin. Baron. an. 324. n. 124. Bail. to. 2. ad Conc. 2. Roman. f. 37.

(b) Concil. Roman. 3. sub Silvest. c. 6.

(c) Canon. Apost. c. 40.

(d) Concil. Antioch. c. 25.

(e) Concil. Agath. c. 7.

(f) Concil. Tolet. 3. c. 3.

(g) Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. l. 2. c. 87. n. 3.

10. Et

10. Et sanè Simplicius Papa (qui antè Symmachum mox memorandum sedit, Sæculo subsequente, sed præstat eorum dicta hic referre, ad confirmandum opportunè id, quod præ manibus habemus, de peregrinis), Papa inquam Simplicius, Severum instruens Episcopum, ei inter cætera hæc scripsit: *De reditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium quid deceat nescienti, nihil licere permittas, sed sola ei ex his quarta portio remittatur, duæ ecclesiasticis Fabricis, & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ, ab Onagro Presbytero, sub periculo sui ordinis, ministrentur: ultima intèr se Clericis, pro singulorum meritis dividatur* (a). Item Symmachus Papa, in rescripto ad petitionem Sancti Cæsarii Episcopi Arelatensis, prohibuit episcopis concessiones fundorum ecclesiasticorum, *nisi forsitàn aut Clericis bonorum meritis: aut Monasteriis, religionis intuitu: aut certè peregrinis, necessitas largiri suaserit. Sic tamen, ut hęc ipsa non perpetuò, sed temporalitèr, donec vixerint, perfruantur* (b). Ex Patribus, S. Cyprianus in epistola ad Presbyteros, & Diaconos, hæc habet: *Infirmorum, & omnium pauperum curam peto deligentèr habeatis, sed & peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis* (c). Et antè illum S. Justinus, in Apologiâ ad Antoninum Pium: *Prò arbitrio quisque suo, quod visum est contribuunt, & quod istà colligitur, apud Præpositum deponitur, atque indè ille opitulatur viduis, pupillis, & his, qui proptèr morbum, aut aliam quamlibet causam egent, quique in vinculis sunt, & peregrè advenientibus hospitibus* (d).

(a) Simpl. PP. ep. 3.

(b) Symmach. PP. ep. 5.

(c) S. Cypr. ep. 34.

(d) S. Justin. Apol. 2.

11. Ergò de bonis ecclesiasticis quatuor portiones fieri Concilia, Patres, Pontifices pręceperunt (e): quarum una Episcopo: altera reparationi Ecclesiarum: tertia Clericis: & quarta pauperibus applicetur. *Unam*, inquit Gelasius, *sibi ipse retineat* Episcopus: *alteram Clericis prò officiorum suorum sedulitate distribuat: Fabricis tertiam: quartam pauperibus, & peregrinis habeat fidelitèr erogandam* (f). Hancque quadripartitam distributionem, secundùm Apostolorum pręcepta faciendam esse, innuit Gratianus, ex quodam Concilio Toletano (g). Quaproptèr Apostolicum pręceptum dici potest, quod ex quatuor partibus rerum Ecclesię, una *Clericis*, & altera *pauperibus* debeatur. Ponamus autem nùnc in bilance has duas portiones, & dicamus. Cur, quęso, res Ecclesię, pauperum usibus destinatę, dari possunt quibuscumque pauperibus, sivè indigenis, sivè peregrinis; & res Ecclesię, Clericorum usibus destinatę, dari non possunt quibuscumque Clericis, sivè indigenis, sivè peregrinis, & extraneis? Cur ex portione pro pauperibus destinatâ, Canones admittunt viris quoque extraneis, & peregrinis, nedùm transitoriam, & manualem eleemosynam, verùm etiam prędia, ad vitam perfruenda, concedi; Ex portione verò ipsorum bonorum Ecclesię, ad Clericorum usum deputatâ, Clericis extraneis prędia ad perfruendum non possunt dari? Seù, quod idem est, cur non possunt Clericis quoque extraneis ecclesiastica beneficia, ad eorum vitam possidenda, concedi? Undè venit? In quo consistit hoc tàm grande discrimen? Nunquid non æquè sunt res Ecclesiæ, illę, quæ Clericorum, ac illæ, quę pauperum sunt usibus deputatæ? Nunquid sunt deterioris conditionis Clerici extranei, quàm laici peregrini? Nunquid Sæcularium, olim peregrinantium, meritum; Clericorum, nùnc viventium, benemerentiam evincit?

(e) Cap. 23. 25. 26. 27. 28. 30. Caus. 12. quæ. 2.

(f) Cap. concesso 26. 12. qu. 2.

(g) Cap. sancimus 31. 12. qu. 2.

12. Concludendum est igitur, quod primo loco Papa, & secundario etiam alii, tùm ordinarii, tùm delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, possunt prò eorum libito Clericis, non modò indigenis, verum etiam extraneis, de beneficiis ecclesiasticis gratificari, quemadmodùm hoc quarto Christi Seculo *gratificari poterant Episcopi, vel Clericis singulari meritorum laude commendatis: vel peregrinis egentibus, sivè hi laici fuerint, sivè Clerici, sivè denique Episcopi, ut in B. Quintiano Episcopo Ruthenensi paruit, cui Arvernus, & Lugdunensis Episcopi, fruendos dedere agros aliquot, ad sui, suorumque in secessu suo sustentationem* (h). Accedit alia ratio, in hoc consistens, quod nullus verè sapiens negabit, quin possint collatores beneficiorum, ordinariâ, & episcopali præditi facultate, Xeno-

(h) Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 3. l. 2. c. 16. n. 6.

dochia de rebus Ecclesiæ constituere, & ad peregrinos ibi recipiendos, atque alendos dotare, etiam illis uniendo ecclesiastica beneficia, quę ipsismet evadant perpetualitèr applicata: hoc enim & jura concedunt, & ordinaria facultas Episcoporum complectitur, & quotidiana praxis ostendit. Ergò cur quęso beneficia ecclesiastica poterunt Xenodochiis, ad usum peregrinorum, perpetuò retinenda, connecti; & non poterunt Clericis extraneis, ad tempus possidenda, concedi?

13. Concilium *Nicænum I.* Nicææ celebratum est anno Christi 325. Sedente in Petri Cathedrâ S. Silvestro I. & Cęsareum Sceptrum moderante Flavio Constantino, hujus nominis primo, cui interfuere episcopi 318., ob hoc in unum congregati, ut primò hęresim Arrii Alexandrini confoderent, qui Christo Divinitatem temerè dextrahebat (*a*). Secundò, ut dies figeretur, in quâ sanctum Domini Pascha ubilibet celebraretur, adversùs hęresim Quartadecimanorum (*b*). Tertiò ut Schisma comprimeretur, quod pridèm Meletius Episcopus Lycopolitanus in Ægipto, adversùs S. Petrum Alexandrinum, conflaverat (*c*). In hoc Concilio plures editi sunt canones, de quorum numero non conveniunt Auctores, licèt viginti ab omnibus, tamquam legitimi suscipiantur (*d*), suspensâ fide quoad cęteros, numerum octoginta complentes. In illis, qui ex Arabico idiomate circumferuntur, septuagesimus secundus admittit posse episcopum unius urbis, ex justâ causâ, fieri alteriùs urbis Archiepiscopum (*e*), quo ad effectum perducto, necesse est, ut Episcopus, de unâ in aliam Sedem traductus, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ fit exterus, sicquè juxtà hujuscè canonis textum, si collatio Episcopalis beneficii extraneo fieri posse permittitur; beneficia quoque minora poterunt ad extraneos pervenire. Verùm quoniàm imminutæ fidei censentur canones hujusmodi ex Arabico traducti, & à pluribus Eruditis prò pseudepigraphis reputantur (*f*), nolumus hic super præfato canone vim facere, sed ad alium certioris auctoritatis transimus.

(a) *S. Athanas. ep. ad solitar. S. Hilar. lib. de Synod. Socrat. hist. l. 1. c. 5.*
(b) *Euseb. vit. Const. l. 3. c. 18. Socrat. hist. l. 1. c. 9. Theodoret. l. 1. c. 10.*
(c) *Theodoret. hist. l. 1. c. 9. Socrat. hist. lib. 1. c. 6.*
(d) *Vid. Cabasut. Notit. Concil. Diatrib. de num. Canon. Nicæn.*
(e) *Conc. Nicæn. ex Arabic. c. 72.*
(f) *Bail. tom. 1. in Concil. Nicæn. 1. in fin.*

14. Inter, inquam, autographos canones Concilii Nicæni, unus legitur, ità sonans: *Quicumque temerè, & inconsideratè, nec Dei timorem præ oculis habentes, nec ecclesiasticum canonem tenentes, Presbyteri, vel Diaconi, vel quicumque omninò in canone recensentur, ab Ecclesiis recesserint, ii in alienâ Ecclesiâ nullo modo recipi debent, sed omninò cogendi sunt in suas ipsorum Parœcias redire: vel si perseveraverint, eos omninò à communione separatos esse oportet: sin autem ausus fuerit quispiam eum, qui ad alium pertinet subripere, & in Ecclesiâ ordinare, non consentiente proprio episcopo, à quo recessit, qui in canone censetur, irrita sit ordinatio* (*g*). Canon iste primâ facie videtur nobis oppositus, sed si secundum suum intimum vigorem consideretur, invenietur revera nobis favere. Nam in primis prohibet quidem omnibus episcopis Clericos alienos ad se trahere, & in suâ Ecclesiâ locare, per ordinum, & consequentèr etiam per beneficiorum collationem: at non ad omnes Clericos indifferentèr interdictum istud diffundit, sed ad illos solum, *qui in canone recensentur*, idest qui, prò more illius temporis, post ordinum susceptionem fuerant ab Antistite albo servientium Ecclesiæ adscripti, & sportulas recipiebant, eorum servitio respondentes, quod nunc resonat in idem, ac dicere, illos, qui officio, & beneficio residentiali sunt Ecclesiæ devincti: hique etiam nostris temporibus, sinè licentiâ proprii Episcopi, ab Ecclesiâ, cui desponsati, seù addicti sunt, recedere non valent, & ad alienam Diæcesim prò suo arbitrio pertransire (*h*).

(g) *Concil. Nicæn. 1. c. 16.*
(h) *Concil. Trid. sess. 23 cap. 16. & ibi Barb. n. 15.*

15. Recolendum est enim, non ad unicum titulum Ecclesiæ Cathedralis, vel alteriùs Diœcesanæ Ecclesiæ, potuisse Clericos ordinari, sed etiam ad alios titulos, quos enumerat Concilium Chalcedonense, hoc decreto: *Neminem absolutè ordinari jubemus Presbyterum, neque Diaconum, nec quemlibet in Ecclesiasticâ Ordinatione constitutum, nisi manifestè in Ecclesia suæ Civitatis, sivè possessionis, aut in Martyrio, aut in Monasterio, hic, qui ordinatur, mereatur ordinationis suæ* ro-

vocabulum (*a*): Ubi notetur verbum illud *possessionis*, quod explicatur à Glossâ hoc modo: *possessionis, idest si ordinatur ad titulum Patrimonii sui* (*b*): Quarè promoti ad titulum Ecclesiæ Cathedralis, vel alterius Ecclesiæ, à jurisdictione Episcopi dependentis, dicebantur in canone censiti, seù inscripti catalogo eorum, qui in determinato officio, Ecclesiæ alicui erant applicati, à quâ, vel sportulas manuales, vel usumfructum prædiorum, vel alitèr alimenta, ministerio suo respondentia, percipiebant: & hi tamquàm cùm suo titulo copulati, seù desponsati, ad residendum, & ministrandum in illo tenebantur, nec poterant ab alieno Episcopo ad propriam Ecclesiam trahi, vel ab eo ordines, aut beneficia sacra nancisci.

16. At illi, qui non erant *in Canone recensiti*, nempè qui nullo adhùc titulo devincti erant, vel ad titulum proprii Patrimonii sacros Ordines acceperant, nullius determinatæ Ecclesiæ obsequio deputati, sicquè non in canone recensiti; isti, inquam, vigore canonis Nicæni, poterant ab alio Episcopo trahi, & suæ Ecclesiæ mancipari. Etenim verba Concilii non oscitantèr, vel inofficiosè posita fuisse censendum est, sed judiciosè, quìppè à Patribus magnæ virtutis, & prudentiæ, composita, nedùmque rerum, sed etiam verborum exactissimis scrutatoribus. Adfuerunt siquidèm magno huic Concilio, Alexander Episcopus Alexandrinus, Eustatius Antiochenus, Macharius Aeliensis, Jacobus Nisibitanus, Hippatius Gangrensis, Asclepas Gazæ, Nicolaus Myræ, Leontius Cæsareæ, Amphion Epiphaniæ, Basilius Amaseæ, Meletius Sebastæ, omnes sanctorum fastis adscripti, prætèr alios ingentis famæ. Adfuit & S. Spiridion Episcopus Trimithuntis in Cypro (*c*), qui audiens in Synodo recitari orationem à Triphyllio Episcopo Ledrensi, eloquentiori suæ ætatis præcone, uti testis est S.Hieronymus (*d*): ab eoque referri locum D.Marci: *tolle grabatum tuum, & ambula* (*e*), sed vice *grabati*, *lectum humilem* dici, statim illum ità coarguit, *Tu nè melior es illo, qui dixit grabatum, ut ejus verbis uti dedigneris* (*f*)? Si tantam curam habuit unus tantummodò ex illis Patribus, nè verbum prò verbo, vox prò voce, prò dictione dictio proferretur; quid censendum est Patres Concilii unà simùl cunctos egisse? Quali, & quantâ credendum est circumspectione cavisse, nè in canonibus exarandis verba minùs propriâ ponerentur? Igitur verba Concilii non est judicandum inofficiosè posita fuisse, sed studiosè, ut omnem suam significationem haberent. Ex quo ergò Concilium dixit: *Qui in canone recensentur*, patet, illâ verbâ fuisse ibi editâ taxativè, ac restrictivè ad solos Clericos in canone recensitos. Cumque exceptio, ex notissimis, firmet regulam in contrarium (*g*), liquet, quod Concilium, restringens suam prohibitionem ad solos Clericos, in Canone recensitos; exclusit ab eâ Clericos in canone non recensitos: ergò saltèm isti poterant ab alienis Episcopis ordines, & consequentèr etiam beneficia sacra adipisci, maximè in sententia Contradictorum, asserentium, quod antiquis temporibus beneficia non ibant ab ordinibus separatâ. Et licèt posteà noviores leges Ecclesiasticæ supervenerint, prohibentes Ordinum susceptionem ab alio, quàm à proprio Episcopo; remansit tamèn in suo vigore canon iste Nicænus, quoad beneficia consequenda: & sic vi dicti Canonis, potuerunt, & possunt beneficia ecclesiastica compatibilia conferri Clericis extraneis, alibi in canone non descriptis, seù beneficium residentiale in alio loco non obtinentibus.

17. Hunc certè esse obvium, & germanum canonis Nicæni sensum, ipsa textus lectio patefacit: sed quatenùs etiam ità non esse vellet captiosè contendi, emergit ex ipso canone alia ratio, abundè nostrum probans intentum: quippè in eo decernitur, nè quisquam Episcopus alienæ Ecclesiæ Clericum ad se trahat, *non consentiente proprio Episcopo* (*h*). Ergò consentiente proprio Episcopo, Clericus extraneus potest ab alio Episcopo, & ad ordines promoveri, & in suâ Ecclesiâ locari, ac beneficiis ecclesiasticis insigniri. Trahit hanc illationem Glossa, corpori juris adjecta, ubi canon hic Nicænus inseritur, dicens: *Ergò cum consensu ejus poterit* (*i*). Igitur, licèt in sententiâ Contradictorum, extranei ut sic

non

(a) *Conc. Chalced. c. 6.*

(b) *Glos. in cap. neminem verb. possessionis dist. 70.*

(c) *Niceph. l. 8. c. 42. Baron. an. 325. n. 48.*

(d) *S. Hier. de script. Eccl. in Triphil. cap. 92.*

(e) *Marci 2. 11.*

(f) *Niceph. l. 8. c. 42. Sozom. l. 1. c. 11.*

(g) *Clementin. exivi. 1. de verb. signif. verb. deinde l. quæsitum. 6. deinde ff. de fid. instr. Barbos. axiom. 85. n. 4. cum aliis, ab eo allegatis.*

(h) *Concil. Nicæn. 1. c. 16.*

(i) *Glos. in cap. si quis 3. verb. consensum dist. 71.*

non possent beneficia sacra adipisci; tamèn ex Concilio Niceno, hoc solùm verum est, ubi, & quotiès Episcopus eorum propriùs contranititur: nam si episcopus Diœcesanus ipsorum consentiat, optimè poterunt ubilibet beneficiis ecclesiasticis investiri. Sicque reducendo theoricam ad praxim, totiès quotiès Papa, Episcopi, & Præsules Ecclesiæ, aliique, tùm ordinarii, tùm delegati beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores, aliquod beneficium Clerico extraneo contribuunt, ad Contradictores pertinebit probare, quòd Ordinarius Clerici, beneficium percipientis, dissentiat: aliàs si ejusdem consensus, vel tacitus, vel expressus, accedat, licitè illi beneficia sacra dicentur esse collata. Et quià per plura sunt Concilia, quæ hanc eândem sanctionem, sub eisdem, vèl coæqualibus verbis, continent; aliquem eorum elenchum hìc successivè, ac ordine chronologico conferemus, ut ex ipsorum auctoritate, causa nostra robur accipiat, & ineluctabilem, atque multiplicem contrahat probationem.

18. Concilium Apostolorum, seù meliùs Canones Apostolici, editi anno Christi 44. ab Apostolis, prò condendo fidei symbolo congregatis, vel saltèm editi anno 258., prout placet recentioribus eruditis (*a*), hoc intèr cætera decreverunt: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam parœciam, pergat ad alienam, & omninò demigrans, præter Episcopi sui conscientiam, in alienâ parœciâ commoretur, hunc ulteriùs ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo, redire contempserit* (*b*). Hos canones optimè scimus ab aliquibus prò apocryphis reputari, ut à S. Isidoro Hispalensi, apud Gratianum (*c*): ab Hincmaro Remensi, in opusculo adversùs Hincmarum Nepotem suum (*d*): A Carolo Molinæo (*e*): & novissimè à Natali ab Alexandro (*f*). Sed æquè scimus eos validè propugnari, & saltem quoad primos quinquaginta defendi à Francisco Turriano in eorum defensione (*g*): A Xysto Senensi in suâ Bibliothecâ Sanctâ (*h*): A Bellarmino, de Scriptoribus ecclesiasticis (*i*): A Cardinali Baronio, in suis Annalibus ecclesiasticis (*l*): A Bail in summa Conciliorum (*m*), atque ab aliis: Nobisque ad intentum nostrum sufficiet; ipsos canones ab initio sexti Sæculi in Ecclesiæ latinæ Codicem fuisse relatos, & successivè auctoritatem legis Ecclesiasticæ obtinuisse, quemadmodum probat memoratus Natalis (*n*); sicque jam saltem ab undecim Sæculis primos 50. ex ipsis Canonibus ecclesiasticæ regulæ vim habere, ob quam canoni 15. à nobis allegato plena habenda sit reverentia.

19. Concilium *Arelatense II.* habitum anno Christi 330. sub S. Silvestro Papa I. (*o*), vel, ut aliis placet anno 389. sub Siricio (*p*), ità decrevit: *Nullus cujuscumque ordinis Clericus, non Diaconus, non Presbyter &c. propriam relinquat Ecclesiam &c. quod si aliqui commorationis tempore, invito episcopo suo, in alienâ Ecclesiâ habitans, ab episcopo loci Clericus fuerit ordinatus, hujusmodi ordinatio irrita habeatur* (*q*). Pariter Concilium *Sardicense*, Generalis Nicæni I. appendix, anno Christi 347. celebratum, tempore Julii Papæ I. hæc sancivit: *Quicumque ex alienâ Parochiâ voluerit alienum ministrum, sinè consensu episcopi ipsius, & sinè voluntate ordinare, non sit rata ordinatio ejus* (*r*). Idem Concilium *Carthaginense III.* anno Christi 397. coadunatum tempore Siricii Papæ, sic, intèr alia, constituit: *Clericum alienum, nisi concedente ejus episcopo, nemo audeat retinere, vel promovere in Ecclesiâ sibi creditâ. Clericorum autem nomen etiam Lectores & Psalmistæ, & Ostiarii retineant* (*s*). Similitèr Concilium *Carthaginense IV.* adunatum anno Christi 398. tempore Anastasii Papæ I. canonem tenoris hujus extendit: *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus &c. Inferioris verò gradus Sacerdotes, vel alii Clerici, concessione suorum episcoporum, possunt ad alias Ecclesias transmigrare* (*t*).

20. Paritèr Concilium *Epaonense* anno Christi 509. intimatum tempore Symmachi, vel secundam alios anno 519. tempore Hormisdæ Papæ, sequens edidit con-

(a) Natal. ab Alexand. hist. Sec. 1. differtat. 17. in fine.
(b) Canon. Apost. 15.
(c) Cap. canones dist. 16.
(d) Hincmar. Remens. in opusc. adv. Hincm. nepot. c. 14.
(e) Molinæ. in not. ad Decret. Gratian. dist. 16.
(f) Natal. ab Alex. hist. sec. 1. differt. 17.
(g) Turrian. defens. can. Apost. c. 25.
(h) Xistus Senens. Biblioth. Sanct. lib. 2.
(i) Bellarm. de scriptor. Eccles. in Clement. Roman.
(l) Baron. an. 102. à n. 10. ad n. 19.
(m) Bail. to. 1. Sum. conc. in concil. Apost. f. 133.
(n) Natal. ab Alex. loc. cit. concl. 2.
(o) Bail. Sum. conc. in concil. Arel. 2. to. 1. fol. 60.
(p) Coriol. Sum. conc. in concil. Arel. 2. fol. 295.
(q) Concil. Arel. 2. c. 13.
(r) Concil. Sardic. 19.
(s) Concil. carth. 3. c. 21.
(t) Conc. carth. 4. c. 27.

constitutum: *Nè Presbyter territorii alicujus, sinè conscientiâ sui episcopi, in alteriùs civitatis territorio præsumat Basilicis, aut Oratoriis inservire, nisi fortè Episcopus suus illum concedat episcopo illi, in cujus territorio habitare dispositit* (a). Rursus Concilium *Toletanum II.* anno Christi 527. vel secundum alios anno 531. congregatum, tempore Bonifacii Papæ II. prout sequitur, Synodalitèr definivit: *Nè quis ex eis, qui tali educatione imbuitur, qualibet occasione cogente, propriam relinquens Ecclesiam, ad aliam transire præsumat. Episcopus verò, qui eum susciperе, absque conscientiâ proprii Sacerdotis, fortasiè præsumpserit, totius fraternitatis se reum esse noverit* (b). Item Concilium *Aurelianense III.* anno Christi 538. coadunatum, tempore Vigilii Papæ, hoc decretum sancivit: *De his Clericis, qui sub qualibet occasione, aùt conditione, in alienorum civitatibus, vel territoriis crediderint immorandum, nec ad ullum Clericatus honorem absque episcopi sui scripto, atque consensu, habeant promoveri* (c). Similitèr Concilium *Arvernense*, anno Christi 541. convocatum, tempore ipsius Vigilii Papæ, jussionem hujusce formulæ edixit: *Nè ullus episcopus alteriùs Clericum, contrà voluntatem episcopi sui, suscipere audeat, aut Sacerdotio prærogare* (d). Et Concilium *Aurelianense V.* anno Christi 549. celebratum, tempore ejusdem Vigilii Papæ, edixit hoc modo. *Nullus Clericum, seù Lectorem alienum, sinè sui concessione episcopi, vel promovere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vindicare, quod si quis hanc constitutionem fuerit quacumque præsumptione transgressus, memoratæ personæ ab eo, cui sunt debitæ, seù ecclesiastico jure, seù proprio revocatæ, quià illicita vacatione discesserant, & ab honore, vel officio suscepto, juxtà arbitrium sui Pontificis suspendantur* (e).

21. Itidem Concilium *Bracarense I.* anno Christi 561. vel secundum alios anno 563. conglobatum, tempore Joannis Papæ III. hujusmodi edidit constitutum: *Nullus episcopus Clericum alteriùs ordinare præsumat, sicut & antiqui canones statuerunt, nisi fortè signata ipsius episcopi scripta susceperit* (f). Pariformitèr Concilium *Cabilonense*, quod anno Christi 650. tempore Martini Papæ I., vel secundum alios anno 663. tempore Vitaliani Papæ coalvit, hoc decretum sancivit: *Nullus alteriùs Clericum retinere præsumat, sicut piscis est canonibus institutum, nec ad sacrum ordinem, sinè voluntate sui episcopi penitùs promovere* (g). Concilium quoque *Constantinopolitanum III.* Generale VI. anno Christi 681. convocatum, tempore Agathonis Papæ, legem hanc præfinivit. *Quoniam diversarum Ecclesiarum Clerici, iis, in quibus creati sunt Ecclesiis relictis, ad alios decurrunt episcopos, &c. statuimus &c. nullum omnium Clericorum, etiam in quolibet gradu facultatem habere, se in aliâ Ecclesiâ, constituendi, absquè sui Episcopi literis Dimissoriis* (h). Demùm Concilium *Nicænum II.* Generale VII. anno Christi 787. celebratum, tempore Hadriani Papæ I. constitutionem, quæ sequitur, ordinavit, *quoniam nonnulli è Clericis &c. relictâ suâ Paræciâ, in aliam excurrunt &c. His itàque, citrà proprium episcopum, & Constantinopolitanum, non permittitur, ut recipiantur in ullâ domo, Ecclesiâvè: quod si hæc facere perrexerit, deponatur* (i).

22. Alia perplura Concilia, quæ canones tenoris consimilis ediderunt, possemus hic affatim adunare (l), sed brevitati indulgentes, subsistimus, contenti produxisse primaria Orbis Concilia, & antiquioribus sæculis congregata, ut pateat, non recenti more, sed vetustissimâ disciplinâ, ab ipsis Ecclesiæ initiis deductâ, potuisse Clericos extraneos ad alias Diæceses pertrahi, ac inibi ordines, & cohærentèr etiam beneficia sacra adipisci, hoc uno prærequisito, quod sui episcopi assensus accederet: tuncque, ait Thomassinus, *Nibil novi ordinis ab episcopo hoc alio accipiebant, sed Ecclesiæ alieni sese adstringebant regendæ, quod omninò nefas erat, nisi episcopus, cui se priùs addixerant, eos relaxaret, & prorsùs cederet Collegæ* (m). Imò Concilium Arausicanum I. anno Christi 441. celebratum, non consensum, sed solam consultationem exigit episcopi, cui Clericus extraneus

(a) *Concil. Epaonen. c. 5. Bail. Sum. concil. to. 2. in concil. Epaonen. Coriolan. ibidem. Sirmond. & Cabassut. eod. loc.*

(b) *Concil. Tolet. 2. c. 2. Bail. & Coriolan. Sum concil. in conc. Tolet. 2. Aguirre ponit. an. 527.*

(c) *Concil. Aurel. 3. c. 15. Sirmon. to. 1. conc. Gall. to. 1. f. 252.*

(d) *Concil. Arvernen. c. 10.*

(e) *Concil. Aurelian. 5. c. 5.*

(f) *Concil. Bracar. 1. c. 8. Bail. & Coriolan. Sum. conc. ponunt anno 563. Aguirre ponit. anno 561.*

(g) *Concil. Cabilon. c. 13.*

(h) *Concil. Constantinop. 3. c. 17.*

(i) *Concil. Nicæn. 2. c. 10.*

(l) *Concil. Trid. sess. 23. c. 2. sess. 23. c. 8. 15. concil. Chalced. c. 20. concil. Arel. 1. c. 2. conc. Taurin. c. 7. conc. Mogunt c. 4. concil. Arausic. 1. c. 8. &c.*

(m) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 1. c. 4. n. 2.*

traneus subjacebat: *Si quis*, inquit, *alibi consistentem Clericum ordinandum putaverit, priùs definiat, ut cum ipso habitet: nec eum sinè consultatione ejus episcopi, cum quo antè habitavit ordinare præsumat* (a). Undè repetendo hic argumentum, superiùs paragrafo 17. regulatum, enitescit, quod, nisi per Contradictores probetur, Episcopos Clericorum, qui extrà eorum Diæcesim, beneficia consequuntur, esse invitos, posse optimè Clericos ipsos ubilibet, atquè à quibuscumque Collatoribus ecclesiastica beneficia nancisci.

(a) Concil. Arausic. 1. c. 8.

CAPUT VI

In quo eadem libertas Ecclesiæ conferendi Sacras Præbendas, & Ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis, per quartum Christi Sæculum, *probatur doctrinâ Conciliorum* Arelatensis II. Antiocheni I. Carthaginensis III. *& aliorum, quę fuerunt eodem Sæculo celebrata.*

1 *Concilium* Arelatense II. *decernit, laicum posse ab alieno Episcopo promoveri. Coincidit Concilium Toletanum* II. *&* *Carthaginense* III.

2 *Vi Canonum antiquorum interdictum erat cuilibet Clerico ordines ab alieno Episcopo suscipere, sinè illius consensu: sed laicis hoc non erat prohibitum.*

3 *Concilium* Arausicanum I. *vetat, nè clericus alibi, sinè sui Episcopi consultatione, promoveatur. Indè sancit, ut laicus extraneus ordinari possit.*

4 *Juxtà hoc Concilium, sola consultatio proprii Episcopi necessaria erat, ut Clericus alibi promoveri posset: laicus verò liberè poterat ordinari.*

5 *Concilium Carthaginense* I. *vetuit nè alienis laicis ordines conferrentur: sed id sanxit ob causas speciales, nec extrà propriam provinciam habuit vim legis.*

6 *Novæ leges posteà venerunt, vetantes collationem ordinum tàm laicis, quàm clericis extraneis, sed intacta remansit libertas concedendi eisdem beneficia.*

7 *Concilium* Antiochenum, *quâ occasione habitum fuerit? Approbavit depositionem D. Athanasii, eique successorem designavit Eusebium Emesenum, indè Gregorium Cappadocem.*

8 *Ex Concilio Antiocheno, quos Episcopale beneficium Alexandriæ detulit Eusebio Emeseno Syro, ac deindè Gregorio Cappadoci, patet Ecclesiam tunc favisse admissioni extraneorum.*

9 *Ex lege quoque, in ipso Concilio edita, quod vacantes Episcopi possent viduas Ecclesias adipisci, libertas Ecclesiæ probatur admittendi extraneos ad beneficia.*

10 *Concilii Antiocheni auctoritatem alii impugnant, alii admittunt: nobis satis est, ejus canones ferè omnes esse juris corpori insertos &c.*

11 *Concilium* Illyricum, *decernit, quod in electionibus Antistitum, Episcopi vacui, si adsint, promoveantur ad Ecclesiam viduatam.*

12 *Concilium* Carthaginense III. *definiendo contentionem inter Episcopos Mapaliensem, & Uzalitanum, favit admissioni extraneorum ad ecclesiastica beneficia.*

13 *Definitio hæc, quod laicus extraneus posset alibi promoveri ad ordines, & ad beneficia, etsì fuerit particularitèr edita, habuit tamèn in Africa vim legis generalis.*

19 *Mu-*

14 *Mutata est antiqua illa disciplina ordinandi clericos, & laicos alienæ Diœcesis. Sed nulla lex supervenit, interdicens illorum admissionem ad beneficia.*

15 *Ejusdem Concilii Carthaginensis sanctione dicitur, Episcopum Carthaginis habuisse semper licentiam, undè vellet Clericos accersendi, & alienis ecclesiis præficiendi.*

16 *Idem Concilium disponit, Episcopum Carthaginensem posse alienum Presbyterum Episcopi, nullum alium habentis, traducere ad aliam ecclesiam.*

17 *Quando in praxi Episcopus Carthaginensis clericum, ut suprà traducebat, clericus ille, vel à primâ, vel à secundâ ecclesiâ erat extraneus.*

18 *Commune hoc jus fuit cunctis Ecclesiis alienos clericos admittendi: sed solùm Episcopo Carthaginensi potestas inerat etiam cogendi Episcopos, ut clericos postulatos concederent.*

19 *Jus traducendi clericos de unâ ad aliam ecclesiam, Episcopo Carthaginensi non potuerunt concedere alii Episcopi, neque Imperator, sed solus Papa.*

20 *Ecclesia Romana sic facultatem aliis largitur, ut illam non abscindat à sè. Si ea quæ diximus poterat episcopus Carthaginensis; multò magis idipsum poterit Papa.*

21 *Majoribus Sedibus licuit semper traducere clericos de unâ ad aliam ecclesiam: Romanæ, Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Carthaginensi &c.*

22 *Ex doctrina Filesaci, & lege Justiniani, licitum fuit Patriarchę Constantinopolitano traducere de unâ ad aliam ecclesiam clericos, & monachos.*

23 *Idipsum complebat Patriarcha Alexandrinus, ex D. Athanasio, monachos ordinante ad episcopatum, nec obest reclamatio adversùs Gregorium Cappadocem.*

24 *Julius PP. 1. & S. Athanasius declamant adversùs Gregorium Cappadocem, non quà extraneum, sed quà vitiis infectum, & modò debito non promotum.*

25 *Si facultas traducendi clericos de unâ ad aliam ecclesiam pertinuit ad Episcopos Carthaginis, Alexandriæ, & Constantinopolis; cur id Summo Pontifici non licebit?*

26 *Præfatæ facultati nihil obest damnatio Formosi Papę, tamquam injusta: neque obest epistola Stephani Papæ* VI.*neque Romanę Synodi sub Joanne* IX.*& Nicolao II.*

27 *Stephanus PP.* VI. *in epistolâ ad Basilium Imperatorem, probat, licitam esse transitionem Episcoporum de unâ ad aliam ecclesiam, occasione Marini Papæ.*

28 *Concilium Carthaginense* III. *admittens traductionem clerici de unâ ad aliam ecclesiam, loquitur non de casu necessitatis, sed utilitatis: alioquin sanctio fuisset episcopis gravosa.*

29 *Concilium* IV. *Carthaginense, prò transitione Episcoporum de unâ ad aliam ecclesiam, exigit solam utilitatem: prò inferioribus verò clericis, solum beneplacitum sui Episcopi.*

30 *Episcopus Carthaginensis, nòn solùm prò alienis ecclesiis, sed etiam prò suâ, poterat clericum traducere. Sunt duo principia incompossibilia, quod traductio illa fieret ex præcepto charitatis, & quod exclusio extraneorum sit de jure divino.*

31 *Si Præsulibus primarum sedium inerat facultas traducendi clericum de unâ ad aliam ecclesiam; hæc facultas inesse debet quoque Papæ: favetque admissioni extraneorum.*

1. CONCILIUM *Arelatense II.* Arelate in Galliâ convocatum est circa annum Christi 330. sub Silvestro Papa I. Imperante magno Constantino, uti censet Cardinalis Baronius, licèt aliquantùm anceps (*a*), necnon Genebrardus (*b*): Gauterius (*c*): & Bail (*d*). Quidquid alii hoc Concilium ad annum Christi 389. referant sub Siricio (*e*). In eo de disciplinâ ecclesiasticâ plures canones sunt sanciti, quos ad 56. extendit Sirmondus (*f*), & ex eis unus ità proloquitur: *Si quis Sæcularium religionis se ad quemcumque Sacerdotum crediderit conferendum, ipse sibi eum, quem erudiendi gratiâ suscepit, vindicabit* (*g*). Obscurus fortè videbitur hujusce canonis tenor: sed si attentè perpendatur, sensus ejus est clarus: ibi enim Patres decernunt, quod quicumque, nondùm Clericali charactere insignitus, sed in statu adhùc laicali consistens, religionis intuitu, seù ex devotione, quam habeat ad alium episcopum, illum adeat, eique se offerat instituendum, is non episcopo suo nativo, sed episcopo illi, cui se devotionis intuitu dedicavit, inposterùm subsit, & ab eo Tonsuram, & Clericatum, & stipendia ecclesiastica, seù beneficia sacra suscipiat. Tantæ efficaciæ ratus est hujusmodi canon, esse institutionem, & educationem, ut quoddam videatur habere cum ratione Originis æquipondium: ideòque censuit, justum non esse, quod vir, ab aliquo Episcopo, non sinè ingenti labore, apud se institutus, vel dudùm aliàs educatus, à nativo posteà Episcopo repeteretur: eâ fortè ratione, quâ Patres Concilii Toletani II. usi sunt, de Clericis loquentes, *durum est, ut eum, quem alius rurali sensu, ac squallore infantiæ exuit, alius suscipere, ac vendicare præsumat* (*h*), de quo etiam casu ingens fuit in Concilio Carthaginensi III. contentio intèr Epigonium Mapaliensem, & Julianum Uzalitanum episcopos, ob puerum institutum, prout paulò infrà cernemus.

(a) *Card. Baron. an.* 314.
(b) *Genebrard. Chronic. in Sylvest.*
(c) *Gauter. in tabul. Chronolog. sæc. 2. col. 3.*
(d) *Bail tom. 2. Sum. conc. in conc. Arelat. 2. in fin.*
(e) *Vid Bail. loc. cit. Coriolan. Sum. conc. in conc. Arel. 2. f. 295.*
(f) *Sirmond. tom. 1. concil. Gall.*
(g) *Concil. Arelat. 2. cap. 36.*
(h) *Concil. Tolet. 2. cap. 2.*

2. Alibi namque diximus, fuisse rigorosè à sacris canonibus interdictum, nè Clerici alicujus Ecclesiæ ab Episcopo alterius loci abriperentur, sed ubi Tonsuram, & primos ordines susceperant, ibi sinerentur ad reliquos etiam ordines promoveri. Hoc idem in præsenti Concilio fuit expressè prohibitum, uti suprà retulimus cap. præced. num. 19. At cum & hujusmodi Concilium, & alia consimilia, de Clerico quidem sic statuissent, de laico verò nihil edixissent; in libertate sæcularium erat, hic, vel illic ordines, & beneficia sacra captare. Quarè Concilium Arelatense, postquam canone 13. consona prioribus canonibus quoàd Clericos decrevisset; ad tollendum postmodùm omne dubium quoàd laicorum libertatem, ipsam hujus novi canonis adjectione sancivit. Quapropter hinc instruimur, quod licèt, vi canonum antiquorum, clerici extranei non possent, invito proprio Episcopo, in aliis Ecclesiis ad officia ecclesiastica promoveri; Laici tamen extranei optimè id poterant. Et si poterant laici sacris ordinibus extrà patriam insigniri, poterant etiam multò magis beneficiis ecclesiasticis munerari. Hanc rationem fusiùs prosecuti sumus in probationibus tertii Sæculi, ubi de promotione Origenis incidit sermo (*i*). De eâ rursùs infrà erit locutio, ubi de Pauliniano, fratre S. Hieronymi, redibit eloquium (*l*). Illuc ergò lectorem remittimus, & interim idipsum ex Concilio Arausicano 1. proponimus.

(i) *Vid. supr. cap. 4. num. 15.*
(l) *Vid. infr. cap. 9. num. 5.*

3. Etenim sacrum, & perantiquum Concilium *Arausicanum I.* in Gallia celebratum est anno Christi 441. tempore S. Leonis Papæ I. & Theodosii II. Imperatoris, considentibus in eo 15. episcopis, Provinciarum Narbonensis, & Lugdunensis, doctrinâ, & sanctitate celeberrimis (*m*), Præside S. Hilario Arelatensi, cujus sollicitudini Patres illi quædam in fine Synodi commiserunt (*n*). In hoc Concilio duplex canon occurrit, sententiæ nostræ præbens auxilium. Nàm in primis decernit, quod si quis alienum clèricum ordinandum putaverit, id talitèr adimpleat, ut illum secùm retineat, idest illi stipendia clericalia, seù beneficium in suâ Ecclesiâ contribuat, nèc ad illum ordinandum aliud exquirat, nisi consilium, seù consultationem Episcopi Diœcesani. En verba textus, paulò anteà enuntiati.

(m) *Card. Baron. an. 441. num. 3.*
(n) *Conc. Arausf. 1. cap. 29.*

tiati: *Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putaverit, priùs desinat, ut cum ipso habitet. Nec eum, sinè consultatione ejus episcopi, cum quo antè habitavit, ordinare præsumat: quià non sinè causâ diù ab alio non ordinatus remansit* (a). Prosequitur deindè Concilium, & alium canonem addit, de ordinandis laicis alienæ Diœceseos, statuitque proùt sequitur: *Si qui autem alienos cives, aut alibi consistentes ordinaverint, nec ordinati in ullo accusentur, aut ad se eos revocent, aut ipsi eis impetrent, cum quibus habitent* (b).

4. Distinguit ergò Concilium intèr ordinationem clerici, & laici extranei, præcipitque primò quoad clericum, ut possit Episcopus alienus illum promovere, dummodò ei ecclesiasticum conferat beneficium, & super ejus promotione cum Episcopo Diœcesano consultet: cùmque credendum non sit, verba in canone fuisse apposita, nisi ponderatè, & prudentèr; quotiès Concilium exigit Episcopi Diœcesani *consultationem*, non verò consensum; docet, nedùm non esse prohibitum beneficia ecclesiastica clericis extraneis elargiri, sed imò sub præcepto cadere, ut eis dentur, quotiès Episcopus alienus vellet clericum extraneum suo Clero interserere, nèc aliud ulteriùs exigi, nisi consultationem Episcopi Diœcesani, ideò præmittendam, nè fortè indignus aliquis ab alieno episcopo ordinaretur, hoc enim præseferunt memorati canonis verba: *Quià non sinè causâ diù ab alio non ordinatus remansit* (c). Secundò pergit Concilium, & quoàd laicum extraneum decernit, ut possit ab alieno episcopo prò ejus arbitrio promoveri, nec liceat Episcopo Diœcesano illum propter hoc in culpam trahere, nec ad Ecclesiam originariam revocare, sed Episcopo ordinatori incumbat viro illi sic ordinato, de stipendiis clericalibus providere, vel ex se ipso, vel ab alio: idest ejusdem Episcopi ordinatoris sit, viro ut supra ordinato, vel beneficium in propriâ Diœcesi conferre, vel præbendam ab alio Episcopo, cum quo habitet, obtinere.

5. Docet itàque Concilium Arausicanum, cuilibet Episcopo liberum tunc fuisse clerico extraneo beneficia ecclesiastica, imò & ordines, elargiri, prærequisito tantùm Episcopi Diœcesani consilio. Laicum verò extraneum potuisse liberè ubilibet ad ordines promoveri, & beneficia ecclesiastica, vel in Diœcesi Episcopi ordinatoris, vel alibi ejusdem interventione sortiri. Nec obstat canon Concilii primi Carthaginensis, qui nedùm clericorum, sed etiam ordinationem vetuit laicorum, hoc decreto: *Non licere clericum alienum ab aliquo suscipi, sinè literis episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe alienâ, ut eum ordinet, sinè conscientiâ ejus episcopi, de cujus plebe est* (d). Non inquam, id obstat, quià primò Concilium Carthaginense, tamquam Provinciale, extrà propriam Provinciam vim legis non obtinuit, universalitèr observandæ. Secundò, quià speciales causæ in Africâ concurrerunt, præsertìm paucitatis Catholicorum, quâ tunc singulæ Ecclesiæ illius Regionis laborabant, ob quàm interdicta fuit ordinatio tùm clericorum, tùm laicorum extraneorum, nè Ecclesiæ viris idoneis spoliarentur: sicque prohibitio erat ad solas Ecclesias Africæ limitata.

6. Tertiò, quia Concilium Carthaginense I. editum fuit circà annum Christi 348. post Concilium Sardicense, cujus facit mentionem (e), & antè necem Constantis Imperatoris, ad quem legationem direxit (f): Concilium verò Arausicanum I. celebratum fuit anno 441. centenario ferè temporis posteriùs: tritum est autem apud omnes, posteriora jura prioribus derogare (g): quare in negotio, de quo agimus, Arausicana sanctio attendenda est, non Carthaginensis: maximè concurrentibus exemplis, & observantiâ, quæ sæpiùs legentibus hoc volumen occurrit. Quartò, quia Concilium Carthaginense I. est de factò correctum per ea, quæ inferiùs ex Concilio Carthaginensi III. referemus. Hæcque ad exuberantiam dicta sint, cum alioquin ipsum Concilium Carthaginense I. causæ, ac intentioni nostræ subserviat, in eo, quod ordinationem tàm clerici, quàm laici alieni permittit, quotiès proprii ordinarii assensus accederet. Igitùr ex Concilio Arausicano constat, usquè ab illo antiquo sæculo potuisse tùm ordines, tùm ecclesiastica

(a) Conc. Arausic. 1. cap. 8.

(b) Concil. Arausic. 1. cap. 9.

(c) Concil. Arausic. 1. cap. 8.

(d) Concil. Carthag. 1. cap. 5.

(e) Conc. Carthag. 1. loc. cit.

(f) Baill. Sum. conc. tom. 1. in concil. Carthag. 1.

(g) Cap. 1. de constit. in 6. l. sed & posteriores ff. de legibus. Rot. tom. 2. par. 4. rec. dec. 408. num. 7. Barbos. Axiom. jur. 183. cū multis ab eo allegatis.

siastica beneficia, non modò indigenis, verùm etiam extraneis, prò Collatorum voluntate, conferri: & quidquid posteà fuerit, ac fit, de ordinibus, quos novæ leges interdixerunt, nedùm Clericis, sed etiam laicis alibi, quàm ab Episcopo Diœcesano concedi; sat antiqua ostenditur fuisse libertas Ecclesiæ quoad beneficia, Viris etiam extraneis conferenda: attentoque nunc canone Concilii Arelatensis secundi, atque Arausicani primi, talitèr enitescit præfata Ecclesiæ libertas, ut nullâ valeat tergiversatione negari.

7. Concilium *Antiochenum* dictum I. tametsi dici posset in ordine Tertium, Antiochiæ in Syriâ celebratum est anno Christi 340. tempore Julii Papæ I. & Imperatoris Constantii, occasione dedicationis magni Templi, in illâ urbe à Constantino Cęsare incepti, atque à dicto Constantio ejus filio, & successore, completi, confluentibus illùc Episcopis permultis, quos S. Athanasius asserit fuisse 90. (*a*): S. Hilarius 97 (*b*): Sozomenus 99. (*c*), ex iisque 36. erant Arrianâ fanie tabefacti, cæteri Catholicam fidem sequebantur. In eo Concilio, post approbatam uti legitimam depositionem S. Athanasii, in Synodo Tyriensi pridèm peractam, Patres Alexandrinam Sedem vacare, illique dandum novum Antistitem decreverunt, conjectis oculis in Eusebium Emesenum, virum nondùm sacris initiatum, & Arrianæ factioni addictissimum, quemadmodum ex S. Hieronymo in Chronico habetur (*d*). Hunc ergò Patres Concilii Antiocheni Athanasio subrogare in episcopali cathedrâ sategerunt, sed recusatâ per Eusebium oblatâ Sede, Patres in eâ Gregorium Cappadocem collocarunt. Rem narrat hoc eloquio Sozomenus: Eusebius Emesenus, *ad sedem Ecclesiæ Alexandrinæ capessendam designatus est, nàm putabant illum, tùm propter piæ vitæ institutionem, tùm propter singularem in dicendo facultatem, animos Ægyptiorum à benevolentiâ, quâ Athanasium complectebantur, facilè evocaturum. At ubi episcopatum capessere recusavit, ratione secùm initâ, quod paratum in odium apud Alexandrinos incurreret, qui videre non poterant alterum in locum Athanasii subrogatum, Ecclesiæ Alexandrinæ episcopatus Gregorio tributus est* (*e*), Viro Asiatico, natione Cappadoci, professione Arriano, quem jussu Constantii Cæsaris Philagrius, & Arsatius Pręfecti, magnâ hominum strage, post biennium Alexandrino solio intruserunt, à quo postmodùm fuit, jussu Concilii Sardicensis, depositus, & successivè ab Alexandrinis occisus.

(a) *S. Athanas. libro de Synod.*
(b) *S. Hilar. Pictav. de Synod. adv. Arrian.*
(c) *Sozom. l. 3. c. 5.*
(d) *S. Hieron. in chronic. Bail. Sum. conc. s. 1. in concil. Antioch.*
(e) *Sozom. lib. [illegible] c. 5. vid. infra cap. 7. à n. 2.*

8. Expeditâ causâ Athanasii, Concilium Antiochenum plurimos canones, sacram disciplinam concernentes, edixit: inter quos est is, qui sequitur, *si quis Episcopus vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque pervadat, absque integro, perfectoque Concilio, hic abiiciatur necesse est, & si cunctus populus, quem diripuit eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes* (*f*). Ex Concilio itàque Antiocheno habemus & *legem*, & *factum* nobis faventes. *Factum*, quia Concilium, volens episcopatum Alexandrinum in Ægypto, Africę Provinciâ, conferre, priùs designavit in illâ sede locare Eusebium Emesenum, natione Asiaticum, Edessę in Mesopotamiâ natum (*g*), quo infulas recusante, Patres Concilii eas Gregorio Cappadoci detulere, natione paritèr Asiatico, sed in Cappadociâ, Provinciâ sita ad mare Ponticum, orto. Igitùr nonaginta, vel nonagintanovem illi Patres, qui ad hanc Synodum confluxère, in eâ opinione fuerunt, ut liceret beneficium ecclesiasticum, in Africâ situm, conferre viro Asiatico: Beneficium, in Ægypto erectum, dare viro Pontico, vel Mesopotamo: beneficium tandèm, in urbe Alexandrię constitutum, elargiri, vel Eusebio Edessę nato, vel Gregorio in Cappadociâ progenito. Quid clariùs ad probandum, extraneos esse beneficiorum ecclesiasticorum capaces? Nonnè ex hoc facto enitescit, in Ecclesiâ, per hoc quartum Christi Seculum, illam valuisse sententiam, quod in sacris officiis nulla datur distinctio intèr indigenas, & extraneos: & totâ ratione collationis in meritis suscipientium refusâ; ecclesiastica beneficia sunt tàm clericis extraneis, quàm indigenis elargienda?

(f) *Conc. Antioch. 1. cap. 16.*
(g) *Anton. Baldassar. compendios. ristretto in Euseb. Emesen. fol. 59.*

9. Le-

9. *Legem* quoque protulit Concilium hoc Antiochenum, causæ nostræ mirabiliter suffragantem, dum in præcitato canone jussit, ut Episcopus vacans, sive carens episcopatu, posset Ecclesiam, si quam vacantem invenerit, accipere, & populus vacantis Ecclesiæ illum sibi posset in Episcopum designare, dummodò Concilii Provincialis accederet auctoritas, præsentiâ Metropolitani suffulta. Habet hoc humanarum rerum conditio, ut quandòque Episcopi careant episcopatu, vel quia à populis non recepti, uti suprà innuimus (*a*), vel quia ab hostibus suâ Sede depulsi, vel aliâ ratione vacantes, quos quia justum non est diù episcopali Sede carere, providit Ecclesia, ut vacantibus episcopatibus admoverentur, non se illis temere, & privata auctoritate intrudendo, sed Concilii Provincialis decreto, ad thronum vacuum ascendendo. Ità Perigenes, à Patrensibus rejectus, Corinthiense sortitus est Episcopium (*b*): Hermes, à Biterrensibus refutatus, ad Archiepiscopatum Narbonensem pervenit (*c*): Actardus Nannetensis, à Normannis suâ sede exturbatus, Turonensem est adeptus Ecclesiam (*d*): ergò Concilium Antiochenum decrevit, vacantes Antistites, vacuas posse sumere Ecclesias, modò Concilii Provincialis, & Metropolitani auctoritas non deesset. Quotiès igitur Concilium Provinciale, & populus vacantis Ecclesiæ, & Episcopus ipse vacans, ad praxim reducebant sanctionem canonis Antiocheni, proculdubiò probabant, beneficia ecclesiastica posse & ab extraneis suscipi, & eis à Collatoribus plena libertate concedi. Episcopus nempè vacans, vel erat extraneus ab Ecclesia, quam primò acceperat, vel ab eâ, quam secundo loco suscipiebat. Et hanc fuisse disciplinam quarti sæculi evidentissimè patet.

(a) *Vide supr. cap. præc. n. 2.*

(b) *Socrat. l. 7 c. 35.*
(c) *Hilar PP. ep. 8. de Marca concord. l. 5. c. 34.*
(d) *Concil. Duziacen. in Syndica ad Hadrian. Pap., & Hincmar. ep. ad eund. Hadrian. 2*

10. Opponetur hic statim diminuta auctoritas canonum Antiochensium, quatenùs Concilium istud communitèr ab eruditis pro Pseudosynodo reputetur, tum ob mixturam Episcoporum Arriannorum, qui eidem interfuerunt, tùm etiam ob injustam deturbationem S. Athanasii, paulò antè legitimè restituti. Et de facto S. Joannes Chrysostomus persecutoribus suis, qui in eum vi canonis Antiocheni duodecimi irruebant; Concilii hujus invaliditatem opposuit, velut à confessu Episcoporum, Arrianis prævalentibus, constituti: quà de re fuse Socrates, (*e*) & Sozomenus (*f*). In Ecclesiâ quoquè Romanâ non fuisse admissos canones Antiochenos, nisi sub fine quinti, vel initio sexti sæculi post Pontificatum Gelasii, probare nititur quidam auctor, nuper ob doctrinam pravam valdè notatus (*g*). Nutare igitur dicent auctoritatem canonis, de quo agimus, & consequenter sententiam nostram non posse super ejus titubantiâ stabiliri. Ast in oppositum est, quòd canones Concilii Antiocheni sunt ferè omnes Juris communis corpori inserti, duoque ex eis fuere à Patribus Concilii Chalcedonensis, licet sine titulis, allegati (*h*). Tandem de hac Synodo sic effatur Caranza, *Probatum est Concilium Antiochenum in sextâ synodo Generali, Constantinopoli in Trullo celebratâ, ut ex secundo canone editionis Grecæ constat* (*i*): De quibus etiam quidquid sit, nobis est satis, quòd, ut innuimus, tàm ex *facto*, quàm *canone* prænotatis, apparet, doctrinam Patrum, & opinionem Doctorum tunc vigentium, fuisse, quòd extraneis pateret aditus ad ecclesiastica beneficia: Hancque veritatem agnovisse Concilia nedùm legitima, & inconcussa, verùm etiam nutantia: comprobante praxi temporum subsequentium vim eorum sanctionis.

(e) *Socrat l. 6 c. 16.*
(f) *Sozom. l. 8. c. 20*
(g) *Quæsnel de vet. Cod. Eccl. Rom. dissert. 12. c. 4. n. 8.*

(h) *Bail. Sum Conc. to. 1. in Conc. Antioch. §. contra.*

(i) *Caranza in concil. Antioch. in fi n. f. 58*

11. Canoni Antiocheno præsidium confert Concilium *Illyricum*, à Theodoreto memoratum, quòd in epistolâ Synodali, ad Episcopos Orientis directâ, suggerendo regulam, generalitèr in electionibus observandam, insinuat, præficiendos esse viduatis Ecclesiis in Antistites illos Episcopos, qui dudùm Pontificali charactere insigniti, ob aliquòd infortunium fuissent à sua cathedra deturbati, & Ecclesiis, quas anteà legitimè tenuerant, & solertèr administraverant, casu adverso spoliati, *Qui Episcopatu functi*, ait, *probatâ, spectatâque fide fuerunt, cooptentur, sin autem tales non reperiantur, ex Presbyterorum Collegio* (*l*). Nedùm autem Concilium hoc, provectionem Episcoporum vacantium ad viduas Ecclesias admisit, sed imò

(l) *Theodoret. l. 4. c. 8*

imò eos voluit præferri Presbyteris, Collegium Ecclesiæ vacuæ componentibus; quià ob eorum experientiam in regimine præcedentis episcopatus, pro aptioribus habebantur, ad vacantis Ecclesiæ regimen obeundum. Per quòd patet, sensum Concilii Illyrici fuisse, extraneos nedùm non esse â beneficiis ecclesiasticis repellendos, sed imò in circumstantiis ibi expressis, esse præferendos: & sinè dubio mens Patrum illius synodi fuit, in collatione beneficiorum, non naturalitatem suscipientis, sed ejus meritum, & idoneitatem esse attendendam, quę in quibuscumque Clericis concurrat, sivè extraneis, sivè indigenis, nihil officiat extraneitas, sed potius quatenùs extranei sint magis digni, & idonei, nedùm valeant cùm indigenis admitti, sed etiam debeant illis absolutè præferri.

12. Concilium Carthaginense III. apud Carthaginem in Africâ celebratum est anno Christi 397., tempore Siricii Papæ, Arcadio in Oriente, & Honorio in Occidente, Imperatoribus, convenientibus ineo 44. Episcopis, Præside Aurelio Carthaginensi Archiepiscopo. In hoc Concilio duo sunt decreta, quæ sententiam nostram efficacissimè obfirmant. Nàm in primis definivit Concilium contentionem, intèr Epigonium Episcopum Mapaliensem, & Julianum Episcopum Uzalitanum exortam, ob Clericum, quem sibi utraque pars vendicabat: Epigonius etènim dixit: *In multis Conciliis hoc statutum est, etiam nunc confirmandum est vestrâ providentiâ, Fratres beatissimi, ut Clericum alienum nullus sibi præripiat Episcopus, prætèr ejus arbitrium, cujus fuerit Clericus. Dico autem Julianum (qui ingratus Dei beneficijs, per meam parvitatem in se collatis) ità temerarium, & audacem extitisse, ut eum, (qui à me baptizatus est cum esset puer egentissimus, mihi ab eodem commendatus, cumque à multis annis à me aleretur, atque incresceret) hunc, ut dixi, baptizatum in Ecclesia mea per manum parvitatis meæ constat (idem in Diœcesi Mapaliensi Lector esse cœperat, imò annis ferè duobus legerat) nescio quo contemptu humilitatis meæ, idem Julianus arripuit, quem dicit quasi proprium civem sui loci Uzalitani, me inconsulto usurpare: Nam & Diaconum illum ordinavit: hoc si liceat, pateat hæc licentia à vobis Beatissimi Fratres: sin minùs, tàm impudens cohibeatur, nec se misceat communioni cujusquam (a).*

(a) Concil. Carth. 3. c. 44.

13. En ergò Laicus, civis Uzalitanus, ad ordines, usque ad lectoratum promotus in Ecclesiâ Mapaliensi, ubi erat extraneus: qui ne à se abstraheretur, Epigonius Mapaliensis auctoritatem synodi imploravit. Viceversâ en Clericus Mapaliensis ab Episcopo Uzalitano tanquàm suus civis repetitus, & apud propriam Ecclesiam in Diaconatus ordine collocatus. Quid est hoc, nisi acerrima contentio, an posset vir extraneus ordines consequi in Diœcesi, ubi non erat indigena, & consequenter etiàm ibi beneficiis Ecclesiasticis insigniri, quatenùs per Contradictores, idèm est ordines, & beneficia nancisci? Causâ, inquam, utrâque parte informante, est hic synodalitèr ventilata, rationibusque hinc indè propositis, ac seriò trutinatis; tandem Concilium, ore Numidij Episcopi hanc protulit definitivè sententiam, ad Epigonium quidèm directam, sed generalitèr pronunciatam, *Si non postulatâ, neque consultâ tuâ dignatione, id videatur fecisse Julianus, judicamus omnes iniquè factum, atque indignè: Qua proptèr nisi idem Julianus correxerit errorem suum, & cum satisfactione eundem Clericum, quem suis ausus ordinare, revocaverit tuæ plebi, contrà statuta Concilii faciens, contumaciæ suæ, separatus à nobis excipiet judicium (b). His auditis, Epigonius Episcopus dixit: Ætate Pater, & ipsa promotione antiquissimus Vir, laudabilis Frater, & Collega noster Victor, vult hanc petitionem generalem omnibus effici (c).*

(b) Concil. Carthag. loc. citat.

(c) Conc. Carthag. 3. c. 44.

14. Hucusquè sententia Concilii, definiens favore Epigonij, se licitè potuisse in Ecclesia Mapaliensi ad ordines promovere, & multò magis admittere ad ecclesiastica beneficia, Juvenem Uzalitanum, quem à puero apud se tenuerat educandùm. Mutata postmodùm est illorum temporum disciplina quoad ordinationem, ob novas leges, sancientes ne quis, sivè laicus, sivè Clericus, alibi promoveatur, quàm ab Episcopo proprio, sivè ratione originis, sivè ratione domicilii,

sivè

sivè ratione beneficii (*a*), sed quoad consecutionem beneficiorum nulla lex supervenit, mutans antiquam formam, quæ Viris extraneis alibi, quàm in propriâ Diœcesi ad ordines promotis, stipendia clericalia, sivè sportulas, sivè beneficia ecclesiastica permittebat. Sicquè quoad hæc Concilii Carthaginensis sanctio in suo priori statu remansit: Et cum adolescens ille, de quò loquimur, licet origine Uzalitanus, juxtà Concilii sententiam, benè fuerit in Mapaliensi Ecclesia Lectoratus òrdine insignitus, & per consequens ad ejusdem Ecclesiæ sportulas admissus, quarum loco ecclesiastica beneficia succedunt; patet hinc fortissimè comprobari posse Ecclesiam beneficia sacra, etiam viris extraneis, dignis, & benemerentibus impertiri.

(a) *Concil. Trident. Sess. 14. cap. 2., & Sess. 23. c. 3., & 8. c. cum nullus de temp. ord. in 6. Marchin. de ord. p. 5. c. 3. n. 1., & 14. tract. 1.*

15. Rursùs ex eodem Concilio Carthaginensi III. alia nobis suppetit ratio, indè sumpta, quòd Aurelius Episcopus Carthaginensis sic est in synodo prolocutus. *Sermonem meum admittite Fratres. Contingit nonnumquàm, ut postulemur ab Ecclesiis, quæ præpositis egent, vel Episcopis, vel Presbyteris, & tamèn memor statutorum, id sequor, ut conveniam Episcopum ejus, atquè ei inculcem, quòd ejus Clericus à qualibet Ecclesiâ postuletur. Sed fortè in hodierno non reluctati sunt, & ne quandò contingat, ut reluctentur, cùm fuerint à me in hac causâ postulati, quèm scitis multarum Ecclesiarum, & Ordinandorum causam sustinere. Iustum est ergò, ut quemlibet consacerdotum conveniam cùm duobus è consortio nostro, vel tribus testibus. Si verò indevotus extiterit, quid censet charitas vestra faciendùm? Ego enim cunctarum Ecclesiarum, dignatione Dei (ut scitis Fratres) sollicitudinem sustineo: Numidius Episcopus dixit: Fuit semper hæc licentia huic Sedi, undè vellet, & de cujus nomine fuisset conventus pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum*(*b*).

(b) *Concil. Carth. 3. c. 45.*

16. Pergit canon, & prosequitur: *Epigonius Episcopus dixit: Bonitas sequestrat possibilitatem. Minùs enim præsumis Frater, & cum te bonum, & clementem omnibus reddis (habes enim hoc in arbitrio) satis est, ut satisfiat personæ uniuscujusque Episcopi in primâ tantummodò conventione. Si autem quodlibet huic sedi vindicandum fuerit sibi arbitratus, necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire. Undè tibi non potestatem damus, sed etiam assignamus, ut liceat voluntati tuæ, & semper tenere quam voles, ut præpositos plebibus, vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & undè voles. Posthumianus Episcopus dixit. Deindè qui unum habuerit, nunquam debet illi unus ipse Presbyter auferri. Aurelius Episcopus dixit. Sed Episcopus unus esse potest, per quem, dignatione divinâ, Presbyteri multi constitui possunt: unus autem Episcopus difficilè invenitur constituendus. Quapropter si necessarium episcopatui quis habet Presbyterum, & unum (ut dixisti Frater) habuerit, etiam ipsum ad promotionem dare debebit. Posthumianus Episcopus dixit. Ergò si habet alius abundantes Clericos, debet mibi alia plebs subvenire. Aurelius Episcopus dixit. Sanè quomodò Ecclesiæ alterius tu subveneris persuadebitur illi, qui plures habet Clericos, ut unum tibi ordinandum largiatur* (*c*).

(c) *Concil. Carth. 3. cap. 45.*

17. Episcopus ergò Carthaginensis hoc jus habuit, ut posset Clericos undecumque suscipere, & vel Ecclesiæ propriæ inserere, vel aliis postulantibus indulgere: quod cum ad praxim redigebat, proculdubio Clericus, sic de unâ ad aliam Ecclesiam traductus, vel à prima, vel à secundâ, erat extraneus, & consequentèr verum est ex Concilio Carthaginensi, beneficia ecclesiastica posse extraneis etiam, pro collatorum libertate, concedi. Si dicatur hoc fuisse indultum speciale Episcopi Carthaginensis, quem asserit Balsamon pari cum Patriarchâ Constantinopolitano gavisum esse privilegio (*d*): imò, teste Filesaco, *illud præsertìm summam Carthaginensis Primatis potestatem tota Africa declarat, quod è quavis Ecclesiâ, sivè episcopali, sivè Metropolitanâ, petitum Clericum ordinare posset Episcopum: Id enim, vel ipsi Episcopi Africani Concilio Carthaginensi 3. c. 45. & Africano c. 22. fatentur* (*e*). Si hoc inquam dicatur, in oppositum est, quòd quantum ad nos attinet, Concilium ostendit, libertatem accersendi aliundè Clericos, & Presbyteros, fuisse communem omnibus Episcopis, omnibusque Ecclesiis, nedùm quoad viros idoneos

(d) *Balsam. in c. 45. Conc. Carth. 3. in can. Apost. 16., & in Nomoc. Photy. tit. 1. c. 26*

(e) *Joan. 4. Filesac. de sacr. Episc. auctor. cap. 9. §. 10.*

neos ad Episcopatum adipiscendum, sed etiam quoad Clericos, & Presbyteros, in Ecclesiis minoribus collocandos. *Non tantum*, addit Filesacus, *dè Clericis aliarum Ecclesiarum Africæ, in Episcopos ordinandis, verùm etiàm dè minoribus clericis, ad Presbyteratum, & Diaconatum promovendis, hoc loco agi antecedentia videntur indicare* (a).

(a) Filesac. loc. cit.

18. Omnibus, inquam, Ecclesiis erat comune jus, aliundè clericos ad se trahendi, cum hac tamen differentiâ, quòd Episcopus Carthaginensis auctoritativè, undè vellet, & quem vellet, Clericum ad se prò servitio suæ Ecclesiæ trahebat: alii verò Episcopi, non auctoritativè, cùm potestate super Collegas carerent, sed postulativè, aliundè Clericos deposcebant: qui si eis negabantur, implorabant præsidium Episcopi Carthaginensis, tamquam Africæ Primatis, ut eis petiti Clerici ab habentibus concederentur. Tuncque Primas, non ex se solo, sed *eum duobus è consortio nostro, vel tribus testibus*, (uti loquitur Concilium) Episcopum habentem clericum conveniebat, & ut illum postulanti traderet, Primatiali auctoritate cogebat. Non erat ergò privilegium solius Ecclesiæ Carthaginensis, sed etiam aliarum, posse alienos clericos ad se trahere: nec erat privilegium Monarchicum Episcopi Carthaginensis, posse invitos ad tradendum suos clericos auctoritativè compellere, sed erat indultum Aristocraticum, exigens consortium Episcopi Carthaginensis cum aliis duobus, vel tribus Episcopis Africanis, quorum auctoritate refractarii compescerentur, & ad dandum clericos petitos cogerentur.

19. Sed quatenùs etiam fuisset privilegium singulare, & præcisum Episcopi Carthaginensis, posse clericos undè vellet, & quos vellet, de una ad aliam Ecclesiam traducere; petimus, ecquis illi hujusmodi contulit privilegium? Episcopi Africani? Non certè: quià omnes Episcopi ex naturâ suâ, & ut à Christo instituti, erant cum Carthaginensi Episcopo coæquales, & nec poterant proprias Ecclesias subjectione indebitâ prægravare, neque poterant Episcopo Carthaginensi, vel alii Episcopo, prærogativas Primatiales, aut Patriarchales conferre: ideòque in Concilio Cathaginensi III. Epigonius Episcopus, nomine cunctorum, Aurelio Carthaginensi est professus: *Tibi non potestatem damus, sed etiam assignamus, ut liceat voluntati tuæ, & semper tenere, quem voles, ut Præpositos plebibus, vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & undè voles* (b). Quis ergò hujusmodi facultatem contulit Episcopo Carthaginensi? Imperator? Non certè, quià auctoritas Imperialis ad res Ecclesiasticas non se extendit: neque sanctionem adversùs canones in præjudicium aliarum Ecclesiarum favore alicujus Ecclesiæ potest statuere: undè in Concilio Chalcedonensi, adversùs allegantes Imperiale diploma, unâ voce fuit à Patribus conclamatum. *Contrà canones nihil pragmaticum valebit, regulæ Patrum teneant* (c). Quis ergò præfatum privilegium Episcopo Carthaginensi concessit? Certè non alius, quàm Pontifex Romanus, cujus est nomen, & jura sive Archiepiscopalia, sive Primatialia, sive Patriarchalia, Episcopis inferioribus impertiri: de quo Nicolaus Papa II. calamo Divi Petri Damiani, Mediolanensibus scripsit, *omnes sivè Patriarchii cujuslibet apices, sivè Metropoleon Primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates, instituit Romana Ecclesia* (d).

(b) Conc. Carthag. 3 cap. 45.

(c) Conc. Chalcedon. act. 2.

(d) Cap omnes 2. distinct. 22.

20. At sicut Deus, teste D. Basilio, *largitur suas dignitates, non evacuans se* (e); ità Romanus Pontifex aliis talitèr partem suę facultatis impertit, ut illam à se penitùs non abscindat. Romana Ecclesia, inquit Innocentius Papa III. *retentâ sibi plenitudine potestatis, ad implendum laudabiliùs officium Pastorale, multos in partem sollicitudinis evocavit, sic suum dispensans onus in alios, & honorem ut nihil suo juri subtraheret, nec Jurisdictionem suam in aliquo minueret* (f). Ergò quemadmodùm poterat Episcopus Carthaginensis clericos hinc indè accersere, & vel suæ, vel aliis indigentibus Ecclesiis incardinare, sic & multò magis id potuit, & potest Summus Pontifex, qui dictum privilegium concessit. Vel sicut, hoc

(e) S. Basil. hom. 39. de Pœnit.

(f) Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 1. lib. 1. cap. 47. num. 1.

hoc potuit facere Archiepiscopus Carthaginensis, tanquam Primas totius Africæ; ità multò magis id potuit, & potest facere Romanus Pontifex, tanquàm Patriarcha Occidentis, & Pastor universalis Ecclesiæ (*a*). Vel demùm sicut id potuit facere Episcopus Carthaginensis, ità, & multò magis id potuit, & potest facere Romanus Pontifex, tanquam Episcopus talis, cui non debetur minor facultas, quàm haberet Episcopus Carthaginensis: ergò poterit Romanus Pontifex clericos hinc indè capere, & vel Romanæ Ecclesiæ incardinare, vel aliis Ecclesiis applicare: eosque prò temporum, locorum, & personarum contingentiis, hùc illùc beneficiis ecclesiasticis insignire: quod idem est, ac dicere: ergò saltèm Romanus Pontifex potest clericis, tametsì extraneis, sacras Præbendas prò suâ voluntate conferre. Et si hoc facere valet Pontifex, poterunt etiam id ipsum facere cuncti Præsules, & Episcopi, aliique omnes, tum ordinarii, tùm delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, qui jus suum habent, vel immediatè à Pontifice, per indultum speciale: vel mediatè, per dispositionem juris communis, quod vim suam ab approbatione Pontificis recognoscit (*b*): in cujus locum ipsi succedunt.

21. Sanè à lege deligendi ad quascumque Ecclesias clericos, de illarum gremio susceptos, quam S. Leo Papa in Epistolâ ad Anastasium Thessalonicensem inculcat (*c*): *Ab hac*, inquam *lege*, inquit Paschasius Quesnellius; (vir certè amplificandis juribus Summi Pontificatus, nullatenus inclinatus), *Discedere majoribus Sedibus semper licuit. De Romanâ pluribus exemplis constat. De Carthaginensi testatur Aurelius in Concilio Carthaginensi cap. 55. &c. Eandem prærogativam sibi assumpsisse videtur in Galliis nostris Arelatensis Episcopus, qui majores Sedes per omnia æmulabatur* (*d*). Constantinopolitano Episcopo idipsum jus adscribit Balsamon (*e*): Alexandrino comparem facultatem dat Justellus (*f*): Quâ tamèn caruisse Antiochenum, & Hierosolymitanum Patriarchas idem Balsamon memoravit (*g*): Sed contrarium suadere videtur translatio S. Gregorii Nazianzeni, quam aggressus est complere Meletius Episcopus Antiochenus, referentibus Theodoreto, & Socrate (*h*): Ac provectio Alexandri Episcopi Cappadociæ ad Sedem Hierosolymitanam, adnitente Narcisso Episcopo Hierosolymitano, apud S. Hieronymum. Omissâ autem hic quæstione de Arelatensi, Antiocheno, & Hierosolymitano; quoad alios Patriarchas, seù Primarum sedium Episcopos, en documenta, probantia, potuisse ab eis clericos de unâ ad aliam Ecclesiam traduci (*i*). Et quidem de Carthaginensi, tàm disertis verbis eam asseverat Concilium Carthaginense III. quod præ manibus habemus, ut fortiori probatione non egeamus, potiùsque delirare videatur, quàm sapere, quicumque illam audeat impugnare.

22. De Patriarchâ Constantinopolitano hæc habet Filesacus, *adnotat idem Balsamon, ex Lucæ Patriarchæ Constantinopolitani decreto, regulam à Monachis in Oriente observatam, nè Xenoboreta, idest qui in alio Monasterio habitum monasticum sumpsit, fiat alteriùs Monasterii Præfectus: ac nihilominùs Episcopos, utpotè superiores, aliter statuere, & aliud præstare posse, sed in suâ Diœcesi. At unum dumtaxàt Patriarcham Constantinopolitanum excipi, cui permissum est Monachos, & Clericos ex alienis Regionibus, seù Provinciis, quæ Metropolitanis subiectæ sunt, non autem ipsi Constantinopolitano Patriarchæ, evocare, & admittere* (*l*). Frequentes quoque translationes clericorum de unâ ad aliam Ecclesiam, quæ in historiis leguntur, operâ Patriarchę Constantinopolitani peractæ, ejusdem in hoc negotio jura confirmant. Remque patefacit Constitutio Justiniani Imperatoris, ad Euphemium Constantinopolitanum directa, in quâ, post præfinitum numerum clericorum, servitio majoris Ecclesiæ illius Metropolis addictorum, ne scilicèt tantus esset, ut illis omnibus stipendia ecclesiastica non sufficerent, & nè Ecclesia debitis importabilibus gravaretur; decernitur, nè clerici de unâ ad aliam Ecclesiam migrent, lucri, & negotiationis instinctu: Subindèque adiungitur, *si verò, & aliquàndò talem quamdam migrationem tua Beatitudo, aut per tempora*

(a) *Bellarm. de Rom. Pont. l.2. c.18.*

(b) *Vid. Azorium Instit. Moral. tom. 3. lib. 1. cap. 6. quæst. 6.*

(c) S. *Leo epist.* 88.

(d) *Quesnel. in dicta epist. 88. S. Leon.*

(e) *Balsam. in c. 55. conc. 3. Carthag.*

(f) *Justel. ad can. 55 d. conc. 3. Carthag.*

(g) *Balsam loco cit. Filesac. de sacr. Episc. auctor. c. 7. §. 1. in fine f. 164.*

(h) *Vid. Thomass. vet. & nova Ecclesiæ discipl. par. 2. l. 2. c. 61. num. 12.*

(i) *Vid. infra tom. 2. c. 9. §. 7. & c. 19. n. 33.*

(l) *Filesac. loc. citat. c. 7. §. 1. f. 165.*

Imperium fieri perspexerit, non alitèr hoc agi, antèquam ad prædictum à nobis numerum causa redigatur, ut migratio in officium deficientis fiat, & non suprà numerum aliquid omninò excedatur (*a*): quæ verba, & potestatem Patriarchæ Constantinopolitani ostendunt, trahendi, vel ex se, vel ad nutum Cæsaris aliundè clericos, & casum necessitatis excludunt, cum potiùs de affluentiâ statuant clericorum.

23. Quoad Patriarcham Alexandrinum, præter ea, quę hic suprà diximus num. 7. & 8. sat sit, Sanctum Athanasium ejusdem Ecclesię Antistitem, interdùm ex interiori eremo Anachoritas, solitariæ vitæ, & studio sanctitatis, in illo recessu operam dantes, ad se vocatos, Episcopali honore insignivisse, quos ipse memorat in epistola ad Dracontium, episcopatum fugientem (*b*). Hocque effectui mandans, profectò jus exercuit traducendi clericos de unâ ad aliam Ecclesiam. Neque hic opponatur ejus, ac Julii Romani Pontificis reclamatio, adversùs promotionem Gregorii Cappadocis ad Sedem Alexandrinam, quià nec S. Athanasius, nec S. Julius extraneitatem Gregorii, saltèm principalitèr, & in recto impugnarunt, sed accessoriè, ad injustitiam intrusionis, & ad irregularem omninò, modum patefaciendum promotionis Intrusi. Vivente etenim Athanasio, in Conciliabulo quidèm Tyri deposito, sed successivè ad suam Sedem, auctoritate Julii Pontificis, restituto, contrà omnem æquitatem, armatâ manu, jussu Constantii Cæsaris, superintrusus fuit Gregorius, plures patiens exceptiones, quibus etiamsì carvisset, hæc una sufficiebat, superviventia Athanasii, nè illo in vivis agente, alius illius Ecclesiam suffuraretur (*c*). Meritò ergò adversùs Gregorii intrusionem, & Athanasius, & Julius Pontifex inclamarunt, querelam extraneitatis inferentes, tanquam jura juribus cumulando: Non tamèn super eâ pedem principalitèr defigentes, quippè valdè fortioribus rationibus tàm enorme facinus damnabatur.

24. Audiatur Julius, ità super hoc successu declamans. *Ubi istiusmodi canon est, aut traditio Apostolica: in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio, immittere Gregorium peregrinum, & externum hominem, nequè Alexandriæ baptizatum, nequè Plebi cognitum, nequè postulatum à Presbyteris, nequè ab Episcopis, nequè à populis: eumque Antiochiæ creare Episcopum, atque indè deducere Alexandriam, non cum Presbyteris, aut Diaconis Civitatis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus &c. Si enim in culpâ fuisset depræhensus Athanasius, non tamen oportuit creationem novi Episcopi ità illegalitèr, & prætèr ecclesiasticum canonem fieri, sed in ipsâ Ecclesiâ, & ex ipso Sacerdotali ordine, & ex ipso Clero Episcopos Provinciæ constituere, nequaquàm autem Apostolorum canones violare* (*d*). Vide extraneitatem non fuisse hic principalitèr impetitam, sed alios defectus, tùm personales Gregorii, tùm modales intrusionis ipsius, de quibus ipse Athanasius, Constantii Cęsaris lancinans injustitiam: *Hic excogitavit quo pacto legem alteraret, dissolvens Domini constitutionem, per Apostolos traditam, & mores Ecclesiæ immutans, novumque ipse excogitans constituendorum Episcoporum modum. Ex aliis quippè locis, & quinquaginta mansionum intervallo disjunctis ad populos nolentes cum militibus Episcopos mittit, qui loco justitiæ, quæ de illis esset ad populos, minas, & literas ad Judices deferunt* (*e*). Non ergò ex hoc facto intrusionis Gregorii excluditur jus Episcopi Alexandrini, traducendi dè unâ ad alias Ecclesias clericos, maximè ob allegata facta in contrarium, & ob permultas etiam electiones extraneorum ad Infulas Alexandrinas, de quibus infrà erit sermo.

25. Stat igitùr facultas Episcopi Carthaginensis, Alexandrini, & Constantinopolitani, traducendi de unâ ad aliam Ecclesiam clericos: quà de rè latiùs Franciscus Hallier de sacris electionibus, & ordinationibus (*f*). Illi autem sic traducti, sinè ambiguitate, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ erant extranei. Eâ autem facultate, si ipsi Episcopi erant præditi, nunquid æqualem Romano Pontifici

(a) *Novel. 3. Justin. in Authent. collat. 1. vid. infr. Sæc. 11. c. 29 num. 23.*

(b) *S. Athanas. to. 1. epist. ad Dracontium.*

(c) *Vid. conc. Aurel. 5. c. 12. & conc. Arvern. c. 2.*

(d) *Jul. PP. I. ep. ad Orient. in Apolog. 2. S. Athan.*

(e) *S. Athanas. ep. ad Solitar. vid. hic infr. Sæc. 12. c. 29. n. 24.*

(f) *Hallier. de sacr. elect. &c. sect. 5. de Ministr. Ordin. cap. 3. art. 9. §. 2. 3. 4. fol. 650. & seq.*

tifici denegabimus? Absit. Imò intantùm in Patriarcham Constantinopolitanum potestas hæc derivavit, quià illi Concilium Chalcedonense æqualia cum Romano Pontifice contulit privilegia (*a*), quæ Concilium Constantinopolitanum III. Generale VI. adversùs Monothelitas congregatum, sub his terminis renovavit: *Renovantes quæ à sanctis Patribus* 150. *qui in hac Regiâ urbe convenerunt, & à* 630. *qui Chalcedone convenerunt, constituta sunt, decernimus, ut thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat* (*b*), hujusque sic adeptæ dignitatis intuitu in Concilio Niceno II. Generali VII. expressè facultas Episcopo Constantinopolitano inesse denotatur, traducendi, seù auctoritatem præstandi traductioni clericorum de unâ ad aliam Ecclesiam, hoc decreto: *Quoniam nonnulli è clericis, negligentes canonicam Constitutionem, relicta sua Paræcia, in aliam excurrunt &c. Hic citrà proprium Episcopum, & Constantinopolitanum, non permittitur, ut recipiantur in ullâ domo Ecclesiâve* (*c*). Si ergò hac facultate pollebat Episcopus Constantinopolitanus, ex decreto Concilii Generalis, à Papâ approbati, traducendi de unâ ad aliam Ecclesiam clericos, eosvè in propriâ Patriarchali, vel alibi collocandi; proculdubiò ipsâ non caret Romanus Pontifex (*d*).

(a) *Concil. Chalced. cap. 27.*

(b) *Concil. Constant. 3. cap. 36.*

(c) *Conc. Nicæn. 2. cap. 9.*

(d) *Vid. infr. Sec. 11 cap. 29. à num. 13.*

26. Nec opponantur nobis acta in causâ Formosi Papę, qui ex eo quod de Sede Portuensi ad Romanam transmigraverat, post mortem fuit damnatus à Stephano Papa VII. ejusque corpus exhumatum, Sacerdotalibus exutum indumentis, & tribus digitis mutilatum: tandèmque cadaver in profluentem Tyberis præcipitosè demersum (*e*). Paritèr non opponantur epistola Stephani Papæ VI. ad Basilium Imperatorem, neque Romana Synodus sub Joanne Papa IX. & alia sub Nicolao Papa II. quià si hæc seriò trutinentur, vel valdè prò nobis, vel nihil adversùs causam nostram perorant: & à Contradictoribus non prò sensu veritatis, sed ad opportunitatem suæ causæ, fuere, ut censemus, cum aliis documentis consimilibus allegata. Etenim Formoso non sola, nec ut principalitèr, transmigratio de Sede Portuensi ad Romanam opponebatur, sed quod à Joanne Papa VIII. propter varia crimina depositus, & degradatus, atque Episcopatu denudatus, fuisset ad communionem laicam redactus. Quod conspirasset nimirùm in vitam Papæ: in Caroli Calvi Imperatoris exeidium conjurasset: Romam Saracenis prodere voluisset (*f*). Quibus criminibus addebatur quoque ad cumulum prętata transmigratio, non quà transmigratio de unâ ad aliam Ecclesiam, se quià cum Formosus ad statum hominis laici redactus esset, Pontificatum invasisset. Quæ omnia, uti falsa, erronea, & insubsistentia, Joannes Papa IX. in Concilio Ravennate, Sigeberto teste, improbavit cum 74. Episcopis, *præsentibus Francorum Archiepiscopis, & Rege apud Ravennam, & coram eis combusta est Synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat* (*g*). Quod & in Synodo Romanâ ipse Joannes Papa IX. eodem anno fecit, pseudosynodum Stephani abrogans: Episcopis, & Clero, qui eidem interfuerunt, & se terroris metu Formosum damnasse fatebantur, veniamque deposcebant; indulgentiam concedens, ordinationes Formosi comprobans, & violatores illius sepulchri anathemate involvens (*h*): ex quibus nescimus videre quid sibi præsidii possint Contradictores adscribere, cum per hęc potiùs transitio Formosi de Portuensi ad Romanam Sedem, legalis, & canonica declaretur (*i*). Sed de hac alibi.

(e) *Luitprand. lib. 1. cap. 8. Cardin. Baron. ann. 897. num. 1.*

(f) *Bail. Sum. Conc. tom. 2. in conc. Raven. ann. 904.*

(g) *Sigeber. ad ann. 971.*

(h) *Conc. I. Rom. sub Joann. IX. ann. 904.*

(i) *Vid. infr. Sec. 10 c. 26. num. 1.*

27. Nequè eis quidquam suffragii prębent acta Concilii Romani sub Nicolao Papa II. quippè in his nihil scivimus invenire, quod vèl transmigrationem de unâ ad aliam Ecclesiam damnet, vèl collationem sauciet beneficiorum, factam extraneis (*l*). Epistola postmodùm Stephani Papæ VI. nedùm non damnat, sed imò validè tuetur traductiones clericorum de unâ ad aliam Ecclesiam. Cum enim carperetur trajectio Marini è priori Episcopatu ad Romanum, tanquam contrà canones attentata; Stephanus Imperatori probat, nullos unquam fuisse canones hoc vetantes: & quatenùs etiam ullos aliquandò Ecclesia condidisset; transitionem Marini,

(l) *Vid. Conc. Rom. ann. 1059.*

rini, exemplis justificari multorum, insigniumque Episcoporum, qui de unâ ad aliam Ecclesiam transmigrarunt, enumeratque Gregorium, de Sasimate ad Constantinopolitanam provectum: Meletium, de Sebastenâ ad Antiochenam: Dositheum, de Seleucienfi ad Tarsensem: Reverentium, de Arcisenicienfi ad Tyriensem; aliosque plures (*a*). Igitur, & Romana Ecclesia, & Constantinopolitana, & Alexandrina, & Carthaginensis, traductiones Episcoporum, & clericorum de una ad aliam Ecclesiam, vel in suo sinu admiserunt, vel prò aliis Ecclesiis auctoritatem suam interposuerunt, omnesque ad effectum respectivè perduxerunt sanctionem in Concilio Carthaginensi III. ut superiùs diximus, constitutam.

(a) *Stephan. PP. VI. epistola ad Basil. Baron ann. 682. num. 12.*

28. Opponunt ad hæc Contradictores, Episcopum Carthaginensem, dictosque alios primarum urbium Antistites, potestate quidem potitos esse trahendi ad se, vel de unâ ad aliam Ecclesiam, clericos traducendi, sed hoc nonnisi in mero casu necessitatis, quod ex ipso textu canonis Carthaginensis apparere dicunt ibi: *Si necessarium Episcopatui quis habet Presbyterum.* Itèm, *necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire.* Rursùs, *debet mihi alia Plebs subvenire, &c.* (*b*): quæ, inquiunt, indicant facultatem restrictam ad merum casum necessitatis, nullis ullius legis vinculis coarctatam. At primò cunctis verba Concilii seriò trutinantibus apparet, voces illas *necesse*, vel *necessarium &c.* non philosophicè, sed oratoriè in canone esse positas: non ad necessitatem physicam significandam, sed ad incumbentiam dantis, & ad desiderium accipientis, denotandum: sæpè namquè in sanctionibus *utile* cum *necessario* confunditur, & alterum pro altero scriptitatur, ut alibi ostendemus. Cæterùm de casu meræ necessitatis inutile fuisset talia sancire, ac ea tantò apparatu, tànque prolixo verborum episodio, definire. Cum enim necessitas, in sententiâ omnium doctorum, reddat licitum id, quod alioquin omninò esset illicitum (*c*): Et signantèr licitum reddat auferre domino rem, quam habet, quià necessitas facit omnia communia (*d*), nunquid non indulsisset Episcopo alienum clericum ad se trahere? Quid opus erat decreto prò mero casu necessitatis, si necessitas nullâ lege constringitur? Vel, si de casu meræ necessitatis agebatur, cur Concilium non dedit directè cuilibet Episcopo facultatem alienos clericos ad se trahendi, potiùs, quàm illam dare Episcopo Carthaginensi, ut is posteà translationem clericorum de unâ ad aliam Ecclesiam sua auctoritate approbaret? Hoc modò Concilium non favorem contulisset Ecclesiis, sed onus: nam ubi priùs necessitas permittebat omnibus Episcopis facultatem aliundè clericos attrahendi; hic esset eis abscissa, & ad solum arbitrium Episcopi Carthaginensis restricta. Si ergò Concilium prò solo casu meræ necessitatis decrevisset, Episcopi non sibi favorabilem, sed contrariam sanctionem edidissent, quod quis credat voluisse facere illos Antistites?

(b) *Conc. Carthag. 3. cap. 45.*

(c) *Cap. Quanto de Consuet. Felin. in cap. Querelam nu. 19. de jurejur. Gratian disceptat. for. to. 4. c. 626 n. 15. Barbos. Axiom. 157. num. 2.*

(d) *S. Thomas. 2. 2. quæst. 66. art. 7. Less. de just. & iur. l. 2. c. 12 vid. etiã Barbos. Axio. juris 157.*

29. Dicendum est igitùr canonem Carthaginensem, non in solo casu meræ necessitatis, traductionem clericorum de unâ ad aliam Ecclesiam, permisisse, sed semper, & quotiès opportunitas id exigeret, etiamsi nulla causa concurreret, modò assensus Episcopi, clericum habentis, adesset, vel eo denegato, modò titulus utilitatis posset coram Archiepiscopo Carthaginensi allegari, qui suâ auctoritate transitionem præciperet. Quemadmodùm Concilium Carthaginense IV. ad translationes Episcoporum solam causam utilitatis, non verò necessitatis prærequisivit, & ad transmigrationem clericorum de unâ ad aliam Ecclesiam, nullam causam poposcit, sed solum beneplacitum proprii Episcopi: statuit enim, *ut Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sanè si id utilitas Ecclesiæ fiendum poposcerit, decreto prò eo clericorum, & laicorum Episcopis porrecto in præsentiâ Synodi transferatur, nihilominùs alio, in loco ejus, Episcopo subrogato. Inferioris verò gradus Sacerdotes, vel alii clerici concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare* (*e*). Imò, ut posteà infrà dicemus, in Concilio Africano II. casus necessitatis, vel non, vel vix poterat evenire, & sic non est probabile, Concilium

(e) *Conc. Carthag. 4. cap. 27.*

cilium Carthaginensè de solo casu necessitatis esse locutum.

30. Omittimus improvida ratiocinia eorum, qui dicunt, Archiepiscopum Carthaginensem potuisse quidem de unâ ad aliam Ecclesiam traducere clericos, ad instantiam Episcoporum petentium, non tamen eos potuisse suæ Ecclesiæ inserere, (sicque etiam verificaretur de aliis sedibus majoribus). Id omittimus, inquam, quià hęc est potiùs ludificatio, quàm expositio sensus canonis Carthaginensis, cujus Ecclesiæ Antistes non erat deterioris conditionis aliis Episcopis: & consequenter, quod poterat prò aliorum opportunitate adimplere, proculdubiò valebat etiam prò suæ Ecclesiæ opportunitate perficere. Omittimus repugnantiam vertentem intèr duo principia Contradictorum, omninò incompossibilia, nempè quod vi Concilii Carthaginensis III. Episcopus, clericum habens, teneretur illum dare alteri Episcopo postulanti, ex præcepto charitatis Episcopalis, obligantis unam Ecclesiam ad suppetias alteri conferendas (*a*); & quod collatio fructuum ecclesiasticorum, seù beneficiorum, de jure divino, & naturali solis indigenis sit facienda. Nàm cum Jus Divinum, & naturale, præponderet debito charitatis, charitas non potuisset obligare Episcopum habentem clericum ad illum dandum alteri Episcopo, qui eum accipiendo peccasset contrà suppositum jus divinum, & naturale, quatenùs prębuisset clerico extraneo stipendia clericalia, solis indigenis debita: inter quos si deerant clerici, non deerant tamen laici, qui poterant, & debuissent clericatu insigniri. Nàm per unum Episcopum, ut benè loquitur Concilium, *dignatione divinâ Presbyteri multi constitui possunt* (*b*).

(a) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 2 lib. 3. c. 35. num. 8.*

(b) *Conc. Carthag. 3 cap. 55.*

31. Hęc, inquam, omittimus, & solùm concludimus, quod si Episcopus Carthaginensis, & Patriarchę Alexandrinus, Constantinopolitanus, &c. potęstate prædīti erant traducendi clericum de unâ ad aliam Ecclesiam; eâdem auctoritate multò magis pollebat, & pollet Romanus Pontifex, tùm uti Patriarcha Occidentis, qualem eum veneratur Ecclesia (*c*). Tùm uti Pręsul supremus, cui Christus totam suam commisit Ecclesiam, & Ecclesiarum cunctarum sollicitudinem, per nota illa verba, *Pasce oves meas* (*d*): *Et tu aliquandò conversus confirma Fratres tuos* (*e*). Undè cum in eo concurrat ipsa omninò ratio, quam prospexit in Episcopo Carthaginensi canon, quem perpendimus, suffulciendi omnes Ecclesias; par etiam cum dicto Episcopo facultas non est Romano Antistiti deneganda, qui altiori titulo, quàm Carthaginensis, cunctarum Ecclesiarum, dignatione Dei, sollicitudinem sustinet (*f*). Si autèm licitum est Papæ de una ad aliam Ecclesiam traducere Clericos, licitum est ei etiam stipendia clericalia, seù ecclesiastica beneficia traductis conferre: Traducti autem præfati nonnè sunt extranei? Licitum est ergò Papæ beneficia ecclesiastica extraneis impertiri. Et si hoc licitum est Papę, licitum etiam est, sub congruâ proportione, cęteris quoquè Præsulibus, & Episcopis, omnibusque aliis, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus (quatenùs Jus conferendi, vel respectivè nominandi, habent, sivè directè à Papâ, ex ejus speciali privilegio: sivè indirectè, ex concessione legis, per Pontificem approbatæ) licitum, inquam, est eis beneficia ecclesiastica non modò clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri: ipsi enim, quoad hanc partem, videntur in locum Pontificis concedentis, vel approbantis, aliquo modò succedere.

(c) *Bellarm. de Rom. Pont. lib. 2. cap. 12. De Marca Concord. lib. 1. cap 2. num. 4.*

(d) *Joann. 21. n. 15.*

(e) *Luc. 22. nu. 32.*

(f) *Conc. Carthag. 3 cap. 55.*

CAPUT VII.

In quo libertas Ecclesiæ conferendi beneficia ecclesiastica, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis, probatur Rationibus, petitis ex dictis, & factis SS. Athanasii, & Gregorii Nazianzeni, *atque aliorum Patrum, Pontificum, & Sanctorum. Ostenditurque illam* quarto Christi Sæculo *affluentissimè floruisse.*

SUMMARIUM.

1 *Res, quæ evenerunt* SS. Athanasio, & Gregorio Nazianzeno, *probant libertatem Ecclesiæ præficiendi ecclesiasticis beneficiis etiam Clericos extraneos.*

2 *S. Athanasius, arte Arrianorum, in Concilio Tyri prævalentium, depositus, Romam ad judicium properavit: Arriani verò citati, non comparuerunt.*

3 *Eusebius Nicomediensis procuravit fieri Synodum Antiochiæ (occasione dedicandi Templum, dictum* Aureum dominicum,) *ibiquè Athanasium denuò deponi.*

4 *Recusatus ab Eusebio Emeseno episcopatus Alexandrinus oblatus est Gregorio Cappadoci, nondùm baptizato (cujus exemplum imitatus est Xenajas Pseudo episcopus Hierapolitanus).*

5 *Constantius Cæsar, & Episcopi Arriani, subrogantes Athanasio Eusebium Emesenum, inde Gregorium Cappadocem, censuerunt se Canones observare.*

6 *Contradictores pluriès refricant negotium Gregorii Cappadocis. SS. Patres aliquandò alicujus rei allegant causas plures, vel pauciores, prò eorum libito. Sic S. Hieronymus in quodam facto unicam allegavit.*

7 *E contrà Julius PP. I. improbans provectionem Gregorii Cappadocis, quindecim circitèr allegat motiva, alia maximi, alia penè nullius momenti.*

8 *Nec S. Hieronymus detrahit vim causis principalibus institutionis Diaconorum, unam minimam referendo: nec Julius PP. in causâ Gregorii, minimas cum maximis allegando.*

9 *Tùm in sententia Arrianorum, quàm Catholicorum, nullus ratione solius extraneitatis est repellendus ab ecclesiasticis beneficiis, dummodò benemerens, & idoneus.*

10 S. Gregorius Nazianzenus, *eo quod Valens Imperator Cappadociæ partem subjecit Anthimo Tyanensi, à S. Basilio in episcopum Sasimæ consecratus est.*

11 *Invitus ordinatus est S. Gregorius in Episcopum Sasimæ, tùm propter vilitatem illius loci, tùm propter æmulationem Anthimi cum D. Basilio.*

12 *S. Gregorius non fuit Episcopus Nazianzi. In Monasterio S. Theclæ mansit, indè Concilium Antiochiæ adivit, ubi hæresim Appollinaris compescuit, & à Synodo ad reparandam ecclesiam Constantinopolis missus est.*

13 *Ecclesiam Constantinopolis, hæresi purgatam, Catholicam reddidit. An eam unquam in titulum habuerit, triennio, quo ei præfuit? affirmativa verior est.*

14 *Quidquid sit de Gregorii intentione, liquet, quod à Civibus fuit in Antisti-*

tem

tem postulatus; & jussu Theodosii Imperatoris in throno ab Episcopis collocatus.

15 *Qui S. Gregorius, primo à Concilio particulari, deindè à Synodo generali Constantinopolis, fuit Episcopus illius Urbis constitutus, dejecto Maximo Cynico.*

16 *Ob hoc Imperator literas gratulatorias dicto Concilio generali direxit: nihilque defuit quominùs Gregorius fuerit verè illum episcopatum in titulum assecutus.*

17 *Mortuo Meletio, S. Gregorius obstitit nè Flavianus ei substitueretur, undè odium Episcoporum Orientalium contraxit: subiit quoquè odium Macedonum, & Ægyptiorum: undè episcopatui cessit.*

18 *Cessionem admisit Concilium: licentiam discedendi adjecit Imperator: Gregorius ergò ecclesiam in titulum fuerat assecutus. Nec eam coactè dimisit, neque ob extraneitatem.*

19 *Falsum est, quod Maximus Cynicus ob extraneitatem fuerit ab episcopatu Constantinopolis dejectus. Quâ etiam de causâ S. Gregorius Nazianzenus eandem ecclesiam dimiserit.*

20 *Commentitium est, quod ideò delata fuerit S. Gregorio Nazianzeno ecclesia Constantinopolitana, quia in ea nullus tunc esset idoneus ad episcopatum.*

21 *Verba Sozomeni potiùs favent admissioni extraneorum, quam eos excludant. Nec verum est, prælatum fuisse Nectarium, quià indigenam, Gregorio Nazianzeno.*

22 *Damasus solam vetuit electionem respectivam extraneorum, idest cæteris paribus. An Nectarius esset laicus, vel clericus, quando electus est.*

23 *Nectarius Constantinopoli erat extranationalis, nempè Tarsensis. Intrà 25. annos octo extranei, quà licitè, quà illicitè, provecti sunt ad Episcopatum Constantinopolis.*

24 *Non fuit electus Nectarius, eo quod alius non adesset illo magis idoneus: nam ipse erat ultimus ex candidatis, in tabella descriptis, ut unum ex eis seligeret Imperator.*

25 *Nicolaus PP. I. dicens, electum fuisse Nectarium, quià non adesset alius idoneus, benignè intelligendus est, eo modo, quo & Leo Ostiensis, & alii, similia afferentes.*

26 *In provectione Nectarii nulla habita fuit ratio indigenatus. Cui posteà successit S. Joannes Chrisostomus, & ipse extraneus, indè alii plurimi extranei.*

27 *In hoc solo successu habemus SS. Basilium, Gregorium Nyssenum, Gregorium Nazianzenum, & Meletium Antiochenum, ac Theodosium Imperatorem, Patresque Concilii Constantinopolitani, qui omnes suo facto favent extraneis.*

28 *Exhibeant Contradictores prò excludendis extraneis simile factum, si habent, in quo concurrerint tot Doctores, Patriarchæ, Imperator, Sancti, & Concilia.*

1. EVENIT *hoc quarto Christi Sæculo* infausta illa rerum series, quæ *Sancto Athanasio*, cum Arrianis, & *Sancto Gregorio Nazianzeno*, cum aliis sibi adversantibus contigerunt: tantæ quidem, ac tales, quæ, si omnis alia probatio deesset, ex se solis sufficere viderentur, ad suadendam Ecclesiæ libertatem, in conferendo sacras prębendas etiam clericis extraneis, prò quâ hìc totis viribus militamus. Tragœdiam vocat res suas *S. Athanasius*, ad Orthodoxos scribens: *Hanc tragœdiam cum suis jam olim quidem Eusebius meditatus est; sed nunc ejus dramatis agendi facultatem per calumnias nactus est, quibus nos apud*

Im-

Imperatorem accusavit (*a*), Et quidem non nisi tragicomœdiæ speciem in se habent tot, & tales insidiæ, calumniæ, depositiones, repositiones, exilia, conventiones, reconventiones, quibus fortissimus ille fidei Athleta exagitatus fuit, non alterius piaculi reus, quam defensæ Catholicæ veritatis: & undè præconio dignus erat, indè de bono opere lapidatus(*b*). Attigimus hanc historiam in præcedentibus paginis: nunc opus est illam rursus ab ovo, ac totam ex proposito recensere. Nam etiam Contradictores eam semel, ac bis, ac terque, quaterque, in suis voluminibus replicarunt.

2. In Cathedrâ Alexandrinę sedis pacificè pręsidebat Athanasius, cum Eusebiani, sivè Arriani, prævidentes, quod eo stante, Divinitatis Christi confessio consistebat; ruente verò, fides quoque Catholica erat facillimè ruitura; omnem lapidem commoverunt, ut eum e suo solio deturbarent. Itaquè primo satagunt, ut Cæsaream convocarentur (*c*), indeque Tyrum convenirent, ex pluribus Provinciis Episcopi (*d*), taliter tamen, ut Arriani Catholicorum numerum superarent (*e*), ubi variis calumniis impetitus Athanasius, prævalente injustitiâ, sacrisque canonibus conculcatis, ab Episcopatu depositus est (*f*), frustrà obsistentibus Episcopis, qui fidem catholicam tuebantur (*g*). Præerat tunc Ecclesiæ Romanæ S. Julius Papa I. qui Pontificatum auspicatus est anno Christi 336. (*h*). Ad eum Athanasii depositio statim delata est, vel per viam legitimę appellationis, ab ipso D. Athanasio interpositæ, uti memorat Liberatus (*i*), vel per viam simplicis confugii, uti contenditur ab aliquibus (*l*), quod parum refert in præsenti, cum non nisi lis de nomine videatur. Unum est quod Julius Athanasii causam formalitèr judicavit, & de eo ad Orientales scripsit: *Annum totum, & integros sex menses apud nos hæsit, vestram præsentiam expectans, aut quotquot comparere auderent, suâque præsentia pudefecit omnes, quippè qui judicio non stetisset, nisi sui fiduciam habuisset. Neque enim spontè, sed literis nostris ad judicium vocatus* (post appellationem) *comparuit, quemadmodum vos per literas citavimus* (*m*).

3. Quæ cum fierent Eusebius Nicomediensis, Arrianæ factionis fautor, & ejusdem indefatigabilis propugnator (*n*), *Agit ut in Antiochia Syriæ Synodus fieret, sub occasione quidem dedicationis Ecclesiæ, quam Pater Augustorum fabricare cœperat, & post ejus obitum, Constantius decimo anno eam à tempore fundationis explevèrat: in veritate autèm ad subversionem, atque destructionem Nicæni Concilii* (*o*). Citò igitur intellexit Julius, quod à 36. ex pluribus Episcopis, ibi per Constantium congregatis ad dedicandum illud Templum, tantâ magnificentiâ inibi constructum, ut denominaretur *Aureum Dominicum* (*p*), idem Athanasius iterùm pseudosynodalitèr fuit depositus (*q*), & quod tùm ipsi Episcopi, tùm Augustus, Eusebio Nicomediense suadente, infulas Alexandrinas, Athanasio injustè detractas, Eusebio Emeseno obtulerant, Edessæ in Mesopotamia progenito (*r*).

4. De hac Eusebii Emeseni designatione suprà verba fecimus, ac de illa sic Sozomenus: *Ad sedem Ecclesiæ Alexandrinæ capessendam designatus est: nàm putabat, illum, tùm proptèr piæ vitæ institutionem, tùm proptèr singularem in dicendo facultatem, animos Ægyptiorum à benevolentiâ, quâ Athanasium complectebantur facilè avocaturum. At ubi Episcopatum capessere recusâvit, ratione secum initâ, quod paratum in odium apud Alexandrinos incurreret, qui videre non poterant alterum in locum Athanasii subrogatum, Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopatus Gregorio tributus est* (*s*). Refutatâ ergò sede Alexandriæ per Eusebium Emesenum, audivit Julius, fuisse illi à pręfatis Hæreticis subrogatum Gregorium Cappadocem, Asiaticum, & nedùm hæresis Arrianę tabe infectum, sed & nèc etiam sacro tinctum baptismate (*t*). De eo plura Socrates, & Sozomenus (*u*). Quantâ autèm impudentiâ vir iste, infidelis, & paganus, ausus sit ad Sacerdotii culmen ascendere, quis poterit judicare? Ante se non habuisse quem in hoc imitatus fuerit, percensemus; post se tamèn sese imitantem reliquit Xenajam, dictum etiam Philo-

(a) S. Athan. tom. 1. epist. ad Orthodoxos.
(b) Joann. 10. 32.
(c) Theodoret. lib. 1. c. 28. Sozom. l. 2. c. 24.
(d) Socrat. l. 1. c. 20. Baron. ann. 384. nu. 6. & 335. num. 1.
(e) Sozom. l. 2. c. 24. Baron. ann. 335. num. 1
(f) Iidem qui supra. Natal. ab Alex. hist. Sæc. 4. art. 4. §. 3. & differt. 20.
(g) Baron. ann. 335. num. 37.
(h) Baron. ann. 336. num. 65.
(i) Liberat. in Breviar. cap 18.
(l) Natal. ab Alex Sæc. 4. differt. 21
(m) Jul PP. ep. ad Orient. in Apolog. 2. S. Athan. tom. 2.
(n) S. Hieron. lib. 2. Apolog. adv Rufin. c. 2 & lib. 2. cap. 4.
(o) Socrat. in histor. Tripart. l 4.
(p) Baron. ann. 341. num. 1. & 7.
(q) Sozom. l. 3. cap. 5. Jul PP. ep. ad Orient. ap. S. Athanas. tom. 2. Apol 2.
(r) Sozom. loc citat. Baron. ann. 341. n. 7.
(s) Sozom ibi supra.
(t) S. Athan. de Synod. Baron. ann. 341. num. 12.
(u) Socrat. l. 2. c. 6. Sozom. lib 3. c. 5.

Philoxenum, Persam gyrovagum, atque fugacem, nondum baptismali generatione renatum, non clericum, non presbyterum, præcipiti tamen saltu ad episcopatum Hierapolitanum in Phrygiâ provectum, operâ Petri Fullonis Pseudoepiscopi Antiochiæ, qui Xenaję prò baptismate, consecrationem Episcopalem sufficere stultissimè definivit (*a*): Gregorius, inquam, Cappadox in sede D. Athanasii fuit à Pseudosynodo subintrusus, & non cum clericorum, & Sacerdotum consortio, sed cum affluenti armigerorum cuneo, à Philagrio, & Arsacio Prefectis, Alexandriam introductus, magnâ Catholicorum strage (*b*), ubi tandem post decimum mensem, ex quo coalverat Concilium Sardicense, quod in eum sententiam depositionis intorserat (*c*), fuit furore irati populi trucidatus (*d*).

5. Indoluit ad hęc audita Pontifex Julius, & fidem conculcatam, justitiam depressam, Sedem Apostolicam contemptui habitam, cernens; dubius cogitabat quid ageret, cùm Constantius Imperator, non se culpæ reum, sed undequàque innoxium inclamavit, cunctaque se canonicè operatum esse contendit, quod & de illo Athanasius connotavit, *dùm se simulat ecclesiasticum curare canonem, omnia contrà canonem agere molitus est. Quis canon præcipit, ut è Palatio mittatur Episcopus? Quis tradidit, Comites, inconsideratosque Spadones ecclesiasticis pręesse rebus? Aut edicto judicia eorum, qui Episcopi vocantur, promulgare?* (*e*). Constantius ergò Cęsar, & consequentèr etiàm triginta sex Episcopi Coarriani, qui, eo satagente, Athanasium deposuerant, in eâ sententia fuerunt, quòd non esset contrà canones, sed juxtà eosdem, Clericis extraneis beneficia episcopalia conferre. Censueruntque sè canonum observantiæ operam dare, non illos subvertere, dùm determinatâ depositione Athanasii, quam ipsi, licèt errando, supponebant ritè, & licitè factam; ei subrogandum statuerunt, vel Eusebium Edessæ natum, qui fuit posteà Episcopus Emesenus, vel Gregorium in Cappadociâ progenitum, utrumque extraneum, & infinito itineris intervallo Alexandriâ dissidentem, sed utrumque talem, quem rebantur eloquentiâ, moribus, & dexteritate idoneum ad insignes magnę illius urbis Infulas promerendas. Et cum ipsi, tametsi erroneè, Ecclesiàm, vel magnam ejus partem, se repræsentare censerent, in Concilio legitimè congregatam; id etiàm procùldubio declararunt, Ecclesiam Dei tùnc temporis opinatam esse, quòd liceret ecclesiastica beneficia Clericis, quantumcùnque extraneis, elargiri: alioquìn ipsi non conciliaritèr, idest nomine Ecclesiæ, Athanasio Eusebium, & subindè Gregorium extraneos subrogassent.

6. De facto tàm D. Athanasius, quàm Julius in Gregorio Cappadoce defectum extraneitatis non coarguerunt in rectò, prout suprà innuimus, licet illum tetigerint in obliquo: sed in eo potissimè institerunt, quòd deficeret causa decernendæ depositionis, nec fuisset observatus debitus modus, à canonibus constitutus, tùm in judicando Episcopo accusato, tùm in subrogando alium in ejus locum. Quindecim circiter causas agglomeravit Julius, quas infrà in obiectionibus, ex Sanctis Patribus desumptis, fusius allegabimus; ubi lectorem remittimus. Interimque advertimus, quòd mos est sanctorum Patrum, in enumerandis causis alicujus rei, plures, vel pauciores, non prò necessitate, sed prò merâ voluntate, conferere. Sic S. Hieronymus, unicam tantùm fuisse causam institutionis Diaconorum insinuat, nempè ministerium, mensæ usuali exhibendum, hocque ut obiurgaret superbiam cujusdam Diaconi, qui sè presbyteris præponebat, *quis patiatur*, inquit, *mensarum, & viduarum minister, ut suprà eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Corpus, sanguisque conficitur* (*f*). Attamèn plures alię causę fuerunt eorum institutionis: nempè ministerium divinissimæ mensæ, ac servitium Sacerdoti, in ea solemniter offerenti, pariter exhibendum (*g*): Officium baptizandi (*h*): prædicandi (*i*): Eucharistiam dispensandi (*l*): peccatores à communione repellendi (*m*): eosdem reconciliandi (*n*): Evangelium in Ecclesiâ decantandi (*o*) & alia, quæ olim Diaconi exercuerunt, & nùnc etiàm partìm exercent. Cur àutem S. Hieronymus solum ministerium memorat mensæ usualis, quod fortè, nec

(a) *Niceph. lib. 16. cap. 27.*
(b) *Jul. PP. 1. ep. ad Orient. ap. S. Athanas. Apol. 2. to. 2.*
(c) *Baron. an. 347. n. 18 & 19.*
(d) *Theodoret. lib. 2. cap. 12.*
(e) *S. Athanas. loc. citat.*
(f) *S. Hieron. ep. 85. ad Evagrium.*
(g) *S. Ambr. l. 1. offic. c. 41. S. Jo. Chrysost. hom. 83. in Matth.*
(h) *S. Hier. adv. Luciferian. Tertull. lib de Baptis. Pont. Rom. de ordin. Diacon.*
(i) *Cap. perlectis dist. 25. Pont. Rom. de ord. Diacon.*
(l) *S. Ignat. ep 5. ad Trallian. Marchin. de ord. tr. 2. p. 7. c. 3. n 1.*
(m) *Constit. Apost. l. 8 c. 28. & seq.*
(n) *S. Cypr. l. 3. ep. 16.*
(o) *S. Greg. l. 4 ep. 44 Conc. Vasens. cap. 4. S. Hieron. ep. 48. ad Sabinian.*

etiam fuit causa, sed mera occasio Diaconalis institutionis (*a*)? Certè non aliâ ratione, nisi quià sic conferebat intento suo. Nam ambitiosum illum Diaconum carpturus, censuit, se non posse ipsum fortiùs redarguere, quàm ei exprobrando, quod ad infimum officium ministrandi mensis esset accitus: illum proindè puderet se Sacerdotibus anteferre.

(a) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p.1.l.2.c.51. num.4.5. pono.*

7. Contrariam viam tenuit Julius Pontifex, & causas, ac motiva notando, improbatę provectionis Gregorii Cappadocis, majora simùl, & minora congessit: alia maximi, alia penè nulliùs momenti allegavit, usque ad quindecim circiter, vel ut jura juribus cumularet, vel ut juncta juvarent, quę separata non profuissent (*b*). Ait enim, *qui sunt qui contrà canones agunt? Nos ne, qui cum tantis documentis virum recipimus? An qui à triginta sex mansionibus Antiochię quendam velut Episcopum externum hominem salutarunt, eumque in Alexandriam miserunt? Non decuit novos istos modos contrà Ecclesiam induci. Ubi est enim iste ecclesiasticus canon, aut istius modi traditio Apostolica: Ut in pace agente Ecclesiâ, & Episcopis concordibus, cum Episcopo Alexandriæ Athanasio, immittere Gregorium peregrinum, & esternum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à Presbyteris, neque ab Episcopis, neque à populis, eumque Antiochiæ creare Episcopum, atque indè deducere Alexandriam, non cum Presbyteris, aut Diaconis civitatis, non cum Episcopis Ægipti, sed cum militibus &c. Si enim in culpâ fuisset deprebensus Athanasius, non tamèn oportuit creationem novi Episcopi; ità illegalitèr, & pretèr Ecclesiasticum canonem fieri, sed in ipsâ Ecclesiâ, & ex ipso sacerdotali ordine, & ex ipso Clero Episcopos provinciæ constituere; nequaquàm autèm Apostolorum canones violare* (*c*).

(b) *L. Spadonē § qui jura ff de excus Tutor. cum multis ap. Barbos. Axiom. jur. 209.*

(c) *Jul. PP. I. epist. ad Orient. ap. S. Athanas. tom. 2. Apol. 2.*

8. Nota prius quam clarè dicat Julius, *neque postulatum à Presbyteris, neque àb Episcopis, neque à populis*, disiunctivè loquendo: quo fit ut à contrario sensu, si fuisset postulatus, vel à Presbyteris, vel ab Episcopis, vel à populis; nihil Gregorio Cappadoci obfuisset extraneitas. Nota posteà secundo loco, quot causas allegat Julius injustitiæ provectionis Gregorii? Omnes certè non æque principales, neque ejusdem momenti: imò aliquas adeò exiguas, ut ex se solæ vix quidquam mererentur attendi. Tàm nihil autem detraxit causis principalibus institutionis Diaconorum S. Hieronymus, minimam ex eis referendo, majoribus obvolutis silentio; quàm nihil detraxit Julius causis præcipuis injustæ provectionis Gregorii, minimas cum maximis allegando, sed uterque suo genio indulsit, remanentibus utrinque in suâ principalitate causis præcipuis: & minimis non transmutatis in maximas. Idcircò non ex eo, quòd Julius inter suas 15. causas, inferat etiàm extraneitatem Gregorii, hęc prò præcipuâ sumenda est, quæ reverà inter easdem est ultima. Et quâ solâ subsistente, si cunctæ alię defuissent, provectioni Gregorii de nullitate dari non potuisset. Nàm sumendo argumentum à contrario sensu verborum D. Julii, vitia provectionis Gregorii continentium, quod argumentum in jure optimum est (*d*); Si in culpa fuisset deprehensus Athanasius criminum, de quibus fuerat accusatus: si cum eo concordes Ægyptiani Episcopi non fuissent: si Gregorius fuisset, vel Alexandriæ baptizatus, vel plebi cognitus, vel ab Episcopis provinciæ, vel à Clero Ecclesię, vel à populo civitatis formiter postulatus: si fuisset urbem Alexandriæ adductus, non cum militibus, sed cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus: si in Ecclesia Alaxandrinâ fuisset celebrata ejusdem electio: Si Episcopi Comprovinciales illum elegissent in sacerdotali ordine constitutum; quid evenisset.

(d) *L. qui testam. § mulier, & ibi Gloss. ff. de testam. c. quamquā, & ibi DD. de censibus 6. Barbos. loc. comm. 27. cum mult. ab eo allegat.*

9. Si hæc omnia, & si cuncta alia, de jure agenda, facta fuissent: *Oportuit enim omnia juxtà ecclesiasticas leges disquiri, & peragi, præsentibus Clericis, & populis; qui illum postularent*, inquit S. Athanasius (*e*) si cuncta, inquam, necessaria concurrissent ad justificandam causam, & modum promotionis Gregorii, licet ille fuisset extraneus, Asiaticus, Cappadox, in distantia 36. mansionum ab Alexandriâ natus, si demùm etiàm ortum, & originem usque apud Antipodas habuisset,

(e) *S. Athanas. Ep. Encycl. ad Episc.*

set; nec Julius Pontifex, neque Concilium Romanum, nec Episcopi orthodoxi, neque tota Ecclesia Catholica, illius provectionem impugnasset, sed ratam habuisset: penitùs contempto respectu, an esset extraneus, an indigena. Igitur in sententiâ Constantii Cæsaris, & Episcoporum ejus Arrianæ factionis, Ecclesiam se in synodo repræsentare censentium: in sententiâ etiam Julii, deductâ ex contrario sonitu ejusdem verborum: nec non in sensu Antistitum orthodoxorum, ac totius Ecclesiæ Catholicę, quæ Julii dogmata sequebatur; poterat Gregorius Cappadox, poterant Clerici extranei, & postulari, & eligi, & promoveri ad beneficia episcopalia, etiàm primariæ Hierarchiæ, ac per consequens multò magis ad alia ecclesiastica beneficia ordinis inferioris. Patet itàque ex totâ serie hujusce successus, Ecclesiam quarto Christi sæculo in ea opinione versatam esse, quod extraneis, modo idoneis, & benemeritis, optimè pateret accessus ad ecclesiastica beneficia.

10. Post Athanasii recensitos eventus, alios referamus, qui magno *Gregorio Nazianzeno*, hoc eodem quarto Christi sæculo contigerunt. Gregorius, solus post D. Joannem, per antonomasiam, Theologus appellatus est (*a*) & communius Nazianzenus, ab Urbe Nazianzo Cappadociæ, sitâ intèr Pisidiæ fines, & Licaoniæ (*b*) ubi ejus Pater (Gregorius, & ipse appellatus) episcopale munus exercuit. Sciendum est autem, quod pridèm promotus fuerat ad Archiepiscopatum Cæsariensem in Cappadocia S. Basilius, natione Ponticus, & patriâ Helenopolitanus (*c*) qui Valentis Cæsaris, sectâ Arriani, citò odium incurrit, ob catholicæ fidei defensionem. Valens autèm, ut contumeliam Basilio inferret (*d*) toti Cappadociæ jure metropolitico præsidenti, eam mediam secuit, & in duas partes divisit, quarum primam Basilio, secundam Anthimo Tyanensi commisit, cum juribus Archiepiscopalibus. Intèr utriusque provinciæ fines emergebat urbs Sasima, exigua, vilis, & obscura, tamèn ab utroque Metropolitâ, velut ad suæ provinciæ jura pertinens, peroptata: dè qua dùm adhùc hinc indè contenderetur; Basilius Anthimum prævenit, & in eâ Gregorium Nazianzenum, virum exterum, apud Arianzum, longè indè progenitum, in Episcopum consecravit (*e*) invitum tamèn, & usque adeò reluctantem, ut capessendæ dignitati non acquieverit, donèc Gregorii Nazianzeni senioris, ejus patris, monitis, & suasionibus victus (*f*) se in obedientiæ victimam, tùm Patri, tùm Basilio substravit, hunc, in actu consecrationis, ità allocutus, *idcircò me Pontificem ungis, ac podere cingis, capitique Cidarim imponis, atque holocausti spiritualis altari admoves, & sacrificationis vitulum mactas, manusque spiritui consecras, & Sancta Sanctorum spectatum introducis, veroque illius tabernaculi, quod non homo, sed Dominus construxit, ministrum facis &c.* (*g*).

11. Reluctantiam Gregorii etiàm auctor ejus vitæ commemorat, dicens de S. Basilio: *Invitum, & repugnantem ordinationi admovet, negotiumque conficit* (*h*) & præter genium à tantæ dignitatis apice alienum, duo erant, quæ S. Gregorium in rè hujusce promotionis apprimè anxiabant: primùm Sasimæ vilitas, quippè locus erat infelix, & abjectus, omnis humani commodi solatio destitutus, non Urbs, *sed vicus, lymphis carens, exors viroris, libero indignus viro: arctumque prorsùs Oppidum. Hic cuncta strepitus, pulvis hic cum curribus, lamenta, fletus, carnifex, & compedes, tormenta: cives hospites hic, & vagi &c.* (*i*) Alterum erat redituum exiguitas, & Anthimi obsistentia, tùm sibi, tùm Basilio, citò ad arma proruitùra, undè prævidebat se, nec sinè sanguine posse illas infulas adipisci, nec adeptas retinere, quarè, & aliquandò fassus est, *Thronum haud licebat consequi sinè sanguine; namque æmulorum Præsulum confinium, erat hoc duorum; pugnaque haud certè levis. Quid facere quæso per Deum par hic erat? Retinere sedem? Tàm graves ferre impetus? Telis feriri? Sordido immergi luto?* (*l*) Videns ergò hæc Gregorius, paulò post acceptatam Ecclesiam, violentiæ Anthimi cedens, qui jàm illum insidioso odio prosequebatur, & à quo jàm cernebat Ecclesiam Sasimensem cum suis reditibus occupatam (*m*) Sedi citò libens, ac spontaneè renunciavit, & in solitudinem, quietis amore captus, abscessit: indè Nazianzum petiit

(a) *Gregor. Presb. in vit. S Greg. Naz. ante ejus opera fol. 12.*
(b) *Ferrar. in Martyrol. V. Nazianzum.*
(c) *Sixt. Senen. Bibliot. sanct. l. 5. V. Basil. Villeg. flos Sanct. Vit. S. Basil. die 14 Junii.*
(d) *S. Greg. Nazian. orat. 20.*
(e) *Greg. Presbyt. in vit. S. Greg. Nazia. loc. cit. fol. 6.*
(f) *Baron. ann. 371. num. 91.*
(g) *S. Greg. Nazianz. orat. ad Patr. & ad Greg. Nyss. & Apol. 3*
(h) *Greg. Presbyt. in vit. S. Greg. Naz. ante ejus oper.*
(i) *S. Greg. Naz. car. de vit. sua.*
(l) *S. Greg. Nazian z. loc. cit.*
(m) *Baron. an. 371. num. 97.*

tiit, ut Patri, jàm annoso, in regimine Ecclesiæ Nazianzenæ, donèc superviveret, opportunum porrigeret adjutorium (*a*).

12. Ecclesiam tamèn Nazianzenam Gregorius Theologus nunquàm in titulum est adeptus, quamquàm aliquandò, ad breve tempus, ei administrandæ præfuerit, uti scribens ad Gregorium Nyssenum, de se ingenuè declaravit: *constat me non Nazianzi, sed Sasimorum Antistitem creatum fuisse: tametsi Patris reverentiâ, & eorum, qui supplices hoc à me contenderunt, ad breve tempus præfecturam, quasi hospites accepimus* (*b*) Mortuo itâque Gregorio seniore, Gregorius ipse Theologus ejus filius, Nazianzo secessit, & ad Monasterium S. Theclæ apud Seleuciam per sexennium se recepit(*c*). Congregato autem Concilio Antiocheno, ad tollendum schisma, quod per 15. annos Ecclesiam illam trisciderat, laceraverat, devastaverat ob tres de illius Episcopatu inflexibilitèr contendentes, nempè Meletium, Euzojum, & Paulinum (*d*) Gregoriùs quoque noster ad Synodalem consessum profectus est, ubi cum aliis Episcopis fidem Catholicam suffulcivit, Arrianos fudit, & hæresim Apollinaris, novitèr gliscentem, compescuit (*e*). Indè cum Concilium Viros eximios, per varias Orbis partes mittendos, deputasset, ad Ecclesias illorum locorum, & visitandas, & confortandas, & congruis subsidiis adjuvandas, nimirùm Gregorium Nyssenum per Arabiam (*f*) Eusebium Samosatenum per Phrygiam, & circumpositas Regiones (*g*), ac Meletium Antiochenum per totam Syriam (*h*); Gregorium quoque Nazianzenum ad reparandas ruinas Ecclesiæ Constantinopolitanæ miserunt, ut ei, & sapientiæ, & prudentiæ, & sanctitatis suæ præsidia porrigeret opportuna (*i*).

13. Lugebat Ecclesia Constantinopoleos, suo viduata pastore, per mortem Evagrii Episcopi, eamque Eudoxius, & postea Demophilus hæreticâ pravitate contaminaverant, cùm illuc se recipiens Gregorius, augustam illam urbem, & Doctrinâ, & patientiâ, & sollicitudine, & sanctitate, ab hæresi prò majori parte retraxit (*l*), & successivè Ecclesiam illam totam ad catholicam fidem prorsùs convertere allaboravit. Ob hunc etenìm finem illuc Gregorius adproperaverat, ut ore proprio de se ipso est professus, *hùc veniendi causa fuit, ut fidei patrocinium susciperemus, Ecclesiæque, viro interim carenti, haud secus, ac tutores quidam, & curatores, operam prò virili nostrâ navaremus. Alii qui præstanti ipsius formâ dignus videretur, ac plura virtutum tamquàm sponsalia Reginæ obtulisset, eam collocaturi* (*m*). Torquent viros eruditos hæc verba, dubium suggerentia, an re vera Gregorius Nazianzenus fuerit Episcopus Constantinopolis intitulatus, incardinatus, seù desponsatus cum illâ Ecclesiâ. Ipse quippe hic deserto eloquio fatetur, se non episcòpatum illum in titulum, sed solam ejus administrationem, sumpsisse. Uerùm quod effective episcopatum illum in titulum sit adeptus, videtur, & probabilius, & certiùs, quamquàm per tres annos, quot ipsi Ecclesiæ præfuit (*n*), suspenso semper animo fuerit, illam retinendi, expectans convocationem Concilii Generalis, cito futùram, ut ab eo alium pastorem illi Ecclesiæ postularet: *Tantisper*, ait auctor suę vitæ, *se apud eos mansurum recepit, quoad Episcopi, quorum adventus in spe, & expectatione erat, aliquem Episcopatu dignum elegissent, sibique curis libero, potestatem abeundi fecissent* (*o*).

14. In hanc eandem opinionem inclinat Ludovicus Thomassinus, sentiens, quod licet Imperatore, atque Episcopis sollicitantibus Gregorium, ut Ecclesiam Constantinopolis episcopaliter acceptaret, ille *utcumque annuere visus esset, sustinuit tamèn ille assensum suum usquè ad Concilium Constantinopolitanum, ubi cum infestos sibi sensisset Episcopos nonnullos, maximè Ægyptios, tùm lubens cessit odio adversariorum, quàm invitus alioqui amicorum consiliis paruisset, cùm otiò, cujus erat cupidissimus, faverent adversarii, amici adversarentur* (*p*). Sed quidquid fit de illius intentione, quæ sub hominum judicio non cadit; quantùm ad id, quod humanis oculis est visibile, & humanâ conversatione tractabile; tenendum videtur, illum fuisse Episcopum intitulatum, & incardinatum Ecclesiæ Constantinopolitanę, ac pro

(a) *S. Gregor. Naz. cam de vita sua. Bar. an. 371. n. 97.*
(b) *S. Greg. Nazianz. ep. II. 65.*
(c) *Elias Cretens. or. 32. Baron. an. 378. n. 53*
(d) *Socrat. l. 5. c. 5. Sozom. 5. c. 3.*
(e) *Baron. an. 378. n. 44*
(f) *S. Greg. Nyss. de peregr. Hierosol.*
(g) *Theodoret. in histor. Patr.*
(h) *Idem hist. l. 5. c. 4.*
(i) *S. Greg. Naz. carmin. de vita sua.*
(l) *Idem orat. ad 150. Episc.*
(m) *Idem or. 27. in med.*
(n) *Baron. an. 378 n. 36*
(o) *Vit. S. Gregor. Naz. ub. sup.*
(p) *Tomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 50. nu. 6.*

ac prò tali reputatum: seque etiam uti talem habuisse, quamquàm in animo volutaret, de illâ quam citiùs dimittendâ. Etenim certum est, Gregorium fuisse à civibus catholicis urbis Constantinopoleos, ex Administratore suæ Ecclesiæ, in Antistitem postulatum (*a*), & à Petro Alexandrino Episcopo fuisse per literas recognitum, tamquam ejusdem sedis Episcopum, ut ipse de se testatur (*b*). Rursùs Theodosio magno Constantinopolim proficiscente, ibique de Getis, & Scythis solemnitèr triumphante (*c*); Cæsar Ecclesias illius urbis, per 40. annos ab Arrianis obsessas, Catholicis restitui mandavit, tuncque Ecclesiæ Cathedralis, seu majoris possessionem, traditam fuisse Gregorio memorat Marcellinus (*d*), ac ipsemet Gregorius in carmine de vitâ suâ. Quod cum faceret Theodosius, ità est Gregorium allocutus. *O Pater, Deus tibi, tuisque sudoribus per me Ecclesiam committit. En sacram ædem & thronum tibi trado* (*e*). Tuncque Nazianzenus modestè solium conscendere refugiebat, *sed ei ad extremum usque, obsistere non licuit, quominùs in throno collocaretur. Pontificum enim multitudo eum, quamvìs nolentem; vehementerque recusantem, in Archiepiscopali Sede constituit* (*f*).

15. Et quasi inthronizatio Gregorii præfata non sufficeret; Imperator anno sequenti 381. ab ortu Christi, Meletium Antiochenum Constantinopolim accersivit, convocato que cum eo plurium Episcoporum particulari Concilio, ipsum Gregorium in verum Episcopum Constantinopoleos fecit Synodalitèr confirmari (*g*). Subindè Petrus Alexandrinus post recognitum per epistolas Gregorium, ut innuimus, in Episcopum Constantinopolitanum, vel pecuniâ captus, vel voluntate mutatus, à proposito desilivit, & Bizantium direxit Maximum Cynicum, Alexandriæ natum, quem Gregorius benignè excepit, hospitio, & mensâ donavit, ac fidei Christianæ rudimentis instructum, primò baptismate regeneravit, deindè Clero suę Metropolis interservit (*h*). Quibus ità peractis, Petrus quosdam Episcopos ex Ægypto Constantinopolim clàm transmisit, qui furtim Maximum, Judæ imitatorem (*i*), in illius urbis Antistitem consecrarunt, & noctu in Gregorii decumbentis thronum, temerariissimè collocarunt: improbantibus tantam impudentiam nedùm Catholicis, verùm etiàm Arrianis: quarè citò furore populi Maximus est ab illâ urbe depulsus (*l*). Subindè Concilium Generale Constantinopolitanum habitum est, quod de Maximo Cynico, ità decrevit, *ut neque Maximus fuisse, aut etiam esse putetur Episcopus, neque hi, qui ab eo sunt ordinati qualemcumque gradum clericatus obtineant, omnibus scilicèt, quæ circà eum, vel ab eo gesta sunt, in irritum revocatis* (*m*). Tùm pariter per Patres, Gregorii provectio ad Ecclesiam Constantinopolitanam, uti legitima, & ritè, ac rectè facta, fuit communibus omnium albicalculis approbata, Meletio Antiocheno satagente, cujus *consilio, atque hortatu, Gregorio Augustæ urbis Episcopatus, Concilii decreto, confirmatus est* (*n*).

16. Ob hujusmodi confirmationis Decretum Imperator Theodosius Concilio Generali Patrum, literas gratulatorias direxit (*o*). Undè apparet nihil prorsùs ab extrinseco defuisse, quominùs dici possit, Gregorium verè, & effectivè Ecclesiam Constantinopolitanam in titulum esse nactum, si fortè ab intrinseco non defuit ejus assensus, vel penitùs ab initio subtractus, vel ad tempus tantummodò contributus, quatenùs animo ad amorem quietis propenso, tandiù solùm in corde suo susceptam Ecclesiam decreverit retinere, quandiù ab illâ posset abscedere: de quâ tamen suspensione mentis, cum nihil constet, alioquinque omnia forinsecùs necessaria concurrerint, probantia illum verè fuisse in illâ Sede incardinatum; non est negandum, ipsum fuisse Episcopum Constautinopolis, tametsì fortè ab initio intrà se constituisset illam Ecclesiam in titulum non adipisci, sed solùm uti commendatam ad tempus administrandam suscipere. Hinc est, quod cuidam, ei obiicienti dimissionem Ecclesiæ, ipse rem remetiendo à primo proposito suæ mentis; respondit, se non illam dimisisse, quam non erat ex proposito assecutus, sed in simplicem curam solummodò ab initio susceperat: tametsi posteà consilium mu-

(a) *Baron. ann. 379. num. 25.*
(b) *S. Gregor. Naz. carm de vit. sua.*
(c) *Socrat. lib. 5. c. 6.*
(d) *Marcellin. in Chron. Baron. ann. 380 num. 10.*
(e) *Gregor. Presbyt. vit. S. Gregor. Naz. fol. 12. ante ejus oper.*
(f) *Idem loc. cit. paulò inferiùs.*
(g) *Baron. ann. 381. num. 18.*
(h) *S. Gregor. Naz. carm. de vit. sua, & Gregor. Presb. in ejus vit. fol 9.*
(i) *Idem Greg. Presbyt. loc. cit.*
(l) *Baron. ann. 379. num. 26. 27. &c.*
(m) *Conc. Constant. 1. cap 6.*
(n) *Gregor. Presbyt. in vit. S. Greg. Naz.*
(o) *Vid. Cabasut. ad Conc. Constantinop. 1. c. 4. n. 10 fol. 163.*

mutasset: *quod si Ecclesiam, uti scribis, relinquere periculosum est; quam tandem? Si nostram: rectè dicis; idemque ipse ajo; Si verò nihil ad nos attinentem, nec nobis assignatam, culpâ vacamus. At id circò tenemur, quià ipsius curam aliquantispèr egimus? Nimiràm multi alii eâdem ratione teneantur, nimirùm quotquot extranearum curam susceperunt* (*a*).

17. Post comprobatam à Concilio Generali promotionem Gregorii, nova rerum est metamorphosis excitata, quę Ecclesiam Constantinopoleos infestavit. Gregorius odium Episcoporum Orientalium incurrit, eò quòd mortuo Meletio Antiocheno, ipsi eidem substituere voluerunt Flavianum, superstite adhùc Paulino, altero ejusdem Urbis Antistite, quem Lucifer Calaritanus, Romanæ Ecclesiæ Legatus, in illâ sede locaverat. Gregorius autem, nè id fieret, prò viribus obsistebat (*b*). Indignationem quoquè contraxit Episcoporum Macedonum, & Ægyptiorum, eo quòd Timotheus Alexandrinus, qui Petro fratri in Episcopatu successerat (*c*), cum præfatis Episcopis Macedonicis, & Ægyptiis, provectionem Gregorii, tamquam ipsis insciis factam, illegitimam pronuntiabant (*d*), contendentes ipsam non benè à Meletio Antiocheno, tertiæ sedis primariæ Antistite, fuisse promotam, & auctoritate probatam, cum deberet hoc fieri ab Episcopo Alexandrino, uti secundæ sedis præeminentiam tenente (*e*). Ferventibus ergò hinc indè dissidiis, & Gregorio, quietis amore, dimissionem peroptante; ipse Episcopis adversùs se commotis, & licèt diversis causis, unico tamen intuitu, machinas erigentibus, cessit; apologeticâque oratione eloquentissimè recitatâ, *de non affectata Cathedrâ Constantinopolitanâ* (*f*), Episcopatum dimisit, dicens: *Viri collegæ, & compastores sacrosancti gregis Christi: turpe fuerit, prorsùsque à vobis alienum, si qui ad pacem alios eruditis, intestinum ipsi bellum intèr vos exercetis: quonam enim modo alios ad concordiam adduxeritis ipsi circà sententias vestras, & decreta discrepantes? Ac vos per Trinitatem ipsam obsecro, ut mutua vestra negotia præclarè, & pacificè transigatis. Quòd si vobis ullo modo causâ dissidii sum, Jonam Prophetam vitæ integritate non supero, proiicite me in mare, & tumultuum tempestate agitari desinetis* (*g*).

18. Cessionem Episcopatus admisit Concilium (*h*), per quod etiam comprobatur verè Gregorium habuisse Ecclesiam Constantinopolitanam in titulum, alioquin ad quid admittere dimissionem cathedræ non suæ? Permissionem paritèr abscedendi Gregorius à Theodosio Principe postulavit (*i*), qui ei non nisi ægrè assensum præstitit. Constat igitur de verâ incardinatione ipsius Gregorii in Ecclesiâ præfatâ: sed quià ipse, ut innuimus, animo ferè semper alieno fuit ab eâ firmitùs retinenda, nisi donèc eandem ab hęresis contagione purgasset; vix unquàm prò illius sponso se habuit, & administratoris ejusdem potiùs, quàm sponsi, & pastoris titulum præfetulit. Hinc cum ei aliquandò obiiceretur, quod alienæ sponsæ insidiatus fuisset, propriâ Sasimensi relictâ, respondit: *in gratiam cum veritate redeant, qui nos alienam uxorem expetivisse ajunt, cum nè propriam quidem habere voluerimus* (*l*). Itàque Gregorius post dimissam sedem Sasimæ, vacabat, soloque charitatis instinctu Ecclesiam Constantinopolitanam administraturus adivit, sed eam tandem cleri, populi, ac Augusti precibus, & officiis, necnon Concilii decreto, in titulum acceptavit, & aliquantulùm tenuit: quamvis & illam citò, quietis, ac pacis amore captus, lubens dimiserit. Ex totâque serie successus recensiti patet, perperàm Contradictores comminisci, quod Gregorius eâ præcisâ ratione sedem Constantinopoleos dimiserit, quià contrà illum murmur invalescebat, quod esset extraneus, & tamquam talis, non posset illam Ecclesiam legitimè retinere. Plusquàm certum est enim, Gregorium, non coactè, sed spontè omninò cessisse: nec de justitiâ suæ provectionis dubitasse, sed propriæ quieti ministerium Episcopale postposuisse: maluisseque pacificè in solitudine commorari, quàm throno insidere, intèr latratus inimicorum, eum insidiis appetentium.

19. Perperàm paritèr Contradictores improperant, quod Maximus Cynicus, ex

(a) S. Gregor. Naz. ep. 65. aliàs 69. ad Philagrium, & ep. 42. alias 36. ad Greg. Nyssen.

(b) S. Gregor. Naz. carm. de vita sua.

(c) Baron. ann. 380. num. 16.

(d) Bail. Sum. Conc. in Concil. 1. Constant. p. 1. f. 192. 2. A.

(e) Baron. ann. 381. num. 53.

(f) S. Greg. orat. 27. Baron. ann. 381. n. 56.

(g) Gregor. Presbyt. in vit. S. Greg. Naz. circa fin. fol. 14.

(h) Baron. ann. 381. nu. 56. in fin.

(i) Idem an. 381. n. 57

(l) S. Gregor. Naz. orat. 27.

ex eadem solâ causâ extraneitatis fuerit ab ipsâmet Cathedrâ Constantinopolitanâ dejectus (erat enim natione Ægyptius, & patriâ Alexandrinus), & quod Damasus Papa I. tàm Gregorium, quàm Maximum ex hoc præcisè titulo reprobavit, quià uterque illorum erat extraneus. Aerea sunt hæc, & veritati nullatenùs inhærentia, uti de Gregorio demonstravimus: & quod ad Maximum, hic fuit à sede, & ab urbe Constantinopolitanâ populo adigente depulsus, quià illegitimè, proditoriè, ac more latronum, in illam cathedram insiluerat. Et Damasus in epistolâ ad Acholium Thessalonicensem, atque ad alios Episcopos Orientales, reprobavit quidèm intrusionem Maximi Cynici, eumque exauthorari mandavit (*a*); Sed provectionem Gregorii Nazianzeni non condemnavit, tametsì improbaverit contentionem illorum Episcoporum, qui Gregorio ipsi, tali, ac tanto conatu favebant, adversùs fautores Maximi Cynici, ut periculum esset, nè turbato Concilio, impediretur ejus finis, qui erat condemnatio hæresis Macedonii, adversùs Spiritum Sanctum prolata. Ad quod etiam periculum avertendum, ipse Gregorius, quantumvis à Meletio, & Patribus Concilii jam præventivè in Antistitem Constantinopoleos approbatus, & confirmatus, erumpentibus tamen posteà Orientalium, & Ægyptiorum, atquè Macedonum Episcoporum tumultibus, & diffidiis adversùs eum, ob causas superiùs enuntiatas, concitatis; spontè Ecclesiam dimisit, antequàm de dogmate Macedonii Synodalis sententia proferretur (*b*), ut conciliati Episcopi, dogma ipsum pestiferum unâ mente, & quieto animo condemnarent: quos etiàm verbis, paullò superiùs recensitis, est tunc temporis allocutus (*c*).

(a) *Damas. 1. ep. ad Acholium in Collect. Luc. Holstenii f. 43.*

(b) *Bail. Sum Conc. in Conc. 1. Constantin. p. 1. f. 192. 2 B.*

(c) *Vid. hic supr. n. 17*

20. Rursùs perperàm torquentur verba Sozomeni, dicentis; *atqui dolere nulli poterat, nemine existente, manere illum Constantinopolis Episcopum, seù manere Episcopum, qui alius tàm non erat* (*d*), quasi per ea significaverit, quod nullus esset in tantâ urbe, quantâ est Constantinopolis, nequè Clericus, nequè Laicus, nequè Monachus, capax officii Episcopalis, & ideò opus fuisset illam Ecclesiam dare Gregorio Nazianzeno, licèt extraneo, qui eandem accipiendo, nulli fecisset injuriam, ob defectum habilium in ipsâ urbe. Crassa est hujusmodi expositio: Nàm in primis non est probabile, quod nullus tunc adesset dignus Episcopatu in urbe Constantinopoleos, prò quâ populo replendâ penè omnes aliæ urbes sunt incolis denudatæ, ut ait D. Hieronymus (*e*), cum in longè inferioribus urbibus vix censuerint Patres, & canones, probabile esse, quòd non reperiretur aliquis ad Sacerdotium idoneus (*f*), & ità D. Gregorius ad Fortunatum Neapolitanum scripsit, de Ecclesiâ Mesenate (*g*), ac Barbaro Beneventano, de Ecclesiâ Panormitanâ (*b*), & Nicolaus Papa I. Carolo Calvo, de Ecclesiâ Senonesi, sic loquens: *aut de Ecclesiæ Senonensis Clericis, qui ordinaretur nullus dignus inventus est, quod evenisse non credimus, maximè cum sit Metropolis, & Clericorum numerositate non careat, aut &c.* (*i*). Tantò magis, quòd ad promerendum Episcopatum tunc temporis exigua merita sufficiebant, si vera sunt, quæ de Episcopis Synchronis suis deploravit idem S. Gregorius Nazianzenus, *Discipuli simùl, magistrique pietatis simùl creantur, aliosque antè purgant, quam ipsi purgati fuerint, heri sacrilegi, hodiè sacerdotes: heri profani, hodiè sacrorum Antistites: veteres vitio, pietatis rudes &c. qui denique plura prò suis, quàm prò populi ignorantiis sacrificia debent* (*l*).

(d) *Sozom. l. 7 c. 7.*

(e) *S. Hier. in Chron. ann. 334.*

(f) *Cap. Nullus invitis 23 disp. 61.*

(g) *S. Greg. l. 7 ep. 25*

(h) *S. Gregor. lib. 11. ep. 16.*

(i) *Nicol. I. epist. ad Carol. Calv. in tom. 3. Conc. Galliæ. Vid. infr. Sæc. 5. c. 9. n. 14.*

(l) *S. Gregor. Naz. orat. 20.*

21. Sed quidquid sit etiàm de hujusmodi negotio: re vera verba Sozomeni non id significant, ad quod per vim, ut suprà, tamquam forcipibus pertrahuntur, sed eorum obvius, & naturalis sensus est, quod nemine existente Episcopo urbis Constantinopolitanæ, eo quod Ecclesia tunc vacaret, Gregorius nulli fecit injuriam assumendo Episcopatum illum, primò in administrationem, ac novissimè in titulum. Et certè si verè verba Sozomeni attentiùs trutinentur, invenietur, illa sententiæ nostræ potiùs quàm opinioni Contradictorum favere. Demùm perperàm somniatur, quòd Concilium Constantinopolitanum, loco Gregorii, subrogaverit

rit Nectarium, ſenem, Catechumenum, in rebus Eccleſiaſticis imperitum, è Curiâ ſuſceptum, & uſquè tunc intemperantiùs converſatum, indigenam tamen, potiùs quàm illi præficerent Clericum extraneum, pudicitiâ, pietate, doctrina præditum, & experientia ſacrarum rerum egregium, nempè ipſum S. Gregorium Nazianzenum, hocque inhęrentèr ſententiæ Sancti Damaſi Papæ, in epiſtolâ ad Acholium Theſſalonicenſem, excluſionem extraneorum ſub his terminis præſcribentis, *tùnc contentiones oriuntur, tùnc ſchiſmata graviora occipiunt, cum illi, qui amiſerint Sacerdotem, ſinè dolore animi eſſe non poſſunt, & illi, qui alteriùs civitatis acceperint Epiſcopum, etiam ſi gaudeant, invidioſum ſibi intelligunt fore ſub alieno ſe agere Sacerdote* (*a*).

22. Non enim vetuit Damaſus electionem abſolutam extraneorum, ſed ſolùm conſuluit reſpectivam indigenarum, ut cęteris paribus, indigenæ præferrentur extraneis: & præcipuus ejus ſcopus fuit, cavere, nè de unâ ad aliam ſedem Antiſtites transferrentur. Differunt autèm toto cęlo, Epiſcopos, & beneficiarios de unâ, ad aliam Eccleſiam transvolare, & beneficia eccleſiaſtica à clericis extraneis obtineri: primum vetabant canones Apoſtolici (*b*), Nicæni (*c*), Sardicenſes (*d*), & ſucceſſivè alii canones, & Concilia, ipſeque Damaſus Pontifex interdixit. Secundum verò nullus hucuſque Pontifex, nullum Concilium abſolutè, ac lege generali prohibuit. Nec fuit ſubrogatus Gregorio Nectarius ex hoc præciſo motivo, quod eſſet indigena, quamquàm aliàs minùs aptus, laicus, & Catechumenus, uti vèl ſomniando, vèl ex ideis Platonis, deducendo, ſupponunt Contradictores. Nàm quamquàm communitèr credatur Nectarium laicum fuiſſe, quandò eſt ad infulas evocatus (*e*), in quo conceptu ab impio Photio, laico, invaſore ſedis D. Ignatii Conſtantinopolitani, propoſitus eſt in exemplum ſui facti (*f*); tamèn hoc negotium non videtur aliquali ſaltem dubietate carere, quandoquidèm S. Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, texens catalogum Epiſcoporum, qui ſuæ ſedi prçfuerunt, gradumque adnotans, in quo tùnc verſabantur, ad trigeſimum ſecundum veniens, dicit, *Nectarius Axiomaticus* (*g*). Axiomaticus autem idem ſignificat, ac poſitus indignitate eccleſiaſticâ (*h*). Eratque hoc officium nedùm in Conſtantinopolitanâ, ſed etiàm in Eccleſiâ Romanâ, uti legitur apud Anaſtaſium Bibliothecarium, de Nicolao Papa I. loquentem, *plerique in Equo, cujus ſeſſione ſanctiſſimus Papa Nicolaus, ad S. Petrum pergens, uſus fuerat, dum etiam Pontificali pallio impoſitum, præcedentibus Axiomaticis, & ſubſequente reliquâ turbâ, in urbem redire, Patriarchiumque ſubire conſpexerant* (*i*). Si ergò Nectarius cùm in Antiſtitem electus eſt, erat Axiomaticus, & in dignitate eccleſiaſticâ conſtitutus; profectò non erat laicus, neque Catechumenus. Fatemur tamèn, quod Sozomenus clarè dicit, Nectarium, poſtquàm electus eſt in Antiſtitem, fuiſſe baptizatum (*l*), quod indicat eum fuiſſe laicum, & catechumenum: niſi hujus Auctoris fides nutet, quemadmodùm in multis aliis vacillat. Nicolaus quoquè Papa præfatus eum memorat fuiſſe Paganum (*m*).

23. Falſum eſt etiam quod Nectarius fuerit indigena, ſeù natus, vel originarius urbis Conſtantinopolis, nàm re vera indè erat extraneus, nedùm extradiœceſanus, & extraprovincialis, ſed etiàm extranationalis, uti Aſiaticus, natus Tarſi in Ciliciâ (*n*). Et notetur, quod circà idem penè tempus plurimi extranei in ſedem Conſtantinopolitanam, quà licitè, quà illicitè conſiderunt: nempè *S. Gregorius* Nazianzenus, licitè: *Maximus* Cynicus Ægyptius, illicitè: poſt Gregorium, *Nectarius* Tarſenſis, licitè: & interìm *Marinus* Thrax, intruſus ab Arrianis, illicitè: mox in ejus locum *Dorotheus* Syrus, Antiochiæ delectus, ut indè Conſtantinopolim proficiſceretur, & Eccleſiæ illi præeſſet, paritèr illicitè (*o*). Mortuo Nectario ſubrogatur ei *Joannes* Antiochenus, vulgò Chryſoſtomus, natione Syrus, licitè (*p*), qui dùm præficeretur, alius ei fuit oppoſitus, *Iſidorus* Alexandrinus, à Theophilo Alexandriæ Epiſcopo proclamatus, illicitè (*q*): Joanni defuncto ſubſtitutus eſt *Arſacius* Cylix, Tarſenſis, Nectarii frater, legitimè (*r*). Silemus

(a) *Damaſ. I. ep. ad Achol. ap. Luc. Holſten*

(b) *Canon. Apoſt.* 14

(c) *Conc. Nicęn. c.* 15

(d) *Concil. Sard. c.* 1. & 2.

(e) *Baron. ann.* 381. *num.* 69.

(f) *Nicol. PP. I. epiſt.* 5. & 6. *ap. Binium tom.* 6. *Concil.*

(g) *Chronol. S. Nicephor. in Bibl. Patrum tom.* 7.

(h) *Domin. Magr. notit. de Vocab. Eccleſ. verb. Axiomatici, & Calep. eod. verb.*

(i) *Anaſtaſ. Biblioth. in Hadrian.* 2.

(l) *Sozom. l.* 6. *c.* 7.

(m) *Nicol. PP. I. ep.* 5. §. *Præterea ap. Binium tom.* 6. *Conc.*

(n) *Sozom. l.* 7. *c.* 10. *Gregor. Presb. in vit. S. Greg. Naz. circa fin. in princ. ejus oper.*

(o) *Theatr. vit. Hum. v. Epiſcopus f.* 134. *A.*

(p) *Chronol. S. Nicephor. loc. cit. num.* 33.

(q) *Baron. ann.* 397. *num.* 31.

(r) *Baron. ann.* 404. *num* 45.

lemus de aliis extraneis paulò post in illâ cathedrâ collocatis, & advertamus, quod intrà spatium 25. annorum, nempè ab anno Christi 379. in quo promotus est S. Gregorius Nazianzenus (*a*), ad annum 404., in quo electus est Arsacius (*b*), octo extranei, quà legitimè, quà illegitimè Constantinopolitanas infulas capessèrunt. Quis sibi persuadeat, reputatam tùnc fuisse rem de necessitate, promotionem indigenarum, si & Catholici, & Hæretici, & Imperator, & privati, & clerus, & populus, & Episcopi majorum, & minorum Sedium, & ipsum Concilium generale, tàm crebrò, tàm brevi tempore, intèr tantas contentiones, uni Ecclesiæ Constantinopolitanæ octo extraneos præfecerunt? Judicet de veritate peritissimus Anagnostes.

(a) *Baron. ann.379. num.25.*
(b) *Baron. ann.404. num.46.*

24. Nec majoris momenti est id, quod paritèr exadversò præsumitur, nempè Nectarium ideò fuisse delectum, quià non adesset alius, tabe Arrianicâ defæcatus; ità ut quantumvìs Ecclesia Clero, & populo abundaret, non adesset tamèn ex eis vir catholicus, uti Nectarius, ad Episcopatum idoneus. Nàm hoc non est seriò loqui, sed ludricè crocitare. Ecquę magna enim poterat esse Catholicorum inopia, in magnâ urbe Constantinopoleos, ut oporteret promovere laicum, cathecumenum, & Paganum, usque tùnc intemperantem, ad ecclesiastica officia ineptum, & qui, si talis erat, vix dignus videri poterat simplici clericatu? Sed re vera hęc inopia non aderat, quippè D. Gregorius Nazianzenus, dictam regens Ecclesiam, illam prò majori parte catholicam fecerat, hęresi debellatâ, quâ de re Auctor ejus vitę ait, *perexiguo temporis curriculo exacto tantùm multitudini incrementum attulit, ut nulla jam cum priori rerum statu comparatio relinqueretur, atque hic illud scripturæ impleretur: Domus David ibat, & increscebat, domus autem Saul ibat, & decrescebat* (*c*). Ulteriùs modus in electione Nectarii observatus nimiùm clarè patefacit, alios, ac plurimos adfuisse, Pontificali honore dignissimos: quod ut clarescat, perpendamus modum ipsum in eâ electione observatum. Theodosius Augustus dedit Episcopis in mandatis, ut nomina virorum, quos ad Episcopatum Regiæ urbis idoneos judicarent, in schedulâ distinctè conscriberent, eique darent, unum ex illis, ad suum libitum, electuro. Catalogum postulatum Episcopi Concilii ediderunt, à Flaviano Antiocheno conscriptum, qui ad importunas preces Diodori Tarsensis, post alios candidatos, etiam Nectarium ultimo loco signaverat. Lecto autèm catalogo Imperator, ultimum designavit Nectarium. Cæsarem verò conantibus Episcopis à proposito dimovere, ac reluctantibus, ex eo quod eum, aliis minùs idoneum, judicarent, & nec adhuc sacro baptismate tinctus esset; Cæsar in sententia perseveravit: & ità *postquam omnes cesserunt, & in Imperatoris calculum consenserunt, baptizatus fuit, & communi suffragio Synodi declaratus est Episcopus* (*d*). Non ergò erat solus Nectarius tanto munere dignus, sed multi alii aderant, eo digniores: quibus cunctis postpositis Augustus Nectarium ipsum, Domino sic disponente, prælegit.

(c) *Gregor. Presbyt. in vit. S. Gregor. Naz. fol.8.*
(d) *Sozom. lib.6.c.7.*

25. Quod si Nicolaus Papa I. Photium confutans, qui exemplum Nectarii in præsidium suæ intrusionis allegabat, ait id factum esse, quià in Ecclesiâ Constantinopolitanâ nullus tùnc aderat præter Nectarium tantò munere dignus, *secunda sancta Synodus non ob aliud ad Sacerdotalem eligere, atquè ordinare, ex laicali voluit dignitate, nisi quià magnæ necessitatis contritione anxiabatur, eo quod in Constantinopolitanâ Ecclesiâ nullus clericorum inveniri poterat, qui pessimæ hæreseos nimbosâ caligine non fuerat impeditus &c.* (*e*); Verba Nicolai sunt benignè interpretanda, & congruenti modo mollienda, atque in eo sensu intelligenda, quo Leo Ostiensis electum fuisse inquit in Papam Clementem II. ex Episcopo Bambergensi, quià *post factam diligentem inquisitionem, nullus alius tantò munere, & officio dignus inventus fuerit* (*f*): & Desiderius Cassinensis: *quià in Ecclesiâ Romanâ non erat tunc talis electa persona, quæ dignè posset ad tanti honorem sufficere Sacerdotii* (*g*). Non quod re vera in Ecclesiâ Romanâ nullus absolutè adesset Pontificatu dignus, sed quià in eâ temporum perturbatione, nullus alius erat, cujus electione,

(e) *Nicol. PP. I ep. 6. ante med. Binium tom.6. Concil.*
(f) *Leo Ostiens. Chron. l.2. cap.80.*
(g) *Desid. Cassin. in Dialog.*

ctione, & Henrici II. Imperatoris conatus, & motę tempestates possent opportunè quietari, sic, ut de hujusmodi re congruè scripserit D. Petrus Damiani: *In constituendo Pontifice Romano, Ecclesia à charitate Regiâ non recessit, quià cum in Clero suo religiosis viris, & sapientibus abundaret, non de propriis, sed eum, qui Regi tamquàm domesticus, & familiaris erat, elegit* (a). Necessitas ergò à Nicolao allegata contrà Photium super provectione Nectarii, non ad necessitatem ex inopiâ causatam referenda est, sed ad necessitatem ex charitate productam; quià nullus erat catholicus, qui melius eo illam tunc Ecclesiam regere posset.

(a) *S. Petr. Damian. discept. interr Reg. & de Ecclesia.*

26. Designaverat, ut suprà Theodosius Nectarium, & licèt monitus de illo cæteris postponendo; in suo tamen proposito stetit inflexus, non sinè superni luminis speciali instinctu, ait Sozomenus (b). Necesse ergò fuit Augusti electioni assentiri, non quod multi alii non adessent Nectario magis idonei, sed quià in illis rerum circumstantiis operæ pretium fuit, ad servandam charitatem, intèr Sacerdotium, & Regnum, Nectario assensum præbere: & in hoc sensu, ut innuimus, non aderat alius eo melior. Itàque Nectarius alienigena fuit electus, solo intuitu charitatis id exigente: nec ullam habitam tùnc fuisse rationem, sivè extraneitatis, sivè indigeneitatis, patet, ex eo, quod statim post Nectarium in Ecclesiâ Constantinopolitanâ fuit iterùm collocatus alius alienigena, nempè Joannes Chrysostomus, & uti paulò antè notavimus, intrà 25. annorum spatium, octo alienigenæ, illius Ecclesię, quà licitè, quà illigitimè connubia sunt adepti. Rursùs tùm antecedentibus, tùm successivis temporibus, ad illam Cathedram ascenderunt plurimi extranei, nempè Eusebius, qui priùs fuerat Berythensis, indè Nicomedię Antistes (c): Eudoxius, anteà Episcopus Germaniciæ (d): Demophilus, anteà Episcopus Berrœensis (e): Nestorius, Germaniciensis & ipse, Monachus, atque Presbyter Antiochenus (f): Proclus anteà Episcopus Cyzicęnus (g): Joannes Cappadox, presbyter, & Syncellus Ecclesię Constantinopolitanę (h): Anthimus, pridèm Episcopus Trapezuntinus (i): Menas, Alexandrinus, prefectus hospitio Sampsonis (l): Eutychius, Monachus, & presbyter Amasenus (m): Anatolius Alexandrinus, Apocrisarius Dioscori Antistitis Alexandrię (n): Joannes, alter à Chrysostomo, Presbyter Antiochenus, ex numero Scholasticorum (o): Cyrus presbyter, & Monachus ex Trogesso Amastridos (p): Germanus, anteà Episcopus Cyzicęnus (q): Constantinus anteà Episcopus Syllęi (r): Paulus Cyprius (s): Michael Oxites (t): Theodorus Melissenus (u): Cosmus Ægyneta (x): Basilius Scamandrenus (y): Theodosius Armenus (z): Eudosius Antiochenus (aa): Theodorus Calcedonensis (bb): Joannes Xiphilinus Trapezuntinus (cc): Stephanus anteà Episcopus Amasęnus (dd): Dositheus Venetus anteà Episcopus Hierosolymitanus (ee), & alii posteriores, qui omnes extrà Constantinopolim orti, & respectivè aliis Ecclesiis anteà insigniti, vel in eis, vel in Constantinopolitanâ; omninò erant extranei.

(b) *Sozom. l.6.c.7.*

(c) *Niceph. in Chronolog. oper. Constant. num. 26. in to. 6. Biblia Patrum.*
(d) *S. Nicephor. loc. cit. num. 28.*
(e) *Idem num 29.*
(f) *Idem num. 37.*
(g) *Idem num. 39.*
(h) *Idem num. 48.*
(i) *Idem num. 50.*
(l) *Idem num 51.*
(m) *Idem num. 52.*
(n) *Evagr. l. 2. c. 10. Libert. in Brev. c. 12.*
(o) *S. Nicephor. loc. cit. num. 53.*
(p) *Idem num. 69.*
(q) *Idem num. 71.*
(r) *Idem num. 73.*
(s) *Idem num. 75.*
(t) *Idem num. 106.*
(u) *Baron. ann. 814. num. 31.*
(x) *S. Nicephor. loc. cit. num 107.*
(y) *Idem num. 91.*
(z) *Idem nu. 108.*

27. Habemus ergò hic, prętèr longam iliadem Episcoporum Constantinopolitanæ urbis extraneorum, S. Basilium Helenopolitanum Episcopum Cesareę Cappadocię: S. Gregorium Nyssę in Lydia Episcopum paritèr Helenopolitanum, & fratrem S. Basilii, qui unâ cum Gregorio Nazianzeno seniore, consecrarunt S. Gregorium juniorem Nazianzenum, vulgo Theologum ex Arianzo in Episcopum Sasimę (ff). Extranei, extraneum reluctantem, à Clero, & populo Sasimensi non petitum, neque electum, sed eis ultrò transmissum. Habemus S. Gregorium ipsum Theologum, de quo loquimur, inferentem Clero Ecclesię Constantinopolitanę, Maximum Cynicum, Alexandrinum, Ægyptium. Habemus Petrum Alexandrię Episcopum, cum septem aliis Episcopis Ægyptiis, Maximum ipsum extraneum, ad thronum prefatæ Ecclesiæ Constantinopoleos, elevantes. Habemus ipsum Petrum Alexandrinum, necnon S. Meletium Antiochenum, qui primò Sebastenus in Armeniâ, deindè Berœensis in Syriâ Episcopus fuerat, ac postmodùm Antiochiæ Antistes evasit (gg). Habemus itèm clerum, & populum catholi-
cos

(aa) *Baron. ann. 360. num. 44.*
(bb) *Baron. ann. 117. num. 16.*
(cc) *Niceph. in Chronol. Episcopor. Constantinop. num. 101.*
(dd) *S. Niceph. loc. cit. num 78.*
(ee) *S. Niceph loc. cit. num. 112. Panvin. in Chronol. ann. 1193. post Platin.*
(ff) *Baron. ann. 371. num 91. & c.*
(gg) *Theatr. vit. hum. verb. Episcopus fol. 104.*

cos Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Habemus Theodosium Seniorem Augustum. Habemus demùm Episcopos, ab eo ad Synodum particulare Constantinopoli congregatos; qui omnes Gregorium Nazianzenum ad solium ipsius Ecclesię, concordibus sensibus provexerunt. Tandèm habemus Concilium Generale 150. Episcoporum, qui eandem Gregorii promotionem Synodalitèr approbarunt, & confirmarunt. Quodnam, quæso, validius argumentum desiderari potest, probans libertatem Ecclesiæ per quartum Christi Sęculum in conferendis Episcopalibus beneficiis, & consequentèr etiàm aliis, ordinis inferioris, non modò Clericis extraneis, verum etiàm indigenis?

28. Exerant Contradictores, si possunt, consimile exemplum, exclusivum extraneorum, & inclusivum tantummodò indigenarum. Edant, si ad manus habent, historiam, in quâ simùl concurrerint tres magni Doctores, nempè Basilius, Gregorius Nyssenus, & Gregorius Nazianzenus: tres Patriarchę, nempè ipse Nazianzenus, Petrus Alexandrinus, & Meletius Antiochenus: quatuor Sancti, nempè uterque Gregorius, ac Basilius, & Meletius præfati: Unus totius Orbis Imperator, nempè magnus Theodosius senior Augustus: duo tandèm Concilia, unum particulare, & alterum generale, utrumque Constantinopoli habitum, ad quæ multarum nationum Episcopi confluxerunt, Orientales, Syriaci, Thraces, Macedones, & Ægyptii: ostendant, si habent, tot proceres unâ dicentes, necessariò arcendos esse clericos extraneos ab ecclesiasticis beneficiis; sicut nos totidem exhibemus, factis, non semèl, sed bis, & tertiò repetitis, docentes, beneficia ecclesiastica posse licitè Clericis, non modò indigenis, verùm etiàm extraneis erogari. In totâ ergò serie successuum promotionis Gregorii Nazianzeni, sivè ad Episcopatum Sasimensem, sivè ad Ecclesiam Constantinopolitanam, perabundè renidet libertas Ecclesię conferendi sua beneficia etiam clericis alienigenis, dummodò benemerentibus, atquè dignis.

C A P U T VIII

In quo ipsamet Ecclesiæ libertas, conferendi Sacras Prębendas, & Ecclesiastica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis, probatur ex gestis paritèr, ac doctrinâ SS. Hilarii *Pictaviensis*, Martini *Turonensis*, Epiphanii, *&* Ambrosii, *qui* quarto Christi Sæculo *floruerunt.*

S U M M A R I U M.

1 *Abundat Sæculum quartum probationibus libertatis Ecclesiæ, concedendi beneficia ecclesiastica etiam viris extraneis. Laudes* S. Hilarii *Episcopi Pictaviensis innuuntur.*

2 *Omnes Christiani unum sunt: & plures Ecclesiæ unam Ecclesiam constituunt: hæc autem unitas excluditur, si à beneficiis extranei repellantur.*

3 *S. Hilarium fuisse dicitur insignitum Diaconali officio, & beneficio, in Ecclesiâ Romanâ. Ipse quoquè* S. Martinum *exorcitatu in sua Ecclesia Pictaviensi decoravit.*

4 *Etsi D. Martinus Monachatum profiteretur, tamen laicus erat, quandò D. Hi-*

larius illum ordinavit: licebatque tùnc cuilibet Episcopo laicum alienum ordinibus insignire.

5 *Concilium Carthaginense* 1. *vetuit ordinari etiam laicos alienos, sed est correctum à Carthaginensi* III. *nec quidquam obest canon Sardicensis.*

6 *Sicut & non benè prætenditur, quod vi Canonis Chalcedonensis, & decreti Julii Papæ I. inhiberetur, nè laici extranei ordinarentur.*

7 *Ex D. Augustino, & Concilio Arausicano* 1. *patet, quod laici poterant à quolibet ordinari: idquè comprobatur exemplis.*

8 *Novi Canones supervenerunt, interdicentes ordinationem quoquè laicorum alienorum, sed non provectionem Clericorum extraneorum ad beneficia.*

9 *Tempore S. Hilarii, & S. Martini, liberum erat cuilibet Episcopo alienum laicum ordinare, & consequentèr beneficio quoque insignire.*

10 S. Martinus *artificiosè eductus est è Monasterio, ut fieret Episcopus: quidam illum esse indignum Episcopatu censebant, sed populo urgente provectus est.*

11 *Qui sanè beneficium Episcopale assecutus est in loco, à quo erat extraneus: Pluresque defectus ei objecti sunt, at non extraneitas.*

12 *Populi, & Episcopi Provinciæ Turonensis deferendo, & S. Martinus suscipiendo Episcopale beneficium, declararunt libertatem Ecclesiæ, de qua loquimur.*

13 S. Epiphanius *Phœnix, Episcopus in Cypro, vitia colligens, quæ Hæreticis obiiceret, nullum vocavit in culpam, quod beneficium accepisset, ubi erat extraneus.*

14 *De* Arrio *dicit, quod ex Libiâ oriundus, Alexandriæ parochiam obtinuit. De* Paulo Samosateno, *quod in Mesopotamiâ natus, Antiochenis præfuit. Quid de Photino?*

15 Marcion *Ponticus, excommunicatus à Patre, Romam petiit, & cur? S. Epiphanius nihil de horum extraneitate proloquitur.*

16 *Argumentum negatiuum aliquandò locum habet. S. Epiphanius ordinavit* Paulinianum *Presbyterum. Undè discordia orta est inter ipsum, & Joannem Hierosolymitanum.*

17 *Epistola S. Epiphanii ad Joannem Hierosolymitanum, quâ se ritè processisse tuetur in provectione Pauliniani ad ordines sacros.*

18 *Sequitur textus ejusdem epistolæ, idem inculcantis.*

19 *S. Epiphanius Phœnix origine, & Episcopatu Cyprius, promovet Paulinianum, origine Stridoniensem, in Monasterio Palestinæ, eo quod charitas Christi id permitteret.*

20 *Joannes carpsit Epiphanium, non quod ordinasset extraneum, sed quod id extrà propriam Diœcesim egisset. Inferiores ordines olim cum Diaconatu conjungebantur.*

21 *Episcopo vetitum est ordinare extrà propriam Diœcesim. Nonin Bethleem, territorio Joannis, sed extrà illud, in monasterio S. Epiphanius ordinavit Paulinianum.*

22 *Antiquâ urbe Hierusalem destructâ novior ædificata est, Ælia dicta, quam Constantinus illustravit: aliquandò appellata est,* Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater.

23 *Concilium Nicænum* 1. *detulit prærogativam honoris Episcopo Hierosolymitano, qui tamèn suberat Antiocheno, uti Patriarchæ; & Cæsariensi, uti Metropolitæ. Quomodo sederet in Conciliis?*

24 *Successu temporis Episcopus Hierosolymitanus excussit jura Cæsariensis, & Antiocheni, tresque Provinciæ in Patriarchatum ei datæ sunt.*

25 *Paulinianus non fuit ordinatus in loco, ad Joannem Hierosolymitanum spectante; & quatenùs turbata esset localis jurisdictio, non ad Joannem reclamare spectabat, sed ad alios.*

26 *Li-*

26 *Licebat tunc alienum laicum prævenire, & ordinibus insignire, hócquè fecit S. Epiphanius, Paulinianum ordinans prò commoditate Monasterii, moxque illum ducens in Cypro.*

27 *Joannes Hierosolymitanus solebat alienos Clericos suæ Ecclesiæ inserere. Illius sensus, ac SS. Epiphanii, & Hieronymi, favent provectioni extraneorum ad beneficia.*

28 S. Ambrosii *Mediolanensis laudes referuntur, qui suggerens majorem esse fraternitatem Christi, quam sanguinis, proficit causæ admissionis extraneorum ad beneficia.*

29 *Consortium in Christi fide, Christi fraternitatem fundat, quæ communionem bonorum Ecclesiasticorum deposcit, ut tàm indigenis, quàm extraneis beneficia promiscuè concedantur.*

30 *Vacante Episcopatu Mediolanensi, divisisque votis, Episcopi proposuerunt Imperatori, ut Antistitem designaret, quo renuente, ad vocem pueri Ambrosius electus est.*

31 *S. Ambrosius ut declinaret onus Episcopale, sibi ipsi objecit crudelitatem, luxuriam, religionis diversitatem, & quidquid aliud potuit, extraneitatem verò siluit.*

32 *Nulla erat necessitas promovendi Ambrosium extraneum, reluctantem, baptismo carentem, tamèn ejus ordinationem Episcopi Occidentales judicio, Orientales exemplo probaverunt.*

33 *Quæ cum aliis factis D. Ambrosii, respectu ad SS. Augustinum, & Paulinum, ac Felicem Bononiensem, nec non ad Gerontium Nicomediensem, probant libertatem Ecclesiæ munerandi extraneos beneficiis.*

1. FERAX probationum, causæ nostræ mirificè suffragantium, est quartum Christi Sæculum, quod percurrimus. Etenim præter ea, quæ usquè nunc recensuimus, adest *S. Hilarius* Pictaviensis, non minùs dogmatum, quam gestorum suorum ope, libertatem Ecclesiæ, de quâ disserimus constabiliens. Sanctus inquam Hilarius, natione Aquitanus (*a*), patriâ Pictaviensis (*b*), primum Gentilis, & posteà Christianus (*c*), atquè Pictaviensium Episcopus: Vir tùm doctrina, tùm sanctitate memorandus, quem Fortunatus, ejus in Episcopatu successor, *intèr Gallicanas familias lampade nobilitatis non obscurum* appellat (*d*). Quem Synodus Ephesina prima, & alia deinceps Concilia mirificè coluere (*e*): quem Eusebius Cæsariensis, mirificum quoddam Mundi lumen (*f*): S. Augustinus, Ecclesiæ Catholicæ nominat defensorem (*g*): S. Hieronymus latinæ eloquentiæ vocat Rhodanum (*h*), & in epistolâ ad Letam, ait, ejus scripta inoffenso pede posse percurri (*i*). Floruit anno Christi 360. *& confessionis suæ merito, & vitæ industriâ, & eloquentiæ claritate, ubicumque Romanum nomen est, prædicatur* (*l*), inquit idem Hieronymus.

2. Hujus doctrina, libertati Ecclesiæ, de quâ loquimur, favens, indè potest deduci, quod pluribus in locis ostendit, Christianos omnes unum esse corpus per fidem, & unum Dei populum constituere: *docet*, inquit, *Apostolus ex naturâ Sacramentorum esse hanc fidelium Dei unitatem, ad Galatas scribens, quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber &c. Omnes enim unum vos estis in Christo Jesu* (*m*). *Itàque, qui per rem eandem unum sunt, naturâ etiam unum sunt, non tantum voluntate &c.* (*n*). Ratione hujus unitatis, *hoc populo Dei congruit sub uno Patre fratres, & sub uno spiritu unum esse, sub una domo unanimes incedere, sub uno capite unius corporis membra esse. Non enim oculus aurem odit, nèc nares os execrantur, nèc manus pedem spernit &c.* (*o*). Quæ si vera sunt de cunctis fidelibus inter se, multò magis vera sunt de cunctis clericis, qui nedùm fide, sed etiam Sacerdotio, & ele-

(a) *Sixt. Senen. Bibl. Sanct. lib. 4. in Hilar. Pictav.*
(b) *S. Hier. de Script. Ecclesi. in Hilar. Pict. cap. 100.*
(c) *S. Hilar. l. 10. de Trin.*
(d) *Fortunat. in vit. S. Hilar. l. 1. ap. Surium die 13. Jan.*
(e) *Possevin. Appar. Sacr. in Hilar. Pictav. tom. 2. fol 49.*
(f) *Euseb. Hist. l. 10. cap. 32.*
(g) *S. Aug. l. 1. contr. Julian. cap. 3.*
(h) *S. Hier. in præf. in 2. lib. Comment. ad Galatas.*
(i) *S. Hier. ep. 7. ad Letam.*
(l) *S. Hier. epist. 141 ad Marcellam.*
(m) *Galat. 3. 3.*
(n) *S. Hilar. lib. 8 de Trin. fol. 120.*
(o) *S. Hilar. Enar. in Psal. 132.*

& electione in sortem Domini, unum sint: & quamvìs ex pluribus Ecclesiis prodeuntes, ministri tamèn unius Christi sunt, & unius Ecclesiæ filii, quæ ex ipsis pluribus Ecclesiis compacta est, de quibus idem S. Hilarius, *sunt enim una Apostolorum Ecclesia plures Ecclesiæ* (a). Hæc autem unitas nimium excluditur, quoties clerici à sacris stipendiis, in locis, quorum non sunt indigenæ, repelluntur: & prò eo, quod juxtà doctrinam Hilarii, ex pluribus Ecclesiis fiat una Ecclesia per indistinctam admissionem omnium clericorum, dummodo idoneorum; fiunt è contrario ex unâ Ecclesiâ plures Ecclesiæ, singulæ ad solos proprios indigenas coarctatæ.

(a) *S.Hilar.Enar.in Psalm.131.*

3. Sed relictâ seorsim D. Hilarii doctrinâ, res dilucidius ex ejus operibus inferatur. Non desunt, qui eundem D. Hilarium Romę baptizatum fuisse affirment, & in Romanâ Ecclesiâ diaconali ordine decoratum (b): quod si ità est, vèl saltèm ità esse censuerunt viri docti; certum est quoquè, quod ipse vel habuit, vel ut minus, licitè habere potuit, officium, & stipendia diaconalia, sivè beneficium ecclesiasticum, suæ Diaconiæ respondens, in Ecclesiâ Romanâ, à quâ velut Aquitanus, toto Cælo erat extraneus. Rursùs ipse S. Hilarius, S. Martinum, natione Huogarum, patriâ Sabariensem (c), primò Militem, & Paganum, deindè Ambiani sacro baptismate regeneratum (d), & in insula Gallinariæ solitudini operam dantem (e), ad suam Ecclesiam traduxit, ac illum inibi Exorcistatus ordine decoravit, ad Diaconatum etiam illum provecturus, nisi ei Martinus humillimè restitisset. *Tentavit* enim *Hilarius, imposito Diaconatus officio, sibi eum arctiùs implicare, & ministerio vincire Divino* (f). Qui D. Martinus monachalem aliàs professus est vitam in Monasterio, quod apud Mediolanum construxit, undè Arrianorum infestationibus ejectus, in dictam Gallinariam Insulam confugit, à qua regressus in Galliam, alterum Monasterium non procùl Augustorito Pictonum struxit, cum illuc perrexisset, ut ad Hilarium Pictaviensem Episcopum se totum conferret (g).

(b) *Vid.Jo:Gilletium Commentatio de vita s.Hilar.ant.ejus operi. § primum.*

(c) *Vit.s.Martin.ap. Surium die 11. Nov.*

(d) *S.Greg.Turonen. Hist. Franc.l.1.c.36.*

(e) *Baron. ann.358. num.20.*

(f) *Sever.Suplic.vit. s.Martini cap.4.*

(g) *Idem loc. cit.*

4. Sanctus, inquam, Hilarius Martinum patriâ, natione, baptismo, idiomate, omnibus tandèm numeris extraneum, qui pluriès, pluribus in locis, & Monasteriis, suam defixerat mansionem, Pictaviensi Ecclesiæ conservit, & ordinibus minoribus insignivit, majores daturus, si Martinus præbuisset assensum. Licèt autem monachi vitam ageret Martinus, quià tamèn adhùc erat clericalibus ordinibus denudatus, in laicali statu versabatur, quando illum Hilarius ordinavit, licebatque illâ ætate cuilibet Episcopo laicos, undecùmque venientes, ordinatione prævenire, & in suo Clero proprio collocare, proùt exemplo Clementis Atheniensis, Alexandriæ Presbyteratu insigniti, & Origenis Alexandrini Hierosolymis, sivè Cæsareę eodem ordine perornati (h), suprà innotuit, & infrà ulteriùs patebit aliis exemplis, nuncque per ea, quæ hic subjungimus comprobatur. A primis Ecclesiæ sęculis, usque ad quintum (i), tàm per canones Apostolorum (l), quàm per alios, in Conciliis Nicæno, & Sardicensi, sancitos (m), erat generali lege statutum, ne quis alienum clericum ordinaret, ut ad exuberantiam paulò ante in capitulo quarto, agentes de Concilio I. Nicęno, probavimus. At quià in illis canonibus de solis clericis alienis sermo erat, quos *Ministros* vocat Concilium Sardicense, & Concilium Nicænum appellat, respectivè *in canone recensitos*; Ideò Sanctiones illas communitèr existimatum est, locum in laicis extraneis non habere.

(h) *Vid. hic supr.c.3 nu. 34. & c.4.num.15.*

(i) *Thomassin. vet.& nov.Eccl.Discipl. p.2. l.1. c.2 n.13.*

(l) *Canon. Apost.16.*

(m) *Conc. Nicæ.c.16 Conc. Sardic.cap.18. & 19.*

5. Verum est, quod Concilium Carthaginense I. non minùs de laicis alienis, quàm de clericis, est locutum, hoc modo, *Privatus Episcopus dixit, suggero, ut statuatis, non licere laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet, sinè conscientiâ ejus Episcopi, de cujus plebe est. Gratus Episcopus dixit. Hæc observantia pacem custodit, nàm & memini in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet. Sed si fortè erit necessarius, petat à Collega suo, & per consensum habeat* (n). Ast (præterquàm quod Concilium Carthaginense I. est correctum à Carthaginensi III. decernente. *Ut alienum Clericum, nisi*

(n) *Conc.Carthag.1. cap.5.*

nisi concedente ejus Episcopo, nemo audeat vèl retinere, vèl promovere in Ecclesiâ sibi creditâ. Clericorum autem nomen etiam Lectores, & Psalmistæ, & Ostiarii retinent (*a*), ubi ordinationem vetitam ad solos clericos restringit) certum est, quod Concilium Carthaginense I. cum non nisi Provinciale fuerit, vel ad summum nationale, extrà propriam Provinciam, vel nationem, vì carvit obligandi, nec fecit legem communem, nisi quatenùs allegavit Concilium Sardicense, quod, vel Generale fuit, vel Concilii Generalis appendix: sed de laico alienigenâ non ordinando nihil constituit, quamquàm id de clerico prohibuerit. Nec nisi ariolatur Hallier, dùm de Concilio Sardicensi sic loquitur, *aliquid fortè prætereà ampliùs intendit, ut nec de aliena plebe laicum ab Episcopo fieri clericum exoptaret: poterat enim mentem Concilii Sardicensis Gratus notam, & perspectam habere, qui nempè, teste Athanasio, cum triginta aliis Africanis interfuerat, & ipsi subscripserat* (*b*): nàm quià nedùm Concilium Sardicense, verùm etiàm Nicęnum, & canones Apostolici, nec non Concilium Arelatense II. Toletanum II. Aurelianense V. Bracarense I. Carthaginense II. & III. Cabilonense II. Aurelianense III. Epaonense, Arvernense, Nicęnum II. Constantinopolitanum III. quæ superiùs per extensum retulimus (*c*), clarè solos clericos ab alieno Episcopo ordinari vetabant; non est credibile, quod Sardicense prohibitionem ipsam etiam ad laicos dilataverit.

(a) *Conc. Carthag. 3. cap. 21.*

(b) *Hallier. de Sacr. Ordin. sect. 5. cap. 3. art. 1.*

(c) *Vid. hic supr. c. 4 à num. 18.*

6. Nequè minùs divinando loquuntur, qui sublatam à Concilii Calcedonensis canone VI. in collectione Gratiani, particulam *suæ* putant, ubi nullum ordinari pręscribit, *nisi in Ecclesia Civitatis*, idest *suæ*, inquiunt illi. Divinatur Hostiensis, dum ex decreto Julii Papę I. vetantis, ne quis alienum *Parochianum* ordinet, per Parochianum, nedùm clericos, sed & laicos intelligit (*d*), nisi de sæculis posterioribus eloquatur. Nàm cum pluriès in canonibus reperiatur cautum, ne quis Episcopus alienum Parochianum ordinare valeat, neque judicare (*e*), judicare autèm proculdubiò posset Episcopus laicum extraneum; illum quoquè ordinare potuisse dicendum est, & prò Parochiano non laicum, sed solum clericum, quoàd hunc effectum, fuisse à canonibus intellectum. Itàque per illa antiqua sæcula hæc fuit communis omnium opinio, quod vetita quidem esset alieni clerici, non verò laici, ad alium pertinentis, promotio: quippè cum ordinatio alicujus, à merâ voluntate conferentis, & suscipientis, quantum est in se, dependeret; quotiès utræque voluntates convenirent, sivè intèr extraneos, sivè intèr indigenas, potuisset ordinatio fieri, nisi aliud sacri canones prohiberent. Prohibitio autem, quià pænalis est, vim verborum canonum non excedit (*f*), & quoniàm canones de solis Clericis non ordinandis disposuerant; rectè fidelium opinio tunc invaluit, laicorum alienorum ab ordinibus arcendorum, nullam extare legem, & sic eosdem posse ubilibet promoveri.

(d) *Hostiens. in sum. de temp Ordin. n. 5.*

(e) *Cap. Nullus 19. qu. 2. Capitul. Carol. M l. 7. c. 229.*

(f) *C. 2. de Transact. Surd. conf. 173. nu. 72. Barbos. Axiom. Juris 178. nu. 2. & 3.*

7. *Recense*, inquit D. Augustinus, *recense concilium, ibi invenies de solis clericis fuisse statutum, non etiam de laicis* (*g*), & Concilium Arausicanum I. habitum anno 441. rem extrà difficultatis aleam ponit, dùm primò decernit, ne quis alienum clericum audeat ordinare (*h*), & statìm alium canonem addit, id in alieno laico permittentem, dummodò Episcopus ordinator, vel ordinatum in suo Clero retineat, vel ei locum in alienâ Ecclesiâ conquirat: *Si qui autem alienos cives, aut alibi consistentes, ordinaverint, nec ordinati in ullo accusentur, aut ad se eos revocent, aut ipsi eis impetrent eum quibus habitent* (*i*). Hac ratione Clemens Alexandrinus, & Origenes, extrà patriam, ad ordines sunt admissi, uti suprà retulimus: hacque eâdem ratione S. Hieronymus Stridoniensis, Antiochiæ; S. Augustinus Tagastensis, apud Hipponam; & alii infrà recensendi, dùm adhuc laici essent, ordines alibi susceperunt: quod non nisi mutuo ordinantis, & ordinati arbitrio, & voluntati censemus esse imputandum, utentibus illis eâ libertate, quam ipsis natura indiderat, nec adhuc sacri canones intrà prohibitionis limites coercuerant. Thomassinus aliam allegat causam sub his terminis modulatam, *eum prioribus*

(g) *S. August. ep. 235*

(h) *Conc. Arausic. 1. cap. 8.*

(i) *Idem Conc. c. 9*

ribus quinque Ecclesiæ sæculis, nondùm Christo, & Ecclesiæ subessent omnes Orbis Romani Provinciæ, & Civitates, nondùm omnes suos haberent Episcopos; qui indè erant oriundi, non poterant Episcopo se ulli aptiùs adgregare, quam ei, qui primus ipse illis manus iniiciebat, ut eos sibi vendicaret (a).

(a) *Thomassin. vet & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 1. c. 2. num. 13. in fin.*

8. Progressu tamèn temporis leges ecclesiasticæ, ordinationem alieni subditi prohibentes, nedùm clericos, sed etiam in se laicos concluserunt (b). Æquissimâ quidèm ratione: tùm quià fraudes plurimæ ex ordinatione laicorum extrà patriam nascebantur: tùm quià pluries viri, vel fide, vel moribus defectuosi, & à propriis Episcopis refutati, sese hac arte Clero intrudebant: tùm demùm, quià justum est, ut unusquisque à suo Antistite promoveatur, qui & suarum ovium vultum agnoscit, & eorum vitam, atque mores usquè ab annis teneris observavit. Quibus adde aliam causam, in Synodo Constantinopolitanâ, sub Michaele Anchialo, propositam, nempè, *nè inter Antistites confusio, seditioque versetur, quibus ordo, & pacis bonum aliis quoquè certa debet regula dari* (c). Veruntamèn hic est notandum, quod leges ecclesiasticæ, post illa priora quinque sæcula definitæ, arcent quidem cum clericis etiam alienos laicos ab ordinibus, at nil de interdicendâ illis beneficiorum perceptione disponunt: sicque, quidquid sit quoad ordines, nihil innovatum est quoàd Sacras Præbendas, resque quoàd has adhùc in eo statu permanent, in quo anteà erant: & cum anteà liceret exteris, ad Clerum admissis, stipendia etiam Clericalia, quod in idem recidit, ac beneficia, percipere; nulli dubium est, quod eorundem perceptio nùnc etiam illis est licita.

(b) *Vid. Brancat. Epitom. Canon. V. Episcopus, quoad Ordinationes, & Bullam Innoc. XII.* Speculatores

(c) *Juris Orient. to. 1 fol. 227.*

9. Ætate itàque Sancti Hilarii nondùm laicorum extraneorum interdicta erat promotio, & ideò ipse licitè S. Martinum usque ad Exorcistatum provexit, proùt & id quilibet alius Episcopus tùnc facere potuisset (d), cumque per idem tempus, ordine, & beneficio donari, unum, & idem fuisse à Contradictoribus contendatur; oportet in eorum sententiâ definire, quod S. Hilarius Pictaviensis ordines D. Martino conferendo, ei etiam stipendia sacra, seù beneficium ecclesiasticum, sit largitus. Tàm ergò S. Hilarius conferendo, quàm S. Martinus suscipiendo beneficium in Ecclesiâ Pictaviensi, à qua erat extraneus, propriis factis declararunt, liberum, & licitum esse beneficia ecclesiastica etiam Clericis extraneis elargiri.

(d) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 1. c. 1. num. 5. & c. 2. num. 2. 4. & 13.*

10. Augetque vim argumenti promotio successivè facta ipsius *Sancti Martini* in Episcopum Turonensem: quæ quomodò ad effectum perducta sit, audiatur Severus Sulpicius, accuratus vitæ illius sancti dictator. Consistebat Martinus in suo Monasterio, quod non longè ab Oppido Pictaviensi dudùm condiderat (e): *Sed cum erui à Monasterio suo non facile posset; Ruricius quidam unus è civibus* Turonensibus, *uxoris languore simulato, ad genua illius provolutus, ut egrederetur obtinuit. Ità dispositis jam in itinere civium turbis, sub quadam custodiâ ad civitatem usque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo, non solum ex illo oppido, sed etiam ex vicinis urbibus ad suffragia ferenda convenerat: Una omnium voluntas, eadem vota, eademque sententia, Martinum Episcopatu esse dignissimum, felicem fore tali Ecclesiam Sacerdote. Pauci tamèn, & nonnulli ex Episcopis, qui ad constituendum Antistitem fuerant evocati, impiè repugnabant, dicentes, contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu hominem despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Ità à populo sententiæ sanioris hæc illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum, dum vituperare cupiunt, prædicabant: Nec verè aliud his facere licuit, quam quod populus, Domino volente, cogebat &c.* (f).

(e) *Sever. Sulp. vit. S. Martin. cap. 5. apud Surium die 11. Nov.*

(f) *Sever. Supl. vit. S. Martin. cap. 7.*

11. Martinus ergò, patriâ Sabariensis in Pannonia, baptismo Ambianensis in Picardiâ, cujus Metropolis Ambianum subest Archiepiscopatui Remensi, Clericatu, & Monachatu Pictaviensis, in Aquitaniâ, cujus urbs Pictavium Burdigalensi Archiepiscopo suffragatur, beneficium ecclesiasticum, & quidem Episcopale, adeptus est in Ecclesiâ Turonensi, Metropoli Turoniæ ad Ligerim Fluvium, à qua

erat

erat, & origine, & regeneratione, & Clericatu, & Monachatu, non solum extradiæcesanus, sed etiam extraprovincialis, & imo extranationalis: quodque mirum est, à populis nedum Turonensis urbis, verùm etiam propinquarum civitatum, ut eorum Archiepiscopus posset sine reluctantiâ, constitui, Turonum pio dolo est accersitus, nullo attento extraneitatis obstaculo. Ab Episcopis quoquè obsistentibus, nè D. Martinus illi Ecclesiæ præficeretur, objecta quidem est ei despicabilitas personæ, sordities vestium, & ipsa deformitas capillorum, sed nè verbum quidem de vitio extraneitatis est dictum: Mirum est autem, quod quisquiliæ, & levitates præfatæ illi fuerint oppositæ, quæ vel non, vel vix, vitia dici possunt; & non fuerit objecta extraneitas, tàm enorme facinus in sensu Contradictorum continens, ut & jus divinum quatiat, & naturale diruat, & humanum sinè ambiguitate prosternat.

12. Sanè & populi Turonensis Metropoleos, & Episcopi Comprovinciales, quà Episcopatum Martino deferentes, vel quà respectivè, vitium extraneitatis ei non opponentes (quem ut excluderent, defectus omnes, tametsi exiguos excutiebant) ipse tandèm S. Martinus, delatum beneficium Episcopale suscipiens, consono eloquio pronunciant, quod eorum tempore, quartò nimirum Christi Sæculo, extraneitas nulli obsistebat prò Sacris Præbendis adipiscendis, omnibusque clericis ubilibet, atque indistinctè patebat accessus ad ecclesiastica beneficia. Quare collecto argumento ex doctrinâ, & gestis S. Hilarii Pictaviensis, atque S. Martini Turonensis, id evidentissimè patet, quod liberum, & licitum est Ecclesiæ, beneficia sua, non modò clericis indigenis, verùm etiam extraneis impertiri.

13. Sanctus *Epiphanius*, natione Phœnix propè Eleutheropolim ortus, in loco dicto Besanduce (*a*), professione monachus in Ægypto (*b*), deindè Salaminæ in Cypro Episcopus (*c*) doctrinâ, & sanctitate conspicuus, ac quinque linguarum peritiâ præclarus, Syriacæ, Hebraicæ, Latinæ, Græcæ, & Ægyptię, undè à D. Hieronymo Pentaglottos dictus est (*d*): Floruit anno Christi 370. Hic in celeberrimo illo volumine, à se composito, quod Panarium nuncupavit, idest arcam, sive thecam, adversùs hęreses, usquè ad suum tempus exortas, dum Hæreticos, earum auctores, totis viribus impugnavit, nihil omisit, quo eorum vitia, pravitatem, culpasque, ac vesaniam flagellaret. Nihilominùs cùm multos, indè posset objurgare, quod sacros ordines, & consequenter etiam ecclesiastica beneficia, illic adepti essent, undè erant extranei; vitium istud extraneitatis, nulli ex ipsis ullatenùs objectavit: non debuisset autem profectò solertissimus ille doctor, tantam culpam eorum silentio præterire, quâ jurâ, divinum, naturale, & humanum, lædi autumant Contradictores, ideoquè longè majoris momenti reputari à D. Epiphanio debebat vitium hoc, quam alia minoris ponderis, quæ congessit.

(a) *Vit. S. Epiph. ap. Lipoman. die 5 Maii to. 6. Menolog. Græc. die 12 Maii. Antonius Baldassar compendioso ristretto in S. Epiphanio f. 51.*

(b) *Sixtus Senens. l. 4. Bibl. Sanct. v. Epiphanius.*

(c) *S. Hier. de Script. Eccl. verb. Epiphanius cap. 114. Honor. Augustod. eod. tit. & verb. num 400.*

(d) *Natal. ab Alex. histor. Sæc. 4. cap. 6. art. 28.*

14. Ità de *Arrio* perfidissimo Hęretico verba faciens, dicit: *Ferunt illum ex Libyâ oriundum Alexandriæ Presbyterum esse factum, qui tùm Baucalensis cujusdam Ecclesiæ præfecturam gerebat. Etenim quotquot Alexandriæ catholicæ communionis Ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique præpositus est presbyter, qui Ecclesiastica munera ipsi administret, qui circa Ecclesias illas habitant* (*e*). Vide, quod Arrius, uti natione Libycus, ab Alexandriâ Ægypti erat extranationalis, & ab Ecclesiâ parochiali, quam inibi retinebat, extraneus; attamèn hujusmodi extraneitas ei in culpam à D. Epiphanio non adscribitur. Pariter de *Paulo Samosateno*, sermonem instituens, ait: *Hic Samosatis Mesopotamiæ ad Euphratem urbe natus &c. Antiochenæ Ecclesiæ præpositus est* (*f*). Profectò Paulus in Mesopotamiâ progenitus, ab Antiochiâ Syriæ Urbe, ad Orontem positâ, erat nedùm extraprovincialis, sed etiam extranationalis; & tamen à D. Epiphanio nullatenùs ei exprobratur, quod in Ecclesiâ Antiochenâ beneficium Episcopale sumpsisset, à qua tantâ dimensione erat extraneus. Rursùs de *Photino* agere aggrediens, illum ità describit: *Photinus, à quo Photiniani prodierunt, emersit, Catholicæ Ecclesiæ* quon-

(e) *S. Epiphan. adv. hæres. l. 2. t. 2. hęres. 69.*

(f) *S. Epiphan. adv. hęres. l. 2. t. 2. hęres. 65.*

quondam Episcopus &c. Hic oriundus Sirmio, Constantio imperante, infelix doctrinæ suæ lolium in orbe disseminavit (*a*). Fuit Photinus natione Galata secundum S. Hieronymum (*b*), vel secundum alios ex Pannoniâ (*c*), & Diaconatum, ac stipendia Diaconalia, in Ecclesiâ Ancyranâ tenuit, antequam ad Sirmienses infulas sit provectus (*d*), sicquè vel ab Ancyranâ, vel à Sirmiensi Ecclesiis, si non ab utrâque, fuit extraneus, quoad beneficia ecclesiastica conquirenda. Et tamen de hujusmodi extraneitate à D. Epiphanio non arguitur.

(a) S. Epiph. loc. cit. l. 3. tom. 1. hæres. 71.
(b) S. Hier. de Script. Eccl. in Photin. c. 107.
(c) Petr. Annat. Apparat. ad posit. Theolog. lib. 7. de Photinian.
(d) Natal. ab Alex. hist. Sæc. 4. c. 3. art. 8.

15. Demùm de *Marcione*, itidem hæretico, sic proloquitur: *Marcion, à quo Marcionistæ &c. fuit genere Ponticus, ex ea parte, quæ Helenopontus dicitur, Oppido Synope &c. Qui initio vitæ scilicèt castitatem præseferens Monachorum instituta professus est, parente natus catholicæ communionis Episcopo &c. Ob incestum, Ecclesiâ ab ipso parente pulsus est &c. Cui Marcio, cum diù multumque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc à patre precibus nullis obtinuit* (*e*). Recenset, quod Marcion probrum non sustinens, clam secessit, Romamque se contulit, sperans inibi nedùm communionem, sed etiam gradum aliquem ecclesiasticum adipisci: sed spe frustratus, *& extimulatus invidiâ, quod non principem illic locum, ac nè Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit* (*f*). Marcion ergò præcipuum aliquod beneficium in Ecclesiâ Romanâ consequi aspiravit, à quo non propter extraneitatem, sed propter excommunicationem fuit exclusus. Nec S. Epiphanius illum de extraneitatis vitio coarguit, sed de incestu, & de hæresi: cum tamen Marcioni, aliisque recensitis hæreticis, atquè aliis, qui uberiùs possent ex ejus operibus aggregari, ipsiùs extraneitatis improperium subtrahere non debuisset, si hæc divino, naturali, & humano juribus adversatur, uti supponunt Contradictores.

(e) S. Epiphan. adv. hæres. l. 1. t. 3. hæres. 42.
(f) Idem ibidem.

16. Verùm, nè soli argumento negativo, ex doctrinâ Divi Epiphanii petito, inhærere videamur (quamquam aliàs argumentum à re non nominatâ, ubi locus erat, ut deberet, ac posset congruè nominari, optimè afficiat in jure (*g*), Argumentum quoquè affirmativum ex ipsius Sancti Viri doctrinâ, & operibus proferamus. Sanctus Epiphanius, ad Episcopatum jam provectus, intèr alia Paulinianum fratrem Sancti Hieronymi, Stridone natum, in agro Justinopolitano, Pannoniæ, & Dalmatiæ intermedio (*h*), ad Diaconatum, & Presbyteratum promovit, adeò præ humilitate renitentem, ut Epiphanius fecerit os ejus, nè reclamaret, manibus Diaconorum, dùm promoveretur obstruere (*i*), hosquè Ordines, sub congruis temporum interstitiis, ei contulit in monasterio Diœcesis Eleutheropolis, Regionis Palæstinæ (*l*). Quo audito, Joannes Hierosolymorum Episcopus, in Epiphanium, & linguâ, & calamo adeò intemperantèr perlatus est, ut & Ordinatorem de canonum prævaricatione culpaverit, & adversùs Ordinatum hoc emiserit præcipitosè decretum: *Si quis Paulinianum, ab Epiphanio Episcopo consecratum, presbyterum dixerit, Ecclesiam prohibeatur intrare* (*m*). In Epiphanium effervescebat Joannes Hierosolymitanus, quià ab illo de erroribus Origenis fuerat redargutus (*n*). Epiphanium viceversà Joannes de errore Anthropomorphitarum carpebat (*o*), gravisque inter eos, tùm ob dictam Pauliniani ordinationem, tùm ob mutuam hæresum imputationem, exarsit discordia, favente S. Hieronymo partibus Epiphanii; & rationibus Joannis adhærente Ruffino; nequè valuit Theophilus Alexandrinus, mediator accedens, dissensionem compescere, nequè Comes Archelaus, auctoritate, quâ fungebatur, interpositâ, jurgium eliminare (*p*). Epiphanius intereà quoàd promotionem Pauliniani, sui operis rationem reddidit prolixâ epistolâ, ad Joannem ipsum directâ, quam idem S. Hieronymus in latinum transtulit intuitu Eusebii concœnobitæ sui, qui quoquè tametsi natione Italus, & patriâ Cremonensis, in monasterio Bethlehemitico monacatui operam dabat, & Abbatiali munere fungebatur (*q*), cujus epistolæ pars est, quæ subsequitur.

(g) Barbos. tract. var. loc. com. 76. cum aliis ab eo allegatis.
(h) Calep. verb. Stridon.
(i) Baron. ann. 392. num. 40. &c.
(l) Idem loc. cit.
(m) S. Hier. epist. 61. ad Pammach.
(n) Baron. ann. 392. num. 40.
(o) Joann. du Pin. Biblioth. tom. 3. in Jo: Hierosol.
(p) Idem du Pin. loc. cit.
(q) S. Hier. ep. 101. ad Pammach. Baron. ann. 391. 22.

17. „ Audivi quod tumeas contrà nos, & irascaris & miniteris scribere in extre-

„ extremos fines terrę, ut loca provinciasque non nominem. Et ubi est Dei timor, qui nos debet illo timore concutere, qui dictus est à Domino, si quis irascitur fratri suo sinè causa, reus erit judicio? Non quod magnoperè curem si scribas, quod placuerit: scribebantur enim, & epistolę biblynæ juxtà Isajam, & mittebantur super aquas, quę citò cum sęculo transeunt. Nihil tibi nocuimus, nil injurię fecimus, nec quidquam violentèr extorsimus. In monasterio fratrum, & fratrum peregrinorum, qui provinciæ nihil tuę deberent, & propter nostram parvitatem, & literas, quas ad eos crebrò direximus, communionis quoquè tuę cœperunt habere discordiam, ne viderentur quadam duritiâ, & conscientiâ nostrâ antiquæ fidei ab Ecclesiâ separari, ordinavimus Diaconum, & postquam ministravit, rursùm Presbyterum: super quo debueras gratulari, intelligens, quod ob Dei timorem hoc sumus facere compulsi: maximè cum nulla sit diversitas in Sacerdotio Dei, & ubi utilitati Ecclesiæ providetur. Nàm etsi singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias, quibus curam videntur impendere, & nemo super alienam mensuram extenditur, tamen pręponitur omnibus charitas Christi, in quâ nulla simulatio est: nec considerandum quid factum sit, sed quo tempore, & quo modo, & in quibus, & quarè factum sit. Cum enim vidissem, quià multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, & sancti Presbyteri Hieronymus, & Vincentius proptèr verecundiam, & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerii, quæ Christianorum pręcipua salus est, invenire autem, & comprehendere servum Dei non posses, qui te eo quod grave onus Sacerdotii nollet suscipere, sæpè fugiebat, sed nèc alius quis Episcoporum facilè inveniet; undè, & satis miratus sum, quomodò dispensatione Dei ad nos venerit cum Diaconis monasterii, & cęteris fratribus, ut mihi satisfaceret, quià nescio quid adversùm eos habebam tristitię.

18 „ Cum igitùr celebraretur collecta in Ecclesia villę, quę est juxtà monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitùs habentem suspicionem per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, nè fortè liberari cupiens adjuraret nos per nomen Christi, & primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes, ut ministraret: valdè quippè obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergò compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis scripturarum, & propositione mandatorum Dei. Et cum ministraret in Sanctis Sacrificiis, rursùs eum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum: & iisdem verbis, quibus anteà suaseramus, impulimus, ut sederet in ordine Presbyterii. Post hæc scripsimus ad Sanctos Presbyteros monasterii, & cæteros fratres, & increpavimus eos, quarè non scripsissent super eo, cum antè annum, multos eorum queri audissem, cur non haberent, qui sibi Domini Sacramenta conficerent, & illum omnes suo poscerent testimonio, & grandem utilitatem in commune monasterii testarentur: quarè tunc repertâ opportunitate non scripsissent nobis, nequè super ordinatione ejus aliquid poposcissent. Hæc ità acta sunt, ut locutus sum in charitate Christi, quam te ergà parvitatem nostram habere credebam: quamquàm in monasterio ordinaverim, & non in parochiâ tibi subjecta. O verè benedicta Episcoporum Cypri mansuetudo, & bonitas, & nostra rusticitas, sensu suo, & arbitratu digna misericordiâ Dei. Nàm multi Episcopi communionis nostræ, & Presbyteros in nostrâ ordinaverunt provinciâ, quos nos comprehendere non potueramus, & miserunt ad nos Diaconos, & Hypodiaconos, quos suscepimus cum gratia, & ipse cohortatus sum beatę memoriæ Philonem Episcopum, & Sanctum Theoprobum, ut in Ecclesiis Cypri, quæ juxtà se erant, ad meę autem parochiæ videbantur Ecclesiam pertinere, eò quod grandis esset, & latè patens Provincia, ordinarent presbyteros, & Christi Ecclesiæ providerent &c. Quid ergò tibi visum est, sic gravitèr intumescere, & jactari contrà nos prò opere Dei,

„ quod in ædificationem, & non in destructionem factum est &c. Undè, Dilectissime, non te præveniat furor, nec occupet indignatio, nèc frustrà moveris; & aliud dolens, te vertas ad alia, ut peccandi occasionem invenisse videaris &c. (*a*). *Hæc Epiphanius*.

(a) *S. Epiph. epistola ad Jo: Hierosolym. inter epistolas S. Hieronym. epist. 60.*

19. Notandæ sunt perplures circumstantiæ, quæ hujusmodi promotioni comites accesserunt, S. Epiphanius Phœnix origine, Cyprius Episcopatu, & Asiaticus natione, ad Presbyteratum, & Diaconatum promovet Paulinianum origine Stridoniensem, provinciâ Dalmatam, sivè Hungarum, natione Europæum, itinerantem, nolentem, renitentem, hocque facit extrà propriam Diæcesim, in Monasterio, Palæstinæ, quod vocat *Monasterium fratrum peregrinorum*, adducitque prò justificatione hujus facti duas rationes, quarum una est mos suæ regionis (*b*), altera est, quod *nulla est diversitas in Sacerdotio Dei*, & quòd licèt quibusque Episcopis sua sit portio gregis, & sui limites designati, his tamen *omnibus præponitur charitas Christi*, ubi utilitas Ecclesiæ hos deposcit limites transiliri (*c*), quarè ait, se licitè Paulinianum ordinasse, licèt non necessitas Monasterii hoc exposcere videretur, uti censet Baronius (*d*), cum asserat ibi adfuisse multos Diaconos, & alios Presbyteros; sed sola id utilitas persuaderet. Additque in toto Regno Cypri hanc laudabilem viguisse consuetudinem, ut Episcopi, tàm in propriâ, quàm in alienâ Ecclesiâ, tum sibi, tum aliis subditos viros, essent soliti ad sacros ordines promovere, ubi talitèr se gerendo censerent Ecclesiarum utilitati consulere. Ex quibus sigillatìm consideratis, & multo magìs unitìm perpensis, patet, eam in Ecclesia tunc sententiam viguisse, ut liceret quibuscumque Episcopis viros aliundè natos, prò eorum libito, ad ordines promovere. Cumque in sensu Contradictorum, prioribus illis Ecclesiæ sæculis, quæ ab eis pleno ore exaltantur, idem esset aliquem sacris Ordinibus, & stipendiis Clericalibus, seu beneficiis ecclesiasticis insignire; sequitur, quòd sicut ad sacros ordines extranei quoquè ritè poterant admitti, ità etiàm tunc licebat eosdem ad beneficia sacra provehere: nuncquè morem illorum temporum regulando cum disciplinâ præsentium, (quæ ex justis causis interdixit quidem promotionem extraneorum ad Ordines, sed nihil vetuit, quoad eorum provectionem ad ecclesiastica beneficia,) eliquatum remanet, quod nostrâ ætate optime valent ipsa beneficia, non modò indigenis, verùm etiàm extraneis liberè dispensari.

(b) *Card. Baron. ann. 392. num. 45. Du Pin. loc. cit.*

(c) *S. Epiph. loc. cit. circ. princip.*

(d) *Card. Baron. ubi supr.*

20. Insupèr notetur, Joannem Hierosolymitanum reclamasse contrà Epiphanium, non ex eo quòd virum extraneum, alienigenam, itinerantem, & renitentem, ordinasset, sed quòd id fecisset extrà proprium territorium: nec certè dùm occasiones dolendi quæritabat, & Epiphanium de transgressione canonum inculpandi, omisisset ei improperare defectum nationalitatis Pauliniani, si extraneí promotionem agnovisset, esse, uti decantant Contradictores, divino, naturali, & humano jure prohibitam. Quare si S. Epiphanius Paulinianum in urbe Salaminæ, cujus erat Episcopus, ordinasset; Joannes in eum, neque dicteria, nequè querimonias congessisset. Erat tùnc temporis Paulinianus adhùc laicus, & licet solùm legatur Epiphanium ei Diaconatum, & Presbyteratum contulisse, non memoratis Ordinibus inferioribus, nil refert, quandoquidem olìm solius Diaconatus, & Presbyteratus fiebat individua specificatio, *hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia*, inquit Urbanus Papa II. (*e*), quià fortè inferiores ordines cum Diaconatu conjungebantur, & ei, qui eisdem carebant, unâ simùl cum Diaconatu conferebantur (*f*): sicquè quotiès dicitur, Pauliniano Diaconatum ab Epiphanio fuisse collatum, etiam ordines inferiores eidem simùl datos esse debet intelligi: *operæ pretium autem tunc erat*, ait Thomassinus, *ut nullus alius Episcopus prævenisset, collato aliquo ordine, illum sibi, Cleroque suo vendicare. Nèc Joannes Hierosolymitanus ambigebat quìn potuisset Paulinianus, vel ab ipso, vel ab Epiphanio in insulâ Cypro ordinari. Eò ergò tantùm stomachabatur, quod in Episcopatu Hierosolymitano ausus esset Epiphanius, Cypri Episcopus, quemquam ordi-*

(e) *Cap. Nullus in Episcopum 4. dist. 60. Vid. Marchin. de Sacr. Ordin. tr. 1. p. 1. c. 8. n. 5.*

(f) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 1 l. 2. c. 36. num. 19.*

ordinare, cùm tàm exactè prohibeant canones, nè Episcopi extrà Diœceses suas quemquam ordinarent (*a*).

21. Profectò usque à primis Ecclesiæ sæculis vetitum est omnibus Episcopis in aliena Diœcesi Pontificalia exercere, & Clericos ad Ordines promovere: in canonibus enim Apostolicis statuitur, *Episcopum non audere extrà terminos proprios ordinationes facere in civitatibus, & villis, quæ illi nullo jure subjectæ sunt. Si verò convictus fuerit hoc fecisse prater eorum conscientiam, qui civitates, & villas detinent, & ipse deponatur, & qui ab illo ordinati sunt* (*b*). Quos canones, quià aliqui contendunt antè finem quinti sæculi non fuisse in Oriente, sivè cognitos, sivè acceptos (*c*), demus transeat, an S. Epiphanius eorum notitiam habuerit. Certè quod Concilium Antiochenum, antè 30. circitèr annos celebratum, idipsum vetuisset (*d*), censemus non ignorasse Epiphanium, quem Joannes Hierosolymitanus arguebat, quasi dixisset, *nunquid juvenis sum, aut canones ignoro* (*e*)? Idemque succesivè, & alii canones vetuerunt in Conciliis Nicæno I. Constantinopolitano I. Arausicano I. Vernensi, Moguntino, Carthaginensi II. III. & V. & aliis (*f*). Prævaricationem ergò potestatis, sibi per canones præfinitæ, improperabat Joannes Epiphanio, supponens eum ordinasse Paulinianum in Bethlehem, loco Episcopatus Hierosolymitani, teste Hieronymo, *dicit Joannes, eum adolescentulum, & penè puerulum in parochia sua Bethlehem presbyterum constitutum. Si hoc verum est, cuncti Palæstinæ Episcopi non ignorant. Monasterium enim S. Epiphanii, nomine vetus dictum, in quo frater meus ordinatus est presbyter, in Eleutheropolitano territorio, & non in Æliensi situm est* (*g*), quod, & Joanni ipse objecit Epiphanius, *quamquàm in Monasterio ordinaverim, & non in parochia, quæ tibi subjecta sit* (*h*).

22. Sciendum est hic autem, urbem illam Hierusalem, Scripturarum, Prophetarum, & Patrum præconiis multimodè celebratam, in quâ Christus Salvator noster passus est, & S. Jacobus Episcopalem Cathedram tenuit, fuisse sub Flavio Vespasiano Imperatore gladio percussam, & flammis, cuncta depascentibus, concrematam: pereuntibus Judæorum undecies centenis millibus, & Captivorum 97. millibus abductis, *ut fatetur Victore, Numen ipsum grassaretur in victos* (*i*). Quæ urbs postmodùm aliqualitèr reparata, & suis cineribus superstes, sub Ælio tandèm Hadriano Cæsare, fuit funditùs desolata (*l*). Ex hujus posteà ruderibus alia parum distans urbs est excitata, quæ ab ipsius Ælii Hadriani Cæsaris nomine, Ælia dicta est. Eam magnus Constantinus Cæsar illustrandam suscepit, erectisque inibi ab eo, & ab Helenâ, illius matre, magnificentissimis Templis, & ædificiis, ipsa ità exornata est, decorata, ac talitèr renovata, ut antiquæ Hierosolymitanæ urbis, & decorem sit adepta, & nomen, ex loquendi usu, assecuta. *In ipso Servatoris nostri martyrio*, inquit Eusebius, *fabricata est nova Hierusalem, ex adversa veteris illius celeberrimæ, quæ post nefariam Domini cædem, ultimam vastitatem experta est* (*m*). Ad has Ecclesias venerandas, universo ex orbe fideles convenisse memorat Sozomenus (*n*). Cumque ibi ad Salvatoris vestigia humiliter adoranda ingens concursus Christianorum fieret, paulatìm Ælia, in hominum æstimatione, ut innuimus, decus perantiquæ Hierusalem ad se traxit, illiusque Ecclesia, & Sedis Apostolicę dignitatem, & honoris culmen Patriarchalis obtinuit, tanquam *Ecclesia, omnium aliarum Ecclesiarum Mater*, qualis in epistola Synodali Concilii Constantinopolitani primi ad Damasum nominatur (*o*).

23. Detulit Concilium Nicænum Episcopo Æliensi, seù Hierosolymitano, prærogativam honoris, post Sedes Patriarchales, ità decernens, *quoniam obtinuit consuetudo, & antiqua traditio, ut qui est in Ælia Episcopus honoretur; habeat honoris consequentiam, Metropoli propriâ dignitate servatâ* (*p*). Hinc Episcopus Hierosolymitanus præcedentiâ super omnes Metropolitanos potiebatur, sed in nullum Episcopum potestatis jura exercebat: quinimò ipse Episcopo Antiocheno, tamquam Patriarchæ, suberat, & licet honore Episcopo Cæsariensi preesset, ipsi

(a) Idem p.2.l.1.c.1. num.9. §.Locus.

(b) Canon. Apost. cap.36.

(c) Vid. Natal. ab Alex hist. Sæc.1. dissert.17.

(d) Conc. Antioch. ann.341.c.13 & 22.

(e) S.Epiph. epistola ad Jo:Hierosol. ep.60. inter epistolas S. Hier. post initium.

(f) Vid Bail. Summ. Conc. tom.1. in Can.35. Apostol. Cabajut. ad canon.13. Concil. Antioch. Brancat. Epit. Canon. V. Episcopus quoad ordin.

(g) S.Hier.epist.62.

(h) S.Epiph. loc.cit.

(i) Jo:Busier. Flosc. hist.par.2.c.1. ann.70.

(l) Idem loc. citat. ann.117.

(m) Euseb. vit. Constant. cap.33.

(n) Sozom.l.2.c.25.

(o) Theodoret.l.5.c.9

(p) Conc. Nicæn.1. cap.7.

ipsi tamen, uti Metropolitano, subſtabat, prout ex epiſtolis Divi Hieronymi ad Pammachium (a), & Divi Leonis ad Maximum Antiochenum (b). Quarè in Conciliis generalibus, & nationalibus, Epiſcopus Hieroſolymitanus præerat Cæſarienſi, ut evenit in Concilio Atiocheno, ex diverſis Provinciis congregato, adversùs Paulum Samoſatenum, in quo Hymenæus Hieroſolymitanus antè Theotecnum Cęſareę Palęſtinę Epiſcopum numeratur (c), & in Concilio generali Nicęno I. Macharius Hieroſolymitanus Euſebio Cęſarienſi præſedit (d). In Concilio quoquè Chalcedonenſi Epiſcopus Hieroſolymitanus ſtatim poſt Alexandrinum, antè omnes Metropolitanos, inſedit (e). E contrà verò in Conciliis provincię Palęſtinæ, Epiſcopus Cæſarienſis, tamquam dictæ Provinciæ Metropolites, Hieroſolymitano Epiſcopo præſidebat. Sicque in Concilio Cæſarienſi adversùs Quartodecimanos, Theophilus Cæſarienſis Narciſſo Hieroſolymitano præceſſit (f), & in Concilio Dioſpolitano Epiſcopus Hieroſolymitanus Metropolitę Cęſarienſi honorem preęminentiæ conceſſit (g).

(a) *S.Hier. epiſt. 65.*
(b) *S.Leo ep. 62.*
(c) *Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 28.*
(d) *Ex Act. Concil. Nicæn. 1.*
(e) *Ex Act. Concil. Chalced.*
(f) *Euſeb. hiſt. lib. 5. cap. 25.*
(g) *Cabaſut. notit. Eccl. in Canon. 7. Conc. 1. Nicæn.*

24. Suberat ergò tunc Epiſcopus Hieroſolymitanus Epiſcopo Antiocheno, tamquam Patriarchæ: & Cæſarienſi, uti Metropolitæ: Sed ſucceſſu temporum, vel vi, vel aurâ prò Hieroſolymitano adſpirantibus, cœpit Antiſtes hujus Eccleſiæ, & Antiocheni Primatum, & jura Cæſarienſis excutere, & Patriarchalem ſibi honorificentiam arrogare. Juvenalis præſertìm Hieroſolymitanus, in Concilio Epheſino, omnem lapidem movit, ut Patriarchale decus haberet, cui reſtitit S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, &, ut eidem S. Leo quoquè Papa reſiſteret, inclamavit. Leo proindè ad Maximum Antiocheuum haſce literas dedit, *ſubrependi occaſiones non prætermittit ambitio; & quotiès ob intereurrentes eauſas, generalis ſacerdotum facta fuerit congregatio, difficilè eſt, ut cupiditas improborum non aliquid ſuprà menſuram ſuam moliatur appetere. Sicut etiam in Epheſinâ Synodo, quæ impium Neſtorium perculit, Juvenalis Epiſcopus ad obtinendum Palęſtinæ provinciæ principatum, credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commenticia ſcripta probare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi quid prędicta cupiditas auſa ſit, indicavit, & ſollicità prece multum popoſcit, ut nulla ſollicitis conatibus præberetur aſſenſio* (h). Diù poſtmodùm altercarunt Maximus Antiochenus, & Juvenalis Hieroſolymitanus, Thæodoſii Imperatoris reſcriptis hinc indè impetratis, donèc inita eſt intèr eos concordia: & deinde Marciano Auguſto interveniente, Concilium Chalcedonenſe tres provincias, ab Antiocheno Patriarchatu divulſas, Epiſcopo Hieroſolymitano, cum jure Patriarchali, ſubmiſit (i): quod quinta quoquè Synodus, rogante Juſtiniano Imperatore, firmavit (l).

(h) *S.Leo ep. 62.*
(i) *Concil. Chalced. Act 7.*
(l) *Vid. Thomaſſin vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. p. 1. l. 1. c. 12 per totum Cabaſut. notit. Eccleſ. Act. 7. n. 12. in Concil. Chalced.*

25. Provectio itàque Pauliniani, non in urbe Bethlehem facta, uti malè Joannes Hieroſolymitanus autumabat, ſed in Monaſterio Eleutheropolitano, fratrum peregrinorum dicto, licita, & legitima tum à Divo Epiphanio, tùm ab aliis, veritatis amantibus, dicebatur: vel quià locus eſſet exemptus, quod innuit ipſe Epiphanius, reſpondens Joanni, *quamquàm in Monaſterio ordinaverim, non in parochia, quę tibi ſubjecta ſit* (m), vel quià Monachi illius cænobii libertate potirentur Ordines intrà ſua clauſtra à quocumque Antiſtite ſuſcipiendi, eamque etiàm Pauliniano communicarent, prò ejuſdem cænobii utilitate promoto: vel demùm quià eatenùs cenſerent poſſe Epiſcopum ſuo Clero laicum alienum inſerere, ut eum etiam valeret ubilibet ordinare, ſaltèm ſub ſpe ratihabitionis Ordinarii loci, vel vi conſuetudinis Cypriæ, aut ob mutuam charitatem, quæ intèr Epiſcopos ultrò citròque debet conſiſtere, *& prępon omnibus charitas Chriſti*. Sed quatenùs nulla ex his rationibus ſubſtitiſſet, vereque per Pauliniani promotionem Juriſdictio ordinarii loci fuiſſet ab Epiphanio turbata, reclamatio ad Joannem Ælienſem, ſeu Hieroſolymitanum non pertinebat, qui tunc nèc Epiſcopus, nèc Metropolitanus, nèc Patriarcha erat loci, in quo evenerat promotio, ſed ſpectaſſet ad Epiſcopum Eleutheropolis, tamquàm Ordinarium loci, vel ad Archiepiſcopum Cæſarienſem tam-

(m) *S.Epiphan. epiſtola ad Joan. Hieroſol. loc. cit.*

tamquàm Metropolitam, vel ad Antistitem Antiochenum tamquàm ejusdem loci Patriarcham, quoniàm Paulinianus *ordinatus est Presbyter in Eleutheropolitano territorio, & non in Æliensi* (*a*).

26. Utcumque sit, ea tunc in Ecclesia communitèr vigebat opinio, ut cuilibet Episcopo liceret laicum extraneum sacris ordinibus insignire, dummodò illum ad se traheret, antequàm alius Episcopus illi manus imponeret (*b*). Prevenit S. Epiphanius quemlibet alium Antistitem in ordinatione Pauliniani, illumque priùs commoditati Monasterii Eleutheropolitani applicavit, mox in Cypro secùm adduxit, & suæ Ecclesiæ incardinavit, ubi & stipendia sacra promeruit, de quo S. Hieronymus, apostrophe ad Joannem Hierosolymitanum, *sin de Pauliniano tibi sermo est: vides eum Episcopo suo esse subjectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdùm venire, non ut tuum, sed ut alienum, ejus videlicet, à quo ordinatus est. Quod si hic etiam esse voluerit, & in exilio nostro quietus in solitudine vivere, quid tibi debet, nisi honorem, quem omnibus debemus Episcopis?* (*c*) Certè si Joannes Hierosolymitanus credidisset, Epiphanium non potuisse Pauliniano manus imponere, tamquàm extraneo, eo quod extraneum promovere esset crimen, divinę, naturali, & humanæ legi contrarium, quale illud Contradictores exaggerant; non omisisset hoc tâm grave facinus Epiphanio exprobrare, & super eo molem suæ reclamationis attollere: quod Joannes nedùm non fecit, sed imò totam summam sui clamoris ad hoc restrinxit, quod Epiphanius Paulinianum *adolescentulum, & penè puerulum in parochiâ suâ Bethlehem presbyterum promovisset* (*d*). Cumque supèr ætate nulla esset canonum transgressio, quippè *ad triginta annorum spatia jam pervenerat* (*e*); restat tota verborum vis ad id solum applicata, ut ordinationem Pauliniani, tamquam ab Epiphanio extrà propriam Diœcesim factam, impugnet.

(a) *S. Hieron. epist. 62.*

(b) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 1. c. 1. n. 1 6. prohibitum & n. 9 6. locus.*

(c) *S. Hieron. epist. 61. ad Pammach. circ. finem.*

(d) *S. Hieron. ep. 62. ad Theophilum.*

(e) *S. Hieron. loc. cit.*

27. Nec certè dubitavit Joannes, quin posset Epiphanius laicum extraneum ad se trahere (*f*), cum & ipse nedum alienos laicos, sed etiam clericos aliunde sumptos, suæ Ecclesię esset solitus interferere, undè de illo scribit Hieronymus, *Tu, qui regulas quęris ecclesiasticas, & Nicęni Concilii canonibus uteris, & alienos clericos, & cum suis Episcopis commorantes, tibi niteris usurpare, responde mihi &c.* (*g*). Habemus ergò in Pauliniani successu, & S. Epiphanii, & S. Hieronymi auctoritates, & ipsius Joannis Hierosolymitani sensus, sententiæ nostræ faventes: quatenùs S. Epiphanius, & S. Hieronymus, inconcussè tuentur, potuisse Paulinianum alienigenam extrà patriam ordinari: & Joannes illius ordinationem impugnans, eamque lancinandi tela, occasionesque cunctas inquirens, aliundè illam carpit, quàm ab extraneitate, ratus extraneitatem nil in se culpę habere, unde ordinatio illicita diceretur. Ex quibus patet, quod licitè potuit quarto Christi Seculo vir extraneus promoveri, & cohærentèr etiam stipendia clericalia, seù beneficia sacra suscipere. Cumque antiquis illis sæculis, quorum felicitatem Contradictores exaggerant, idem esset ordines, ac beneficia sacra suscipere (licetque quoad ordines facta sit novatio canonum, collationem ordinum extraneis prohibentium, nihil tamen quoàd beneficiorum collationem fuerit innovatum) sequitur, quod liberum est, & licitum nunc, sicuti fuit præfato quarto Christi Seculo, beneficia viris quoque extraneis elargiri;

(f) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 1. c. 1. n. 9 6. locus.*

(g) *S. Hieron. ep. 61. ad Pammach.*

28. *S. Ambrosius* natione Italus, patriâ Romanus (*h*), in Galliis, ubi pater ejus Præfectus erat, exortus: professione Judex, & posteà Episcopus Mediolanensis, vir tantæ sanctitatis, & doctrinæ, ut se imparem utrique describendæ professus sit S. Hieronymus, ne in ejus laudibus, *aut adulatio repræhenderetur, aut veritas* (*i*), floruit anno Christi 375. fuitque Deo dilectus, & hominibus, quem tali honore Magnates prosecuti sunt, ut intèr alios S. Augustinus eum sibi in Christo patrem reputaret (*l*), & Theodosius senior illum *solùm verum Episcopum nuncuparet* (*m*). Hic aliquandò suum populum instruens, & ad mutuam charitatem persuadens, hæc disertè perorat: *in libro, qui de Apostolorum Acti-*

(h) *Tritbem. de script. Eccl. in Ambros.*

(i) *S. Hieron. de script. Eccles. in Ambrosio c. 124.*

(l) *S. Aug. l. 1. contr. Julian. c. 3.*

(m) *Vid. Petr. Annati. Appar. ad posit. Theolog. l. 4. art. 25.*

Actibus inscribitur, legitur tantam felici illo sæculo devotionem plebis fuisse, tantam in eo charitatem floruisse, ut post acceptam fidem, nemo domum propriam sibi defenderet, & nemo suum aliquid vendicaret, sed jure fraternitatis, essent illis omnia communia, scilicet, ut qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & vitâ: hoc est, ut quibus erat una fides, esset & una substantia, & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus. Nefas enim putabant religiosi viri eum sibi participem non adsciscere in substantiâ, qui particeps esset in gratiâ: atque ideò charitate fraternitatis omnibus communiter utebantur, nisi quod major est fraternitas Christi, quàm sanguinis: Sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodò corporis refert, Christi autem fraternitas unanimitatem cordis, animæque demonstrat.

29. Sequitur: *Verè ergò ille frater est, qui tàm corpore, quàm unanimitate germanus est. Verus, inquam, frater est, cujus idem spiritus, & voluntas in fratre est. Melior est igitùr, sicut dixi, fraternitate sanguinis, Christi fraternitas &c. Illa intèr se communia cum æmulatione dividit, hæc etiam propria cum gratulatione communicat. Illa in consortio despicit sępè germanum, hęc frequentèr assumit alienum. Tanta ergò, sicut dixi, illo in tempore, Christianę plebis devotio fuit, ut nemo domum suam diceret, nemo proprium aliquid vendicaret* (a). Itàque ex Ambrosio consortium in eadem Christi fide fraternitatem Christi fundat: fraternitas autem Christi, usque ab initio poposcit communionem bonorum, etiam laicalium, & multò magìs communionem bonorum sacrorum, quæ, seù quorum pretium fideles ad pedes Apostolorum piissimè deferebant. Et quoniam Contradictores inclamant, beneficia ecclesiastica esse etiam nunc dispensanda, prout ab initio Ecclesiæ fiebat; ab initio autem Ecclesiæ, nullâ factâ distinctione extranei, vel indigenæ, bona ecclesiastica cunctis in eadem fide convenientibus, pro indigentiæ ratione dispertiebantur; jam patet, quod ipsa beneficia sunt, non modo indigenis, verum etiam extraneis, conferenda: in hacque ratione particicipationis bonorum Ecclesiæ, *major est fraternitas Christi, quàm sanguinis, hęcque intèr se communia cum ęmulatione dividit, illa etiam propria cum gratulatione communicat: hęc in consortio despicit sępè germanum, illa frequentèr assumit alienum.*

(a) *S. Ambros. serm. 24. to. 5.*

30. Dogmati Ambrosii ejusdem factum astipulatur. Liguriam, Insubriam, & Æmiliam regebat Ambrosius ipse, tempore Valentiniani Cæsaris I. (*b*), illuc à Probo Italiæ Præfecto directus, hac jussione, *vade, age, non ut judex, sed ut Episcopus* (*c*), cùm mortuo Mediolani Auxentio Cappadoce Episcopo Arriano (*d*), divisisque Mediolanensium animis, pars eorum Episcopum Catholicum, pars Arrianæ sectę Antistitem postulabat (*e*). Accurrit Mediolanum Ambrosius, ut tumultus, si qui orirentur, suâ auctoritate compesceret. Convocaverat autem Imperator Episcopos, eosque seriò monuerat, ut virum virtutibus plenum in Mediolani Episcopum designarent, ac talem, cui, & ipse Cæsareos fasces, reverentiâ, & obedientiâ Christianâ submitteret. Concilium verò, inquit Theodoretus (*f*), *Concilium Episcoporum contendit ab Imperatore, ut ipse, utpotè sapientiâ, & pietatis insignibus præclarè exornatus Episcopum deligat. At ille, major est, inquit, hęc provincia, quàm quod viribus nostris sustineri queat. Proindè vos divinâ repleti gratiâ, & illius splendore illuminati, multò meliùs hoc Episcopi deligendi negotium transigetis.* Igitùr communis in Ecclesia fit populi, & Sacerdotum prò electione conventus, nec consentientibus inter se animis, repentè puer Ambrosius vocat Episcopum, miroque modò cunctorum diffidentium conjuncta vox Ambrosium inclamat (*g*).

(b) *Sixtus Senensis Bibliot. Sanct. l. 4. in Ambros.*
(c) *Paulin. vit. S. Ambros.*
(d) *S. Athanas. ep. ad solitar. Baron. anno 355. n. 23.*
(e) *Baron. an. 374. n. 3. & Hist. Tripart. l. 7. c. 8.*
(f) *Theodoreth. l. 4. c. 6.*
(g) *Paulin. in vit. S. Ambrosii.*

31. Exhorruit ille ad hęc audita, ratusque se imparem tanto muneri, suffragia eligentium in alium converti persuasit: sed quò magìs ipse officium declinabat, eò magìs invalescebat Mediolanensium clangor, insistentium, ut eorum esset Antistes. Ipse igitùr quotquot potuit obstacula illorum votis opposuit,

posuit, crudelitatem, luxuriam, religionis diversitatem, nusquàm autèm extraneitatem. Prò Tribunali sedens reos coràm se catenis vinctos fecit adduci, & à lictoribus atrocitèr flagellari, ut appareret crudelis. Mulierculas inhonestas in suâ domo fecit intrudi, ut cum eis diversando censeretur esse lascivus. Se non Christianum esse professus est, nec sacro baptismate regeneratum ut sic Episcopales à se infulas declinaret: nihil autem hoc modo proficiens, tandem fugâ suæ intentioni consuluit: noctu etenim itinere arrepto, diù obambulans, dum jam Ticinum se prætergressum esse censeret, antelucano tempore se in Mediolani portis invenit, indicioque voluntatis Dei hinc accepto, *productus, & adductus Mediolanum*, inquit Paulinus in ejus vita, *cum intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutiùs posse resistere* (*a*), tandèm vel invitus acquievit, inducias tamen postulans, quas, nec lacrymis madefactus, obtinuit: nàm teste Theodoreto, *jubet Imperator extemplò Ambrosium, & initiari mysteriis, & Episcopum ordinari* (*b*).

(a) *Paulin. loc. citat. cap. 13.*

(b) *Theodoret. lib. 4. cap. 6.*

32. Mirum profectò est, Ambrosium omnem lapidem moventem, ut Mediolanensium votis obsisteret, extraneitatem non allegasse. Nam, ut innuimus, crudelitatem, inhonestatem, baptismi defectum sibi opposuit, fugam arripuit, inducias imploravit; nihilque proficiendo, quis credat defectum indigenatus non opposuisse, si potuisset, qui divino, naturali, & humano jure, in sensu Contradictorum, illius electionem reddidisset illicitam? Nulla erat necessitas promovendi extraneum, cum in amplâ Mediolanensium Ecclesiâ vir idoneus non deesset. Nulla erat necessitas ordinandi laicum, adhuc baptismate carentem, cum vel ipsos Neophytos ab Episcopatu leges arceant ecclesiasticæ. Nulla tandèm erat necessitas inaugurandi Sacerdotio virum reluctantem, & tam sublime munus prò posse, ac viribus defugientem: & tamen ità electus est Ambrosius, ejusque electio à toto Oriente, & Occidente probata: *resistebam*, inquit ille, *ne ordinarer; postremò cum cogerer, saltèm ordinatio protelaretur. Sed non valuit præscriptio, prævaluit impressio. Tamen ordinationem meam Occidentales Episcopi judicio, Orientales etiam exemplo probaverunt* (*c*). Igitùr exemplo Ambrosii, origine Romani, & in Galliis exorti, ad Episcopatum tamèn Mediolanensem promoti, à quo toto cælo erat extraneus, & cujus ordinationem Orientalis Ecclesia exemplo, & Occidentalis judicio probavit, apparet virum extraneum potuisse tunc extrà propriam Ecclesiam beneficia sacra suscipere.

(c) *S. Ambros. epistola 82.*

33. Insupèr ipse Divus Ambrosius aliquandò S. Paulinum Nolanum, aliquandò S. Augustinum Hipponensem, utrumque extraneum, apud se retinere, & in suâ Ecclesiâ Mediolanensi, tàm presbyterali honore, quàm stipendiis presbyteralibus decorare, summoperè allaboravit, uti latiùs infrà dicemus. Prætereà in suo Clero habuit Felicem, qui deindè factus est Episcopus Bononiensis (*d*), habuit quoque Gerontium, qui successivè fuit infulis Episcopalibus apud Nicomediam insignitus (*e*), à quibus postmodum depositus fuit, non propter extraneitatem, sed propter malos mores, ad aures D. Joannis Chrysostomi reclamantes (*f*). Qui sane Felix, & Gerontius, vel ab Ecclesiâ Mediolanensi, ubi Clericali officio, & beneficio fruebantur, vel à Bononiensi, & Nicomediensi, ubi Episcopale, ac respectivè Archiepiscopale, nacti sunt beneficium, omninò erant extranei. Cumque eadem sit Ecclesia nunc, ac illa, quæ tunc erat Sæculo quarto, nihil aliud inferri debet, ac potest, nisi quod sicut ipso Sæculo Christi quarto prævaluit Ecclesia in libertate conferendi sacra stipendia, & Clericales præbendas, etiam viris extraneis; ità etiam quoque potest, & valet nunc prò suo arbitrio, & voluntate complere, sicque liberum, & licitum est Ecclesiæ, inprimisque Summo Pontifici, necnon Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quam delegatis beneficiorum collatoribus, vel ed Nominatoribus, ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri.

(d) *Martyrol. Rom. die 4 Decemb.*

(e) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 1 lib. 1. cap. 10. num. 4.*

(f) *Card. Baron. ann. 400. num. 83.*

SÆCULUM CHRISTI V.

CAPUT IX.

In quo ex doctrinâ, & gestis Sanctorum Hieronymi, Joannis Chrysostomi, Augustini, Paulini, *atquè* Hilarii, & Cæsarii *Arelatensium, probatur, quod per* quintum Christi Sæculum, *Ecclesia Dei, totali, & integrâ libertate potita est, conferendi* Ecclesiastica *Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 S. Hieronymus, *Bethlehemiticæ parochiæ Rector, vel Presbyter Hierosolymitanus, aut Romanus fuit, & S. Damaso Papæ in scribendis epistolis adjutor.*

2 *Sivè Romæ, sivè Hierosolymis, sivè in Bethlehem S. Hieronymus fuerit Monachus, aut Presbyter, aut Parochus, stipendia ecclesiastica obtinuit, ubi erat extraneus.*

3 *Scissâ Ecclesiâ Antiochenâ in partes, S. Hieronymus ei adhæsit, quæ cum Papa Damaso consentiebat, ubi Presbyter ordinatus est, nulli affixus Ecclesiæ.*

4 *Optavit Paulinus Antiochenus S. Hieronymum suæ Ecclesiæ inserere. Idipsum optavit Joannes Hierosolymitanus pro suâ Ecclesiâ, & D. Epiphanius, sed perperam.*

5 *Idem S. Hieronymus, tuendo promotionem fratris sui Pauliniani, justificat provectionem extraneorum ad beneficia, quod & facit promotio ipsius Hieronymi.*

6 *S. Hieronymus laudando promotionem Alexandri* Cappadocis *ad Episcopatum Hierosolymitanum, extraneis suffragatur, & Ecclesiæ libertati favet, de qua est sermo.*

7 S. Joannes Chrysostomus *Antiochenus, presbyteratum fugiens, sex libros de Sacerdotio scripsit. Indè Sacerdotio auctus, in Episcopum quoque à Constantinopolitanis eligitur.*

8 *Arcadius Imperator Chrysostomum Constantinopolim ducere fecit, Theophilus Alexandrinus ægro animo consecravit illum in Præsulem, & cur?*

9 *Cry-*

9 *Chrysostomus Diaconum ordinavit* Joannem Cassianum, *& Archidiaconum habuit* Serapionum Ægyptium, *qui causam dedit discordię intèr Chrysostomum, & Severianum Gabalensem.*
10 *Doctrina Chrysostomi est, quod etiam infideles sint bonorum Ecclesię capaces, multo magis Clerici extranei. Enumerans qualitates in promouendis necessarias, indigenatum non nominat.*
11 *Chrysostomus Episcopale beneficium suscepit, ubi ipse erat extraneus. Diaconale dedit Cassiano, Archidiaconale Serapioni, ambobus extraneis. Adversarii eum* 46. *articulis accusantes, extraneitatem prçterierunt.*
12 *Imperator, Clerus, Populus, Episcopi, Chrysostomum provehentes, nunquid omnes in culpa fuerunt? Theophilus Alexandrinus, Cassianus, Isidorus, omnes nè jura violarunt?*
13 *Hoc Sæculo ex Antiochiâ promotus est ad Episcopatum Constantinopolis* Nestorius, *posteà hæreticus, prętermissis* Proclo, *atque*, Philippo *Presbyteris illius Ecclesię.*
14 *Aderant indigenę, quando electi sunt Chrysostomus, & Nestorius. Necessitas eligendi extraneum contingere non poterat in Ecclesiâ Constantinopolitanâ.*
15 *Si sententia Contradictorum valeret, defuissentque Clerici indigenę idonei, quando electi sunt Chrysostomus, & Nestorius, eligendus erat aliquis ex laicis ad beneficium Episcopale.*
16 *Quia ratio indigenatus est fabulatoria, nec locum habet nisi ad summum cęteris paribus; ideò in Ecclesiâ Constantinopolitanâ eligebantur etiam extranei.*
17 S. Augustini *laudes, ex pluribus Patribus. Ipse in suis operibus talia docet, quę favent admissioni Clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia.*
18 *Ex libris D. Augustini constat admittendos fuisse, & esse viros undecumque venientes. Monachatus intèr beneficia ecclesiastica numeratur.*
19 *Alia doctrina D. Augustini favens extraneis, propter charitatem, qua cuncti Clerici debent se vicissim complecti, sine diversitate nationum.*
20 *Monachus Cęnobii professus, cui sua bona consulit, ad aliud pergens, bona sua à primo auferre vetatur, sed vivere debet de bonis secundi Monasterii.*
21 *Plures Episcopi optabant suo Clero inserere Augustinum, & plures Ecclesię illum habere Antistitem. Valerius Hipponensis omnes pręvenit, & eum Presbyterum, & Coadiutorem sibi fecit.*
22 *Erat extraneus Augustinus ab Ecclesiis, ad quas alliciebatur. Volebat* Pinianum *Romanum presbyteratu suę inserere Ecclesię. E suo Monasterio decem dedit totidem Ecclesiis.*
23 *In totâ serie rerum S. Augustini sex Patres concurrunt, extraneorum admissioni faventes, nempè* SS. Ambrosius, Aurelius, Valerius, Pinianus, Alipuis, *& ipse* Augustinus.
24 *Qui Augustinus, non urgente necessitate, factus est Presbyter, & Episcopus Hipponensis: necessitas enim esse non potuit, si reluctans promotus fuit.*
25 *Vis populi ordinationem Augustini non justificasset, si extraneum provehere non licuisset: docendus enim est populus, non sequendus.*
26 S. Paulinus *Nolanus eximiè à SS. Patribus laudatus, Burdegalę baptizatus, apud Barcinonem Presbyteratu reluctans est insignitus.*
27 *Protestatus est se nolle ulli Ecclesię affigi, Mediolanensi Clero insertus fuit à D. Ambrosio, cum libertate consistendi ubi vellet. Parum benevolum habuit Siricium Papam.*
28 S. Paulinus *Nolanus*, Lampius *Barcinonensis*, S. Ambrosius *Mediolanensis*, & S. Alipius *Tagastensis, conferendo, & respectivè suscipiendo beneficia, favent extraneis.*
29 *Paulinus, nullâ necessitate cogente, beneficia suscepit, ubi erat extraneus. Instantia populi nihil afficit, quià docendus est populus, non sequendus.*

30 *Nec factus est de extraneo indigena in Ecclesiis alienis, quià expressè restitis, ne illis affigeretur: neque poterat esse indigena in duabus Ecclesiis adeò remotis.*

31 S. Hilarius Arelatensis *multis laudibus celebratus: scripsit vitam S. Honorati, qui beneficium Episcopale obtinuit Arelatense, à quo erat extraneus. Laudes insulę Lerinensis.*

32 *Monachatus est beneficium ecclesiasticum. Tàm* Hilarius *quàm* Honoratus *beneficia susceperunt in locis, à quibus erant extranei, & successere* Patroclo *Italo in eo beneficio.*

33 *Idem S. Hilarius, Projecto Episcopo Provincię Viennensis successorem dedit virum extraneum: cujus provectio improbata quidem fuit à D. Leone PP. I. ob alias causas, sed non ob extraneitatem.*

34 *Verba S. Leonis improbantis factum S. Hilarii referuntur, quibus non omisisset innectere vitium extraneitatis, si hoc fuisset culpabile:*

35 S. Cæsarius *priùs Clericus Cabilonensis, indè Monachus Lerinensis, demum Episcopus Arelatensis, pluries beneficia adeptus est in locis, à quibus erat extraneus.*

36 *Laudat S. Cæsarius Insulam Lerinensem, quod ejus Monachi Episcopalibus beneficiis præficerentur, à quibus patriâ, provinciâ, & aliquandò natione erant extranei.*

1. FLORIDUM est quoquè quintum Christi Sæculum documentis, & probationibus, mirificè adstruentibus libertatem Ecclesiæ, in conferendis sacris præbendis, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis: & in primis obvius occurrit S. Hieronymus, natione Dalmata, sivè Hungarus, patriâ Stridonensis, professione Orator (*a*), deindè Monachus, atque Presbyter (*b*), eximius Ecclesiæ Doctor, Hæreticorum malleus, ac fortissimus fidei catholicæ propugnator (*c*), qui floruit anno Christi 404. & teste D. Augustino, *ab Oriente, usque in Occidentem ad instar lampadis resplenduit* (*d*). Hunc *Severus Sulpicius Bethlehemiticæ paræciæ rectorem; Græci omnes Hierosolymitanum presbyterum appellant* (*e*). Alii eundem vocant Presbyterum Romanæ Ecclesiæ: inter quos Trithemius ait: *cum esset Romanæ Ecclesiæ Presbyter, & scelera Clericorum constantèr argueret, eorum invidiâ, secessit ex urbe, veniensque in Judæam gloriosum Domini visitavit sepulchrum, atque juxtà Præsepe Bethlehemiticum, locum sibi habitationis constituens, toti mundo clarus innotuit* (*f*). Sanctum Hieronymum fuisse Presbyterum Romanæ Ecclesiæ, validissimè contuentur Genebrardus (*g*), Joannes Marquez (*h*), & ante omnes S: Augustinus, sivè quisquis est Auctor sermonum ad fratres in eremo (*i*). Nèc caret probabilitate hæc opinio, cum & ipsa praxis Ecclesiæ S. Hieronymum insigniis Presbyteratus Cardinalitii Romanæ Ecclesiæ indutum exprimat; & S. Damasus Papa I. eundem S. Hieronymum sibi famulantem habuerit in literis ad diversas orbis Ecclesias conscribendis (*l*).

(a) *Du Pin. Bibl. tom. 3. in Hieron.*
(b) *Tritbem. de Scrip. Eccl. in Hieron.*
(c) *Annati appar. ad posit. Theol. l. 4. art. 25.*
(d) *S. August. lib. 1. contra Julian. c. 7.*
(e) *Sixt. Senens. Bibl. sanct. l. 4. in Hieron.*
(f) *Jo: Tritbem. de Script. Eccl. in Hieron.*
(g) *Genebrar. Chronol. ann. 388.*
(h) *Jo: Marquez. de Orig. Fratr. Erem. S. Aug. c. 8. §. 2.*
(i) *Serm. 24. ad Fratr. in Erem. inter oper. D. Aug.*
(l) *S. Hieron. ep. 11.*

2. Utcumque res se habeat, negari non potest quin S. Hieronymus, modo in Occidente, modò in Oriente monachi, & presbyteri vitam egerit, & de unâ ad aliam orbis partem, semel atquè iterùm pertransierit (*m*): quâ de re etiam Divus Augustinus inquit: *Sanctus presbyter Hieronymus, Græco, Latino, & Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali, ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, atque in literis sacris usque ad decrepitam vixit ætatem* (*n*): sivè autem Romæ, sivè Hierosolymis, S. Hieronymus fuerit Presbyter: In Bethlehem, sivè fuerit parochus, sivè monachus: tandemque sivè in Occidente, sivè in Oriente, extra patriam, exercuerit monachatum, vèl presbyteratum, vèl officium parochiale; certè illud exercuit ubi erat extraneus; quippè cum natus esset Stridone,

(m) *Vit. D. Hieron. in ejus oper.*
(n) *S. August. l. 1. ad vers. Julianum.*

done, inter Pannoniæ limites, & Dalmatiæ, tàm Romæ, quàm Hierosolymis, & in Bethlehem, erat nedùm extràdiœcesanus, sed etiam extraprovincialis, & imò extranationalis. Cumque per ea tempora idem semper esset sacris ordinibus insigniri, & beneficia sacra nancisci, uti contendunt Contradictores: & ubicumque moratus est S. Hieronymus, sivè monachi, sivè presbyteri, sivè parochi vitam agens, stipendia monachalia, vel presbyteralia, vel parochialia, respectivè perceperit, quæ respondent Ecclesiasticis beneficiis; sequitur, quod ipse sacras prębendas, & ecclesiastica beneficia consecutus est in locis, à quibus toto cœlo erat extraneus.

3. Sed rem adhuc dilucidius prosequamur: S. Hieronymus postquam Romæ moratus, scientias didicerat, Gallias peragravit, undè Romam revertens, paulò post Palestinæ iter arripuit, ibique per quadriennium in deserto permansit, à quo Antiochiam successivè divertit, quæ nupèr fuerat in tres, aut quatuor factiones, seù schismata dispertita, nàm ut ait Cardinalis Baronius, quot illic sectę, tot etiam Episcopi eisdem præfecti erant, nempè Arrianis Euzojus, Apollinaristis Vitalis, Meletius verò, atque Paulinus Catholicis, schismate inter se divisis. Ex illis ergò, qui tùnc inibi Episcopatum tenebant, S. Hieronymus adhæsit ei, quem comperit, communione cum Damaso I. Romano Pontifice consentire; isque erat Paulinus, qui, & Hieronymum sacro presbyteratus ordine insignivit, hac expressâ conditione ordinem suscipientem, ut nèc Antiochenæ affixus, nèc alteri cuilibet Ecclesiæ foret, ex hujusmodi promotione, alligatus: ità enim suum Ordinatorem se asserit allocutum: *Nàm rogavi te ut ordinarer? Si sic presbiterium tribuis, ut Monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo? Sin autèm sub nomine presbyteri, tollis mihi proptèr quod sęculum dereliqui; ego habeo, quod semper habui; nullum dispendium in ordinatione passus es* (*a*), quorum verborum sensum expendens Marianus Victorius, ità illum reddit, *si me ordinas presbyterum, ut Monachus ampliùs non sim, hoc est eâ mente, ut animarum curę intendam, ego certè eundem habeo animum, quem semper habui, mihi scilicet tantùm, & Deo in proposito Monachi vacare; adeò quod nihil ex hac ordinatione perdidi, & tu similitèr, qui me ordinasti, nullum dispendium in me ordinando passus es* (*b*).

4. Optavit Paulinus Antiochenus S. Hieronymum suæ Ecclesiæ servitio mancipare, sed ipse restitit, ut innuimus (*c*). Optavit & Joannes Hierosolymitanus Episcopus eundem Hieronymum, ac Vincentium, suę peregrinationis comitem, propriæ Ecclesiæ obsequio devincire, sed ipse reluctatus est, uti coniicitur ex ejus apostrophe ad præfatum Joannem, *quod dicis te petiisse, ut subijcerentur Ecclesię Dei, & non scinderent eam, neque proprium sibi facerent principatum, de quibus dicas, non satis intelligo. Si de me, & de presbytero Vincentio, satis multò dormisti tempore, qui post annos tredecim nùnc excitatus hęc loqueris; ob id enim, & ego Antiochiam, & ille Constantinopolim, urbes celeberrimas deseruimus, non ut te in populis prędicantem laudaremus, sed ut in agris, & solitudine adolescentię peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus* (*d*). Optavit tandem & S. Epiphanius Hieronymum in Monasterio Eleutheropolitano ad exercitium presbyteratus inducere, sed irrito consilio, de quo in epistolâ ad Joannem Hierosolymitanum: *cum enim vidissem, quià multitudo sanctorum fratrum in Monasterio consisteret, & sancti presbyteri Hieronymus, & Vincentius proptèr verecundiam, & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerii* (*e*).

5. Idem S. Hieronymus causam Pauliniani ejus fratris, à S. Epiphanio, uti superius diximus, ordinati, adversùs Joannem Hierosolymitanum tuitus est (*f*) his, intèr cætera, in illum, verbis insurgens, *sin autem de Pauliniano tibi sermo est; vides eum Episcopo suo esse subjectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdum venire, non ut tuum, sed ut alienum, ejus videlicet, à quo ordinatus est. Quòd si hic*

(a) *S. Hieron. ep. 61 ad Pammach vid. Baron. ann. 371. n. 12.*

(b) *Marian. Victor. Scholia in epistolam S. Hieron. 61.*

(c) *Card. Baron. ann. 378. num. 65.*

(d) *S. Hieron. epist. 61 ad Pammach.*

(e) *S. Epiph. epist. ad Jo: Hierosol. 60. inter epistolas S. Hieron.*

(f) *Elias du Pin. Bibliot. to. 3. in Jo: Hierosol.*

si hic etiam esse voluerit, & in exilio nostro quietus in solitudine vivere, quid tibi debet, nisi honorem, quem omnibus debemus Episcopis? Fac à te ordinatum, idem ab eo audies, quod à me misello homine sanctæ memoriæ Episcopus Paulinus audivit. Num rogavi te, ut ordinarer? Si sic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo (a) Bina profectò hæc exempla Hieronymi, & Pauliniani (ad ordines promotorum, in locis, ubi neq; naturalitèr nati, neq; spiritualitèr per sacrum Baptismum erant regenerati, nedùmq; extranei, & extradiœcesani, sed & extraprovinciales, & extranationales erant, Europæi intèr Asiaticos, Latini inter Græcos, & Syriacos) pari passu gradiuntur: nec dici potest utrumque, vel ex necessitate, vel assensu eorum Ordinarii promotos, quippè uterque reluctans, & penè invitus Sacerdotale munus accepit. Fatenteque Hieronymo, se nulli Ecclesiæ suum animum alligasse, & idem innuente de Pauliniano, quatenùs dicit, eum potuisse ab Epiphanio Ordinatore suo recedere, & ad solitudinem se conferre: potuisseque à Joanne Hierosolymitano prçveniri, & ad presbyteratum attolli; certè quot verbis diximus, ex facto Pauliniani probari libertatem Ecclesię, in admittendis ad sacra beneficia etiam extraneis; totidem & ex facto D. Hieronymi, eadem libertas probatur.

(a) *s. Hieron. ep. 61. ad Pammach.*

6. Qui paritèr D. Hieronymus recenset, & laudat translationem Alexandri Episcopi Cappadociæ in Ponto ad sedem Hierosolymitanam in Palęstinâ, his verbis, *Alexander Episcopus Cappadociæ, cum desiderio sanctorum locorum Hierosolymam pergeret, & Narcissus Episcopus ejusdem urbis, jam senex, regeret Ecclesiam, & Narcisso, & multis clericis ejus revelatum est alterâ die manè intrare Episcopum, qui adjutor sacerdotalis cathedræ esse deberet. Itàque rè istâ completâ, ut prædicta fuerat, cunctis in Palæstinâ Episcopis in unum congregatis, adnitenteque ipso, vel maximè Narcisso, Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernacula suscepit* (b): quâ narratione attentâ, oportet unum ex his duobus inferri, vel D. Hieronymum esse mentitum, referendo successum, qui non evênit: vel revelatores Cœlites falsum docuisse, inspirando Narcisso, & Clero Hierosolymitano, ut sibi adsciscerent in Episcopum Alexandrum Cappadocem, virum extraneum, & extranationalem, contrà jura, Divinum, naturale, & humanum, extraneos à beneficiis ecclesiasticis repellentia, in sententiâ Contradictorum: cum autem neutrum possit, vel pietate, vel veritate duce, affirmari, concludendum est, Divum Hieronymum, & Dogmate, & facto propriis, & cœlesti revelatione, & sanctorum virorum exemplis, amplè probare libertatem Ecclesiæ in conferendo præbendas, Clericis extraneis, quę vigebat sęculo quinto, & cohærentèr vigere quoquè debet temporibus nostris.

(b) *s. Hieron. de scri. Eccl. in Alexand. c. 61*

7. S. Joannes Chrysostomus, natione Syrus, patriâ Antiochenus, professione Causidicus, mòx solitarius, deindè Presbyter, & demùm Episcopus (c). Vir apprimè doctus, & sanctus, ac omni encomio major, qui obiit anno Christi 407. (d). Lectoratu, & Diaconatu à S. Meletio Episcopo Antiocheno suscepto, Presbyteratum refugit, librosque sex de sacerdotio conscripsit, in quibus renitentiæ suæ rationem reddidit, & vivis coloribus eorum qualitates expressit, in quos sacerdotale munus debet effundi (e). Uerùm aliquando *Presbyter, vel ab Evagrio* (f), *vel à Sanctæ Memoriæ Flaviano Episcopo consecratur, invitus licet, ac multùm renitens*, inquit Palladius (g): Quo gradu adepto, se totum sacræ prædicationi dedit, tanto verborum eloquio, ut indè nomen Chrysostomi sit sortitus, tantâque æstimatione, ut reboante per orbem ejus famâ, à Constantinopolitanis in Episcopum sit delectus (h). Non deerant in magnâ illâ Ecclesiâ diaconi, & presbyteri, aliorumque graduum fideles, episcopatu digni, nèc alii deerant toto nisu, licet non rectis modis, ad illas infulas aspirantes, de quibus idem Palladius: *Pontificis solium electione fidelium adipisci desperantes, partim palatii obsident fores, alii munera potentibus tribuunt, alii populis genu posito supplicant. Ad hæc plebs fidelis indignans, Regem piâ intentione sollicitat, pastorem peritum sibi dari supplicitèr postulans* (i).

(c) *Vid. Petr. Annati appar. ad posit. Theol. l. 4. art. 24.*

(d) *Baron. ann. 407. num. 9.*

(e) *s. 30: Chrysost. de sacerd.*

(f) *Histor. Tripart. l. 10. cap. 3.*

(g) *Pallad. Dialog cap. 5.*

(h) *Socr. in histor. Tripart. l. 10. c. 3.*

(i) *Pallad. in Dialog.*

8. Sed renuente Arcadio Imperatore, Antistitem ex se ipso deligere, Clerus, & po-

& populus Constantinopolitanus, postpositis cunctis propriè Ecclesiæ Clericis, & alumnis, in Chrysostomum Antiochię consistentem, & ibi Vicarii generalis officio defungentem (a), suffragiis electionis intendunt, ac *postquàm populus, & Clerus suffragium suum contulissent, Imperator astipulatus fuit, & qui Chrysostomum adducerent, emisit. Convocavit etiam Synodum, ut eâ ratione venerabiliorem redderet illius ordinationem.* Hæc Sozomenus (b). Obsistebant autem ejus discessui Antiochenses, oportuitque, ut Cæsar auctoritate interpositâ, clandestinoque discessu, Joannem Constantinopolim accersiret: quo ad regiam urbem appulso, Archadium Episcopos exorasse, ut illum in Antistitem consecrarent, refert Theodoretus (c): sed Theophilus Alexandrinus, ad hoc prę cęteris deputatus, omnem operam, ne consecratio fieret, opponebat, eâ intentione, ut *Isidorum Alexandrinum*, apud se presbyterali honore fulgentem, magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ præficeret (d). Tunc Eutropius, pręcipuus Imperialis aulæ magister, Theophilo folium, in quo de plurimis accusabatur, ostendit, optione datâ, ut vel judicium super illis subiret, vel Chrysostomum ordinaret (e), secundam partem ergò Theophilus præelegit, & sic, vel invitus, Chrysostomum consecravit. Servato tamèn cum eo quodam antipathiæ fomite, qui non nisi cum utriusque vitâ finivit.

9. Dùm Ecclesiam Constantinopolitanam regeret Chrysostomus apud se habuit *Joannem Cassianum*, vulgò Collatorem, quem & Diaconum ordinavit (f): hunc fuisse origine Scytham ponit Gennadius, dicens, *Cassianus natus Scytha, Constantinopoli à Joanne magno Episcopo Diaconus ordinatus; apud Massiliam presbyter condidit duo monasteria virorum, & mulierum, quæ usque hodie extant* (g). Honorius Augustodunensis fuisse Africum tradit (h). Holstenius autèm vult eum ex Galliâ prodiisse, & provinciam Provinciæ, seù Narbonensem secundam, patriam habuisse (i), quod & ex seipso videtur indicare, ubi ait, *ad repetendam Provinciam nostram, atque ad revisendos parentes quotidianis animi æstibus urgebamur* (l). Ab aliis dicitur, quod fuerit patriâ ex Athenis, quod Constantinopoli diaconatum, & Romæ presbyteratum acceperit (m). Alii asserunt, quod Constantinopoli in Ægyptum perrexit, ubi & vitam monasticam adimplevit (n): indèque Massiliam profectus, ibidem sacro presbyteratus ordine auctus est (o). Habuit pariter S. Joannes Chrysostomus apud se ipsum, *Serapionem Ægyptium*, quem Archidiaconatus honore decoravit, hicque fuit causa ingentium malorum, quæ in Ecclesiâ Constantinopoleos emerserunt (p). Nàm inter cætera aliquandò Severiano Episcopo Gabalensi per transeunti, Serapion ipse cum sederet non assurexit, quem contemptum ægre ferens Severianus, dixit, si Serapion Christianus mortuus fuerit, Christus non est homo factus. Hæc autem audiens Serapion, Severianum apud Chrysostomū accusavit, quod dixisset, Christus non est homo factus, cæteris verbis silentio suppressis, undè Chrysostomus Constantinopoli expulit Severianum, eique tandèm vix reditum permisit, Eudoxiæ Imperatricis pręcibus, quæ & ad ejus pedes pusillum Theodosium filium, prò eadem rè supplicem inclinavit (q), exurgentibus hinc persecutione, exilio, & funere ipsius Chrysostomi, ac totius Ecclesię Constantinopolitanę confusione, quam idem Severianus, cum Antiocho Ptolemaidense, Acacio Beroeense, ac Theophilo Alexandrino, Chrysostomum persequentibus, produxerunt (r).

10. Hæc quòad facta Chrysostomi. Quòad ejus doctrinam, jam suprà de Tertulliano agentes (s), adduximus verba, quibus populos suadet ad eleemosynam, nedùm fidelibus; sed etiam infidelibus, porrigendam: quod si infideles, extraneos ab Ecclesiâ, tàm patriâ, quàm fide, censuit esse illorum bonorum Ecclesiæ capaces, quę in eleemosynam erogantur; multò magis in sensu fuit, quod fideles Clerici, qui Ecclesiæ indigenæ sunt, fide, & ordine, si non ortu; ad perceptionem illorum fructuum ecclesiasticorum, sint admittendi, qui Cleri, & Clericorum sunt alimoniæ destinati. Sed quoniàm fortè dicetur, opus Imperfectum 54. Homiliarum, ex quo præfata doctrina deprompta est, non esse Chrysostomi, cui attribuitur (t), ejusdem auctoritati diutiùs non insistemus. At negari non potest, quin

(a) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. part.2.l.2. cap.6.n.12. § Hæc.*
(b) *Sozom.l.8.c.2.*
(c) *Theodoret. lib 5. cap.25.*
(d) *Histor.Tripart. l.10. c.3. Baron. ann. 398 n.61.*
(e) *Socr.in hist. Tripart. loc. cit. du Pin. Bibl Eccl.to.3. in Jo: Chrysost.*
(f) *Jo: Trithem. de script. Eccl.in Cassian.*
(g) *Gennad. de vir. illustr.in Jo:Cassian.*
(h) *Honor. Augustod. de script. Eccl.in Jo:. Cassian.*
(i) *Thomassin.vet.& nov.Eccl.discipl. p.1. l.3 c.24.n.3.*
(l) *Cassian collat.24. cap.1.*
(m) *Ant. Baldassar. compendioso Ritretto &c.in Jo:Cassian.*
(n) *Baron. an.404. num.78.*
(o) *Trithem. Bellar. Honor. Augustod.de scrip.Eccl. in Jo:Cass.*
(p) *Socr in hist Trip. l.10.c.3.circ.finem.*
(q) *Sozom.lib.8.c.10. Socr.lib.6 c.10.*
(r) *Baron. ann.404. n.12. 13.*
(s) *Vid.hic supr.sec. 2.c.3.n.22.*
(t) *Bellarm.de scrip. Eccl.in Jo: Chrys. Annat: appar. ad posit. Theol.l.4.art.26.*

quin sint Chrysostomi sex libri de sacerdotio, superiùs memorati. In illis autem totus est, ut explicet qualitates, virtutes, & merita, quæ debent in Sacerdotibus effulgere; nusquàm verò enumerat inter eas indigeneitatem, non omittendam profectò, si de jure divino, naturali, & humano esset, ut sacerdotia, & consequentèr etiam sacerdotalis Ordo non nisi indigenis conferatur, juxta doctrinam Contradictorum. Clamat inibi adversùs Episcopos, *qui Ecclesiæ beneficia, & animarum curas hominibus minùs optimæ conscientiæ, minùs prudentibus, & deniquè pueris sæpè committunt (a)*, clamat adversùs eos, qui *non immeritos solùm adlegunt, verùm etiàm idoneos eiiciunt, & juxtà pestilens esse retur, utiles arcere, & inutiles intromittere (b)*, prærogativasque ætatis, prudentiæ, optimæ conscientiæ, & idoneitatis, desiderat in promovendis, sed de indigeneitatis titulo conticescit: hoc non aliâ de causâ, nisi quià neque patriam, neque nationem, neque genealogiam, in rebus sacris, in ordinibus suscipiendis, in bonis demùm Ecclesiæ participandis, censuit attendendam.

(a) S. Jo: Chrysf. l. 2. de sacerd.

(b) *Idem loc. cit.*

11. Rè verà si S. Joannes Chrysostomus in eâ opinione versatus esset, ut bonorum Ecclesiæ non nisi indigenæ compotes esse possent, quâ arrogantiâ ipse, ritu Syrus, linguâ ignotus, natione Asiaticus, patriâ Antiochenus, episcopatum Constantinopolitanum ausus fuisset suscipere, nempè ad beneficium episcopale manus extendere, in urbe Europæâ situm, Græci ritus, linguæ alienæ, atque à propriâ mansione mille leucarum intercapedine seperatum? Quomodò diaconalem ordinem, & diaconalia stipendia ex fructibus Ecclesiæ ausus fuisset impertiri, Cassiano Scythę, sivè Africo, sivè Gallo? Quomodò Archidiaconatum Constantinopolitanum tradere ausus fuisset Serapioni Ægyptio, sicque toties juxtà sensum Contradictorum, & in sè, & in aliis legem divinam, naturalem, & humanam transgredi, collationem beneficiorum ad solos indigenas restringentem? Et si hęc agendo leges transgressus est, eccur ejus Adversarii, nodum in scirpo quærentes, ut ei crimina imputarent, hoc tàm grave facinus omiserunt? Quadraginta sex articuli adversùs Chrysostomum fuerunt ab illius persecutoribus cumulati (c), cur autèm extraneitatis in eo vitium silverunt, culpamque præterierunt, divinâ, humanâ, & naturali lege damnatam, in sensu Contradictorum?

(c) *Card. Baron. ann. 403. n. 12.*

12. Rursùs Imperator, Populus, Clerus, Episcopi, ad electionem Chrysostomi concurrentes, nunquid omnes, hunc ad infulas provehentes, legem divinam, humanam, & naturalem calcarunt? *Theophilus* Alexandrinus, unus ex Ecclesiæ Patribus, gestiens *Isidorum Ægyptium*, presbyterum suæ Diœcesеos, in Constantinopolitanâ sede locare; *Cassianus*, & ipse Pater, è Scythiâ, sivè ex Africâ, sive ex Galliâ, diaconatum in Ecclesiâ Chrysostomi, monachatum in Ægypto, & presbyteratum in Massiliensi Ecclesia suspiciens, nunquid legis divinę, naturalis, & humanæ, pedibus conculcatæ, pænas Deo, & hominibus, debuerunt? Absit: ergò necessariò inferre oportet, Cassianum, Theophilum, Episcopos, Imperatorem, Clerum, atque populum Constantinopolitanum, & super omnes Chrysostomum, libertatem Ecclesiæ in conferendis beneficiis ecclesiasticis agnovisse; cunctosque suo facto probasse, licere beneficia extraneis impertiri; quibus etiam quinto sæculo nedùm prębendas, sed etiam sacros ordines, licitum erat, sinè ambiguitate, conferre. Quarè vigentibus adhùc in Ecclesiâ iisdem juribus, quæ tùnc floruerunt, quòad largitionem rerum Ecclesiæ (licèt immutatis quòad ordinum collationem) concludendum remanet, Ecclesiam adhuc primęvâ illâ libertate potiri quòad beneficiorum distributionem, quà tunc plenissimè potiebatur.

13. Promotionem Chrysostomi, de Antiochenâ ad Constantinopolitanam Ecclesiam, non solam dedit hoc Quintum Christi sæculum, sed geminatam, provectione *Nestorii*, quæ sic evenit. Sisinnio Episcopo Constantinopolitano viam universę carnis ingresso, perplures ex ejus Clero illam Sedem implere aspirabant, factionibus autèm hinc indè supèr hoc excitatis, *visum est Imperatori*, ait Socrates, *proptèr homines, inanium rerum appetentes, neminem ex illa Ecclesiâ, licèt multi*

multi Philippum; *quamplures Proclum designatum cuperent, ad episcopatum illum eligere, sed advenam Antiochenum accersire* (*a*). Erat *Proclus* presbyter magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos, à Sisinnio Cyzicenorum Episcopus ordinatus (*b*). Erat *Philippus* ejusdem Ecclesiæ paritèr presbyter, patriâ Sidensis, plurium voluminum scriptor, quibus historiæ Christianæ titulum intulit (*c*). Theodosius ergò Imperator, sanctitatis, & doctrinæ memor, quam ex Ecclesiâ Antiochenâ, Joannes Chrysostomus secum duxerat; ex eâdem Ecclesiâ novum Antistitem mutuare decrevit, auditâque famâ *Nestorii Germaniciensis*, Nepotis Pauli Samosateni (*d*), eundem Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfecit, *tamquàm ad docendum populum admodùm accommodatum* (*e*), quem voto responsurum, nemo dubitavit, dùm in primâ concione illum audivit sic Cæsarem alloquentem, dà mihi ò Imperator terram hæreticis vacuatam, & ego tibi Cælum reddam: tù hæreticos extirpa, & ego tibi delendis Persis adstabo (*f*). Sed citò ejus hypocrisis spem cunctorum fefellit, Maternitate Deiparæ, per Anastasium primò presbyterum, deindè per Dositheum Episcopum impugnatâ, & per se ipsum tandèm contumacissimè vellicatâ; undè Nestorianorum hæresis erupit, quæ causam dedit Concilio generali Ephesino (*g*), & usque adeò diffusa est, ut per totam Asiam, ac remotissimas ejus regiones, se latiùs explicaverit, & nùnc etiam tria centena millia familiarum circitèr per eadem loca, in illâ pertinacitèr perseverent (*h*).

14. An in utroque Antistite deligendo, Nestorio scilicèt, atque Chrysostomo, tàm Arcadius, quàm Theodosius Cæsares re vera ex se ipsis solis processerint, an verò Cleri quòque, ac populi vota conquisierint, parùm refert: probabilissimum est ipsum Clerum, & Populum electionibus præfatis, vèl nihil, vèl parum cooperatos esse, & non nisi arbitria Principum esse secutos. Verùm, quidquid de hoc sit, unum est, tùnc in Ecclesiâ Constantinopolitanâ non defuisse viros Episcopalis dignitatis capaces, quippè, ut ait Balsamon, hoc *Constantinopoli locum non habet, proptèr multitudinem Cleri ipsius, & quod nulla omninò sit eorum penuria* (*i*). Quarè tùm prò inferioribus beneficiis, tùm prò supremo Patriarchatus honore, non est credibile, quod nèc tùnc, nèc unquàm defecerint Clerici idonei, prout de facto cùm promotus est Chrysostomus, plurimi infulas affectabant, ut ex Palladio indicavimus (*l*): & paritèr cùm Nestorius electus est, vota populi, & Cleri partìm Philippum, & partìm Proclum Antistitem peroptabant, ambo extraneos, & quorum postremus Cyzici Episcopus, ad sedem tandèm illius regię urbis postmodùm est promotus. Si autèm de jure divino est, de naturali, & humano, ut ecclesiastica beneficia non nisi indigenis conferantur (ut autumant Contradictores) mirùm est, quod, postpositis Clericis Constantinopolitanis, ibi utràque vice sit electus extraneus: mirùm quoque, quod ab ipsis, à quibus agebatur, ut clericus ex illâ Ecclesiâ præeligeretur, oculi non sint conjecti, nisi in Proclum, & Philippum, quorum alter ortus Sidæ, alter jam provectus ad Sedem Cyzicenam; vèl quando presbyteratum susceperant, vèl quando prò Patriarchatu obtinendo Ecclesię Constantinopolitanę candidati fuerunt, vel meliùs, utràque vice, ibi erant extranei.

15. Porrò obsistentibus juribus Divino, naturali, & humano, viris extraneis, uti supponunt Contradictores; quatenùs etiam in Clero Constantinopolitano nullus tùnc adfuisset idoneus, quod non conceditur, nec est credibile; oportebat, quod, mortuo Nectario, non Chrysostomus Antiochenus: & mortuo Sisinnio, non Nestorius Germaniciensis, extranei, extraprovinciales, & etiam extranationales, præficerentur illi sedi; sed quod aliquis laicus diœcesanus regiæ ipsius urbis eligeretur in Præsulem: deficientibus enim clericis, succedebant laici in jure indigenatus: nàm cum privilegium indigenatus à Contradictoribus competere dicatur Communitati fidelium componentium Ecclesiam, hanc verò non tàm clerici componant, quàm laici; certè in defectum primorum, succedebant secundi. Et quià pluriès ex laicis Patriarcha, tùm anteà, tùm postmodùm est electus;

(a) *Socr. l. 7. c. 29.*
(b) *Baron. an. 426. n. 2.*
(c) *Socrat. l. 7. c. 26. & 27.*
(d) *Baron. an. 428 n. 20.*
(e) *Socr. l. 7. c. 29.*
(f) *Socr. loc. cit. Baron. an. 428. n. 21.*
(g) *Ex Act. Concil. Ephesin. 1.*
(h) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 1. c. 24. n. 9.*
(i) *Balsam. ad Nomoc. Photii c. 26. vid. supr. Sæc. 4. c. 7. n. 20.*
(l) *Pallad. in Dialog.*

ctus; Nectarius enim erat laicus (*a*): Paulus erat laicus (*b*): Tharasius erat laicus (*c*): Photius erat laicus (*d*); certè in dictis casibus Nestorii, & Chrysostomi, deficientibus Clericis idoneis, eligendus erat Præsul ex laicis: nec est credibile, quod ex plurimis centenis millium laicorum, quibus & urbs, & diœcesis Constantinopolitana constabat, nullus omninò adesset idoneus. Tantòque magis eligendus videbatur laicus, quantò, secundum Contradictores, præficiendus est ecclesiasticis beneficiis potiùs vir mediocris sufficientię, dummodò indigena, quàm majoris habilitatis, extraneus.

16. Undè in eâdem sententiâ Contradictorum, quamvìs Nestorii nomen per totum Orbem esset notissimum, quamvìs Chrysostomus *notis ob experientiam, ignotis ob famam tàm eruditionis, tùm virtutis per universum Romanorum Imperium clarus esset*, ut inquit Sozomenus (*e*); Adhuc præferendi erant illis clerici, quinimò & laici, etiam mediocris sufficientiæ, dummodò indigenæ, magis, quàm utrumque extraneum accersire. Sed quià hæc ratio indigenatus commentitia est, fabulatoria, & inanis, nec unquàm in Ecclesiâ Dei habita prò re de pręcepto, neque uti de jure Divino, naturali, vel humano; ideò tàm Arcadius, quàm Theodosius Imperatores, tàmque Clerus, quàm Populus Constantinopolitanus, in eligendis Præsulibus Regię illius Urbis, non eam unquàm attendendam esse censuerunt, sed modò in Philippum, modò in Proclum, modò in Chrysostomum, modò in Nestorium, modò in plurimos alios suprà recensitos extraneos intenderunt: Omnesque adeò numerosis, ac repetitis factis, nos uberrimè docuerunt, quintò Christi Sæculo, liberam fuisse Ecclesiam in Præsulum, electione; tamque beneficiorum Presbyteralium, quàm Pontificalium, ac aliorum, cujuscunque sint generis, extraneos esse sinè ambiguitate capaces.

17. *S. Augustinus*, natione Afer, patriâ Tagastensis, professione Rhetor, & Academicus, Religione primò Manichęus, & deindè Catholicus fecit (*f*), Mediolani à D. Ambrosio baptizatus (*g*), & Hippone à Valerio Episcopo presbyteratu insignitus, ejusque demùm viventis Coadiutor, & defuncti, in Episcopatu successor (*h*): Vi vitæ sanctitate, ingenii felicitate, & doctrinæ pręcellentiâ, nulli secundus: quem *virum sanctum, & eloquentem*, D. Hieronymus nuncupavit (*i*): *Lucernam dignè positam super candelabrum*, S. Paulinus (*l*): *strenuissimum Gratię propugnatorem*, venerabilis Beda (*m*): *indutum virtute ex alto*, S. Fulgentius (*n*): *Doctorem eximium*, Cassiodorus (*o*): *solem in Ecclesiâ refulgentem*, S. Antoninus (*p*): *Divinâ eruditione mirabilem*, Eugippius Abbas (*q*): ac demùm Prudentius Trecensis, *virum omnium sinè dubitatione doctissimum* (*r*). Hic in vasto mari suorum operum pluries, pluraque dixit concinnè ad rem nostram spectantia. Sed quià impossibile est hìc summatim cuncta perstringere, pauca, quę sequuntur, sufficiat allegasse, ex libro de opere Monachorum deprompta.

18. Erant in Africa, & præsertim apud Carthaginem perplura Monasteria, ad quæ ait consuevisse concurrere viros indecumque confluentes, nonnulli divites, & magnates, *qui relictâ, vel distributâ, sive amplâ, sive qualicumque opulentâ facultate, inter pauperes Christi piâ, & salubri humilitate numerari voluerunt* (*s*): Alii *ex conditione servili, vèl etiam liberti, vèl propter hoc à Dominis liberati, sive liberandi, & ex vita rusticanâ, & ex Opificum exercitatione, & plebejo labore, tantò utique feliciùs, quantò fortiùs educati, qui si non admittantur, grave peccatum est* (*t*). Patet ex his, quod ad Monasteria extranei cum indigenis: liberi cum servis: ac rustici, atque Opifices, unà cum Divitibus, & Magnatibus admittebantur: Et nedùm Africani, sed etiam Europæi ad Monachatum inibi exercendum adproperabant, non secùs, ac Africani extra nativam regionem, ad Monachatum suscipiendum pergebant, quemadmodum ex actis D. Fulgentii patet (*u*). Certum est quoquè, quod Monachatum profitentes sunt totidem beneficiati, qui præbendas Monachales victus, & vestitus, à Monasterio percipiunt; quod paritèr inter beneficia ecclesiastica numeratur (*x*). Si autem *grave peccatum* esse censuit

(a) *Sozom. l.7.c.10.*
(b) *Baron. an. 684. n.8.*
(c) *Baron. anno 784. n.4.*
(d) *Nicet. in vit. S. Ignatii Constantinopolitani.*
(e) *Sozom. l.2.c.2.*
(f) *S. Aug. Confes. lib.5.*
(g) *Idem cont. Julian. l.1.c.9.*
(h) *Possid. vit. S. Aug. c.8.*
(i) *S. Hieron. l. 3. dialog. cont. Pelag. in fin.*
(l) *S. Paulin. Ep.31. ad Augustin.*
(m) *Beda præfat. in Cantic.*
(n) *S. Fulgen. l.2. de verit. Prædestin.*
(o) *Cassiod. Divin. lect. c.22.*
(p) *S. Antonin. 2 par. hist. tit.18.*
(q) *Eugip. præfat. Collectan. ex lib. S. August.*
(r) *Pruden. Trecens. epistola ad Hincm. & Pardulum.*
(s) *S. August. tom.3. de Oper. Monac. l. un. c.25.*
(t) *Idem ibi c.22.*
(u) *Vit. S. Fulgent. c. 8. 12. 14. &c.*
(x) *Fagnan. in c. recolentes n. 43. de stat. Monach. lib.3.*

fuit Augustinus, prȩfatos extraneos paritèr, àc indigenas, Monachatum petentes, ad Monasteria non admittere; jam patet, quod ipse in sensu fuit, & suo tempore, quintò Christi Sȩculo, hȩc in Ecclesiâ viguit opinio, ac sententiâ, quod ecclesiastica beneficia liceret clericis etiam extraneis impertiri.

19. Pergit deindè S. Doctor, & commonet monachos, ut manuali operi incumbant, si possunt: nec sibi blandiantur, quod volatilia cœli, & lilia agri absque opificio subsistant; quippè alia est ratio vitæ hominum, & alia volatilium, vel vegetantium: perpendantque, quod ipsi Apostoli labore manuum sibi victum quærebant: & hinc indè opes, ac pecunias, atque bona ex variis locis colligebant, quæ Christianis, alibi consistentibus, & inopiâ laborantibus transmittebant, hocque solo iutuitu, *ea accipiebant ad supplendas necessitates sanctorum per se afferenda, vel distribuenda indigentibus* (*a*). Enitescit in his verbis charitas, quâ cuncti Christiani, & multò magis Clerici, universi orbis, se debent, fine nationum diversitate, complecti, ut de bonis Ecclesiæ indiscriminatim participent, & communes habeant opes Christo dicatas, atquè undecumquè obsequio Domini destinatas, in cujus sortem votis communibus sunt vocati. Hac enim charitate actus Paulus Apostolus, pecunias in variis locis collectas, indigentibus ad loca longè dissita transmittebat: uti communes, non uti locales, nec quidquam distinguens intèr incolam hujus, vel illius Regionis.

(a) *S. August. de Oper. Monach. c. 16. in med.*

20. Prosequitur successivè Augustinus, & quærit quid agendum, cum quis post collatas uni monasterio suas opes, aliud petit cœnobium, ibique vitam monasticam profitetur, & resolvit, quod *non attendendum est in quibus monasteriis, vel in quo loco, indigentibus fratribus quisque id, quod habebat impenderit, omnium enim Christianorum una Respublica est, & ideò quisquis Christianis necessaria ubilibet erogaverit, undecumquè etiam ipse, quod sibi necessarium est, accipit, de Christi bonis accipit, quià, & ubicumque, & ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit* (*b*)? En Monachum ab uno ad aliud Cœnobium transeuntem, à quorum alterutro necessario erat extraneus. Postquam enim se applicuerat primo, & opibus, & animo ibi adfixis, factus erat ipsius cœnobii indigena, & filius; relictis inibi bonis, pergit ad secundum cœnobium, à quo erat extraneus, nec nisi corpus, & animum illuc portat, præbendam tamen monachalem ei decernitur esse debitam, nempè victum, & vestitum, ac quidquid est suo usui necessarium, quià quisquis divino servitio per monachatum semèl se alicubi mancipavit, *undècumque etiam ipse, quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit*. Convincitur ex hoc, bona semèl Ecclesiæ delata, sivè ad usum Clericorum, (nàm utrobique una, & eadem ratio est) omnibus monachis, & respectivè Clericis, undècumque veniant, undècumque sint nati, commuuitèr esse debita, quià una est tota Ecclesia, una omnium ejus membrorum communio: bona ecclesiastica sunt bona Christi, & uti talia cunctis in monachali, vel respectivè in Clericali statu Christo famulantibus, undècumque ortum duxerint, sunt communia, sicque per doctrinam D. Augustini, excluditur supposita necessitas naturalitatis, & indigenatus ad participandum de sacris præbendis, & ecclesiasticis beneficiis.

(b) *S. Aug. l. un. de Oper. Mon. c. 25. to. 3.*

21. Sed adhùc clariùs ex gestis Divi Augustini, sententiæ nostræ firmitas roboratur. Nàm postquàm ipse, fide susceptâ, in statu adhùc laicali subsistebat, gnarus se à pluribus Ecclesiarum Prȩsulibus exoptari, solebat, inquit Possidius, *Laicus ab illis tantùm Ecclesiis, quæ non haberent Episcopos, suam abstinere præsentiam* (*c*). Voluit D. Ambrosius, primus omnium, virum, à se baptismate regeneratum, Clero suæ Ecclesiæ conferere, at ei restitit Augustinus, ut ipse de se narrat. In patriam ergò regressus est, cumque indè Carthaginem perrexisset, S. Aurelius Episcopus Carthaginensis, in illum simili voto perlatus est, cujus paritèr Augustinus consilium irritum reddidit (*d*): Hipponam demùm divertens, ac ad colloquia S. Valerii, natione Græci, Episcopi tunc Hipponensis, admissus, invenit eum anxium, ut se ad illam Ecclesiam, sacrorum ordinum collatione,

(c) *Possid. vit. S. Aug. c. 3.*

(d) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 1. c. 2. n. 2.*

pertraheret: quod licèt ipse onus refugeret, attamèn, Cives Hipponenses, audito Valerii consilio, *Augustinum tenuerunt, Episcopo ordinandum intulerunt &c. & factus est Presbyter &c.* (*a*) Piè aliquandò de his indoluit Augustinus, sibique apud Hipponam vim factam conquestus est, quâ in patriâ non est actus, *cum Ecclesia Tagastensis, quæ carnalis patria mea est, Clericatum mihi non imposuisset; quandò potuerunt Hipponenses, habendum invaserunt* (*b*): Sed quià tandèm talem Dei esse voluntatem agnovit, Hipponensium votis acquievit: nihilominùs quaudoquidem illum, jam presbyteratu perauctum, adhuc aliæ Punicæ Ecclesiæ ad se trahere satagebant, Valerius *metuere cæpit nè ab alia Ecclesia sacerdos probatus ad Episcopatum quæreretur, & sibi auferretur* (*c*), idcircò eum sibi successorem in cathedrâ Hipponensi, populo in idem conspirante delegit, *ad majorem*, scripsit D.Paulinus Romaniano, *ad majorem Dominici muneris gratiam, novo more profectus ità consecratus est, ut non succederet in cathedrâ Episcopo, sed accederet: nàm incolumi Valerio Hipponensis Ecclesiæ Episcopo, Coepiscopus Augustinus est: & beatus ille senex, cui purissimam mentem nulla unquam livoris invidiæ macula suffudit, dignos, sui cordis pace, nunc ab Altissimo fructus capit, ut quem successorem Sacerdotii sui suppliciter optabat, hunc mereretur tenere Collegam* (*d*).

22. Erat extraneus Mediolani Augustinus: erat extraneus apud Carthaginem: erat extraneus apud Hipponam, & tamen hic, atque alibi ab Episcopis ordinandus conquirebatur. Quid plura? Ipse Augustinus, Episcopatu Hipponensi totalitèr jam adepto, S. *Pinianum* Romanum, virum Consularem (*e*), per Africam itinerantem, dùm Hippone aliquantò consisteret, populusque illum in presbyterum inibi ordinandum deposceret, sacerdotio protinùs insigniisset, nisi Pinianus ipse obstaculo interposito, se *invitum ordinari non posse clamasset* (*f*); de quo postmodùm successu, ipsemet Augustinus literas ad Alipium, & ad Albinam quoque direxit (*g*). Quadam paritèr vice à viro pravorum morum interpellatus, ut eum Clericatu insigniret, vel ut interponeret sua officia, ad hoc ut ab alio Episcopo, ad similem proveheretur honorem, abnuit Augustinus, non de suâ, nec de alteriùs Episcopi ambigens potestate, sed de solâ benemerentiâ postulantis diffidens, *cum promoveri*, inquit, *in clericatu, sivè illic per me, sivè alibi per literas meas, vehementi nimè conaretur, ego autem nullo modo adducerer ci homini, de quo tantum mali existimarem, manus ordinationis imponere, aùt per commendationem meam alicui fratri meo cum subintroducere &c.* (*h*) Habuit demùm in suâ Diœcesi D. Augustinus celebre monasterium, in quo Cleri sui formabat mores, & Ecclesiæ Hipponensis profectui, ac sanctitati operam dabat: cujus gloriosi instituti, ac probitatis degentium in eo Clericorum, famâ per Africam crebrescente, Ecclesiæ Punicæ indè sibi accipere clericos, & Episcopos inceperunt: ipsoque Augustino vivente, decem ejus alumni totidem Ecclesiis in Episcopali culmine sunt præfecti: *Proficiente*, ait Possidius, *doctrinâ divinâ sub sancto Augustino, in monasterio Deo servientes Ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cæperunt &c. Ac deindè innotescente sanctorum Servorum Dei proposito, continentia, & paupertate profundâ, ex monasterio, quod per illum esse, & crescere cæperat, accipere Episcopos, & Clericos pax Ecclesiæ, atque unitas, & cæpit primò, & posteà consecuta est. Nàm fermè decem Augustinus Ecclesiis dedit* (*i*).

23. Habemus ergò hic sex Patres, dignitate, & sanctitate percelebres, uno ore opinioni, quam tueri nitimur, assentientes, unoque calamo sententiæ nostræ subscribentes; hi sunt *S. Ambrosius* Augustinum Punicum in Italia, Tagastensem Mediolani, peroptans sacris ordinibus decorare. *S. Aurelius* Carthaginensis idem de Augustino, prò suâ Ecclesiâ, satagens adimplere. *S. Valerius* Græcus, Ecclesiam Hipponensem in Africâ quoad se suscipiens, & Augustinum extraneum ordinatione præveniens, ut & presbyterum in clero, & vivens Coadiutorem, & obiens haberet in sua cathedrâ successorem. *S. Pinianus* ab Augustino ad Clerum Hipponensem vocatus, nèc de illius potestate dubitans, sed se non posse invitum

ordi-

(a) *Possid. in vita S. August.*

(b) *S. Aug. epist. 225.*

(c) *Possid. loc. cit. c. 8.*

(d) *S. Paulin epistola ad Romanian. 36. inter epistolas S. Aug.*

(e) *Baron. an. 385. n. 5.*

(f) *Idem anno 409. n. 7.*

(g) *S. August. epistola 225.*

(h) *S. Aug. ep. 137.*

(i) *Possid. vit. S. Aug. c. 11.*

ordinari conclamans. *S. Alipius* Tagastensis prò Piniano apud Augustinum interveniens, nè Hippone ad Presbyteratum promoveretur, facultatem Ordinatoris agnoscens, sed Ordinandi reluctantiæ, sua quoque officia conjungens. Ipse demum *S. Augustinus*, & dogmate, & factis prò extraneorum causâ perorans: accipiendo nempè Episcopatum Hippone, ubi erat extraneus: Pinianum suo clero inserere gestiens, qui pariter ibi erat extraneus: Clericatum negans, & officia commendationis apud alios Episcopos impertiri recusans viro petenti, non quià extraneus, sed quià malis moribus esset præditus: Stipendia monachalia danda esse decernens monacho, alteri cœnobio pridèm addicto: Ex suo tandèm monasterio Clericos, & Episcopos aliis Ecclesiis impertinens, à quibus erant extranei. Hi sex, inquam, Patres, seù sancti viri, & dictis, & factis, unisonâ consensione definiunt, posse extraneos, tàm sacris ordinibus, quàm beneficiis ecclesiasticis insigniri, cùm secundùm Contradictores, idem semper esset olim ordines, & beneficia nancisci: subsistente nùnc etiam normâ illorum temporum, quoàd bonorum Ecclesiæ distributionem; licèt quoad ordinum susceptionem, aliam methodum sacri canones, successivè conditi, definiverint.

24. Nec dicatur S. Augustinum, non spontè, sed necessitate impellente, populoque vim faciente fuisse promotum, quippè nulla necessitas supponi potest in eo, qui invitus, lacrymans, & de vi sibi factâ conqueritur: *vis mihi facta est*, inquit, *merito peccatorum meorum. Nam quid alium existimem nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram* (a): & fusiùs S. Possidius; *compulsus, atquè coactus succubuit, & Episcopatus curam, ac majoris loci ordinationem suscepit &c. Ubertim eo flente, cum majori consideratione intelligeret, & gemeret, quàm multa, & quàm magna suæ vitæ pericula de regimine, & commendatione Ecclesiæ impendere, ac provenire spectaret, atquè ideò fleret* (b). Nec S. Valerius Hipponensis Augustinum ad suam traxit Ecclesiam, & sibi successorem constituit, ex necessitate, aut inopiâ, quam pateretur clericorum, sed ex quadam piâ æmulatione, quâ *metuere cæpit nè ab aliâ Ecclesiâ Sacerdos probatus ad Episcopatum quæreretur, & sibi auferretur* (c).

25. Vis autèm populi, & si in pietatis potiùs vehementiam resonans, quàm in violentiæ illicitæ contumeliam, non justificasset ordinationem Augustini, si ei tamquàm extraneo canones obstitissent. Nàm sicuti non potuissent S. Valerius, neque S. Augustinus, etiam vì populi urgente, furari, fornicari, occidere, blasphemare, quià hæ sunt actiones divino, naturali, & humano jurę prohibitę, quarum malitiam, vis populi non excusat; ità nec potuissent conferre, & respectivè ordines sacros suscipere, contemptâ extraneitate, si extraneo ordines conferre, & cum ordinibus stipendia sacra, seù ecclesiastica beneficia impertiri, fuisset crimen divino, naturali, & humano jure prohibitum, uti decantant Contradictores: *Docendus est populus, non sequendus*, scripsit Cælestinus PP. I. Episcopis Apuliæ, atquè Calabriæ, *nosque si nesciunt eis quid liceat, commonere, non his consensum præbere debemus* (d). Stat ergò veritas hucusque per nos asserta: integraque Ecclesiæ libertas in distributione beneficiorum sivè extraneis, sivè indigenis, ex dictis pariter, & ex factis D. Augustini, plenissimè comprobatur: illius proindè calculum, meritò sententiæ nostræ copulamus, ejusdemque etiam voto libertatem ipsam tuemur. Sed de D. Augustino redibit sermo infrà in dissolutione objectionum (e).

26. *S. Paulinus*, natione Aquitanus (f), patriâ Burdegalensis (g), sivè Hebromagiensis (h), professione Poeta (i), dignitate Senator, & Consul (l), atque Romanæ urbis Præfectus (m), indè presbyter, ac demùm Episcopus Nolanus: vir doctrinâ, sanctitate, & in pauperes charitate præclarus fuit (n), à SS. Hieronymo in Oriente, Augustino in Africâ, Ambrosio in Italiâ, Prospero, & Eucherio in Galliâ, plurimis laudibus celebratus (o), qui obiit anno Christi 431. (p). Hic à Delphino Burdegalensi, ubi erat educatus, Episcopo sacris undis baptismalibus madefactus (q), cum monachatum profiteretur (r), & aliquandò

apud

(a) *S. Aug. ep. 148.*

(b) *Possid. vit. S. Aug. c. 4.*

(c) *Idem loc. cit. c. 8.*

(d) *Cælest. PP. I. ep. 3. c. 3.*

(e) *Vid. infra to. 3. c. 8. n. 1.*

(f) *S. Ambros. ep. 36. Auson. ep. 2.*

(g) *Baron. anno 394. n. 78.*

(h) *S. Paulin. ep. 5. ad Sever.*

(i) *Auson. epistola 20.*

(l) *Idem epist. 2. & 24.*

(m) *Baron. an. 394 n. 82.*

(n) *S. Greg. dialog. l. 3. Baron. an. 431. num. 192. & an. 394. n. 72. & 92.*

(o) *Petr. Annati appar. ad Positiv. Theol. l. 4. art. 29.*

(p) *Uran. vit. S. Paulin. ap. Surium 22. Jun.*

(q) *Vit. S. Paulin. p. 9. 6. pueritiam, est post ejus opera.*

(r) *Ibidem par. 2. §. sed hic.*

apud Barcinonem versaretur, à Lampio Barcinonensi ad sacrum Presbyteratus ordinem est assumptus, reluctans, & expresè protestans, se neque illi, neque alteri Ecclesiæ, velle affigi, sed semper in suâ nativâ libertate integraliter permanere. Rem totam aureo suo calamo, in epistolâ ad Amandum, ipse describit: *Cum prò meritorum meorum conscientiâ recusarem, vel potiùs non auderem recipere, ego vermis, & non homo, vi subitâ invitus, quod fateor, adstrictus, & multitudine strangulante compulsus, quamvìs cuperem calicem ipsum à me transire, tamen necesse habui dicere Domino, verùm non mea voluntas, sed tua fiat. Cum præsertìm ipsum de se Dominum dixisse legerem, filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (a).

(a) S. Paulin. epist. 23.

27. Expresè autem protestatum fuisse Paulinum, se Barcinonensis Ecclesiæ absolutè nolle affixione vinciri, imò & nullius omninò Ecclesiæ se velle vinculis alligari, ipse de se scribit ad Severum: *Ea conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer in Sacerdotium Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus* (b). Barcinone post annum, Romam proficiscens Mediolanum appulit (c), vel, ut aliis placet, Florentiæ S. Ambrosium invisit (d), qui eum in Mediolanensem Clerum cooptare fategit, ut illum aliquandò haberet sui Sacerdotii successorem. *Quod mihi indicasti*, scribit ad Alipium, *jam de humilitatis meæ nomine apud Mediolanum te didicisse, cum illic initiareris, fateor curiosiùs me velle condiscere, ut ex omni parte noverim, quò magis gratuler, si à suspiciendo mihi patre nostro Ambrosio, vel ad fidem invitatus es, vel ad sacerdotium consecratus, ut eundem ambo habere videamur auctorem, nàm ego, & si à Delphino Burdigale baptizatus, à Lampio apud Barcinonem in Hispaniâ per vim inflatæ subitò plebis sacratus sim, tamèn Ambrosii semper, & dilectione ad fidem nutritus sum, & nunc in sacerdotii ordine confoveor. Deniquè suo me Clero vendicare voluit, ut etsì diversis locis degam, ipsius presbyter censear* (e). Romam subindè perrexit, ubi Siricii Papæ animum parum in se acclinem expertus, improbantem subitam laicorum in sacerdotes promotionem (f), aliquorumque ex Clero passus invidiam, utrorumque irritamenta declinans, ad Fundanos se contulit, ubi & Ecclesiam ædificavit (g): Mox in agro Nolano constitit, undè tandèm ad illius urbis viduatas infulas est promotus (h). Infestum inquam habuit Siricium Papam, de quo ad Severum scripsit, *pleniùs indicare poterunt conservi nostri pueri tui, quantum nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Urbici* (idest Siricii) *Papæ superba discretio* (i), Sed tantundem sibi benevolum, & fautorem expertus est Anastasium Pontificem successorem, qui de eo in Campania consistente, Episcopis illius tractus, literas commendatitias direxit, & eum ad limina Apostolorum proficiscentem *blandè, & honorificè accepit* (l).

(b) Idem epistola 6. ad Severum.
(c) Baron. an. 394. n. 88.
(d) Flias du Pin. Bibliothec. Eccles. to. 3. in S. Paulin.
(e) S. Paulin. ep. 45. ad Alipium.
(f) Vit. S. Paulin. p. 34. Mediolano post ejus opera.
(g) S. Paulin. ep. 12. Baron. an. 394. 92.
(h) Uran. in vit. S. Paulini ap. Surium.
(i) S. Paulin. ep. 1. ad Severum.
(l) S. Paulin. ep. 16.

28. In hac ergò brevi rerum serie quatuor simul Patres habemus, causæ nostræ advocatos, *S. Paulinum*, qui origine Aquitanus, & patria Burdegalensis, vel Hebromagiensis, licèt Barcinone in Hispaniâ, Mediolani in Insubriâ, & Nolæ in Campaniâ, toto cælo esset extraneus, tamèn in primæ urbis Ecclesiâ presbyteratum; in secundâ conscriptionem clericalem, quam dicere possumus, quodammodo Canonicatum; in tertiâ Episcopatum suscepit, & in singulis stipendia suo ordini respondentia adipiscens, proculdubiò ter beneficia ecclesiastica obtinuit in locis, à quibus erat extraneus, & in quorum duobus noluit personalitèr permanere. *Lampium* Barcinonensem, qui Paulinum, etsì aliundè natum, etradiœcesanum, extraprovincialem, & extranationalem, non dubitavit ad presbyteratus ordinem promovere, & stipendiis presbyteralibus munerare. *Ambrosium* Mediolanensem, qui Paulinum extradiœcesanum, extraprovincialem, & extranationalem, suo Clero aggregavit, ut ipsius presbyter censeretur, & stipendia presbyteralia sortiretur. *Alipium* tandèm Tagastensem in Africâ, quem dicit D. Paulinus fuisse in Mediolanensi Ecclesiâ à Divo Ambrosio initiatum.

29. Deest hic Contradictoribus perfugium referendi promotionem Paulini necessita-

cessitati: quià nulla inesse poterat Lampio necessitas presbyteratu augendi Paulinum, Uxoratum, & reluctantem: nullaque Ambrosio eundem, Mediolano transeuntem, suæ Ecclesiæ Presbyterorum albo scribendi: *Repentina vi multitudinis correptus, & presbyteratu initiatus sum, fateor invitus; non fastidio loci, quià, & ab Æditui nomine, & officio optavi sacram incipere servitutem*, scribit de se ipso Paulinus idem ad Severum (*a*). Porro si invitus promovebatur, si extranei promotio transgressionem divini, naturalis, & humani juris involuebat, in sententia Contradictorum; ecquæ necessitas aderat Paulinum ordinandi, & in eo indigenatus jura calcandi? Nec justificabatur promotio *ex multitudinis strangulantis impulsu* (*b*), quià, ut supra innuimus in Augustino, *docendus est populus, non sequendus* (*c*), vel ut scripsit Stephanus Papa Romano Archiepiscopo Ravennati, *sacerdotum est electio: & fidelis populi consensus adhibendus est, quià docendus est populus non sequendus* (*d*).

30. Deest pariter Contradictoribus involucrum, quo possint extraneum in indigenam transformare, proponendo, quod Paulinus per acceptationem presbyteratus, & presbyteralium stipendiorum in Ecclesiâ Barcinonensi, & per conscriptionem clericalem, seù canonicatum in Ecclesia Mediolanensi susceptum, factus sit de Gallo Hispanus, & Insuber de Aquitano, seù de extraneo sit in utraque Ecclesia factus indigena: nàm cum Lampio Barcinonensi verbis, & Ambrosio Mediolanensi operibus declaraverit, se nolle eorum Ecclesiis affigi, neque apud illos personaliter residere; quomodò, quæso, potuit inibi indigenæ conditionem sortiri? Et hanc indigenæ qualitatem, quomodò, amabò, potuit simul, & semel in duabus Ecclesiis tenere, tàm dissitis, & longinquis, quantùm utrimquè distant, Italia, & Hispania: Insubria, & Catalonia: Mediolanum, & Barcino? Unum ergò ex his omnibus est concludendum, D. Paulinum, & voce, & factis, docuisse quod quintò Christi Sæculo poterant extranei ad ordines promoveri, & consequenter etiam ad beneficia ecclesiastica, quorum quilibet promotus est capax. Et cum nulla ex tunc fuerit in Ecclesiâ Dei facta mutatio quoad bonorum Ecclesiæ distributionem (licèt quoad ordines res alitèr se habeat) infertur, liberum esse nunc prout tunc erat, Ecclesiæ ipsa bona, seù beneficia prò ejus libito non modo indigenis, verum etiam extraneis impertiri.

31. *Hilarius Arelatensis* natione Gallus, professione Monachus, & indè Episcopus Arelatensis, dictus à S. Eucherio Lugdunensi, vir clarus eloquio, clarus ingenio, præferensque annis juvenem, & moribus senem (*e*), post mortem tantam existimationem adeptus est, ut meruerit appellari, *gemma sacerdotum, plebisque, orbisque magister* (*f*). Eum ingentibus laudibus affecerunt S. Prosper Aquitanus (*g*), S. Honoratus Massiliensis (*h*), idem S. Eucherius Lugdunensis (*i*), Ado Viennensis (*l*), & alii: viteque sanctitate, & doctrinâ eximiè floruisse, omnibus notum est: vixit ad annum Christi 441. Hic intèr cætera sui calami monumenta, vitam S. Honorati Arelatensis, ejus immediati Antecessoris conscripsit, quem Patroclo successisse innuit, patriamque habuisse non Arelatem, uti censet Baronius (*m*), sed aliam urbem sibi communem, quæ potuit esse vel Nicomedia, vel Tullum, vel Matiscona, vel alia extra Provinciam Narbonensem (*n*), dicitque fuisse monachum Lerinensem, ac primum, qui illam insulam, pulsis serpentibus, habitaret, erecto ibi celebri monasterio, undè velut è quodam seminario permulti, & eximii Episcopi prodiere (*o*), clamante de illâ S. Cęsario, *beata, & felix insula Lerinensis, quæ cùm parvula, & plana esse videatur, innumerabiles tamen montes ad cælum misisse cognoscitur. Hæc est, quæ eximios nutrit monachos, & præstantissimos per omnes provincias erogat sacerdotes. Ac si quos accipit filios, reddit patres: & quos nutrit parvulos, reddit magnos, quos velut tyrones accipit, reges facit* (*p*). Ad hoc idem monasterium ipse S. Honoratus traxit Hilarium, & uterque indè successive Episcopale decus Arelatæ tenuere extrà patriam, atque extra nativam Provinciam.

(a) *S. Paulin. ep. 6. ad Sever.*

(b) *Idem ep. 23. ad Amandum.*

(c) *Cap. docendus 2. dist. 62.*

(d) *Cap. nosse 12. dist. 63.*

(e) *S. Eucher. ad Salon in præf. l. quæst. vet. & nov. testam.*

(f) *Petr. Annati appar. ad posit. Theol. l. 4. art. 20.*

(g) *S. Prosp. de vit. Cont. l. 2. c. 9.*

(h) *Gennad. de vir. illust. c. 99.*

(i) *S. Eucher. ep. ad Valerian.*

(l) *Ado in Chron. an. 458.*

(m) *Baron. an. 445. n. 20.*

(n) *Vincent. Salern. in Chronol. SS. insul. Lerin. folio 34.*

(o) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 2. c. 42. n. 2. 10. 12. & l. 3. c. 7. n. 1. & c. 12. n. 6. & 12. & c. 15. nu. 3. & c. 24. n. 3.*

(p) *S. Cæsar. Arel. homil. 25.*

32. Mo-

32. Monachatus, ut jam alibi suprà diximus, inter beneficia ecclesiastica numerantur (*a*), & sic tàm S. Hilarius, quàm ejus antecessor S. Honoratus, monachatum suscipientes in cœnobio Lerinensi, quod Diœcesi Forojuliensi suberat (*b*), & in provincia Aquensi situm erat; beneficium ecclesiasticum nacti sunt in loco, à quo erant extranei. Rursùs iidem, monasterio Lerinensi per professionem monachalem affixi, inceperunt esse illius indigenæ, & alibi extranei; Et sic ab eodem monasterio ad Archiepiscopatum Arelatensem promoti, beneficium Episcopale susceperunt in loco, à quo erant extranei: quarè vel in monachatu assumendo, vel in assequendo Episcopatum, vel utrâque vice, beneficium ecclesiasticum adipiscentes in locis, à quibus erant extranei; proprio facto docuerunt, licitè posse fieri, quod fecerunt; posse nempè beneficia ecclesiastica, & extràdiœcesanis, & extraprovincialibus opportunè concedi. His accedit, quòd S. Honoratus, à S. Hilario laudatus, in Episcopatu Arelatensi successit Patroclo, qui eandem Ecclesiam tenuit, licèt ab illâ esset extraneus. Perrexerat enim Patroclus ex Italiâ in Gallias cum Constantio Duce imperialis exercitus, quem Honorius Imperator illùc direxerat adversùs Constantinum Tyrannum, qui Imperiale sibi decus, & purpuram usurpaverat (*c*), Tyrannoque extincto, Constantius Erotem Arelatensem deposuit, ac ei Patroclum familiarem suum substituit (*d*). Itaque Patroclus ab Ecclesia Arelatensi, non solùm erat extradiœcesanus, & extraprovincialis, sed etiam extranationalis; habemusque hìc in unum collecta duplicata, & triplicata exempla admissionis extraneorum ad ecclesiastica beneficia, sententiæ nostræ suffragantia, de iisdem ad eam admittendis.

(a) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1 l. 3. c. 13. n. 1.*

(b) *Idem p. 1. l. 3. c. 16. n. 16.*

(c) *Baron. an. 411. n. 37.*

(d) *Idem an. 412. n. 40.*

33. Nec omittendum est, quod Hilarius, dùm Archiepiscopali munere fungeretur, cuidam Projecto, Episcopo provinciæ Viennensis, successorem dedit virum extraneum, aliundè in illa Ecclesia introductum; quem S. Leo Papa I. scriptis literis improbavit, non tamèn quià extraneum, sed primò, quià Projecto Episcopo adhuc viventi superintrusus fuerat. Secundò quià cum tunc vigerent electionis canonicæ jura; novus ille Episcopus non fuerat à clero, neque à populo suæ Ecclesię designatus, sed ipsis reclàmantibus, & eum tamquam virum ignotum refutantibus introductus. Tertiò quià cum provincia Viennensis Arelatensi Metropoli non subesset, juxtà decretum aliàs editum in Synodo Taurinensi (*e*), ad Hilarium non pertinebat novum Episcopum Ecclesiæ Projecti præficere; quamquàm Patroclus Arelatensis jam pridem incepisset hoc sibi jus in aliis provinciis arrogare (*f*). Audiendus est S. Leo, ità ad Episcopos Provinciæ Viennensis scribens, *Fratris, & Coepiscopi nostri Projecti querela successit, cujus ad nos literæ lacrymabiles, & dolendæ desuper ordinato sibi Episcopo, sunt directæ. Epistola quoque ingesta est civium ipsius, & numerosa subscriptione singulorum firmata, invidiosissimis contrà Hilarium plena querimoniis, quod Projecto Episcopo suo ægrotante, liberum non fuisset, ejusque sacerdotium in alium, præter suam notitiam esse translatum, & tamquàm in vacuam possessionem ab Hilario perversore heredem viventis inductum. Quid hic fraternitas vestra sentiat cuperemus audire, quamquam de vestris animis nostra non debeat sententia dubitare, cum fratrem in lectulo constitutum, non tàm infirmitate corporis aggravari, quàm alio videatur dolore torqueri.*

(e) *Concil. Taurin. c. 1.*

(f) *S. Prosper. in Chronic. an. 5. Honor. Imp.*

34. Pergit D. Leo, & subsequitur, *Esto ut brevis fratri evenerit humanæ conditionis consueta migratio, quid sibi Hilarius quærit in alienâ provinciâ, id, quod nullus decessorum ipsius, aut Patroclus habuerit, cur usurpat, cum & ipsum, quod Patroclo à Sede Apostolicâ temporaliter videbatur esse concessum, postmodùm sit sententiâ meliore sublatum: expectarentur certè vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt regulas custodiri &c. Sed insperatus nescientibus supervenit, & improvisus abscessit, cursu, ut didicimus, celeri itinera multa conficiens, & per longinquas provincias tantâ immaturitate discurrens, ut videatur*

deatur gloriam de sæcurili velocitate potiùs, quàm de sacerdotali moderatione captasse &c. (a). Ità S. Leo, alios defectus in provectione Episcopi, Projecto per D. Hilarium subrogati notat, ejusdem tamèn extraneitatem non impugnat, cujus certè momenta improperare non omisisset, si extraneitas divino, naturali, & humano jure à beneficiis ecclesiasticis repulisset. Undè apparet, tùm ex Divi *Hilarii*, tùm ex D. *Leonis*, atquè *Patrocli*, & *Honorati* dictis, & factis, libertatem Ecclesiæ in conferendo beneficia viris etiam extradiœcesanis, & extràprovincialibus, imò & extranationalibus quinto Christi sæculo substitisse. Quibus adde, S. Hilarium habuisse fratrem nomine *Bonnadium* Episcopum Remensem: adeòque, si ex duobus fratribus germanis alter in unâ, & alter in alterâ provinciâ episcopale beneficium obtinuit, à quarum saltèm alterutrâ oportebat unum eorum esse extraneum; quis neget beneficia tunc debita fuisse, & respectivè nunc esse, non modò clericis indigenis, verùm etiam extraneis?

35. S. *Cæsarius*, natione Gallus, professione monachus, dignitate Episcopus Arelatensis, vir doctrinâ, & sanctitate conspicuus fuit, quem Symmachus (b), & Hormisda Pontifices gratissimum habuerunt (c): Theodoricus Gothorum Rex impensè veneratus est (d), & Ennodius Ticinensis amplè laudavit (e): indèque etiàm celebris, quòd præfuit Conciliis Agathensi (f), Vasensi (g), Carpentoractensi (h), Arausicano II. (i), Arelatensibus II., & III. (l): floruitque anno Christi 449. uti censet Cardinalis Bellarminus (m). Hic primò à S. Sylvestro Episcopo Cabilonensi attonsus, & in clero suæ Ecclesiæ conscriptus est (n): deindè ad monasterium Lerinense transgressus, ibidem vitæ cœnobiticæ operam dedit (o): posteà jussu S. Porcarii sui Abbatis Arelatem profectus, in eâ urbe sub Juliano Pomærio doctissimo Africano literarum studiis incubuit (p): demùmque post Eonium Arelatensibus infulis est ornatus (q). Hoc satis esset ad suffragium causæ nostræ ab hujusmodi sancto Antistite captitandum, recurrente hic totalitèr argumento, quòd mox ex iis, quę de S. Hilario Arelatensi allegavimus, fuit propositum. Et certè si S. Cæsarius primo clericatum in Ecclesiâ Cabilonensi suscepit, 2. monachatum in cœnobio Lerinensi professus est, & 3. episcopatum Arelatensem pervenit; & à primâ, & à secundâ, & à tertiâ Ecclesia fuit extraneus, & respectivè extraprovincialis. Cumque idem esse contendatur, ordines, & beneficia sacra suscipere, jam S. Cęsarius beneficium, tàm in Cabilonensi, quàm in Lerinensi, & Arelatensi clero adeptus, facto suo docuit, licitè extraneos, non minùs, quàm indigenas posse, beneficiis ecclesiasticis insigniri.

36. Audivimus paulò suprà doctrinam sancti hujus Doctoris, qua monasterium Lerinense laudat, in Diœcesi Forojuliensi fundatum, viris sapientiâ, & sanctitate pręclaris, tàm exuberantèr affluens, ut ex eo complures Episcopi hàc illàc per Ecclesias, S. Sidonio Apollinari teste, sè infuderint (r): primis quippè ab ejus erectione sæculis, vix reperire est in Gallicanis provinciis Episcopos, qui ab isto sanctissimo cœnobio non sint extracti (s). In hoc autem Episcoporum seminario educatus etiam ipse S. Cęsarius, illud aliquàndò sic per Apostrophen est locutus: *Beata, & felix insula Lerinensis &c., quæ eximios nutrit monachos, & præstantissimos per omnes provincias erogat sacerdotes &c. Et licet reliquos ad virtutum culmina evexerit, à mè tamèn, quià cordis mei duricia contradicit, omnes negligentias auferre non potuit, & ideò cum omni humilitate supplico, & tota cordis contritione deposco, ut quod negatur meis meritis, vestris orationibus suppleatur* (t). Encomia igitur indè Cæsarius texit insulę Lerinensi, quòd suos monachos in Episcopos verteret, ac omnibus Ecclesiis insignes dans pastores, in hos beneficia Episcopalia transfunderet, qua de rè etiam infrà sermo erit (u). Exteri autèm proculdubio, extradiœcesani, extraprovinciales, & aliquandò etiàm extranationales erant monachi Lerinenses ab Ecclesiis, ad quorum summum sacerdotium transibant, & tamen S. Cæsarius in titulum laudis computat, quòd percelebres hi cœnobitę hàc illàc per Ecclesias episcopale decus assumerent. Quid autèm est hoc, nisi intimâ locu-

(a) *S. Leo ep.68. in medio.*

(b) *Baron. ann. 505. n.13 & 15.*
(c) *Idem an. 518. n 84*
(d) *Idem an. 508. nu 11. & 12.*
(e) *Enod. Ticin. epist. ad S. Cæsar.*
(f) *Ex Act. Concil. Agath*
(g) *Ex Act. Concil. Vasens.*
(h) *Ex Act. Concil. Carpentoract.*
(i) *Ex Act. Concil. Arausi.2.*
(l) *Baron. ann. 524. num. 4.*
(m) *Bellarm. d. scri-pt. Eccl. in S. Cæsar.*
(n) *Idem in Martyrolog. Rom. die 20. Nov.*
(o) *Baron. ann. 524. num. 5.*
(p) *Idem ibi n. 7.*
(q) *Idem loc. cit.*

(r) *Vid. Thomassin. vet. et nov. Eccl. discip. p.1. l.3. c.12. n.6.*
(s) *Baron. ann. 524. num. 5.*

(t) *S. Cæsar. hom 25*

(u) *Vid. infr. tom.3 cap.12. à n 16.*

tione monere, inesse Ecclesiæ libertatem beneficia sacra etiam extraneis conferendi? Et quid nisi, sententiâ nostrâ approbatâ, disertis vocibus perorare, liberum, & licitum esse Ecclesiæ, in primisque Summo Pontifici, necnon & Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, ecclesiastica beneficia non modò clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri?

CAPUT X

In quo eadem libertas Ecclesiæ, in conferendo Sacras Præbendas, & Ecclesiastica Beneficia, non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis, probatur auctoritate Conciliorum Africanorum II., & III. *ac* Ephesini, *atque* Chalcedonensis, *necnon successuum* Perigenis *Corinthiensis*, & Hermetis *Carbonensis*, *qui hoc* quinto Christi Sæculo *contigère.*

SUMMARIUM.

1 *Ex gestis Sanctorum Patrum, & decretis Conciliorum, quæ quinto Christi Seculo sunt celebrata, probatur libertas Ecclesiæ munerandi beneficiis etiam Clericos extraneos.*

2 Concilium Africanum II. *jussit scribi literas Papæ, ac Venerio Mediolanensi, ut in Africam clericos mitterent, Ecclesiis præficiendos, nec id facere adegit necessitas.*

3 *Erant in Africâ tunc temporis multa monasteria virorum, è quibus desumi poterant monachi, & præfici ecclesiis, si jura restitissent extraneis.*

4 *Ibi quoquè aderant monasteria, quæ S. Augustinus erexerat, & è quibus Ecclesiæ Africanæ solitæ erant clericos sumere, nec erat necessitas accersendi extraneos.*

5 *Si defuissent monachi, & clerici, debuissent laici Africani ordinari, potius quam accersiri extranei; si hos promovere crimen involueret.*

6 ConciliumAfricanum III. *decrevit recipi clericos Donatistas undecumque venientes, modo hæresim abjurantes, in eo gradu apud Catholicos, quo erant apud Hereticos.*

7 *Si admittendi erant Donatistæ, nedum ortu, sed etiam Schismate extranei ab Ecclesiis Catholicis; multò magis admittendi sunt clerici solâ origine extranei.*

8 Concilium Chalcedonense *generale* IV., *vetat, ne quis ex uno Clero, ad alium se recipiat, sinè sui Ordinarii consensu, quo accedente, transire potest.*

9 *Hoc igitur Concilium extraneis favet, quia clericus, de unâ ad aliam Ecclesiam translatus, vel à primâ, vel à secundâ, est extraneus.*

10 *Nec interdicit Concilium clerico translato stipendia prioris Ecclesiæ suscipere, quia non ei ministret, sed quia sapit negotiationem binas præbendas possidere.*

11 Hermes *Biterrensis à suis subditis repudiatus, Narbonensi Episcopatu insignitus est. Restitit ei ab initio Hilarius Papa. Indè conditionalitèr assentitus est.*

12 *Hermes nec à Biterrensibus refutatus fuit, quia esset extraneus, nec in solio Narbonensi*

bonensi sedere permissus, quia ibi esset indigena.

13 *Hoc eodèm sæculo accidit* Perigenem *refutari à Patrensibus, & deindè præfici sedi Corinthiensi, auctoritate Bonifacii Papæ I.*

14 *Perigenem Papa à vinculo Patrensis sedis absolvit, & ad Cathedram transtulit Corinthiensem, referens eventum ad peculiarem Dei providentiam.*

15 *Translatio Perigenis fuis ab aliquibus impugnata. Facta est, vel immediate à Papa, vel mediatè per ejus Vicarium, qualis esse solebat Archiepiscopus Thessalonicensis.*

16 *Bonifacius Papa, Rufus Primas, Archiepiscopus Corinthiensis, Perigenes, Concilium, Clerus demùm, & Populus Corinthi, in hoc eventu faverunt extraneis.*

17 *Patrenses non refutarunt Perigenem quà extraneum, sed quà illegitimè promotum: Sedes Patrensis se esse obtendebat Corinthiensi non subditam.*

18 *Accessit inconfidentia Patrensium cum Perigene. Canones jubent nullum præfici invitis. Plures Episcopi refutati fuerunt, propter quos etiàm plura edita sunt Concilia.*

19 *In Concilio* Ephesino *lecta est epistola S. Cælestini PP. I: quâ laudat Nestorium, eo quod ab alienâ Ecclesiâ fuisset desideratus in Præsulem.*

20 *Laudans Cælestinus Nestorium, quod eum patriæ suæ invidisset aliena Civitas, obturat os Contradictorum, excludentiùm, extran os.*

21 *Instans Episcopi Europæ in Concilio Ephesino, ut eis fas esset retinere plures episcopatus, ubi sic ferebat consuetudo.*

22 *Illi episcopatus non erant simul uniti. Tamèn Concilium definivit, ne utrorumque possessio illis auferretur, qui eisdem præfuerant.*

23 *Aliis rationibus ostenditur, quod episcopatus præfati non erant inter se uniti, sed divisi: adeòque Prçsules, qui eisdem præerant, necessario, vel ab uno, vel ab altero ipsorum erant extranei.*

24 *Aureum decretum* nihil annovetur *edidit etiam Stephanus PP. I. in causa rebaptizantium. Concilium Ephesinum adhibuit pro ratione suæ definitionis antiquam consuetudinem, quam dixit vim legis habere.*

1. VSQUE nùnc ex doctrinâ, & gestis plurium Sanctorum Patrum, qui per *quintum Christi Sæculum* in Ecclesiâ rutilarunt, abunde patefecimus, quod ipsa Ecclesia, hoc eodem tempore decurrente, totali, & integrâ libertate potita est conferendi sacras prębendas, & ecclesiastica beneficia, non modo clericis indigenis, verùm etiàm extraneis. Nunc eandem libertatem probemus auctoritate Sacrorum Conciliorum, quæ per eandem ætatem celebrata sunt, ut tale inde robur sententiæ nostræ conciliemus, quale suis decretis afferre possunt, & solent, Sacra Concilia, in Dei nomine congregata, qui eorum confessibus pollicitus est, *ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (a), idest, ut explicat doctissimus Cornelius, *ibi assisto, cooperor, & dirigo eorum consilia* (b), ut vera pronuntient, sana decernant, utilia proponant, & consentanea semper sacræ disciplinæ constituant. Concilia autem ipsa sunt, quæ sequuntur.

(a) *Matth.* 18.20.

(b) *Cornel à Lap in Matth.* 18.20.

2. Concilium *Africanum II.* (ità communiter appellatum, quamquam ei plura alia Concilia Africana præcesserint) Carthagine in Africâ celebratum est anno Christi 401. die 18. Junii, tempore Anastasii Papæ I. & Arcadii, atque Honorii Imperatorum, præside Aurelio Carthaginis Archiepiscopo (c). In hoc Concilio communibus Patrum votis literæ Synodales ad Romanum Pontificem, atque ad Venerium Episcopum Mediolanensem sunt directę, orantes eos, ut dignarentur Ecclesiæ Africanę, clericorum inopiâ laboranti, sacros ministros ex Italia transmit-

(c) *Baron. an.* 401.*n.* 5.*Binius Bail. Coriolanus in Conc. Afric.* 2.

tere (*a*). Poſtulationi autèm Concilii tàm Venerius, quàm Pontifex acquievere, miſſiſquè in Africam clericis Italis, opportunitati Eccleſiarum illarum ſubſidia petita contulere (*b*). Audit hic ergò lector, & Epiſcopos Africanos poſtulando, & Venerium Mediolanenſem, atquè Anaſtaſium Romanum Pontificem clericos Italos concedendo, ut Eccleſiis Africæ insererentur; ſententiam, quam defendimus tenuiſſe, licere ſcilicèt beneficia eccleſiaſtica nedum indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri. Nec dicatur hoc ideò factum eſſe ab ipſis Patribus, & Concilio, quià neceſſitas id exigeret, nullis canonum vinculis alligata, ſed potiùs obligans Eccleſias ad ſubſidia ſibi mutuò conferenda; Nàm familiare eſt antiquis canonibus, ad ſignificandam utilitatem, uti voce neceſſitatis, quemadmodum jam advertimus, & alibi etiam non ſemèl advertendum occurret. Præthereà hæc præſumpta neceſſitas non aderat, & imò nec adeſſe poterat, ſaltèm talis, cui alio modo non poſſet occurri, quàm per inſertionem clericorum Italorum in Eccleſiis Africanis. Etenim licet habeatur in Concilio Hipponenſi, *tantùm autem inopiæ clericorum patiuntur Eccleſiæ, ut quædam loca omninò deſerta ſint* (*c*), tamen hæc indigentia ad ſolas aliquas Eccleſias erat reſtricta, & non ad omnes Africanas diffuſa, ut opus eſſet clericos uſquè ab Italiâ poſtulare, nec erat talis, cui non poſſet per indigenarum provectionem occurri.

3. Si quidem in Africa tunc aderant monaſteria non pauca, de quibus fit mentio in operibus D. Auguſtini (*d*, & in Concilio Carthaginenſi IV. triennio antè celebrato, hac ſanctione: *Itèm placuit, ut ſi quis de alteriùs monaſterio repertum, vèl ad clericatum promovere voluerit, vèl in ſuo monaſterio majorem monaſterii conſtituere, Epiſcopus, qui hoc fecerit à cæterorum communione ſejunctus, ſuæ tantùm plebis communione contentus ſit, & ille neque clericus, neque præpoſitus perſeveret* (*e*). Si ergò tempore Concilii Africani premebatur Africa inopiâ clericorum, huic poterat occurri aſſumptione monachorum. Et ſinè dubio ſi beneficiorum collatio extraneis facta eſſet contraria juri naturali, & divino, ut autumant Contradictores, oportebat potiùs vocare ad ordines, & ſtipendia clericalia, ſeu ad beneficia eccleſiaſtica, monachos indigenas, quàm clericos extraneos, transmaria, & montes, per Italiam expiſcatos: Nedum autèm monachi non fuerunt ad clerum Eccleſiarum indigentium vocati, ſed imò fuit eis prohibitum clericatum, & miniſteria ſacra extrà proprium monaſterium adipiſci: ſignum eſt ergò, quod Africanæ Eccleſiæ non laborabant inopiâ tali clericorum, quę neceſſitatem proſpiceret, ſed quæ ad commoditatem tantùm, & opportunitatem ſe referret.

4. Rursùs florebant tunc temporis in Africa plura monaſteria, ſeù collegia clericorum, ſeù monachorum, à D. Auguſtino erecta, qui presbyteratu ſumpto circà annum Chriſti 391. *factus presbyter*, ait Poſſidius, *monaſterium intrà Eccleſiam mox inſtituit, & eum Dei ſervis vivere cæpit* (*f*). Mox circà annum 395. Epiſcopatu ſumpto urbis Hipponenſis, à quâ erat extraneus, utpotè Tagaſtenſis, in Epiſcopio aliud monaſterium clericorum, ſecum viventium, erexit, ut ipſe teſtatur, *volui habere in iſtâ domo Epiſcopi mecum monaſterium clericorum* (*g*), qui clericalis cætus, viris indigenis, & nationalibus, doctrinâ, & probitate celebribus, abundabat: undè Eccleſiæ, clericis, & prępoſitis indigentes, poterant ſuæ opportunitati conſulere, prout de facto plures Eccleſias indè accepiſſe clericos, & Epiſcopos, refert ipſe Poſſidius, dicens, *proficiente doctrinâ divinâ ſub ſancto, & cum ſancto Auguſtino in monaſterio Deo ſervientes Eccleſiæ Hipponenſi clerici ordinari cæperunt &c. Ac deindè innoteſcente ſanctorum ſervorum Dei propoſito, continentiâ, & paupertate profundâ, ex monaſterio, quod per illum eſſe, & creſcere cæperat, accipere Epiſcopos, & clericos, pax Eccleſiæ, atque unitas cæpit primò, & poſteà conſecuta eſt. Nàm fermè decem Auguſtinus Eccleſiis dedit, &c. Et ipſi, & illorum ſanctorum propoſito venientes monaſteria inſtituerunt, & cæteris Eccleſiis promotos fratres ad ſuſcipiendum ſacerdotium præſtiterunt* (*h*).

5. Et

(a) *Vid. Conc. Afric. ap. Labbè Binium, & Basl. & Coriolanum.*
(b) *Card. Baron. loc. cit.*
(c) *Conc. Hipponenſ. ann. 391.*
(d) *S. Aug. l. un. de oper. Mon. in proœm. to. 3. & alibi.*
(e) *Conc. Carthag. 4. cap. 35.*
(f) *Poſſid. vit. S. Aug. cap. 5.*
(g) *S. Aug. ſer. 49. de diverſ.*
(h) *Poſſid. vit. S. Aug. cap. 11.*

5. Et quatenùs etiam in Africâ non adfuissent monachi, vel clerici nationales, per egentes Ecclesias dispergendi, aderant tamèn Episcopi, qui de die in diem poterant laicos clericatu insignire, & tot, quot illis opus erat ex propriâ regione, & diœcesi, ad ordines minores, & successivè ad majores, atquè ad animarum regimen, promovere: quippè, uti dictum est in Concilio III. Carthaginensi, per unum Episcopum, dignatione divina, presbyteri multi constitui possunt (*a*): Citràque dubium est, quod si de jure divino, & naturali, beneficia ecclesiastica solis indigenis essent tradenda, ut exaggerant Contradictores; deficientibus clericis indigenis, opus esset laicos indigenas ordinibus initiare, potiùs quàm clericos extraneos advocare, nè ab extraneis occuparentur bona, solis indigenis, ut supponitur, reservata. Igitùr Concilium Africanum, non intuitu necessitatis clericos, in Africâ locandos, ab Anastasio Papâ, & a Venerio Mediolanensi, popofcit, sed solo intuitu commoditatis, & opportunitatis: vel sicut suprà dixit Possidius, intuitu *unitatis, & pacis Ecclesiæ*, in quâ, præciso privilegio, nunquam considerata fuit ut exclusiva ab ecclesiasticis officiis, & beneficiis, distinctio hæc indigenæ, & extranei, & ideò Patres Concilii Africani, licèt potuissent clericos, vel laicos indigenas promovere; attendentes tamèn ad unitatem, & concordiam ecclesiasticam, quę quantumvìs per plures orbis plagas dispersa, semper est una, clericos ab Ecclesiis Italicis postularunt, suoque facto firmarunt, licitum, fuisse, ac esse admissionem extraneorum, tunc ad ordines, & clericalia stipendia, nunc verò, & si non ad ordines (ob supervenientiam novarum legum, eorum susceptionem vetantium) tamèn ad clericalia stipendia, seù quod idem est, ad ecclesiastica beneficia.

(a) Conc. Carthag. 3. cap. 45.

6. Concilium *Africanum III.* (ità communitèr dictum (*b*), quamquam in ordine Africanorum tertium esse non videatur) Carthagine in Africâ celebratum est anno Christi 401. idibus Septembris, tempore Anastasii Papæ I. & Arcadii, atquè Honorii Imperatorum, ubi concordi Patrum, inibi considentium, voto, statutum est, ut liceret Episcopis clericos Donatistas, undècumque ad se venientes, hæresi, ac schismate abjurato, prò eorum arbitrio, & voluntate suscipere in ipsis ordinibus, in quibus apud suas pseudoecclesias ministraverant: & quod hac de re Synodicæ dirigerentur literæ tùm Anastasio Papę, tùm aliis Episcopis transmarinis, ut eorum quoque assensu probarent hęc, quæ ob totius Africæ pacem, jam ferè per centum annos à Donatistis laceratæ, fuerant Synodalitèr constituta (*c*): Decretum est, inquit Bail, *ut quo faciliùs ad pacem, & unitatem Ecclesię schismatici redeant, ab Anastasio Pontifice, aliisque transmarinæ Ecclesię Episcopis, prò bono pacis indulgeri, ac permitti petatur, ut Donatistę ad Ecclesiam Catholicam redire volentes, in iisdem ordinibus apud suos antè susceptis (si hoc recipiens Episcopus conducere existimat) perseverare possint. Hoc ipsum Anastasium Pontificem indulsisse, certum illud est argumentum, quod constet ex Augustino, contrà Cresconium lib. 2. c. 8. c. 11. & 12. Africanos Episcopos eâ potestate, sibi proculdubio concessâ usos fuisse* (*d*).

(b) Bail. Coriolanus Binius in hoc Concilio.

(c) Baron. ann. 401. num. 9.

(d) Bail. Sum. Conc. to. 1. in Conc. Afric. 3.

7. Donatistæ itàque, sivè in hac, sivè in aliâ diœcesi essent exorti, poterant à quocumque Episcopo suscipi, & suæ Ecclesiæ interseri, quantumvìs ab eâ essent, nedùm ratione originis, sed etiam ratione schismatis, extranei: bināque hac non obstante extraneitate, Anastasius Papa, & Episcopi transmarini, ac Ecclesiæ Africanę Antistites, tantò numero congregati, ut Concilium Generale totius Africę se crederent celebrare (*e*), censuerunt licere clericos, etiam ità extraneos, ut simul schismatis infectione corrupti essent, Catholicis Ecclesiis admittere, indultâ eis facultate, ut possent, & ordines adeptos exercere, & ad superiores gradus ascendere, & sportulas ecclesiasticas obtinere, & beneficia sacra nancisci. Quantò ergò magìs licitum esse censuerunt alienis clericis beneficia sacra conferre, quibus non vitium schismatis, sed sola extraneitatis exceptio posset opponi? Et notetur causa, quę Patres impulit ad decretum faciendum, & Papam, ac transmarinos

(e) Baron. ann. 401. num. 9.

rinos Episcopos ad assensum illi pręstandum. Causa, inquam, non fuit paucitas clericorum, in Africâ consistentium, quę coegerit Patres ad clericos tales, quales haberi poterant, admittendos, uti Contradictores, prò opportunitate suę causę, supponunt; quippè ex iis, quæ hìc suprà numero 3. allegavimus, hęc supposita inopia fundatissimè refutatur; sed fuit studium pacis, & Ecclesię tranquillitatis: quod si tantę tunc fuit efficaciæ, ut nedùm meros extraneos, sed etiam extraneos simul, & schismaticos visum sit Episcopis Africanis, & Italis, ipso duce Summo Pontifice, admittendos esse ad ordines, atquè ad stipendia clericalia, seù ad ecclesiastica beneficia; quantò magis sufficere nunc debet, ut clerici, soliùs extraneitatis exceptionem patientes, possint beneficia sacra adipisci; à quibus, dùm repelli se cernunt, pax Ecclesiæ apud omnes turbatur, quæ per multa sęcula plenâ libertate potita, conferendi beneficia, prò ejus libito, tàm extraneis, quàm indigenis, non potest nunc hac ipsâ libertate, sinè magnâ convulsione spoliari?

8. Concilium *Chalcedonense* Generale IV. Chalcedone celebratum est in Bithyniâ, ad Bosphorum Thracium, anno Christi 451. tempore Leonis Papæ I. & Imperatoris Marciani, intervenientibus in eo Episcopis 630. Vetuit, intèr alia, hoc Concilium pluralitatem beneficiorum: sed simul transitionem clerici, de unâ ad aliam Ecclesiam, approbavit: sic etenim definivit: *Non liceat clericum in Ecclesiis duarum civitatum ordinari, sed in eâ, in quâ ab initio ordinatus est, & cujus expetitio erat antè profugium. Et si proptèr vanæ gloriæ desiderium contigerit, ut post ad majorem Ecclesiam confugerit; eum indubitantèr revocari debet ad suam Ecclesiam, in quâ ab exordio ordinatus est, & ibi tantùm ministrare. Si quis verò translatus est ab unâ Ecclesiâ ad aliam, nihil habeat commune cumpriori, sivè sub Ecclesiâ constitutis Martyribus, sivè in Parochiis, vel Xenodochiis, aut eorum negotiis* (a). Verba canonis sunt ex se ipsis dilucida, vetantia transitum de unâ ad aliam Ecclesiam, & distinguentia intèr *confugere*, & *transferri*: itaùt confugere, propriâ spontè, ex levitate animi, & vanitate, sit interdictum; transferri verò, justâ de causâ, ac legitimâ intercedente superioris auctoritate, sit permissum. Quarè, vì dicti canonis, non est quidem permissum clerico ab Ecclesiâ, cui addictus est, proprio marte discedere, uti & alias diximus, atquè probavimus, & expresse decernitur in Concilio Constantinopolitano III. Generali VI. (b); At si legitima interponatur sui Superioris auctoritas, & permissio, optimè potest ad aliam Ecclesiam transferri.

(a) *Concil. Chalced. cap.* 10.

(b) *Conc. Constantinop.* 4. *cap.* 17.

9. Concilium igitur Chalcedonense, quod loqui patet de Ecclesiis diversarum Civitatum, dùm admittit transitum clerici de unâ ad aliam Ecclesiam, distinctarum Urbium, approbat sinè controversiâ provectionem Viri extranei ad ecclesiastica beneficia: siquidem talitèr translatus, vèl in primâ, vèl in secundâ Ecclesiâ, est proselytus: approbatâque per Concilium ex parte advenæ capacitate suscipiendi præbendas; approbata est etiam ex parte collatoris potestas eadem extraneis conferendi: sicquè stando præsentis canonis textui, apparet, tàm Papam, quàm cunctos Ecclesiæ Præsules, & Episcopos, omnesque alios, tum Ordinarios, tum Delegatos beneficiorum Collatores, sivè ad illa Nominatores, posse beneficia ecclesiastica, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri. Nec obest, quod Concilium Clerico, ut suprà translato, conditionem adiiciat, ut in secundâ Ecclesiâ intitulatus, à priori censeatur extraneus, primique beneficii stipendia, sivè reditus, deserat, & secundi solùm emolumenta suscipiat, *nihil habeat tandèm commune* cùm priori; hocquè ob istam rationem, quiâ non possit Clericus proventibus Ecclesiæ, cui non ministrat, potiri, quemadmodùm commentitiè interpretantur Contradictores.

10. Non inquam, hoc obest, neque ista est ratio, ob quam Clerico translato interdicitur se prioris beneficii fructibus immiscere: sed ratio est ea quæ sequitur, nempè quod percipere plurium Ecclesiarum, sivè beneficiorum proventus,

spe-

speciem habet negotiationis, uti declarat Concilium Nicænum II. hoc Decreto: *Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus Ecclesiis non collocetur: hoc enim est negotiationis, & turpis lucri proprium, & ab ecclesiasticâ consuetudine alienum &c. quæ enim propter turpe lucrum fiunt in ecclesiasticis negotiis, à Deo sunt aliena* (a). Et idcircò sacra Concilia Agathense (b), Claromontanum (c), Epaonense (d), Lateranense III. & IV. (e), Tridentinum (f), aliique canones (g), prohibent pluralitatem beneficiorum, nisi legitima dispensatio aliud permittat. Imò ex causâ, etiam sine dispensatione, pluralitatem beneficiorum compatibilium admittit, extrà Urbem Constantinopolitanam, præfatum Concilium Nicænum, addens: *In his autem, quæ extrà sunt locis, propter hominum inopiam permittitur.* Subsistit ergò robur Concilii Chalcedonensis, ejusque auctoritate firmatur libertas Ecclesiæ in conferendis ecclesiasticis beneficiis etiam viris extraneis.

11. Hoc eodem quinto Christi sæculo evenit id, quod de *Hermete* Biterrensi legitur in historiis. Vacante Ecclesia Biterrensi, Rusticus Archiepiscopus Narbonensis Hermetem ipsum illi præposuit in Antistitem (h), quo audito Biterrenses Hermetem repudiarunt, velut eis insciis, & non postulantibus consecratum, atquè contrà formam sacrorum canonum in eorum cathedrâ collocatum: diùque pendente intèr partes contentione, tandèm Rusticus obiit, & in ejus locum Hermes suffectus est. Utriquè autem Hermetis provectioni Hilarus Papa, tunc in Apostolico solio sedens, se opposuit (i). Et præsertim Narbonensem altis ejulatibus improbavit, scribens Leoni Archiepiscopo Arelatensi, *quod iniquissimâ usurpatione quidem Hermes Episcopatum civitatis Narbonensis execrabili temeritate præsumpserit* (l). Attamèn prò bono pacis, tandèm Hilarus promotionem Hermetis ad infulas Narbonenses, locum habere permisit, eâ lege, ut ordinandorum Episcoporum suæ provinciæ potestate careret, Constantio Ucetico Episcopo, & eo deficiente, seniori de comprovincialibus Episcopis commendatâ, quæ tamen Hermete defuncto, ad successores Narbonensis sedis Præsules remearet (m).

12. Censet Petrus de Marca, quod Hermes fuerit anteà Archidiaconus Narbonensis (n), & quamvìs id pavidè quodam modò pronuntiet, non deest tamèn fundamentum epistolæ S. Leonis Papæ ad præfatum Rusticum directæ, in quà Hermetem Archidiaconum Narbonensem commemorat (o). Utcumque res se habuerit, hoc unum est; quod vel Hermes erat Archidiaconus, sivè etiam clericus Narbonensis, vel non. Si erat, quomodo à principio præfectus est Ecclesiæ Biterrensi, à qua erat extraneus? Si non erat, quomodo posteremò ad Ecclesiæ Narbonensis cathedram est provectus, à quâ supponitur quod esset extraneus? Certè utrumque non potest aliâ ratione evenisse, nisi propter communem opinionem, in Ecclesiâ, quinto Christi Sæculo consistentem, quod nullâ attentâ originis distinctione, beneficia ecclesiastica, valerent indistinctè cunctis clericis benemerentibus dispensari. Et citrà difficultatem Rusticus Narbonensis, Ecclesiæ Biterrensi suffraganeæ suæ præficiens Hermetem extraneum, & Hermes extraneus, primò Biterrensem sedem acceptans, deindè Narbonensem, à quâ *credebat jure suscipi, quià indignè à Biterrentibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi* (p), suffragium contulerunt sententiæ nostræ, cum Hermes, nec quià extraneus fuerit à Biterrentibus reprobatus; nec quià indigena, fuerit in Narbonensi cathedra collocatus.

13. Quintò pariter Christi Sæculo decurrente, dum Bonifacius I. Apostolico solio tamquam Pontifex insideret, accidit celebre factum *Perigenis*, dati Patrensibus in Antistitem. Vacabat sedes Episcopalis Patrarum in Achaja, à Corintho 80. circiter milliaribus distans (q), cùm Archiepiscopus Corinthiensis Perigenem, è suo Clero delectum, in Præsulem viduatæ illi Ecclesiæ præfecit (r). Patrenses verò electum, nedùm non acceptarunt, sed imò eum à suâ civitate, unitâ voce contradictionis, inflexibiliter arcuerunt. Perigenes propterea patriam remeavit, tempus resipiscentiæ ovibus, & clero sibi subjectis indulgens: diutiùsque pro-

(a) *Conc. Nicæn. 2. cap. 15.*
(b) *Concil. Agath. cap. 57.*
(c) *Conc. Claromont. cap. 12. & 14.*
(d) *Conc. Epaon. c. 9.*
(e) *Conc. Lateran. 3. c. 14. & Later. 4. c. 29.*
(f) *Conc. Trid. sess. 24. cap. 17.*
(g) *C. Unum Abbatem 21. quæst. 1. & ibi gloss.*
(h) *Petr. de Marc. concord. l. 5. cap. 34.*
(i) *Hilar. ep. 8. apud Binium to 3.*
(l) *Idem ep. 7. apud Binium, & epistola 3. ap. Sirmond. to. 1. Conc. Gall. fol. 128.*
(m) *Hilar. ubi supra ep. 8. & ap. Sirmond. ep. 4. c. 1. tom. 1. Concil. Gall. f. 130.*
(n) *De Marca Concord. l. 5. c. 34. n. 5.*
(o) *S. Leo ep. 92. ad Rustic. vel epistola 11. ap. Sirmond. to. 1. Conc. Gall. fol. 111.*
(p) *Hilar. Pap. loc. cit. epist. 8.*
(q) *Philipp. Ferrar. in Martyrol. V. Patræ.*
(r) *Socrat. l. 7. c. 35.*

procedente altercatione, sinè spè pacis, ob contumaciam Patrensium, obstinatissimè resistentium, Dei providentia, quæ in sui dispositione non fallitur, Archiepiscopo Corinthiense ad Cælites evocato, locum dedit vacationi illius sedis. Tùnc Synodus Episcoporum, eidem Metropoli suffragantium, clerusque, & populus Corinthienses sibi Antistitem præfecturi, in Perigenem intenderunt, cumque Corinthiæ Ecclesię dari in Præsulem poposcerunt (*a*). Obstabant tamèn aliqui, & populos in oppositum concitabant, eo quod Perigenes jàm prò Patrensi Ecclesia sacratus, cum eâ esset connubiali vinculo insolubilitèr alligatus, nèc Patrensium resistentia tanti valebat, ut spiritualem hunc nodum canonicâ dissolutione rescinderet. Res ergò ad Bonifacium Papam delata est, ejusque authoritas implorata, ut Perigenes dissolutus à vinculo Patrensis Ecclesiæ, ad Corinthiensem sedem, authoritate Apostolicâ transferretur.

(a) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 61. nu. 8.*

14. Supplicantium votis benignè annuit Bonifacius, servatisque servandis, ac justitiâ causarum productarum cognitâ, tùm sacrum connubium, quo Perigenes cum Patrensi Ecclesia alligabatur, dissolvit; tùm eum à Patrensi ad Corinthiensem sedem transvexit: in literisque supèr hoc datis ad Rufum Archiepiscopum Thessalonicensem, notavit, non nisi divino censendum esse factum judicio, quod Perigenes repulsam à Patrensibus accepisset, ut illi Ecclesiæ, in quâ natus, & enutritus fuerat, præsideret, nimirùm in Corinthiensi: *quis*, inquit, *dubitet ejus meritis deputari, quis renuit judicii fuisse divini, ideò hunc à Patrensibus in tempore non esse susceptum, & diù supèr premissâ Ecclesiâ, magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis pastor fieret, in cujus caulis suam à cunabilis transegisset ætatem. Judicia Dei abyssus multa* (*b*). Plura ad hæc addit, & magni ponderis esse censet, quod *Perigeni sermo Concilii adstipulator accessit &c.* (*c*), totumque factum divinæ adscribit providentiæ, hiscè effatis, *Dei &c. beneficia sæpè credimus esse contraria, & in adversùm vertimus, quæ post recognoscimus profuisse. Tristis absque dubio Coepiscopus noster Perigenes fuit, cum eum nemo susciperet ordinatum. Nonnè huic hoc expediens erat, ut hunc civitate suâ Patrenses populi unitâ voce contradictionis arcerent? Sed quantò inclinatus fuit, cum eum ordinatum nemo suscepit, tantò sublimior nùnc est, cùm à suis poscitur, qui ab externis fuerat refutatus. Evidens enim Dei manifestumque judicium, qui eum id temporis voluit præstolari, quo mereretur huic Ecclesiæ præsidere, in quâ natus asseritur, & renatus* (*d*).

(b) *Bonif. PP. I. epistola ad Rufum Thessalon. ap. Holstenium.*
(c) *Idem loc. cit.*
(d) *Idem ubi supr.*

15. Ità cum, & Perigenis merita, & Concilii Episcoporum vota, & cleri, & populi Corinthiensium suffragia, & divina judicia, in unum concurrerent, nèc jàm aliud deesset, nisi assensus Apostolicus, de quo Bonifacius, *cui nihil ad plenitudinem confirmationis Episcopatus sui, hoc solum residet, quod nondùm nostros in honore suo suscepit afflatus* (*e*); Pontifex consensum interposuit, & translationem complevit. Veruntamèn quià ut plurimùm, intèr filios Dei, stantes coràm Domino, adstare solet & Satan (*f*), non defuerunt filii iniquitatis, qui translationi Perigenis obstacula interponere satagerunt, undè commotus Pontifex, & eis censuras ecclesiasticas intimavit, & Concilium Corinthi celebrari mandavit, *supèr ejus discutiendo statu, quem Corinthiis Apostolica Sedes, examinatis omnibus, atque discussis, constituit sacerdotem, secuta Dei voluntatem, quæ hunc ipsum, quantùm docetur, dilationibus temporum ejus ovilis, in quo creverat, & cui creverat, voluit esse Pastorem* (*g*). Translationem Perigenis fuisse factam judicio Rufi Thessalonicensis (uti Vicarii, seù locumtenensis Apostolicæ Sedis, quod officium, usquè à primis Ecclesiæ sæculis, Thessalonicensi Antistiti est appositum (*h*), ut ex epistolis Siricii, Damasi, Innocentii, Leonis, aliorumque Pontificum enitescit,) & Bonifacium non nisi decretum confirmationis addidisse, censet Petrus de Marca (*i*), sed quantò fundamento, lector dijudicet: nostrum non est huic rei examinandę immorari, cum sivè translatio fuerit à Pontifice immediatè facta, sivè mediatè; hoc unum est, fuisse auctoritate Sedis Apostolicæ factam:

(e) *Idem eod. loco.*
(f) *Job. 2. 1.*
(g) *Bonif. PP. I. loco cit.*
(h) *Thomassin vet. & nov. Eccl. discipl. pa. 1. l. 2 cap. 18. n. 7.*
(i) *De Marca Concord. l. 5. c. 34. n. 5.*

factam: idquè sufficit ad intentum, de quo nùnc agitur.

16. Tàm autèm Archiepiscopus Corinthiensis, promovens ad Patrensem Ecclesiam Perigenem extraneum, & 80. milliaribus longè à Patrensi urbe progenitum; quàm Perigenes, Episcopatum illum acceptans; Synodus quòque Episcoporum provinciç Corinthiensis, ac populus, & clerus ejusdem Corinthiç urbis, Perigenem (jàm cum Patrensi Ecclesia solemnitèr desponsatum, & Patrarum factum indigenam, Corinthi verò alienigenam) in Antistitem deposcentes; Rufus Thessalonicensis, decem provinciarum Illyrici Hierarcha (*a*), Perigenis translationem promovens; ac demùm Bonifacius Pontifex suam auctoritatem interponens, prò ejusdem translationis complemento, quid, quæsò, aliud sunt mutâ sermocinatione locuti, nisi, quod, primò licitè potuit Perigenes, quantumvìs Corinthius, Episcopale beneficium in Patrensi Ecclesiâ adipisci, à quâ erat extraneus: & secundò, quod postquàm per assecutionem sedis Patrensis, jàm Patrarum factus erat indigena, & extraneus à Corintho, justâ superveniente causâ, & legitimâ accedente Sedis Apostolicæ consensione, licitè potuit à Patrensi ad Corinthiensem sedem transferri, à quâ in tali statu erat extraneus. Bino ergò successu, & historicâ narratione (in quâ interlocutores fuere unus Papa, nempè *Bonifacius*: unus Primas, nempè *Rufus* Thessalonicensis: unus Archiepiscopus, nempè *Archiepiscopus Corinthiensis*: unus Archiepiscopus, nempè *Perigenes* Patrensis: Unum *Concilium Provinciale*, nempè Episcopi provinciæ Corinthi: unus tandèm *Clerus, & Populus*, Corinthi Ecclesiam componentes) probata remanet quodammodò ad exuberantiam libertas Ecclesiæ in conferendis beneficiis etiàm clericis alienigenis.

(a) *Thomassin. loc. supra citat.*

17. Nec obstat, quod Patrenses Perigenem suscipere detrectarunt, non enim illum refutarunt, quà extraneum, sed quià minùs gratum, & quià illis insciis, auctoritativè ab Archiepiscopo Corinthiensi promotum, cumquo Ecclesia Patrensis nullum habere subjectionis ordinem contendebat. Notum est Eruditis, quod Patrarum Antistes se pro Metropolità gerebat (*b*), & successivis temporibus eò usque pervenit, ut prò totius Achajæ Primate se gereret, qui esset soli Patriarchç Constantinopolitano subjectus, à quo & confirmationem, & Pallium Archiepiscopale accipiebat, tantâ observatione, ut cum de dandâ Patrensi Archiepiscopo consecratione, atque pallio, apud Innocentium III. Pontificem ageretur; Papa Archiepiscopum Patriarchæ Constantinopolitano ad utrumque effectum remiserit, protestatione tamèn adjunctâ, de plenitudine potestatis Apostolicæ, utrumque ex se potuisse adimplere, *de plenitudine potestatis* (scripsit Patriarchæ) *ipsum consecrationis munere, ac honore pallii potuissemus insignitum remittere; quià sic te vocamus in partem sollicitudinis, quod nobis retinuimus plenitudinem potestatis; nec cuiquam facimus injuriam, cum utimur jure nostro* (*c*). Cum itàque Patrensis Ecclesia nullam dependentiam deberet Archiepiscopo Corinthiensi, vel saltèm à se prætenderet non deberi, quatenùs hæ urbes Patrensis, & Corinthiensis, essent in diversis provinciis ecclesiasticis constitutæ, nec prima suffragaretur secundæ; habuerunt Patrenses titulum aliquem renitendi, & Perigenem, sibi à Corinthiensi Archiepiscopo præfectum, refutandi, non quà extraneum, sed quà indebitè constitutum, & ab illegitimo promotore provectum.

(b) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 1. c. 26. nu. 13.*

(c) *Et gest. Innoc.* 1

18. Illegitimæ promotioni, seù ab illegitimo promotore factæ, subsequebatur inconfidentia, & minùs grata Perigenis acceptio apùd Patrenses, qui non nisi virum sibi gratum in Pontificem peroptabant: viguitque semper, ac semper in Ecclesiâ Dei prævaluit hæc disciplina; ut nullus invitis, & non petentibus, præficeretur Episcopus, clerique, plebis, & ordinis civitatis expectaretur assensus (*d*), *ne civitas Episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religiosa, quàm convenit, cui non licuerit habere, quem voluit* (*e*). Ità etenim Hermeti accidit à Biterrensibus refutato (*f*): Pansophio, à Nicomediensibus (*g*): Proclo à Cyzecænis (*h*), & aliis: propter quos editi fuerunt canones Concilii Antiocheni

(d) *S. Leo ep. 84. c. 5. c. nullus invitis 13. dist. 61.*
(e) *S. Leo loc. cit.*
(f) *Vid. hic supr. nu. 10. & 11.*
(g) *Cardin. Baron. an 400. nu. 31.*
(h) *Socrat. lib. 7. c. 28.*

(a) Concil. Antioch. c. 18.
(b) Cap. si quis 4. dist. 92.
(c) Concil. Ancyran. c. 18.

cheni (*a*), atque Romani, sub S. Martino Papa (*b*): necnon & Ancyrani in Galatiâ (*c*), & alibi fortè alia. Excusabiles ergò fuerunt in suâ reluctantiâ Patrenses. At hæc non est ad causam extraneitatis trahenda, cum aliam habuerint causam, longè diversam. Et quià Perigenes à Corinthiâ Ecclesiâ, cujus erat alumnus, ad Patrensem fuit modo, & formâ recensitis promotus, licèt indè esset extraneus: deindè fuit à Patrensi ad Corinthiam in gradu Episcopali revectus; ex totâ facti serie elucescit, eam tùnc invaluisse sententiam, quod posset præbendas, & beneficia sacra etiam vir extraneus adipisci: Sicque ex hujusmodi narratione abundè probatur libertas Ecclesiæ in conferendis beneficiis sacris, non modo clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.

(d) Card. Baron. an. 430 nu. 62.
(e) Idem an. 431. an. 37.
(f) Idem an. 431. nu. 57.

19. Sed ubi relinquimus *Concilium Ephesinum*, generale III. hoc eodem sæculo celebratum sub anno 431. Institit prò illius celebratione apud Papam Imperator Theodosius II. (*d*). Interfuit eidem tamquàm Legatus Pontificius, S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, doctrinâ, & sanctitate omnibus notus (*e*): Impiusque Nestorius Episcopus Constantinopolitanus fuit communi Patrum sensu, & sententiâ synodali damnatus (*f*). In hoc solemni Concilio intèr cætera lecta fuit, & grato animo audita, epistola Cœlestini PP. I. quam scripsit ad præfatum Nestorium, in eâque dicit, quod post damnatos Pelagium, & Cœlestinum, Atticus Episcopus Constantinopolitanus illos egregiè est insectatus. Quo defuncto, Sisinnius eidem in Episcopatu successerat. Eoquè paritèr morte sublato; anxius fuerat Pontifex, cuinam thronus Constantinopolitanæ sedis obtingeret: cùm, inquit Cœlestinus, *nuntiorum mox istinc venientium narratio animam nostram magnâ lætitiâ perfudit, quàm paulò post familiarium nostrorum, qui tuæ ordinationi interfuerant, relatio egregiè quoquè confirmavit: hi enim ejusmodi testimonium tibi reddebant, cujusmodi illi dari conveniebat, qui aliundè in Episcopum allectus esset: in tantâ enim æstimatione ætatem anteà egeras, ut aliena quoque civitas te suis inviderer &c.* (*g*).

(g) Cœlest. epist. ad Nestorium ap. Bail to. 1. in Concil. Ephes. f. 125.
(h) Baron. an. 428. n. 24.
(i) Socrat. l. 7. c. 29.
(l) Vid. Conc. Ephes. an. 431.

20. Placuerat ultrà modum Cœlestino electio Nestorii ab initio. Hic enim vir erat famâ doctrinæ, & probitatis, apud homines commendatus (*h*). Qui & primordia sui regiminis signis ingentis Zeli adversùs hæreticos decoravit (*i*): utinam non citò ipse in hæresim lapsus esset, Deiparæ gloriam impugnantem (*l*). Laudat ergò Cœlestinus Nestorium, quod *aliundè in Episcopum allectus esset*: per quod certè obturat ora Contradictorum. Nàm quomodò ipsi vertunt in crimen Clerico adipisci beneficia in loco, à quò sit origine extraneus; si Pontifex scribens, & Concilium generale illius laudans epistolam, præconio dignum censent, quod extraneus mereatur ad Episcopale beneficium promoveri? Si Nestorio hoc tribuitur ad honorem, *ut aliena quoquè civitas te suis invideret*; quod ipse nimirùm, origine Syrus, patriâ Germaniciensis, monachatu Antiochenus, regione Asiaticus, beneficium Episcopale apud Constantinopolim obtineret, undè erat nedum extradiœcesanus, & extraprovincialis, verùm etiàm extranationalis (*m*); quâ quæso fiduciâ potest à Contradictoribus imputari tamquàm crimen (& quidem crimen divino, naturali, & humano jure, ut ipsi comminiscuntur, prohibitum) viro extraneo beneficium ecclesiasticum adipisci?

(m) Socra. hist. lib. 7. c. 24. & 29. Baron. an. 428. nu. 19. 20.

21. Notabile quoquè fuit id, quod, instantibus Episcopis Europæis, in eodem Concilio fuit Synodalitèr definitum. Præsules præfati, sive illorum nomine Euprepius Byzes Antistes, & Cyrillus Cœlensis Episcopus, hanc supplicationem Concilio porrexerunt. *Vetus mos viget in provinciis Europæ, quod singuli Episcopi duos, vel tres sub se habeant Episcopatus, undè Heracliæ Episcopus sub se habet Heracliam, & Panion: Episcopus autem Byzes sub se Byzen, & Arcadiopolim: Cœlensis verò similitèr habet Cœlam, & Callipolim. Porrò Episcopus Subsadiæ sub se habet Subsadiam, & Aphrodisiadem. Itaquè olim, & ab initio Ecclesias illas duo Europæ Episcopi administrabant, & nunquam prædictæ civitates proprios acceperunt Episcopos. Sed aliæ quidem sub Heraclio fuerunt ab initio. Archadiopolis*

polis similitèr sub Episcopo Cœlensi. Verùm quoniam nunc Phriuclas Heracliæ Episcopus à Sanctâ Synodo apostata factus, Nestorio, & cum illo sentientibus se addixit. (suspicamur autem, quod numquam, vèl ipse ulciscens tamquam hostes, vel qui cùm ipso Heracliæ Episcopatum administrant, veniant ad ordinandum Episcopos juxtà veterem, & roboratam consuetudinem in memoratis civitatibus, quæ nunquam proprios Episcopos receperunt). Itaquè priscos mores, & consuetudinem, quæ olim, & ab initio viguit commoveri proptèr novitates cogitantes, oramus vestram pietatem, definitionem pronuntiari de eâ re à vestrâ sanctâ, magnâque synodo, proprioque signaculo eam roborari; ità ut nequè nos Ecclesiis nostris privemur, in quibus plurimum laboravimus: nequè mos jam longo tempore confirmatus, à quopiam præmemoratorum commoveatur, fiantque bella, & inordinationes, maximè intèr Episcopos, &c. (*a*).

22. Agebatur hìc de duobus, tribusvè beneficiis Episcopalibus, ab uno, & eodem Præsule possidendis (*b*), qui vèl ab uno, vèl ab alio, vèl à pluribus eorum necessariò erat extraneus. Et quidèm de Episcopatibus, quos *ab intio duo Episcopi administrabant*: ità ut de naturâ suâ non essent uniti, sed separati: *nunquàm* verò, idest ex quo inceperunt ab uno Præsule regi, *prædictæ civitates proprios acceperunt Episcopos*. Probabile autèm imminebat periculum, nè hæretici urbibus illis Pseudopræsules præficerent, propriâ tabe contaminatos. Displicebat quoquè Episcopis Europæis, *privari Ecclesiis, in quibus plurimum laboraverant*: ità ut si post illorum mortem fieret, vèl si nullum ingruisset periculum hæreticorum, nihil eis displicuisset, quod illæ secundæ, vèl tertiæ Ecclesiæ, quas ipsi regebant, aliis moderandæ committerentur. Petitione horum Præsulum auditâ quid Concilium definivit? En ejus responsio: *Sancta, & universalis Synodus dixit: honesta petitio est pientissimorum Episcoporum Euprepii, & Cyrilli, quàm ostendunt oblati libelli. Undè & sanctis canonibus, & externis legibus, quia veteres consuetudines nunc vim legis habent, nihil innovandum in Europæ civitatibus, sed juxtà veterem consuetudinem gubernentur ab Episcopis, à quibus & olim &c.* (*c*).

23. Non inquam agebatur de beneficiis Episcopalibus intèr se unione perpetuâ colligatis, & in unum conglutinatis, ità ut duæ, aut plures civitates uni, & eidem Præsuli quoad spiritualia subessent; sed de iisdem dissitis, & divisis, ab uno nihilominùs, & eodem Antistite administratis. Nàm cùm *aliæ civitates sub Heracliâ fuissent ab initio*, quæ tempore hujus supplicationis non amplius ei suberant: cum paritèr *Arcbadiopolis* anteà regeretur ab *Episcopo Cœlensi*, quæ tempore ipsius supplicationis obtemperabat Episcopo Byzes; patet, quod istæ secundæ civitates, illarumque Ecclesiæ, & beneficia Episcopalia, non erant perpetuò unita Ecclesiæ primariæ, sed ab eâ divulsa, & separata: modoquè uni, ac modò alteri Præsuli regenda committebantur: qui proptereà tamquàm duplex, triplexvè beneficium possidens in diversis, & separatis civitatibus, vèl à primo, vèl à secundo, vèl à tertio; demùm vèl ab uno, vèl à pluribus eorum, erat extraneus: nec quidquàm obsistebat extraneitas, quominùs possent Præsules Europæi beneficia Episcopalia adipisci, Concilio Generali Ephesino sanciente, *nihil innovandum in Europæ civitatibus* super hac re.

24. Aureum est hoc decretum, quod potuit Concilium didicisse à Stephano PP. I. rescribente D. Cypriano Carthaginensi, in causâ reiterationis baptismi eorum, qui fuerant ab Hæreticis baptizati, *nihil innovetur* (*d*). Et dignè quidèm, atquè providè; nàm cùm omnis novitas, ut plurimùm, sit odiosa, vèl quieti publicæ infestâ, omniumque animos offendat, ut ait S. Joannes Chrysostomus (*e*); Optimum est, *servari solitum* (*f*). Perpendatur autem, cuinam rationi Concilium inhæserit, hoc edendo decretum: certe non nisi *veteri consuetudini*, quàm vim legis habere declaravit. Antiqua ergo consuetudo vim habet legis, in dispensatione beneficiorum observandæ. Hanc pro lege, hanc admit-

(a) *Concil. Ephes. Act 7. Bail. sum. Conc. in Concil. Ephes. fol. 218. E*

(b) *Thomas. vet. & nov. Eccl. discipl. part. 2. l. 3. c. 8. nu. 8.*

(c) *Conc. Ephes. Act. 7. Bail. loc. cit. f. 219 B.*

(d) *Vid. S. August. de unic. baptism cont. Petilian. c. 14. Card. Baron. an 258. n. 52.*

(e) *S. Jo. Chrysost. homil. 9. in epist. ad Corinth. 2.*

(f) *Card. de Luca de Præemin. disc. 39. n. 3.*

tant prò regula, Contradictores, & quiescet intèr nos, & illos contentio; nàm cùm vetus consuetudo deposcat, ut in illorum Regione beneficia ecclesiastica conferantur promiscuè, tùm Clericis extraneis, tùm indigenis; idipsum in posterum observandum esse affirmabunt, *nihilque innovandum*, sed Ecclesiam in sua plenâ, integrâ, primævâ, & antiqua libertate sinendam, præficiendi ecclesiasticis beneficiis non solùm Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos, dummodò benemererentes, & dignos.

SÆCULUM CHRISTI VI.

CAPUT XI.

In quo ex pluribus Conciliis, per hæc tempora celebratis, & præsertìm ex Conciliis Romano, Agathensi, Epaonensi, Valentino, Arvernensi, Aurelianensibus IV. & V. Lucensi, & Santonensi, *probatur integra libertas Ecclesiæ conferendi Ecclesiastica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 *Initio Sæculi* VI. *habitum est* Concilium Romanum, Palmare *dictum, in quo post alia editus est canon, vetans alienatorem bonorum Ecclesiæ, nisi pro clericis, & peregrinis.*

2 *Nomine* peregrinorum, *si Concilium intelligit clericos aliundè venientes, jam habemus intentum: si laicos alienigenas, à fortiori clericos etiam comprehendit.*

3 *Huic Synodo interfuere duodecim Episcopi ex Regno Neapolitano, qui præfato canone docuerunt, extraneis quoque in dicto Regno debita esse beneficia.*

4 *Concilium quoque* Agathense *in Galliâ, &* Toletanum III. *in Hispania, similes Romano Concilio canones edidere favore peregrinorum.*

5 Concilio Epaonensi, *à Sigismundo Rege Burgundionum promoto, interfuere Episcopi magni nominis, & sanctitatis, & qui fuerint?*

6 *Idem Concilium Epaonense permittit clerico beneficiâ residentialia adipisci in locis extraneis, modo suus Antistes consentiat; multo magis beneficia simplicia.*

7 *Approbatur ab eodem Concilio transitus clerici à beneficio unius Diœcesis, ad Episcopatum alterius, solâ adjectâ cautione, ut transiens primum beneficium dimittat.*

8 *Extraneus alibi ad Episcopatum promotus, tenetur residere, quià beneficium residentiale suscepit: ergò si beneficium sit simplex, residere non tenetur.*

9 Concilii Arvernensis *decreto interdictum fuit Episcopis alienum clericum ad se trahere*

trahere sinè sui Præsulis voluntate: quarè illius accedente consensu, id permissum est.

10 *Idipsum sanxere tunc temporis* Concilium Valentinum, *&* Toletanum II. *habita in Hispaniâ: & Concilium* Bracarense I. *celebratum in Lusitaniâ.*

11 *Quæ quidem optimè concludunt libertatem Ecclesiæ præficiendi extraneos beneficiis, ex correlatione beneficiorum ad ordines, quam Contradictores magnifaciunt.*

12 *Extraneis favet epistola Concilii Arvernensis ad Theodebertum Regem Galliæ, pro exteris possidentibus bona in ejus Regno.*

13 *Sequitur textus dictæ epistolæ Concilii Arvernensis.*

14 *Regno Galliæ intèr filios Clodovei discisso, Theodorico parum pio successit Theodebertus, ab initio Patris imitator: qui Regnum valde dilatavit.*

15 *Nolebat Rex, quod extranei bona in suo Regno possiderent. Concilium tamèn ostendit hoc esse contrà libertatem Ecclesiæ, respectu ad clericos.*

16 *Rex Theodebertus in melius mutatus, favit* D. Mauro *Romano, ut opera Flori fundaret Monasterium in Diœcesi Cenomanensi.*

17 *Florus idem bona sua Monasterio illi tradidit. Monachatus, & Abbatia sunt ecclesiastica beneficia; Rexque suo facto favit extraneis.*

18 A Concilio Aurelianensi *quartò intèr alià vetitum est, ne Magnates eorum Oratoria committerent clericis peregrinis, sinè approbatione Diœcesani.*

19 *Si Episcopo constaret de probitate clerici peregrini, voluit Concilium admitti posse, itaut non excluderentur extranei, nisi cæteris paribus.*

20 *Alibi Concilium præcipit, bona clerico alterius Diœcesis collata, eo defuncto, ad primam Ecclesiam reverti.* Donatio *significat collationem.*

21 *Concilium arbitrio Episcopi reliquit, quoties, & quem extraneum velit beneficio insignire: quæ libertas est communis cunctis Collatoribus.*

22 Concilium Aurelianense V. *vetat, ne quis alienum clericum sinè sui consensu Episcopi, sibi vendicet: vendicare ergò potest, si consensus idem accedat.*

23 *Idem Concilium interdicit, ne quis res Ecclesiæ unius Regni, positas in alio Regno, sibi usurpet. Territorium spirituale, à territorio temporali non definitur.*

24 *Si Ecclesia possidere potest bona in alio regno, ergò etiam idipsum poterit clericus illius Ecclesiæ: nam clericus, & Ecclesia in hoc dicuntur ad convertentiam.*

25 *Canon* Concilii Lucensis, *sivè unus ex collectis à* Martino Bracarensi, *decernit nè Episcopi vacantes viduas adipiscantur Ecclesias, sinè Concilio Provinciali.*

26 *Episcopi vacantes, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ erant extranei: eligendi erant à Comprovincialibus. Eadem est ratio de beneficiis episcopalibus, ac de aliis.*

27 *Unus canonum Martini Bracarensis vetat, ne clericus sinè consensu sui Episcopi alibi ordinetur. Plus est ad ordines, quam ad beneficia promoveri.*

28 *S. Martinus Bracarensis ex Pannonia, vel ex oriente factus in Hispania Abbas, & Archiepiscopus, suo facto docuit, admittendos esse extraneos ad beneficia.*

29 Concilium Santonense *cur habitum fuerit? Emerius non electione canonica, sed Principis imperio Episcopatum Santonensem adeptus fuerat.*

30 *Leontius Burdigalensis cum suis Episcopis Comprovincialibus, habito Concilio Santonensi, deponit Emerium, & subrogat Heraclium Burdigalensem Presbyterum.*

31 *Charibertus Rex Heraclium plaustro spinis pleno impositum, in exilium agit; Leontium pecunia mulctat, alios Episcopos alitèr turbat.*

32 *Concilium depulit Emerium, & Hilarium extraneum subrogavit. Rex huic ulti-*

ultimo resistens admissionem extraneorum confovit:

33 *Leontius in Martyrologio Gallicano descriptus, origine Romanus, ortu Santonensis, liberalissimus in peregrinos, Archiepiscopus fuit Burdigalæ.*

34 *Ipse Leontius ædificavit plures Ecclesias, etiam ubi jam erat extraneus. Quæ in Concilio Santonensi contigerunt, favent extraneis.*

1. EMERGIT Sæculum Christi Sextum, tàm factis abundans, quam sanctionibus, eandem, quam tuemur, Ecclesiæ libertatem, mirificè propugnantibus. Et primò loco, sub ipsius Sæculi introitu, occurrit *Concilium Romanum* quartum, sub Papâ Symmacho celebratum, *Palmare* dictum, à porticu Basilicæ S. Petri, palmis eleganter depictâ, sub quâ coadunatum est, anno Christi 502. (*a*), in quo post electionem ejusdem Symmachi adversus Schismaticos confirmatam; & simul abrogatam legem Odoacris Herulorum Regis, ecclesiasticæ libertati nimium perniciosam (*b*), plures canones sunt procusi, quos inter unus, verbis districtissimis interdicens, ne prædia ecclesiastica, quantulæcumque sint magnitudinis, vel exiguitatis, valeant *sub perpetuâ alienatione*, ad cujuslibet jura transferri. Tumque subjungit: *sed nec in usufructuario jure aliquibus dare liceat, nec data retinere, præter clericos, & captivos, atque peregrinos, ne malæ tractationis ministretur occasio &c.* (*c*). Jus hoc usufructuarium proculdubio connotat ecclesiastica beneficia, quæ sunt bona Ecclesiæ, ad usufructuandum concessa (*d*), non in proprietatem, perpetuæ alienationis jure, distracta.

(a) *Card. Baron. an. 502. nu. 2.*

(b) *Vid. Bin. in not. ad hoc Conc. & Baron. an. 483. nu. 10.*

(c) *Conc. 4. Rom. sub Symmac. c. 14.*

(d) *Ballet. disquis. Cler. p. 1. §. 14 nu. 1. & 2.*

2. Enumerans autem Concilium viros, hujusmodi bonorum capaces, clarè computat inter illos, etiam *peregrinos*: quorum nomine, si clericos peregrè proficiscentes, sivè aliundè venientes intelligimus, jam habemus intentum: nam hi non sunt nisi clerici extranei, de quorum admissione ad ecclesiastica beneficia peroramus. Si verò pro *peregrinis*, à Concilio nominatis, intelligimus laicos itinerantes; argumentum in fortioribus terminis intentioni nostræ subservit, inferendo à minori ad majus, quod est optimum arguendi genus, & in praxi valdè receptum (*e*). Nàm si Concilium pro licito pronunciat res Ecclesiæ, sivè beneficia ecclesiastica, laicis extraneis elargiri; multò magis, ea conferri posse vult clericis paritèr extraneis; ne deterioris conditionis faciat clericos, quam sint laici. Et ità quocumque modò sumatur hæc sanctio Conciliaris, ex ea validè probatur libertas Ecclesiæ in admittendo clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia.

(e) *Authent. multò magis C. de Sac. Eccl. Surd. dec. 254. nu 15. Barbos. Tr. var. loc. 73. nu. 1.*

3. Interfuere hujusmodi Concilio, præter Papam, sexaginta quatuor Episcopi, diversarum Regionum, inter quos duodecim ex Regno Neapolitano, nempè Vitalis Fundanus, Stephanus Venusinus, Valentinus Amiterninus, Eutychius Tranensis, Laurentius Bojanensis, Paschasius Vulturanensis, Marcus Samninus, Memor Canusinus, Florentius Vestinensis, Amandus Potentinus, Sebastianus Soranus, & Asterius Aquinas (*f*), qui omnes præfatæ sanctioni, suæ vocis calculum apponentes, tàm facto, quam dicto patefecerunt, Ecclesiam, per cunctas illas Regiones diffusam, & signantèr eam, quæ in Regno Neapolitano florebat, hanc eandem tunc tenuisse doctrinam, quod ecclesiastica beneficia non sint ad solos indigenas coarctanda, sed etiam extraneis, sub congruâ moderatione, tradenda. Et quamquam sanctio illa Concilii, de quo loquimur, ad regulandam dispensationem bonorum Ecclesiæ, à Romanâ Ecclesiâ servandam, directa sit; complectitur tamèn sinè ambiguitate cunctas alias quoque inferiores Ecclesias, eâ ratione, quam Concilium ipsum ibidèm paulò infrà subjungit, *quià nefas dictu est, obligatione, quâ se per charitatem Christi connectit Summus Pontifex, eâ homines secundi in Ecclesiâ ordinis non teneri* (*g*).

(f) *Conc. Rom. 4. sub Symmach. an. 502. in subscription.*

(g) *Concil. Rom. loc. cit. c. 9.*

4. Præfati Romani Concilii dispositioni consonat alia sanctio, per idem tempus in Provinciali *Agathensi* Synodo, constituta: ubi post interdictam alienationem

nem bonorum Ecclesiæ, permittitur Episcopis hoc, quod sequitur: *Minusculas verò res, aut Ecclesiæ minùs utiles, peregrinis, vel clericis, salvo jure Ecclesiæ, in usum præstari permittimus* (a), per quæ verba satis constat fieri mentionem beneficiorum, eo modo, quo tunc consueverant explicari: dicitur enim dari has res viris extraneis, non in proprietatem, sed in solum usum, uti dantur beneficia, salvo jure Ecclesiæ: recurritque argumentum, quod per ly *peregrinis*, sivè clerici, sivè laici peregrini intelligantur; semper aditus patet clericis extraneis ad ecclesiastica beneficia. Interfuere huic Concilio triginta quinque Episcopi (b), omnes gloriâ confessionis illustres: inter quos S. Cæsarius Arelatensis, Firminus Metensis, & Quintianus Ruthenensis, sunt sanctorum fastis adscripti (c). Quarè hinc patet, quod Ecclesia, per Gallias tunc diffusa, & præcipui illius Præsules, in eo voto fuerunt, esse admittendos etiam clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia. Quem sensum Ecclesia quoque Hispaniæ iisdem temporibus enutrivit: quippè Concilium *Toletanum III.* anno Christi 589. celebratum, similia decrevit his, quæ, ut innuimus, fuerunt in Agathensi Synodo definita.

5. *Concilium Epaonense*, apud Epaonensem urbem in Galliâ Narbonensi celebratum est anno Christi 509. secundum Binium (d), vel secundum Sirmondum, Cabasutium, & alios, habitum anno 517. (e), tantę dignitatis, ut Provinciale sit, ac tantæ Maestatis, ut ex 24. Episcopis coalverit, quorum perplures Sanctorum Catalogo sunt inscripti: præsertim Alcimus Viennensis, Apollinaris Valentinus, Claudius Vesontiensis, Gregorius Lingonìensis, Pragmatius Augustodunensis, & Viventiolus Lugdunensis (f); Sigismundus autem Rex Burgundionum, Gundebaldi filius, recentèr ex Arrianâ ad Catholicam fidem conversus, fuit hujusce Concilii promotor, ut suum Regnum ab hęresis pollutione purgaret, ac disciplinam ecclesiasticam collapsam suo splendori restitueret (g). Ex hoc Concilio tàm verba, quam res habemus, causæ nostræ faventes: quippe inter alia, quæ tunc inibi contigerunt, hoc evenit, ut simul ei interfuerint Alcimus, & Apollinaris, ambo germani fratres, filii Isicii primò Senatoris, & deindè Episcopi Viennensis (h). Ex quibus Alcimus Viennensem Episcopatum & ipse tenuit, ubi erat indigena; Apollinaris verò Episcopale beneficium Ecclesiæ Valentinæ sortitus est, ubi erat extraneus, absque eo, quod hoc ullum intulerit præjudicium ejusdem celebri sanctitati: adeoquè ex præsenti facto docemur, tunc viris extraneis aditum patuisse ad ecclesiastica beneficia, dum S. Apollinaris prętatus ritè, & rectè Valentinum Episcopatum adeptus est.

6. Sed à facto ad jus transeamus. Quadraginta canones edidit Concilium illud, quorum unus ità proloquitur: *Nè presbyter territorii alieni, sinè conscientiâ sui Episcopi, in alterius civitatis territorio præsumat basilicis, aut oratoriis inservire, nisi forte Episcopus suus illum concedat Episcopo illi, in cujus territorio habitare disposuit. In quo, si excessum fuerit, Episcopus, cujus presbyter fuerit, fratri suo noverit culpabilem se futurum, qui clericum juris sui, illicita facientem, sciens ab scandali admissione non revocat* (i). Hic proculdubio sermo est de ecclesiasticis beneficiis: quid enim aliud significare habent verba illa, *basilicis, aut oratoriis inservire?* Et tamèn extraneos illorum esse capaces clarè ostendit Concilium, quoties Episcopus clerici extranei hoc permittat. Quarè tota difficultas in casibus practicis restringetur ad videndum, nùm Episcopus clerici extranei assentiatur, nec nè, istius provectioni ad beneficia, sita in locis extraneis: si etenim assentiatur, profectò poterit clericus, vi hujusce canonis beneficia residentialia adipisci in ipsis locis extraneis, quæ tamen beneficia residentialia Contradictores clericis advenis negant, quamvis hi apud eadem residendo, inibi fiant incolę, ac indigenæ. Quod si beneficia residentialia potest adipisci; æquali ratione, imo & multò magis assequi poterit etiam beneficia ecclesiastica, à residentiæ debito exemptâ: argumento ducto à majori ad minus, quod est validissimum omninò (l), præsertim si minus, ut in casu nostro, continetur sub eo, quod majus est (m).

7. Per-

(a) *Concil. Agath. an. 506. c. 7. Concil. Tolet. 3. an. 589. can. 3.*

(b) *Conc. Meldens. cap. 73. Bin. in not. ad Concil. Agath.*

(c) *Binius loc. citat.*

(d) *Binius in Concil. Epaonens. tom. 3.*

(e) *Sirmond. tom. 1. Conc. Gall. f. 194. Cabasut. in Conc. Epaonen.*

(f) *Vid. Martyrol. suis locis Bin. ad Conc. Epaon. in notis. Baron. an. 509. nu. 13.*

(g) *Baron. Binius, & Cabasut. loc. citat.*

(h) *Ado. Vienn. in Chronic. an. 491. Baron. an. 494. nu. 69.*

(i) *Concil. Epaon. c. 5.*

(l) *Authent. multò magis de sacros. Eccl. cap. per venerabilem qui fil. sint. legit. Barbos. trac. var. loc. 67. & 71.*

(m) *Tuschus prac. concl. 50. 1. lit. A. concl. 501. nu. 1. Barbos. loc. cit. loco 75. in fin.*

7. Pergit Concilium Epaonense, & successivè disponit: *Quisquis clericus aliquid de munificentiâ Ecclesiæ, cui servierat, adeptus, & ad summum sacerdotium alterius Civitatis, est, aut fuerit ordinatus; quod dono accepit, vel acceperit, reddat: & quod suum est ex proprietate, vel secundum instrumenti seriem probatur emisse, possideat* (*a*). Hic quoquè non est dubium sermonem haberi de ecclesiasticis beneficiis, quæ, *munificentia Ecclesiæ*, secundum modum loquendi illorum temporum, nuncupantur: Et ità etiam in Concilio Aurelianensi III. (*b*), & in Lugdunensi, nomine *munificentiæ ecclesiasticæ* connotantur (*c*). Illis paritèr verbis *summum sacerdotium*, Episcopatum, sivè Episcopale beneficium explicari certò certius est, ut ex Conciliis Agathensi (*d*), Barcinonensi (*e*), aliisque sacræ antiquitatis memoriis enitescit. Ergò Epaonense Concilium admittit clericis, de beneficio inferiori, ad superius transire, & de minori beneficio unius Diœcesis, ad supremum, sivè Episcopatum alteriùs Diœcesis ascendere, hac solâ cautione, ut primum beneficium ab eo, qui obtinet successivè secundum, liberè dimittatur. Hocque decreto evidentèr conceditur clericis adipisci ecclesiastica beneficia, nedum inferioris, sed etiam altioris ordinis, non obstante, quod sint ab his postremis extranei.

(a) *Concil. Epaonensis c.14.*

(b) *Concil. Aurel. 3. c.5. & 17.*

(c) *Concil. Lugdun. an. 570. c.5.*

(d) *Concil. Agath. c. 6.*

(e) *Concil. Barcinon. an. 599. c.2.*

8. Nihil relevante, quod clericus extraneus, ad alienæ urbis Episcopatum promotus, teneatur inibi residere; quippè tenetur ibi residere, non ex eo, quod Episcopatus sit beneficium, sed ex eo, quod est beneficium residentiale: ità ut hinc optimè deducatur, quod sicut clericus extraneus, promotus ad beneficium residentiale, tenetur apud illud personalitèr residere, quià beneficium ipsum residentiam exposcit; ità potest ad beneficium simplex alienæ Civitatis provehi, absque eo, quod ibi residere teneatur, quià beneficium illud residentiæ debitum non involuit. Præterquam quod, uti paulò antè legitimè comprobavimus, si clericus extraneus ritè, ac rectè aditum habet ad ecclesiastiça beneficia residentialia, & etiam supremi ordinis Episcopalis; multò magìs apertum habere debet aditum ad beneficia minoris ordinis: & multo adhùc fortiùs ad ea, quæ sunt infimi ordinis, qualia sunt beneficia merè simplicia: ab eo etenim, quod multò magìs se habet, optima est methodus arguendi (*f*). Quamvìs in hac re non sit necessitas arguendi à majori ad minus, vel è contrà; quippè à Contradictoribus denegantur clericis extraneis nedùm beneficia merè simplicia, apud quæ non resident, sed etiam choralia, & curata, apud quæ personalem residentiam faciunt, & quibus ex se ipsis deserviunt.

(f) *Barbos. Tract. var. loc. 75. Cephal. Cons. 332. nu. 59. vol. 3.*

9. Hoc eodem Christi Sæculo Sexto coalvit *Concilium Arvernense* Provinciale, anno Christi 535. (*g*), vel secundum alios anno 541. à quindecim Episcopis celebratum (*b*), meritis, & respectivè sanctitate præclaris, quos intèr Gallus Arvernensis, Gregorius Lingoniensis, Hilarius Gabalitanus, & Nicetius Treviriensis latè memorias ecclesiasticas illustrarunt (*i*). Plura in eo decreta edita sunt, Immunitatem ecclesiasticam confoventia, in sacrorum beneficiorum, & præsertim Episcopalium, dispensatione, cui Sæculares Proceres se nimium immiscebant (*l*). Inter alios autem canones hic quoque sancitus est: *ne ullus Episcopus alteriùs clericum contrà voluntatem Episcopi sui suscipere audeat, aut sacerdotio prærogare* (*m*). Frequens fuit per ea tempora consimilis prohibitio. Nàm in *Concilio Aurelianensi III.* à 25. Episcopis celebrato, anno 541. fuit paritèr interdictum, *de bis clericis, qui sub qualibet occasione, aut conditione in aliorum Civitatibus, vel territoriis crediderint immorandum, nè ad ullum clericatus honorem absque sui Episcopi scripto, atquè consensu debeant promoveri* (*n*).

(g) *Sirmond. tom. 1. Concil. Galliæ f. 241.*

(h) *Binius tom. 4. in Conc. Arvern. Baron. an. 541. n. 30.*

(i) *Baron. an. 541. n. 12. 32. 33. 35. &c.*

(l) *Concil. Arvern. c. 2. 45.*

(m) *Conc. Arvern. c. 10.*

(n) *Concil. Aurel 3. c. 15.*

10. Similitèr *Concilium Valentinum*, habitum anno 524. in Hispania hoc expresse decrevit: *nullus alienum clericum, secundum decreta canonum, sine consensu Episcopi sui, audeat ordinare* (*o*). Concilium quoquè *Toletanum II.* in eadem regione Hispaniæ per hęc tempora congregatum, anno Christi 531. provido canone definivit, de clericis loquens, in Ecclesiæ domibus educatis: *ne, quis ex eis,*

(o) *Concil. Valentin. an. 524. c. 6.*

qui tali educatione imbuuntur, quâlibet occasione cogente, propriam relinquens Ecclesiam, ad aliam transire præsumat. Episcopus verò, qui eum suscipere, absque conscientiâ proprii sacerdotis fortasse præsumpserit, totius fraternitatis, se reum esse noverit, quià durum est, ut eum, quem alius, rurali sensu, à squalore infantiæ (a) Concil.Tolet.2.c.3. *exuit; alius suscipere, ac vendicare præsumat* (a). Itidem *Concilium Bracarense I.* Bracaræ in Lusitaniâ hoc eodem Christi Sæculo celebratum anno 563. sanxit, ut sequitur: *Item placuit, ut nullus Episcopus clericum alterius ordinare præsumat,* (b) Concil. Bracar. 1.c.8. *sicut & antiqui canones vetuerunt, nisi fortè signata ipsius Episcopi scripta susceperit* (b).

11. Sed dices, hæc quid concludunt pro admissione clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia? Profectò efficacitèr id concludunt, in sententiâ Contradictorum; nàm cum Contradictores plenis buccis conclament, olim unum, & idem fuisse promotionem ad ordines, atque ad ecclesiastica beneficia (indeque inferre contendant, quod nullus ordines ecclesiasticos tunc sortiri posset, cui & non simul contingeret præbendam ecclesiasticam adipisci, quæ in sportulis, & erogationibus, sivè diurnis, sivè mensualibus, consistebat: unde posteà subinfertur, quod sicuti nulli clerico permissum erat ordines sacros extra patriam, sivè nativam Dioecesim, obtinere; ità & nequè liberum erat in alieno loco ecclesiasticum assequi beneficium;) proculdubio, juxtà hujusmodi principium Contradictorum, sivè in eorum sententiâ, verum erit, quod ubi poterant, & nunc etiam possunt, clerici ordines assequi, ibi quoque ecclesiastica possunt assequi beneficia: sed sexto currente Sæculo, juxtà canones præfatorum Conciliorum *Arvernensis, Aurelianensis III. Valentini, Toletani II. & Bracarensis I.* poterant clerici sacris ordinibus insigniri, in alienis Dœcesibus, dummodò nativus eorum Episcopus consentiret; ergò etiam inibi poterant beneficiis ecclesiasticis munerari: Ergò nunc quoquè beneficiis ecclesiasticis ditari poterunt in locis, ubi sunt extranei, dummodò proprii eorum Antistitis concurrat assensus, qui jam nulli clericorum, à nullo Antistitum denegatur.

12. Ast clarius adhùc promovit admissionem clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia *Concilium Arvernense*, de quo loquimur, illâ, nunquam sat laudatâ, epistolâ, quam ad Regem Theodobertum perscripsit, sequentis tenoris: *Domino illustri, atque præcellentissimo domno, & filio Theodoberto Regi, Honoratus, Hilarius, Gregorius, Ruricius, Nicetius, Flavius, Domitianus, Deuterius, Gallus, Dalmatius, Venantius, Gramatius, Lupus, Hesperius, & Desideratus Episcopi. Dum in Arvernâ urbe, ad replicanda canonum instituta, vel studio elucidandæ legis ecclesiasticæ, his, qui dubitatione regendæ vitæ propriæ forsitan premebantur, cultores vestri, Ecclesiarum vestrarum Episcopi, paritèr sederent; plurimorum ad nos, suæ desperationis remedium flagitantium, turba confluxit, sperantes, ut non minùs pro Regni vestri felicitate, quàm pro suâ consolatione, pietatem vestram nostra humilitas exoraret, & per suggestionem nostram justitiæ, & pietatis vestræ auribus intimaretur, ut nullum de rebus, vel possessiunculis propriis alienum pietas vestra permitteret, & dum unius regis quisque potestati, ac Dominio subjacet, in alterius sorte positam cujuscumque, ut adsolet, impetitione non amitteret facultatem.*

13. *Quod nos de vestri culminis justitiâ, & pietate fidentes, non credimus denegandum: ut dùm plurimorum necessitatibus justâ, ut credimus, & Deo placente suggestione consulimus, prosperitatem Regno vestro, & repræsentationem cælestis Domini, per indultam pietatis gratiam augeatis. Undeque reverentissimè, ut dignum est, supplicantes, quæsumus, ut hoc nostræ petitioni divino intuitu pietas vestra non deneget, ut tàm Rectores Ecclesiarum, quàm universi clerici, atque etiàm sæculares, sub Regni vestri conditione manentes, necnon ad domnorum Regum patrum vestrorum dominium pertinentes, de quod in sorte vestrâ est, extraneos, de quod habere proprium semper visi sunt, non permittatis existere: ut securus quicumque pro-*

prie-

prietatem suam possidens, debita tributa dissolvat Domino, in cujus sortem possessio sua pervenit. Quod & thesauris vestris omninò utilius esse censemus, si per pietatem vestram salvata possessio consuetudinariam intulerit functionem, & nos peculiarius vestra clementia consolatur si obtentu hujusce modi petitionis nos quoquè Celsitudo vestra fecerit gratulari (a),

14. Pro hujus epistolę intelligentiâ supponendum est ex historiis, quod, Fredegario teste, *quatuor filii Clodovei, idest Theudericus, Colodomeres, Childebertus, & Chlotharius, Regnum ejus ęquo ordine intèr se diviserunt. Sortitus est Sedem Theudericus Metis, Chlodomeres Aurelianis, Childebertus Parisiis, & Chlotharius Suessionis* (b). Theodoricus major natu valdè infestus fuit rebus Ecclesię, & in illius beneficiis, pręsertim episcopalibus dispensandis, adeò iniquè agens, ut de illo S. Gregorius Turonensis non dubitaverit affirmare, *Theodorici Regis tempore illud iniquum germen ceperat pullulare, ut sacerdotium, aut venderetur à Regibus, aut compararetur à clericis* (c). Obiit autem Theodoricus anno Christi 530. eique successit Theodobertus illius filius (d), Vir, quem hisce expressit lineis Agathias: *erat summoperè audax, & turbolentus, & periculorum prœter modum amans &c. ferox, & arrogans, qui furorem, temeritatemque fortitudinem esse existimabat* (e). Hic paternum Regnum crebris, felicibusque successibus dilatavit, & in extraneas gentes extendit (f): Partem Galliæ, quæ Visigotis suberat occupavit (g). Thuringos, Burgundiones, Alemannos sibi subjecit (h). Italiam, jure jurando non observato, invasit, & usque ad Picenum armis Gallicis inundavit (i). Chlotharium Patruum Regno pellere aggressus est (l). Patris demum impietatem, primis Regni sui annis, est imitatus, donec à D. Nicetio Trevirense carptus, Deoque miracula superaddente, resipuit, & in pium Principem est mutatus (m).

(a) *Sirmond. tom. 1. Conc. Gall. post Concil. Arvern. f. 245.*
(b) *Fredeg. Histor. Franc. apud Duchesne tom. 1 f. 735. & Baron. an. 514. nu 28.*
(c) *S. Greg. Turon. in vit. S. Galli Baron. an. 542. nu. 38. Bin. in not. ad Conc. Arvernense*
(d) *Baron. an. 530. nu 46.*
(e) *Agath. de reb. Justinian. l. 1. Duchesne loc. cit. f. 242.*
(f) *Ex vit. S. Medard. Noviom. Duchesne hist. Franc. to. 1. f. 545.*
(g) *Procop. de bell. Goth. lib. 1. Duchesne loc. cit f. 236.*
(h) *Agathias, & Procop locis citat.*
(i) *Baron. an. 540. 34. Agathias l. 2 & 3.*
(l) *S. Gregor. Turon. de gest. Franc. l. 3 cap. 28.*
(m) *Baron. an. 530. 52. Binius in notis ad Conc. Arvernense.*

15. Dum adhùc ergò laxioribus moribus viveret, nequè plenè confideret de populis sibi novitèr subjugatis, cavere voluit Rex, nè intrà ditionis suæ limites possent Clerici extranei sacerdotia retinere; sed quia hoc Ecclesiasticæ libertati nimium erat adversum; ideò Patres Concilii Arvernensis præfatam ei epistolam transmiserunt, monentes illum, ut ab inceptis desisteret, crederetque se tali cessatione non parum suo Regno, & regimini profuturum, Deumque sibi propitium redditurum, quem præfatæ libertatis læsione sibi fecerat indignatum. Et nè putemus, quod Concilium de solis laicis eloquatur, attendamus, quod nedùm sęculares, sed etiam Clericos exprimit: Nè quoquè cogitemus, epistolam pro bonis tantùm patrimonialibus perorare, perpendamus ejusmet verba, & inveniemus, illam bona etiam beneficialia complecti; rogat enim, *ut tàm Rectores Ecclesiarum, quàm universi Clerici* (n), de cujuscumque dominio sint, bonis in ejus regno constitutis, & ad se pertinentibus, liberè perfrui permittantur: bonis nimirùm Ecclesiarum, quarum rectores erant, & sic Ecclesiasticis beneficiis, quæ in ipsorum bonorum fruitione consistere noscebantur. Itaque memoratæ epistolæ tenore, ac Synodi, eandem transmittentis communi sensu docemur, sine justitiæ, & libertatis Ecclesiasticæ violatione, non posse Clericos extraneos à beneficiorum Ecclesiasticorum consecutione, ac possessione repelli: adeòque liberum, & licitum esse Ecclesiæ, beneficia sua non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

(n) *Epistola Concil. Arvern. ap. Sirmond. to. 1. Conc. Gall. f. 245.*

16. Facit ad hæc id, quod in vitâ B. Mauri Abbatis, de ipso Rege Theodoberto refertur: nimirùm quod ipse Sanctus Vir, in Galliam à Beato Benedicto directus, ut inibi Cœnobiis ædificatis, vitam monasticam propagaret; voti compos fieri non poterat, eo quià Domnulus Episcopus Cenomanensis obsistebat. Quarè S. Maurus cum suis sociis, officia implorarunt Flori, Viri clarissimi, familiaris, & dilectissimi Theodoberto Regi, ut Regem ipsum obsecraret prò gratiâ, quam poscebant. Theodobertus ergò rei serie auditâ, illi sinè dilatione respondit: Vade, *perge quantòcius, & nostrâ comitatus gratiâ, ac roboratus auctoritate,*

tate, eosdem sanctissimos viros omni suscipe reverentiâ, peragens eum eis desiderium, quod animo tuo superna inspiravit dignatio, &c. Paratissimos etenim nos, atquè promptissimos in omni suo invenient obsequio, si formam Religionis hujus ità ab eis observari compererimus, sicut jam fama vulgante ab eorum magistro arduè satis eam traditam audivimus. Tuum verò erit artifices illùc ad operandum ubicumque eos in omni nostrâ inveneris potestate adducere, & adunare, ut opus ipsum celerius possit expleri (*a*).

17. His actis Florus adepto ministerio se accinxit: Et quia S. Maurus noluit structuræ Monasterii opus incipere, nisi ei talium bonorum possessio traderetur, quibus Monachorum quieti, & securitati consultum esset; Florus ipse bona sibi competentia eidem concessit in perpetuum possidenda, & sic erectum est Monasterium(*b*). Quę tamen bona Florus concedere non potuisset ad fundandum beneficium favore extraneorum, si extraneis beneficia sacra conferre crimen esset, divino, naturali, & humano jure damnatum, uti decantant Contradictores. Porrò nullum latet, quod Abbatia regularis intèr beneficia Ecclesiastica computatur (*c*). Et cum ipse monachatus etiam, in sententia Contradictorum, sit Ecclesiasticum beneficium (*d*), sicuti quot sunt Monachi, totidem sunt beneficiarii (*e*), ità multò magis quot sunt Monasteria, tot sunt Ecclesiastica beneficia. Itaquè renuente Domnulo Episcopo Cenomanensi admittere S. Maurum, natione Italum, & Romanum, ac consequentèr extraneum, ad Monasterium ædificandum, sicquè ad beneficium Ecclesiasticum intrà Diœcesis suæ terminos assequendum; Rex Theodobertus, jam benè conscius, non tàm indigenas, quàm extraneos, dummodò probos, & de Ecclesiâ benemeritos, beneficiorum Ecclesiasticorum esse capaces; suam regiam auctoritatem prò præfati D. Mauri, & sociorum ejus admissione interposuit: factoque suo demonstravit, verùm esse id, quod nos hìc theoricè demostramus, nimirùm esse in libertate Ecclesiæ beneficia Ecclesiastica, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiri.

18. Eodem sexto Christi sæculo decurrente convenerunt Episcopi in *Conciliis Arelatensibus* quarto, & quinto; quorum utrumque fuit Provinciale, alterum anno Christi 541. congregatum, ex 38. Episcopis: alterum octennio post celebratum, ex Præsulibus quinquaginta (*f*). In eis plurima sancita sunt, ad rem nostram facientia: & signantèr editi sunt canones, qui sequuntur: *In oratoriis Domini prædiorum minimè contrà votum Episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, peregrinos Clericos intromittant, nisi forsitàn quos probatos ibidem districtio Pontificis observare præceperit* (*g*), Solebant mundi Magnates, ac viri divites Oratoria, & Ecclesias in eorum villis, vel propè illas, erigere, ad proprium, & eorum familiæ commodum, nutuque suo Clericos undecumquè accersere, qui inibi officia sacra persolverent, & reditus dotales illarummet Ecclesiarum perciperent, seù, quod in idem recidit, beneficia Ecclesiastica in eisdem Ecclesiis erecta, possiderent.

19. Vetuit autem Concilium Aurelianense IV. id fieri, tùm nè bona, & beneficia Ecclesiastica ulli sinè auctoritate Antistitis conferrentur, tùm etiam nè Clerici gyrovagi, ignoti, aliquo Canonico impedimento irretiti, vel aliàs ab Episcopo non probati, in illius Diœcesi sacra mysteria, & functiones Ecclesiasticas exercerent: sed si Episcopo constaret de illorum probitate, & sufficientiâ, admitti posse voluit, quantumcumque essent extranei. Quinimò positâ præfatâ illorum sufficientiâ, & probitate, videtur Concilium jussisse illos admittendos (habita semper ratione, quod cæteris paribus indigenæ extraneis præferantur). Ubi etenim canon dicit, *quos probatos ibidem districtio Pontificis observare præceperit*, alia editio apud Sirmondum habet, *discretio Pontificis* (*h*), itaut non absoluta, & irrationabilis, sed discreta, & rationabilis debeat esse Clericorum extraneorum repulsio ab Ecclesiasticis beneficiis, ratione defectus probitatis, & sufficientiæ: hoc verò defectu cessante, sit omninò in Episco-

pi

(a) *Vit. S. Mauri ap Surium 15. Januar. c. 25. & ap. Duchesne hist. Franc. to. 1. f. 539.*

(b) *Surius, & Duchesne loc. cit.*

(c) *Card. de Luca de benef disc. 97. nu. 17.*

(d) *Barbos. Jur. Eccles. univ. lib. 3. c. 4. nu. 69.*

(e) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 13. nu. 1.*

(f) *Concil. Aurel. 4. an. 541. & Aurel. 5. an. 549 ap. Sirmond. tom. 1. Conc. Gall. fol. 268. & 284.*

(g) *Concil. Aurel. 4. c. 7.*

(h) *Sirmond. in not. ad Conc. Aurel 4. c. 7. to. 1. Conc. Gall. f. 608.*

pi arbitrio Clericos omnes, undecumque venientes, ad officia, & ministeria Ecclesiastica, intrà ditionis suæ metas admittere. Et quod dicitur de Episcopo, dicitur etiam de aliis locorum Ordinariis, vel Delegatis beneficiorum Collatoribus, & multò magis de Summo Pontifice, qui est supremus omnium beneficiorum Ecclesiæ distributor, & administrator.

20. Prosequitur idem Concilium Aurelianense IV. & alium adjungit canonem sic sonantem: *si quis Episcopus alterius Ecclesiæ clerico de facultatibus suæ Ecclesiæ aliquid sub titulo quocumque donaverit, post ejus obitum, qui acceperit, ad Ecclesiæ jus, de cujus facultate discesserat revertatur; quià iniquum est, ut sub hac specie damnum Ecclesia, quæ multis subvenit, patiatur* (a). Notetur verbum illud *donaverit*, quod *collationem* significat: donatio enim juxtà morem loquendi illorum temporum; quinimo & in jure, pro collatione usurpatur (b): & ideò Collatorem beneficiorum donationem exercere firmant Doctores (c). Igitur hujusmodi sanctione permittitur Episcopo unius Ecclesiæ, beneficium clerico alterius Ecclesiæ conferre, illâ tantum adjectâ lege, cavendi, ut finito cum clerici recipientis vitâ, beneficii recepti usufructu; beneficium ipsum, seu res in beneficium ad usufructuandum collatæ, ad Ecclesiam, à quâ discesserant revertantur, ut alteri clerico in beneficium denuo conferantur.

21. Clericus ille, de quo loquitur præfatum Concilium, sinè dubiò est extraneus respectu Episcopi alterius Ecclesiæ, beneficium illum ecclesiasticùm conferentis. Concilium ergò vult, quod sit in Episcopi potestate, quandò, quotiès, & quem clericum extraneum mavult, beneficiis, ad suam collationem pertinentibus, munerare. Seculo igitur Christi Sexto, nedum vigebat mos admittendi clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia; sed etiam hoc expresso canone fuerunt pro admissibilibus pronuntiati: & si libertas fuit Episcopis attributa conferendi beneficia, ad suam dispositionem spectantia, etiam clericis extraneis; profectò eadem libertas communis est facta cæteris quoque Prælatis, omnibusque, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum collatoribus: si autem usque ab illius Concilii tempore, libertas hæc fuit tàm Episcopis, quàm aliis beneficiorum largitoribus impertita, qui & eàdem usque nunc sunt potiti; eccur modò sunt illâ spoliandi? Cur hæc ipsamet libertas abscindenda est Summo Pontifici, supremo beneficiorum dispensatori, & ejusdemmet libertatis usque ad hæc tempora legitimo possessori, si vigore memorati Concilii, detrahi non potest Episcopis, aliisque subalternis beneficiorum distributoribus?

22. Concilium posteà Aurelianense V. hæc inter cætera definivit, *ut nullus clericum, seù Lectorem alienum, sinè sui concessione Episcopi, vel promovere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vendicare*: apponitque pœnam suspensionis clericis hoc modo discedentibus, & suspensionis per sex menses Episcopis, eos apud se recipientibus (d). Recurrit autèm hic argumentum non semel superius per nos propositum (e), nimirùm, quod secundùm principia Contradictorum, idem erat olim clericos ordine insignire, & beneficio donare, adeo ut in eorum sententiâ, qui ad ordines provehebatur, ad sportulas quoque junctim admissus, uno, & eódem tempore, sacris ordinibus, & beneficio ecclesiastico evaderet insignitus. Juxta canonem hunc autèm erat in potestate Episcopi, permittere, seu consensum præbere, ut ejus clericus alibi ad ordines, & consequenter etiam ad beneficia ab alio Episcopo promoveretur, apud quem erat extraneus. Si tunc res ità se habebat, idipsum erit, & nunc. Undè quoties proprius Episcopus Clerico assensum præbuerit alibi beneficia ecclesiastica suscipiendi (qui nunquam clericis extraneis deest, nec ulla ex tunc supervenit lex susceptionem istam interdicens) profectò clericus, sivè clerici extranei licitè non poterunt ab eisdem beneficiis repelli.

23. Addit Concilium alium Canonem, sub hisce terminis conceptum: *Nullus Episcoporum, aut cujuslibet ordinis clericus, vel alia quæcumque persona quibusli-*

(a) *Concil. Aurel. 4. c. 36.*

(b) *Cap. quia diversitatem 5. de Concess. præbend.*

(c) *Cosm. in pragm. sanc. tit. de coll. f. 135. Barbos. in d. cap. quia diversitatem nu. 5 Fagnan. in cap. postulasti nu. 5. de concess. præbend. & in cap. cum accessissent nu. 9. de Constit. lib. 3.*

(d) *Concil. Aurel. 5. an. 552. c. 5.*

(e) *Vid. in hoc capit. supr. nu. 9. 10. 11.*

buslibet conditionibus, seu in uno Regno, seu in alio positus, alterius cujuscumque Ecclesiæ res aut petat, aut præsumat accipere. Quod si fecerit, tamdiu habeatur à Communione altaris, vel omnium fratrum, ac filiorum charitate suspensus, donec ipsi Ecclesiæ, cujus directo ordine res est ablata, restituatur (a). Ipsa vis verborum, quibus canon hic est compactus, indicare videtur, quod eo tempore invalesceret abusio, quâ Episcopi, clerici, & laici quoque, unius Regni, res Ecclesiarum alterius Regni ad se trahere, usurpare, vel alitèr sibi satagerent arrogare: eo forte incitati stimulo, quo sibi persuaderent, bona ecclesiastica, intrà fines unius Regni contenta, non debere ad Ecclesias, in alio Regno positas, pertinere. Concilium autèm hujusmodi interversionem bonorum, ad Ecclesias spectantium, interdicit: quippè jura ecclesiastica, ditionum temporalium confiniis non arctantur, nec territorium spirituale à territorii temporalis limitibus definitur (b).

24. Quo posito, venit ex consequenti, quod si Ecclesiæ unius Regni impediri non valent, nè rebus, & bonis potiantur, intrà fines alterius Regni constitutis; nec etiàm obsisti poterit, nè clerici unius Regni Ecclesias alterius Regni valeant adipisci. Ecclesia etenim est corpus morale, ex clericis consistens, ad eandem pertinentibus (c), ità ut quidquid possidet aliqua determinata Ecclesia, non illa possideat uti corpus materiale, ex muris, lapidibus, & cæmentis constructum, sed uti corpus morale, à clericis ad Ecclesiam ipsam spectantibus, repræsentatum: adeòque si licitum est Ecclesiæ extraneæ bona ecclesiastica in alieno Regno possidere; licitum erit etiàm clerico extraneo beneficium, ex ipsis bonis ecclesiasticis conflatum, tametsi in alieno Regno positis, adipisci: quoad hoc etenim Ecclesia, & clericus; clericus, & Ecclesia, dicuntur ad convertentiam; quodque uni conceditur, non videtur alteri denegandum. Et ità ex præfatis Conciliis Aurelianensibus IV. & V. multiformitèr probatum remanet, clericos quoquè extraneos esse admittendos ad ecclesiastica beneficia.

25. Successivè habitum est *Concilium Lucense* in Gallæcia Hispaniæ, Christi anno 572. (d). Tuncque S. Martinus Bracarensis, collectionem quandam antiquiorum canonum à se factam, Patribus, in ipsâ Lucensi Synodo congregatis, transmisit (e), quorum unum ità proloquitur: *si quis Episcopus vacans, in Ecclesiam non habentem Episcopum subripiens populos, sinè Concilio integri ordinis, irruerit; etiàm si populus, quem seduxit, desideret illum, alienum eum ab Ecclesiâ esse oportet. Integrum autem, & perfectum Concilium dicimus illud, in quo Metropolitanus Episcopus fuerit* (f). Loquitur iste canon de Episcopis vacantibus, nempè de illis, qui vel Ecclesias, quibus præfuerant, aliquâ ratione dimiscrant; vel qui in Ecclesiis, pro quibus consecrati fuerant Antistites, absque suâ culpâ recepti non erant: vel qui aliquâ aliâ de causâ, loco carebant, ubi episcopale officium exercerent. Hos vetat canon præfatus, ne *sinè Concilio integri ordinis* Ecclesias viduas assequantur: ergò à contrario sensu, *cum Concilio integri ordinis*, illas poterant adipisci: argumentum etenim à contrario sensu validissimum est (g), & id, quod in jure per illud probatur, per textum dicitur comprobari (h).

26. Proculdubio autèm Episcopi illi vacantes erant extranei, vel ab Ecclesiâ, pro quâ ab initio fuerant ordinati; vel ab illâ, quam *cum Concilio integri ordinis* poterant adipisci: & tamèn, non obstante ipsâ extraneitate, optimè illis permissum esse voluit canon episcopale assequi beneficium, dummodò Concilii assensus accederet. Memorant iidem canones Episcopos vacantes, sinè propriâ culpâ, à suis populis non receptos (i), ac dicunt, quod Antistes non à populo, non à prædecessore præsule, non ab aliis demùm, sed à solis Comprovincialibus Episcopis, insimul cum Metropolitano convenientibus, eligi debent (l). Idcircò canon, de quo loquimur, arcuit vacantes Præsules à vacuis episcopalibus beneficiis, nisi provinciales Episcopi eorum promotioni assensum præberent. Itàque in potestate esse voluit Episcoporum, ad quos tunc spectabat beneficia episcopalia largiri, ea vacantibus Episcopis, & consequentèr extraneis impertiri. Quarè cum eadem sit ratio

(a) *Conc. Aurel. 5. an. 552. c. 14.*

(b) *Glos. verb. Diœcesis in Clem. Romani de elect. Seraph. decis. 1341. nu. 10 Barbos. de off. & potest Episcopi p. 1. lib. 1. c. 7. n. 15.*

(c) *Vid. Cod. in tit. de Sacros. Eccles. Barbos Jur. Eccl. univers. l. 2. c. 1. nu. 4.*

(d) *Card. Baron. an. 572. nu. 10.*

(e) *Card. Baron. an. 572. nu. 12. Binius ad Concil. Lucens. 2. in to. 4. Concil. f. 453.*

(f) *Concil. Lucens. 2. seu canon. Mart. Bracar. ibi c. 8. Bin. tom. 4. Conc. f. 457.*

(g) *L. qui testamento §. Mulier ff. de testam. L. si procuratorem §. si ignorantes ff. mandati L. si quis locuples 57 ff. de manuscriptis testam.*

(h) *Barbos. tract. var. loc. 27. nu. 1. cum aliis &c.*

(i) *Conc. Lucens. 2. seu Martin. Bracar. c. 10.*

(l) *Ibidem c. 3. 2. & 8.*

tio de beneficiis episcopalibus, ac de aliis ordinis inferioris; parque concurrat utrobique ratio, sivè beneficia ab Episcopis singularitèr, sivè collegialiter conferantur, & sivè unus sivè alius sit eorundem collator; sequitur, quod juxtà præsentis canonis tenorem, in libertate collatorum est beneficiis ecclesiasticis etiam clericos extraneos insignire.

27. In eadem serie canonum, Concilio Lucensi per Martinum Bracarensem transmissâ, est alia sanctio, ità disponens: *Si quis in contemptu positus, Presbyter, vel Diaconus, vel quicumque ex Clero recesserit ab Ecclesiâ, nullo modò in aliâ suscipiatur Ecclesiâ, sed omninò compellatur, ut ad suam revertatur Ecclesiam. Si autem permanserit in superbiam, & reverti noluerit, excommunicetur, & proiiciatur. Si quis autem Episcopus ausus fuerit eum in suâ Ecclesiâ ordinare, non consentiente Episcopo suo, à quo recessit, ordinatio ejus vacua reputetur* (*a*). Recurrit iterùm hic argumentum, jam superiùs inculcatum; quod cum in sententiâ Contradictorum, idem sit ordine, & beneficio Ecclesiastico decorari (*b*), rationeque à contrario sensu petita, optima sit ad aliquid probandum (*c*); sequitur, quod assentiente proprio Episcopo, Clerici, alibi extrà diœcesim, ad quam pertinent, promovendi; poterunt non obstante extraneitate, ordinibus, & multò magis beneficiis Ecclesiasticis munerari; plus est enim Clericum extraneum ad ordines, quam ad præbendas sacras admitti. Et ità sivè ordines attendamus, sivè beneficia, bini hi canones, Concilio Lucensi per Martinum Bracarensem exhibiti, clarè docent, in plenâ libertate Episcopi esse res talitèr disponere, ut extranei quoquè Clerici valeant ecclesiastica beneficia nancisci.

(a) *Ibidem. c. 33.*

(b) *Vid. in hoc. Capitulo nu 9. 10. 11. 23.*

(c) *Vid. hic supr. nu. 25.*

28. Sed quod Martinus Bracarensis præfatis canonibus insinuavit, ad praxim quoquè totalem suis factis redegit: ipse namque in Pannoniâ exortus (*d*), seù, ut ait S. Isidorus Hispalensis, *ex Orientis partibus navigans in Gallæciam venit, ibique conversis ab Arrianâ impietate ad fidem Catholicam Suevorum populis, regulam fidei, & sanctæ religionis constituit &c.* (*e*). Erat Presbyter Martinus, quandò è patriâ, Gallæciam petiturus, discessit (*f*). Ubi postquam pervenit, Abbas Dumiensis evasit: & deindè factus est Archiepiscopus Bracarensis (*g*), functoque per triginta circitèr annos munere Pastorali; meritis plenus, migravit ad Dominum, ac in tabulis Ecclesiasticis est Sanctorum fastis adscriptus (*h*). Igitur sanctus iste vir primò beneficium Abbatiale, & deindè beneficium Archiepiscopale obtinuit in Gallæcia, à quâ erat nedùm extradiœcesanus, sed etiàm extraprovincialis, extranationalis, & omnibus numeris extraneus: nempè Orientalis inter Occidentales; Pannonius inter Hispanos: quod certè non fecisset vir adeò sanctus, & doctus, nisi optimè sibi consciùs, & persuasus, nullum violari jus per susceptionem beneficiorum Ecclesiasticorum in locis, ubi susceptor inter Clericos extraneos computatur.

(d) *Spondan. an. 560. nu. 3*

(e) *S. Isidor. de vir. illust. c. 35 fol. 785.*

(f) *Baron. an. 560. nu. 10.*

(g) *Loaisa in not. ad Conc. 2. Bracar. apud Bin. to. 4. f. 451. Not. ad S. Isidor. loc. cit.*

(h(*Baron. an. 583. 39. Spondan. eod. anno nu. 6.*

29. Ab Hispania retrocedamus in Galliam, ut perpendamus quid per hæc tempora factum sit in *Concilio Santonensi*, celebrato anno Christi 563. Sexennio anteà fuerat habitum Concilium Parisiense III. cui inter alios Præsules subscripserat Leontius Burdigalensis (*i*): & in canone octavo fuerat districtâ prohibitione interdictum, nè beneficium Episcopale quisquam præsumeret adipisci, *nisi quem populi, & Clericorum electio plenissimâ quæsierit voluntate; non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contrà Metropolis voluntatem, vel Episcoporum Comprovincialium ingeratur. Quod si per Ordinationem Regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimiâ temeritate præsumpserit, à Comprovincialibus loci ipsius Episcopus recipi nullatenùs mereatur, quem indebitè ordinatum agnoscunt* (*l*). Verùm non obstante hac sanctione Emerius Aulam Chlotharii Regis frequentans, ab eodem petiit, & obtinuit, Santonensi Ecclesiæ, paulò post vacanti, præfici: neque populi Santonensis, neque Comprovincialium Episcoporum, neque Leontii Metropolitani electione, & respectivè consensu, ad normam præfati canonis requisito (*m*).

(i) *Concil. Paris. 3. an. 557. & ibi Binius in notis. Baron. anno 559. 32.*

(l) *Concil. Paris. 3. c. 8. Iuo Carnot. par. 5. c. 123.*

(m) *Sirmond. in Conc. Santon an. 563. tom. 1. Conc. Gall. f. 323.*

30. Leon-

30. Leontius itaquè Burdigalensis, auditâ provectione Emerii, adversus canones intentatâ, convocavit Episcopos, suæ Metropoli suffraganeos, in Urbe Santonensi, qui omnes Emerio deposito, tamquam non per electionem legitimam, sed per Regiam potestatem in eâ sede introducto, Heraclium Presbyterum Burdigalensem illi, votis consonis subrogarunt, quem etiam nuncium earum rerum, quas gesserant, Chariberto Regi, Chlotharii defuncti filio transmiserunt. Rex verò hiscè auditis, novum Electum in plaustro spinis pleno conjectum in exilium protrudit, & Leontium, atquè alios ejus Coepiscopos, pœnâ quadam pecuniariâ mulctavit: nec non Emerium illi sedi rursus intrusit. Rem totam narrat S. Gregorius Turronensis, his verbis: *Hujus Regis tempore*, nempè Chariberti, *apud Urbem Santonicam Leontius, congregatis Provinciæ suæ Episcopis, Emerium ab Episcopatu depulit, asserens non canonicè fuisse hoc honore donatum. Decretum enim Regis Chlotharii habuerat, ut absque Metropolitani consilio benedicere tur, qui non erat præsens. Quo ejecto consensum fecere in Heraclium, tunc Burdegalensis Ecclesiæ Presbyterum: quod Regi Chariberto subscriptum propriis manibus, per nuncupatum Presbyterum transmiserunt &c.* (a).

31. Et post plura: *Hoc eo dicente frendens Rex eum à suis conspectibus extrahi jussit, & plaustro spinis supplex imponi desuper, & in exilium protrudi præcepit, dicens: Putasnè quod non est super quisquam de filiis Chlotharii Regis, qui Patris facta custodiat: quod hi Episcopum, quem ejus voluntas elegit absque nostro judicio projecerunt. Et statim directis viris religiosis Episcopum in loco restituit: dirigens etiam quosdam de Camerariis suis, qui exactis à Leontio Episcopo mille aureis, reliquos juxta possibilitatem condemnarent Episcopos. Et sic patris est ultus injuriam* (b). Erat extraneus Emerius à Santonensi sede, ad quam è Palatio Regali missus accesserat, nec populo, nequè Clero, nequè Coepiscopis assentientibus, qui consensum viro indigeuæ non negassent: Et tamèn Leontius Metropolitanus, totumque Concilium, ex Episcopis provinciæ Burdigalensis compositum, causam quærentes exhautorationis Emerii, non ei extraneitatem objecerunt, sed intrusionem per potentiam laicalem.

(a) *S. Greg. Turon. hist. Franc. l. 4. cap. 26. Bin. to. 4. in Conc. Santon. Baron. an. 566. nu. 16. Bibl. Patr. to. 6 p. 2.*

(b) *Idem S. Greg. Turon. loc. citat. Sirmond. in Conc. Santon. to. 1. Concil. Gall. fol. 319.*

32. Paulus Leontius, & Episcopi præfati de throno proiicientes Emerium, illi Heraclium Presbyterum Burdigalensem, & consequenter ab Ecclesiâ Santonensi extraneum, subrogarunt: quomodo quæso Extraneo depulso, alium extraneum ingesserunt: Et in culpam vocantes Emerium, quod illegitimè fuisset per potentiam laicalem intrusus contrà jus canonicum, ipsi in vitium deteriùs impegerunt, præficiendi Ecclesiæ Santonensi virum extraneum, contrà jus Divinum, naturale, & humanum, uti contendunt Contradictores? Certè hoc totum non alia ratione potuit accidisse, nisi ex eo, quod prò certo haberent, viros extraneos, dummodò dignos, posse beneficiis Ecclesiasticis insigniri. At dices, Charibertus Rex provectionem Heraclii extranei impedivit. Esto: sed primò, *hæc tyrannicè Rex* effecit, inquit Baronius (c): *tantùm autem valent Principes, opinionem veritati præferentes, quantùm prædones in solitudine* (d). Secundò, Rex impedivit provectionem Heraclii extranei, ut intrusionem Emerii, itidem extranei, sustineret: Ergò si injustè se gessit; justitiæ decreti per Concilium Santonense editi non detraxit: Si justè operatus est; justitiam admissionis Clericorum extraneorum ab Ecclesiastica beneficia promovit: Et ità quocumque modò eventus Santonensis Synodi suscipiatur, causa admissionis Clericorum extraneorum ad beneficia Ecclesiastica semper efficacissimè confovetur.

(c) *Card. Baron. an. 566. nu. 16. 17.*

(d) *S. Justin. Apol. ad Antonin. Pium.*

33. Et quià Leontii Burdigalensis mentionem fecimus, Viri sanctitate præclari, utpotè cujus nomen in Martyrologio Gallicano descriptum est (e); non abs rè erit adnotasse, quod ipse fuit Origine Romanus, de quo cecinit Venantius Fortunatus: *nobilitas altum ducens ab origine nomen, quale genus Romæ fortè senatus habet: & quamvis celso flueret de sanguine patrum, hic propriis meritis crescere fecit avos* (f). Originem inquam Româ duxit sed ortum apud Santones habuit (g), & ità fuit

(e) *Martyrol. Gall. Saussai 15 Novembris & in suppl. 17. Novembris.*

(f) *Venan. Fortun. Carmin. l. 4. epitaph. 10.*

(g) *Andr. Saussai. in Martyrol. Gallic. die 15. Novembris.*

fuit extraneus ab Ecclesiâ Burdigalensi, at nihilominùs in eâ meruit Archiepiscopale beneficium adipisci. Nèc Rex Charibertus, neque Emerius Santonensis, ab eo impugnati, quod canones violassent, in illum retorserunt graviorem violationem canonum, per ipsum factam, susceptionis nimirùm beneficii Archiepiscopalis in loco, a quo erat extraneus, contrà divinum, naturale, atque humanum jus, à Contradictoribus decantatum. Omittimus ejusdem Leontii liberalitatem in exteros, & peregrinos, quam ità graphicè descripsit idem Venantius; *Longius extremo si quis properasset ab orbe advena, mox vidit, hunc ait esse patrem* (a).

34. Omittimus quoquè profusam ejusdem Leontii munificentiam in sacris ædibus erigendis, nedùm Burdigalę, ubi jam erat Episcopus; verùm etiàm alibi, & præsertim in Urbe Santonensi, ubi S. Bibiani Basilicam, & ab Eusebio incœptam, & ab Emerio non continuatam, ipse propriis impensis explevit; sic modulante carmina de hac rè musâ Venantii: *Nec solùm hic*, (Burdigalæ) *sed ubiquè emicant tua templa sacerdos, inter quæ plaudens Santtonus illa docet* (b): *Quæ præsul fundavit ovans Eusebius olim, nè tamen expleret raptus ab orbe fuit. Cui mox Emerius successit in arce sacerdos, sed cæptum, ut solveret, ferre recusat onus. Qui precibus commisit opus tibi Papa Leonti, cujus ad hoc votum jugitèr instat amor* (c). Ex quibus deducendo argumentum, à parte ad partem, vel à parte ad totum, quod est satis validum, & efficax (d), infertur, quod Leontius, & suscipiendo beneficium Archiepiscopale in loco, à quo erat extraneus: & expendendo reditus sui beneficii in sublevandis extraneis ad illum concurrentibus: & iisdem reditibus ædificando Ecclesias in locis à se jam extraneis constitutas: & Emerio vitium extraneitatis non obiiciens: & Heraclium ad episcopale beneficium Ecclesiæ Santonensis promovens, illius extraneitate nullatenus impugnatâ; multiplicitèr docuit, & suum sensum esse, & Ecclesiam illo tempore in eo sensu fuisse, quod liberum, & licitum esset, ac semper esse debeat Ecclesiæ, beneficia sacra non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

(a) *Venant. Fortun. loc. cit. Baron. an. 566. nu. 18. 19.*

(b) *Venant. Fortun. l. 1. carm. 15.*

(c) *Idem lib. 1. carmin. 12.*

(d) *Barbos. tract. var. loc. 82.*

CAPUT XII

In quo ex factis, & dictis plurium Summorum Pontificum, qui sexto Christi Sæculo *floruerunt, & prę sertìm* Symmachi, Hormisdæ, Pelagii IJ. *& aliorum, ostenditur, liberum esse Ecclesiæ Beneficia, & Prębendas Ecclesiasticas, non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiri.*

SUMMARIUM.

1. *Contendentibus de Papatu* S. Symmacho, *& Laurentio, celebratum est Romæ Concilium, cui Episcopi plures interfuere ex Regno Neapolitano.*
2. *Tandèm Pontificatus obtigit Symmacho Sardo. Laurentius verò Romanus, ex gratia beneficio Episcopali Nucerino donatus est.*
3. *Patres Concilii non ignorabant, an obesset extraneitas; Laurentius non illam Symmacho objecit: nec fuit super ea dispensatum.*
4. *S. Symmachus captivos extraneos redimebat, & 220. Episcopis Africanis exulibus annualia subsidia porrigebat. Pauperes sunt beneficiarii Ecclesiæ.*

5 *Idem Symmachus S. Cæsario Arelatensi scripsit, nè bona Ecclesiæ alienarentur, nisi ad tempus, dando illa Clericis, vel Monasteriis, vel peregrinis.*

6 *Peregrini non sunt indigenæ, sed extranei, qui si sunt capaces bonorum Ecclesiæ, multò magis capaces eorum sunt Clerici.*

7 *Mortuo Symmacho, sub quo plura edita fuerant decreta prò electione Pontificis, electus est* Hormisdas. *Quisque sit civis loci, in quo habet beneficium.*

8 *Hormisdæ congratulatus est S. Remigius Remensis. Clodoveus Rex Francorum, coronam gemmis ornatam, & Justinus Cæsar alia ei donaria misit.*

9 *S. Ennodius Ticinensis scribit Symmacho Papæ, ut cuidam viro ingenuo, Romam proficiscenti, beneficia suæ largitatis impendat.*

10 *Idem similia de alio scribit Hormisdæ, tunc Diacono, cui & Pontificatum prænuntiat. Ennodius, natione Gallus, Papiæ Diaconatum, & Episcopatum obtinuit.*

11 *Textus refertur utriusque epistolæ, ab Ennodio scriptæ Hormisdæ, & Symmacho, commendans eis virum quendam, cui nomen Beatus.*

12 *De beneficiis Ecclesiasticis Ennodius loquitur, quæ non poposcisset, si agnovisset, extraneitatem ab illis arcere. Roma est patria communis.*

13 *S. Ennodius, S. Symmachus, & S. Hormisdas, beneficia consecuti, in locis, à quibus erant extranei, aliisque illorum gestis, favent extraneis.*

14 *Plures alii viri sublimes, Pontificatum hoc sæculo tenuerunt: qui non illum suscepissent, si extraneos à beneficiis Ecclesiasticis repulisset.*

15 *Roma est Caput omnium nationum, & Romana Ecclesia est mater, ac Magistra aliarum, ideò si Romæ ad beneficia admittuntur extranei, cur non alibi?*

16 *Pelagius PP.* 11. *Benigno Archiepiscopo licere ait Episcopis de unâ ad aliam Ecclesiam transire. Benignus Archiepiscopus Heracleæ Theodori Mopsvesteni librum notavit.*

17 *Theodorus priùs Clero Antiochiæ, indè Ecclesiæ Tarsensis insertus est, ac demum Episcopatum apud Mopsvestiam obtinuit.*

18 *Polychronius frater Theodori Mopsvesteni erat Episcopus Apameensis, tamen neutro ex his fratribus imputatum est ad cuplam extraneitas.*

19 *Textus epistolæ Pelagii Papæ* 11. *ad Benignum Archiepiscopum refertur. Aliud est mutare sedem ex se, aliud à superiore mutari.*

20 *Canones prohibent spontè sedes mutare, non auctoritate superiorum transferri.*

21 *Quis culpet S. Petrum de Antiochenâ sede ad Romanam proficiscentem? Quis Sanctos Alexandrum, Nazianzenum, Proclum &c. qui sedes mutarunt &c.*

22 *Non intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui negant mutari posse Episcopos, de unâ ad aliam Ecclesiam: ex invidiâ tales quæstiones moventur.*

23 *Obedit Deo, qui causâ persecutionis, vel necessitatis, aut utilitatis, de unâ sede migrat ad aliam.*

24 *Ipse Christus de loco in locum secessit, dans discipulis exemplum de Civitate ad Civitatem, cum justa subest causa, migrandi.*

25 *Peccant qui impediunt migrationem Præsulis de unâ ad aliam sedem, quando adest causa utilitatis, vel necessitatis &c.*

26 *Liberè ergo mutentur Episcopi de Ecclesia ad Ecclesiam, dummodo non ex avaritiâ, vel arrogantiâ, sed ex necessitate, vel utilitate id fiat.*

27 *Si licitum est, ex causâ Episcopatus mutare, multò magis licitum est mutare beneficia minoris ordinis, legitimi superioris auctoritate.*

28 *Admissâ justitiâ transitionis Clerici de uno ad aliud beneficium, sequitur justitia admissionis Clerici extranei ad beneficia.*

29 *Quæ si licita est per viam translationis; licita erit etiam per viam liberæ collationis: nam collatio, electio, præsentatio, translatio, quoad hoc paria sunt.*

30 *Nec translatio est solum licita quoad beneficia residentialia, sed etiam quoad simplicia. Contradictores in hoc verbis non concordant.*

31 *Be-*

31 *Beneficiatus non fit Civis, & indigena loci sui beneficii, eo quod hoc habeat onus residentiæ, sed ex eo, quod ipse habet beneficium in titulum.*

32 *Itaque vi Constitutionis Pelagii Papæ II. Clericis extraneis patet aditus, nedùm ad beneficia residentialia, sed etiam ad merè simplicia.*

1. ANASTASIO II. Romano Pontifice viam universæ carnis ingresso, schisma quintum in Romanâ Ecclesiâ successit, eligentibus aliis *S. Symmachum*, aliis Cælium Laurentium, quorum primus apud Lateranum, secundus verò apud Basilicam Liberianam se contulit residere (*a*). Ex quâ cleri, & populi divisione, cædes, homicidia, & alia multa mala eveniebant, de quibus Historici (*b*). Ad rem ergò componendam, partes auctoritatem Theodorici Gothorum Regis, implorarunt, qui mandavit, ut ex competioribus ille, *qui primus ordinatus fuisset, vel cui maxima pars consentiret, ipse teneret Sedem Apostolicam* (*c*). Sed quià hoc erat obscurum per obscurum dilucidare, collecta fuit Synodns 72. Episcoporum, à quâ & de prioritate ordinationis, & de pluralitate suffragiorum, quæ in illum concurrerant, sententia proferretur. Adfuerunt hujusmodi Concilio plurimi Episcopi, ex Regno Neapolitano collecti, quos inter Stephanus Neapolitanus, Serenus Nolanus, Valentinus Amiternensis, Gaudentius Salernitanus, Justus Acherontinus, Palladius Sulmontinus, Quintus Theatinus, Rufinus Canusinus, Rosarius Surrentinus, Aucupius Puteolanus, Clarus Aliphanus, Constantinus Capuanus, Constantinus Venafranus, & alii (*d*).

(a) *Anastas. Bibliot. in Symmach.*
(b) *Anastas. loc. cit. Ciaccon. vit. Pont. in Symmach. Niceph. l. 16. c. 36.*
(c) *Albo Floriacen. de vit. Pontif. in Symmach.*
(d) *Concil. Rom. 2. sub Symmach. ap. Bin. to. 3. Conc. f. 685.*

2. Re ergò Synodalitèr examinatâ, S. Symmachus pronuntiatus est legitimus Papa (*e*). Et misericordiæ titulo, Laurentius fuit Ecclesiæ Nucerinæ beneficio decoratus (*f*). Erat Laurentius natione Romanus, & Cardinalis præsbyter tituli sanctæ Praxedis (*g*). Erat verò Symmachus natione Sardus, patriâ Simagensis, Diœcesis Arborensis (*h*). Erat, & adhuc est, & semper erit, Romanus Pontificatus beneficium ecclesiasticum, & quidem primum, & præcipuum, quod in totâ Ecclesiâ Catholicâ reperiatur (*i*): Nihilominus in hac adeò notabili contentione, Pontificatus adjudicatus est Symmacho extraneo, & negatus Laurentio indigenæ: ipsique Laurentio collatum est beneficium episcopale Nucerinæ Ecclesiæ, à qua erat extraneus. Si repulsio extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis est nunc de jure naturali, & divino, uti contendunt Contradictores; sinè dubio fuit etiam tunc: quippè jus naturale, & divinum, non est variabile: Nec omisisset Laurentius hoc vitium Competitori obiicere, ut in causâ prævaleret, & Adversarium deprimeret.

(e) *Ciaccon. loc. cit. 5 anno.*
(f) *Anastas. in Symmach. Ciaccon. ibidem Binius in not. ad dict. Conc. Rom. I.*
(g) *Ciaccon. in Symmach. in fin. Binius loc. cit. in subscriptionibus*
(h) *Luitprand. Albo Floriac. & Ciaccon. in Symmach. Bin. to. 3. Conc. f. 672.*
(i) *Paris. l. 2. qu. 1. n. 5. Barbos. jur. Eccles. univ. l. 3. c. 4. nn. 47.*

3. Dicere autem quod Concilium, & Patres in eo congregati, nesciverint, id fuisse de jure naturali, & divino (si re vera id ità fuisset;) est injuriam ipsis gravissimam irrogare. Dicere quoque, quod super utroque dispensaverint; est sinè fundamento rationabili divinare, estque ipsos Patres in culpam vocare, quod propriam facultatem excesserint: spectabat etenim ad eos declarare cujusnam ex Competitoribus esset potior electio, non super alterutrius electionis validitate dispensare: Et nihilominus Concilium potestate carebat dispensandi super naturali jure, ac divino (*l*), quod est respectu cujuslibet humanæ potestatis indispensabile. Dicere demum, quod Laurentius idipsum nesciverit, vel sciens, noluerit vitium extraneitatis Adversario obiicere, & sic tutò sibi Pontificatum controversum acquirere; est illum dementiæ, vel ignaviæ crassissimæ coarguere, quæ non supponitur. Ergò totam simul seriem facti supputando, nihil aliud concludi potest, nisi, quod Symmachus Romanum Pontificatum procurando, Laurentius Nacerinam sedem captando, & septuaginta duo Episcopi, ex totâ Italiâ, & utraque Siciliâ congregati, talem aluerunt in animo persuasionem, quod beneficii cujuslibet ecclesiastici, etiam Episcopalis, etiamque Papalis, essent sinè discrepantia capaces, non modò clerici indigenę, verùm etiàm extranei.

(l) *Vid. Fagnan. in cap. cum pridem à nu. 76. de pactis & in cap. quia in tantum nu. 11. de præbend.*

4. Prosequamur acta Symmachi. Ipse morem Praedecessorum suorum sequens (*a*), *omni anno per Africam, vel Sardiniam ad Episcopos, qui in exilio erant retrusi, pecuniam, & vestes ministrabat. Hic captivos per Liguriam, & per Mediolanum, & per diversas provincias, pecunia redemit, & dona multiplicavit, & dimisit* (*b*). Erant hi Episcopi numero 220 (*c*), vel secundùm alios exactiores, numero 225. à Thrasimundo Rege Arriano exilio mulctati, quorum, & dignitas, & multitudo satis ostendunt, exuberantem fuisse annuam summam auri, quâ Symmachus eis suppetias porrigebat: mirumque omnino est, illum tanta potuisse impertiri, maximis dispendiis, & vexationibus perturbatum, ac tot aliis expensis distractum, quot enumerat in ejus vita Anastasius (*d*). Cumque ejusdem naturae esse ponantur bona ecclesiastica, quae pauperum usibus deputantur, ac ea, quae in beneficium clericis conceduntur; ipsique pauperes sint totidem Ecclesiae beneficiarii (*e*); revivīscit hic argumentum, jam dudum supra propositum (*f*), quod sicuti bona ecclesiastica liberum, & licitum est pauperibus, etiam extraneis impertiri; ità quoque liberum, & licitum est ea clericis extraneis in beneficium conferre, illa nempè, quae ad clericorum usum in beneficium ecclesiasticum sunt erecta.

(a) Cardin. Baron. an. 504. nu. 41.

(b) Anastas. Bibl. Albo Floriacens. in Symmach. Bin. to. 3. in eod Symmach.

(c) Ciaccon. vit Pont. in Symmach. §. decretum.

(d) Anast. Bibliot. & Ciaccon. loc. cit.

(e) Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. l. 3. c. 26. nu. 19.

(f) Vide hic. supr. Saec. 1. c. 2. à nu. 9.

5. Amicitiam cum Symmacho notabilem enutrivit S. Caesarius Episcopus Arelatensis, ut ex eorum epistolis, ultrò citroque missis, apparet. In unâ autem illarum Pontifex ità Caesario ipsi rescripsit: *Possessiones, quas unusquisque Ecclesiae proprio dedit, aut reliquit arbitrio, alienare quibuslibet titulis, atque distractionibus, vel sub quocumque argumento non patimur: nisi forsitan aut clericis, bonorum meritis, aut monasteriis, religionis intuitu, aut certè peregrinis (si necessitas largiri suaserit: sic tamen, ut haec ipsa non perpetuò, sed temporalitèr perfruantur* (*g*). Insertum est hoc rescriptum corpori juris (*h*), ejusque meminit etiam Luitprandus Diaconus Ticinensis (*i*), Berengarii Italiae Regis scriba, & secretarius (*l*), quo rescripto beneficia ecclesiastica designari, tradit Binius, his verbis: *possessiones &c. Hinc quae beneficiorum ecclesiasticorum origo fuerit, manifestum fit; cum enim solerent clerici ab Ecclesiâ per Episcopum singulis mensibus meritam stipem accipere &c. contigit posteà, ut aliquibus ex his Ecclesiae possessiones quoad viverent ab ipso Episcopo concederentur, quae beneficia dici coeperunt, eo quod (ut habet Symmachus (benemeritis tantummodo ea concedi liceret* (*m*).

(g) Symmach. epist. 5. Binius to. 3. Concil.

(h) Cap. possessiones 16. quaest. 1.

(i) Luitpran. Ticin. de vit. Pontif. in Symmach.

(l) Io. Trithem. de script. Eccles. in Luitprando Ticinen.

(m) Binius in notis ad epistolam 5. Symmach. to. 3. Concil.

6. Itaque bona ecclesiastica, in beneficium, sivè ad perfruendum, durante vitâ suscipientis, tradenda, juxtà sanctionem Symmachi Papae, conferri decernuntur solis clericis benemerentibus, & iis, qui sunt peregrini. Peregrini autem certè non sunt indigenae loci, sed pauperes aliundè venientes, & peregrè de uno ad alium locum proficiscentes, sivè clerici, sivè laici: sivè devotionis intuitu, sivè aliò forte motivo id agentes. Tàm clerici proindè peregrini, quam laici, peregrinationi operam dantes, à Symmacho pronuntiantur beneficiorum ecclesiasticorum capaces: multò ergò magis alios quoque clericos voluit ad illa esse admittendos; dummodo benemerentes: ne deterioris conditionis esse dicantur clerici laicis, & clerici benemerentes, laicis peregrinis. Praesertim quod Symmachus, in recensendo viros possessionum ecclesiasticarum capaces, aequè clericos enumerat, ac peregrinos: nec in clericis indigenatum exigit, vel aliam similem qualitatem, sed solummodo benemerentiam, quae non minus concurrit in extraneis, quàm in indigenis. Quapropter praefatae sanctionis vi apertè cognoscitur, quod Saeculo Christi Sextò, Ecclesiâ, illiusque Caput Romanus Pontifex, in eo sensu fuerunt, quod cunctis clericis, sivè extranei, sivè indigenae essent, pateret omnino aditus ad ecclesiastica beneficia.

7. Defuncti Symmachi sedem implevit *S. Hormisdas* natione Campanus (*n*), patriâ Venafranus, Justi de Frusinone filius, & sextus Papa Regnicola (*o*), qui prius diaconus Romanae Ecclesiae fuit (*p*), eumque epistolis coluit S. Ennodius Ticinensis (*q*), ei Summum Pontificatum praedicens, uti paulò inferius ostendetur. In Concilio Romano, congregato sub Symmacho, plura fuerant edita statuta pro

(n) Anast. & Luitprandus de vit. Pontif. in Hormisd.

(o) Alphons. Ciaccon. de vit. Pontif. in Hormisd.

(p) Ciaccon. loc. cit. Binius tom. 3. Concil. in Hormisd.

(q) Ennod. Ticin. epistol. l. 5. ep. 13. 33. l. 7. ep. 12. l. 8. ep. 33. 39. l. 9. ep. 5.

rectâ

rectâ Summi Pontificis electione (*a*): nec quidquam tamen inibi cautum est pro repellendis ab apice tantæ dignitatis extraneis: quod certè non omittendum erat, si extraneorum provectio ad ecclesiastica beneficia talem in se contineret malitiam adversus jura divinum, naturale, & humanum, qualem Contradictores declamant. Quinimò statim post mortem Symmachi, clerici Romanæ Ecclesiæ Hormisdam in Pontificem elegerunt, virum Regnicolam, & extraneum: quem si dicatur fuisse indigenam ratione beneficii diaconalis Romanæ Ecclesiæ, quod tenebat: quatenus clerici beneficium ecclesiasticum in urbe aliquâ possidentes, ibi procivibus reputantur (*b*); hoc verissimum esse affirmamus; sed tamen Hormisdas si extraneus in sumendo Pontificatu non fuisset; fuisset in diaconatu sumendo, & sic, vel primâ, vel secundâ vice culpam, quam Contradictores somniant, incurrisset.

8. Hormisdæ ad Pontificatum provecto literis congratulatus est S. Remigius magni nominis Archiepiscopus Remensis (*c*): Clodoveus quoque Francorum Rex idipsum fecit, & eidem Coronam auream, gemmis exornatam, quæ Regnum dicitur, cum aliis muneribus, devotionis ergò transmisit (*d*): Justinus insuper Imperator pretiosa donaria, & nuntios suos ad eundem Papam direxit, ut pacem Ecclesiis omnibus orthoxodam fidem amplexantibus imploraret (*e*). Quis credat autem, & Justinum Cæsarem, & Clodoveum Regem, & S. Remigium Archiepiscopum, talibus officiis, tantoque cultu Hormisdam prosecuturos, si eum invasorem Sedis Apostolicæ credidissent, tamquam qui extraneitatis vitio laborans, contra omnia jura, extraneos repellentia, divi Petri Cathedram occupasset? Hæc omnia certè innuunt, Hormisdam reputatum fuisse ab eis (prout & à totâ fuit Ecclesiâ) legitimum Pontificem, ritè & rectè promotum, nihilque illi obstitisse defectum indigenatus, quominus canonice posset thronum Apostolicum adipisci.

9. Sed audiamus S. Ennodium Ticinensem, qui bis rogans Symmachum Papam, ut duobus viris ingenuis, Romam proficiscentibus, beneficia suæ largitatis impendat, binis quoque literis Hormisdam pulsat, tunc diaconum, sed quem futurum Papam prænunciat, ut apud Symmachum ipsum pro præfatis viris ingenuis intercedat. S. Symmacho Papæ ità scribit: *Rem necessariam providet, qui parenti omnium orbatos, & peregrinos insinuat: Unica viâ est, Apostolatus vestri solatium, quæ medetur externis. Absit afflictos dicere, quos ad vos contigerit pervenisse; Creatoris patriam, opes alibi non requirunt, quos coronæ vestræ cura susceperit. Præsentium bajulus ortus nobiliter, profutura ad testimonium ingenuitatis, studia Romana requirit. Hunc Beatitudini vestræ mea supplicis vestri commendat assertio, ut salutationis servitiis dignanter acceptis, quod usu facitis, pro mei considerationе geminetur* (*f*).

10. Ad Hormisdam verò scribit: *Et quod es miseratione ornatur, & quod futurus es, pietate conquiritur: Et diaconum his studiis extulisti, cujus rei promittit cura Pontificem. Præsentium bajulus, honestus moribus, naturâ sublimis, gemini solatii orbatus præsidio, Romam pro honestis artibus, licèt peregrinaturus expetiit. Vide si mereantur à religioso, bene nato, locupleti, juvari ista, quæ prætuli. Nunc officio salutationis exhibito, rogo ut si mè, si bonum, quam coemisti opinionem diligis, impensis petitor adhæscat auxiliis* (*g*). Hic est S. Felix Ennodius prosapiâ Gallus, Gallisque parentibus ortus, origine Arelatensis, Mediolani educatus, ubi à puero larem habuit: primò uxoratus, deindè diaconus, ac demum Episcopus Ticinensis (*h*), nimirum beneficio diaconali, & episcopali donatus in urbe Papiæ, à qua erat prorsus extraneus, & cujus adhuc Uxor vivebat, castitatem professa. Qui post præfatas literas Symmacho, & Hormisdæ directas, alias quoque non dissimiles ad utrumque dedit, adolescentem quemdam, nomine Beatum, ipsis commendans, ut in Ecclesiâ Romanâ, stipendia suis natalibus congrua mereretur.

11. Symmacho inquam ità scripsit: *Non inefficacitèr poscit, qui Parenti omnium peregrinos insinuat. Nobilibus generalis debetur assertio maximè apud eos,*

qui

(a) *Conc. Rom. 5. sub Symmach. Bin. tom. 3. Concil.*

(b) *Bart. in l. 1. ff. ad municip. Felin. in cap. Rodulphus nu. 18. de rescr. Bellet disq. cler. p. 1. §. 2. nu. 15.*

(c) *Baron. an. 514. n. 16.*

(d) *Hincm. in vit. S. Remig. apud Surium die 13. Januar.*

(e) *Baron. an. 518. 21. Ciaccon. in Hormisd. Anastas. Bibl. in eod.*

(f) *S. Ennod. Ticin. epist. lib. 8. epl. 32.*

(g) *Ennod. Ticin. ep. l. 8. ep. 33.*

(h) *Sirmond in vit. Ennod. Ticin. ant ejus Oper. to. 1. p. 6 f. 192. Bibliot. Patr.*

qui beneficia tribuunt non rogati. Beatum sublimem adolescentem, præsentium bajulum, si Corona Vestra dignantèr accipit; præclarum juxta morem Pontificis ornat officium. Est enim qui gratiam vestram, & natalibus, & moribus mereatur: sufficit dignis ista laudatio. Nunc servitiis salutationis exhibitis, rogo, ut mè amantem vestri, crebri relevetis promulgatione colloquii (*a*). Subindè scribit Hormisdæ, tunc Diacono: *Si dignatio circa me promissa duraret, assereretur frequentiâ literarum. Vix respiciunt humilem, quos ad arcem eventus prosper evexerit. Grave est si spes secundarum rerum charitatis nexus incidat. Non debet præjudicare diligentiæ, cui secundum vota blanditur. Si tamen aliquid circa me gratiæ custoditis, si vivit amoris polliciti scintilla, Beatum commendo nobilissimum adolescentem, præsentium portitorem, cui justum est, ut consideratione mei, & parentem beatitudo vestra impendat, & patriam. Esto specialis tutor, omnium mox futurus. Domine frater salutationis humilitate depensâ, rogo, ut sub celeritate, quàm benè valeatis, scriptione signetis* (*b*).

(a) *Ennod.Ticin.loc.cit.lib.8.epl.38.*

(b) *Idem lib. 8. epl. 39.*

12. In quatuor hisce epistolis sermo est proculdubio de beneficiis Ecclesiasticis, quæ tunc in manualibus erogationibus consistebant, etsi alicubi incepissent prædia ad usumfructum perfruenda concedi. Et quià Diaconorum, & præsertìm Archidiaconi, officium erat hiscè erogationibus faciendis prò gradu, & meritò suscipientium intendere (*c*); Ennodius utrumque juvenem, à se commendatum, Hormisdæ patrocinio committit, non hoc certè facturus Vir sanctitate præclarus (*d*), si novisset, illicitam esse provectionem extraneorum ad Ecclesiastica beneficia. Nec de solis eleemosynis, quæ peregrinis porrigebantur, epistolarum tenor potest intelligi: quippè cum Commendati essent *nobilitate* conspicui, imò, & *nobilissimi* dicantur, & *naturâ sublimes*, qui *profutura ad testimonium ingenuitatis Romana studia* requirebant: qui *patriam Creatoris non adeptis alibi opibus*, apud Summum Pontificem recipere satagebant: qui *præclarum juxtà morem Pontificis ornaturi erant officium*: qui & *patrlam, & parentes*, apud Romanam Ecclesiam invenire præstolabantur: qui tandem ministris ejusdem Ecclesiæ commendabantur, quorum erat *beneficia tribuere non rogati*; profectò ex totâ serie literarum, hasce particulas continentium, significari cognoscitur, non eleemosynas, pauperibus peregrinis erogati consuetas, sed beneficia Ecclesiastica, seu erogationes dari solitas Clericis, undecumque venientibus, & officia in Romanâ Ecclesiâ exercentibus, quæ omnium communis est Patria (*e*).

(c) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. l. 2. c. 2. nu. 7. & c. 3. per tot. & c. 5 & 6.*

(d) *Martyrol. 16 Kal. August. Sirmond. in ejus vita loc. cit.*

(e) *L. Roma ff. ad munic. Card. de Luca de Judic. disc. 3. nu. 50 Ridolphin prax. p. 1. c. 4 nu. 15 & c. 7. nu. 65.*

13. Et datâ etiam, sed non concessâ hypothesi, quod epistolæ Ennodii de solis eleemosynis loquerentur; urgeret hic iterùm argumentum, à parte ad partem rerum Ecclesiasticarum deductum, de quo superiùs (*f*): Sed quia evidentèr Ennodius de officiis, & beneficiis Ecclesiasticis sermonem habebat, adolescentibus illis, quos commendat, largiendis; conglobantur hic multa facta, in unum resonantia prò libertate Ecclesiæ, quam in hoc opere propugnamus. Hanc Ennodius, ad Diaconale (ac deindè ad Episcopale beneficium promotus Ecclesiæ Ticinensis, semèlque, ac iterùm adolescentes commendans, Romam proficiscentes, ut à Symmacho, & Hormisda, Clericales erogationes, sivè beneficia Ecclesiastica consequantur, inibique reperiant Patriam, & parentes, quibus orbati erant; Symmachus quoquè ipse Sardus, & extraneus, Romani Pontificatus assequens beneficium, & prò illo adipiscendo in concursu cum Laurentio indigenâ prælectus; Hormisdas demùm, & Diaconale, & Pontificale beneficia, in Romanâ Ecclesiâ suscipiens, quamquam, uti Campanus, ab eadem esset extraneus; quid aliud quam consociatis vocibus inclamant libertatem Ecclesiæ in conferendis Ecclesiasticis beneficiis, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis?

(f) *Vid. hic supr. nu. 4. & cap. præced. nu. 34.*

14. Post Hormisdam immediatè *S. Joannes* I. Etruscus (*g*); Indè *S. Felix* III. ex Samnio (*h*): Posteà *S. Sylverius* Abellæ in Campaniâ exortus patre præfato Hormisdâ, dùm adhùc ante Diaconatum in legitimo viveret Matrimonio (*i*): Aliique Summi Pontifices per hoc idem sæculum floruerunt, doctrinâ, & sanctitate sublimes

(g) *Anastas. Luitprand. Albo Floriacen. Ciaccon. in Joan. I. PP.*

(h) *Iidem qui supr. in S. Felic. 3. PP.*

(i) *Iidem in S. Sylverio PP.*

blimes, qui tametsì extranei fupremum Ecclefiæ beneficium Pontificalis apicis fufcepere; non fufcepturi profectò, fi Ecclefiaftica illorum temporum difciplina fenfum ullum habuiffet prò exclufione Clericorum extraneorum ab Ecclefiafticis beneficiis, tamquàm prò re malâ, legibusque, vel divinâ, vèl naturali, vèl humanâ, vèl alio quocumque modo prohibitâ. Succeffive Pontificatum adeptus eft *Pelagius* II. qui tametsì ponatur fuiffe patriâ Romanus; tamèn ex ipfo nomine illius patris, qui fuit Vvinigildus, apertè coniicitur fuiffe potiùs Gothum, quam Romanum (*a*): Gothi autem per ea tempora tamquàm extranei reputabantur, tunc primùm enim pervenerant in Italiam, à quâ ut illos expelleret, atque ipforum Regnum everteret, primò Belifarius, deinde Narfes, Orientalis Imperatoris Duces, ftrenuiffimè decertarunt (*b*).

15. Cùm autem Roma fit Caput omnium nationum (*c*); In eâ conftituta fit prima fedes, & univerfalis Ecclefiæ Primatus (*d*); Ecclefia demùm Romana fit mater, & principium omnium aliarum Ecclefiarum (*e*), ideoquè illam tamquam exemplar, fpeculum, & magiftram aliæ Ecclefiæ fequi debeant (*f*); ritè fubinfertur, quod fi in Ecclefiâ Romanâ liberrimus tunc patebat, & patet adhùc acceffus cunctis Clericis extraneis ad Ecclefiaftica beneficia, usquè ad ipfum fupremum beneficium Summi Pontificatus; in aliis quoque Ecclefiis par debet effe libertas cunctis extraneis favorabilis, nè membra fint à fuo capite diffimilia: & denegentur beneficia inferioris ordinis viris illis Ecclefiafticis, quibus majora conceduntur, & ipfum omnium beneficiorum maximum non negatur. Sed quidquid fuerit de patriâ Pelagii Papæ II. certè ab illius doctrinâ difcemus, id quod à certitudine ipfius patriæ non habemus.

16. Sciscitatus eft ab eo Benignus Archiepifcopus, nùm liceret Epifcopis de unâ ad Ecclefiam alteram pertranfire (*g*), quod in idem recidit, ac rimari, an Clericis effet licitum adipifci beneficium Epifcopale in locis, à quibus effent extranei: quippè fi jam Epifcopale beneficium in uno loco tenebant, & ad aliud permeabant; ex neceffitate confequitur, quod, vèl primâ, vèl fecundâ vice, aut à fecundo loco, erant extranei. Quis fuerit ifte Benignus, qui hauc Pelagio II. quæftionem definiendam propofuit, nobis eft usquè nunc incompertum; non incongruè tamen cogitamus, fuiffe Benignum Archiepifcopum Heracleæ in Paphlagoniâ, qui per ea tempora vixit, & eft ille, cujus operâ Juftinianus Imperator Vigilio Romano Pontifici librum Theodori Mopfvefteni examinandum propofuit, prava dogmata continentem (*h*): cum tunc temporis ebulliret notiffima illa contentio, quæ fuper fcriptis ejufdem Theodori in Concilio Conftantinopolitano II. generali v. habita eft, & non parum Ecclefiam inquietavit.

17. Qui *Theodorus*, à Theodoreto Epifcopo Cyri laudatus, uti omnium Ecclefiarum Doctor, & cohortis hæreticæ profligator, in eâdem quinta Synodo, condemnatus eft, ejufque memoria, tamquam execrabilis, publicis deteftationibus improbata (*i*). Condemnatus eft autem, non proptèr extraneitatem ab Ecclefiâ, in quâ beneficium Epifcopale fufceperat, fed proptèr prava dogmata, quibus ejufdem fcripta vifa funt abunde fcatere. Sanè ipfe Theodorus, natione Syrus, Clericis Antiochenis à prima ætate connumeratus eft, florente S. Jo: Chryfoftomo, qui eum, in vitia carnis dilapfum, è lubrico revocare fategit, epiftolâ illâ, quàm infcripfit ad Theodorum lapfum (*l*). Indè Clero Antiochiæ relicto, in Tarfenfem Ecclefiam tranfmigravit, à quâ ad Mopfveftenam tranfivit (*m*): Ubi factus Epifcopus, *fex & triginta annis Præful fuit &c. Hujus frater Polychronius pafcebat cum fummâ utilitate Ecclefiam Apamenfium in maximâ, cùm doctrinæ fuavitate, tùm vitæ fplendore* (*n*); Itaquè Theodorus beneficia Clericalia, & refpectivè Epifcopale, modò Antiochiæ, modò Tarfi, modò Mopfveftiæ fufcepit, quamquam effet ab eifdem locis extraneis.

18. Et *Polychronius*, quoquè Illius frater, tametsì eodem defectu laborans, Epifcopale beneficium in Ecclefiâ Apameenfium accepit; cùm certè hi fratres, indi-

genæ

(a) *Ciaccon. in Pelag* 2. *Baron. an.* 577. *n.* 2.

(b) *Procop. de Bello Goth. Ciaccon. loc cit.*

(c) *Cap beati* 7. *qu.* 2.

(d) *S. Anton. p.* 3. *tit.* 23. *c.* 5. §. 7. *Turrecr. de pot. Ecclefiæ l.* 2. *c.* 40 *Barbof de off. Epifcopi p.* 1. *tit.* 3. *c.* 2. *nu.* 12.

(e) *Cap.* 2. *cum feq. dift.* 22. *c. dudum* 3 *qu.* 6.

(f) *Cap. quis dift.* 21. *c.* 1. *& feqq. dift.* 12. *cap enim dift.* 19. *c. omnes dift.* 22.

(g) *Baron. an.* 581. *n.* 1.

(h) *Baron. an.* 553. *n.* 28.

(i) *Conc. Conftantinopol.* 2. *Act.* 5. *Baron. an.* 448. *nu.* 72 *& an.* 553. *nu.* 40. 47.

(l) *Vid. Card. Baron. an* 428 *nu.* 34. *Hefych. Hierofol. in Theodoro.*

(m) *Hefych. Hierofol. loc cit. eft in Actis v. Synodi collat.* 5. *Bin. tom* 4. *Conc. f.* 240.

(n) *Theodoret. hiftor. lib.* 5. *c.* 40.

genæ esse non possent, & Apameæ, & Tarsi, & Mopsvestiæ, & Antiochiæ. Nihilominùs in Concilio Constantinopolitano, ubi cuncti Theodori nævi discussi sunt; nihil ei datum est ad culpam, quod beneficia Ecclesiastica, semel, atque iterùm, adeptus esset in locis, à quibus erat extraneus: quarè? Quià illo sæculo decurrente, nec per umbram auditum est, Clericos extraneos esse à beneficiis Ecclesiasticis repellendos, cùm plenæ essent Ecclesiæ Clericis hujuscè generis, & nedùm extraneis Diœcesi, sed etiam extraneis provinciâ, & natione. Sed ad Pelagium Papam II. à quo sermonem avertimus, iterùm eloquio revertamur, & audiamus responsionem, quàm Benigno Archiepiscopo, sivè Heracleæ, sivè alterius Metropolis, est largitus.

19. Ei etenim sic rescripsit: *Exigit dilectio tua consulta sedis Apostolicæ, si licitum foret Episcopum transire, aut mutare de Civitate ad Civitatem, dùm quidam canones, ut tibi videtur, hoc fieri prohibeant. Significasti etiàm literis tuis, quendam fratrem, nomine, & actu Dei servum, causâ utilitatis mutare se velle in locum, & Civitatem defuncti, licèt, quidam dicant hoc fieri non licere, nisi consensum Apostolicæ sedis habuisses. Quapropter scias, frater dilectissime, aliud esse causam præsumptionis, & propriæ voluntatis. Non ergò mutas sedem, qui non causa avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ electionis migrat de Civitate ad Civitatem, sed causa necessitatis, aùt utilitatis mutatur. Nàm plurimorum utilitas, unius utilitati, aut voluntati preferenda est. Aliud est enim mutare, & aliud mutari: sic aliud ministrare, & aliud ministrari: undè Dominus in Evangelio loquitur dicens; non veni ministrari, sed ministrare* (a).

(a) Pelag PP 2. ep. 1. ap Binium tom 4. Concil. f. 467.

20. *Quod enim in Canonibus legitur, non debere Episcopum de Civitate ad Civitatem transire, vel transferri, non de his dicitur, qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut auctoritate majorum hoc agunt; sed de his, qui avaritiæ ardore inflammati, spontè sua prosiliunt, & potius ambitioni, quàm utilitati Ecclesiæ servire, & ut dominationem agant, insistere caplunt. Undè & in subjectis Canonibus continetur: Si aliquis extiterit temerarius, qui forsitan excusationem afferat, quod populi literas acceperit, & ideò migraverit: dùm manifestum sit, præmio, & mercede paucos, qui sinceram fidem non habent, potuisse corrumpi, ut clamarent in Ecclesiâ, & ipsum petere viderentur, omninò has fraudes removendas esse censemus. His verbis, & aliis multis exemplis liquet non de his dicere, (ut paulò superiùs prælibatum est) qui pulsi, aut non recepti à civibus, vel à quibuscumque, aut necessitate cogente, vel auctoritate majorum transeunt de Civitate ad Civitatem: sed de his, qui spontè prosiliunt, aut temeritatis, aut ambitionis causâ hoc faciunt.*

21. *Nàm aliud est spontè transire, & aliud est coactè, aut necessitate venire. Undè non isti mutant Civitates, sed mutantur, quià non spontè, sed coactè hoc agunt. Quis enim unquam audet dicere, Sanctum Petrum Apostolorum Principem non bene egisse, quandò mutavit Sedem de Antiochiâ in Romam: Aut quit eum negat ob id Sanctum non esse, aut dignitatem, aut meritum unquam Apostolatus tàm in Cælis, quàm in terris perdidisse. Aut quis negat, sanctos non esse multos alios Episcopos, qui de Civitatibus ad Civitates translati sunt, aut meritum pontificatus perdidisse. Quorum nomina, si cæperim enumerare, ante dies pertransiet, quàm hæc omnia perscribere possem, & prolixior erit epistola, quàm necesse sit. Aut quis unquam potest approbare sanctum non esse Alexandrum, qui Hierosolymam de alterâ Civitate translatus est? Aut S. Gregorium Nazianzenum, qui in Nazianzo constitutus est? Aut S. Proclum, qui de Cyzico translatus, & Constantinopolim intronizatus est.*

22. *Non ergò benè intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causâ utilitatis, aut necessitatis fieri posse, quoties communis utilitas, aut necessitas persuaserit. Nullum enim ex his, aut ex aliis, qui meliori Concilio mutaverunt Civitates, necessitate quadam, vel utilitate, ecclesiasticâ, aut laicâ communione carere reperimus,*

rimus, nec ullatenus unquam fieri debet. Sententia verò, quæ in Antiocheno Concilio habetur, ut Episcopus ab aliâ parochiâ nequaquam migret ad aliam, tota, atque omnes sententiæ de eâ re vim superiùs comprehensam retinent, & nihil prætaxato modo translationibus Episcoporum actis, aut agendis nocent, sed magis robur eis, ac Domini Salvatoris, quæ omnes Canonicos superexaltat libros, auctoritatem præstant. Tales autem quæstiones magis ex invidiâ, quàm ex charitate, aut utilitate nasci videntur, cum ipsa per se veritas dicat: si vos persecuti fuerint in unam Civitatem, fugite in aliam, & reliqua. Huic ergò sententiæ nullus Catholicorum usquam contradicere potest, quæ non alterius, sed ipsius proprio Domini ore prolata, & firmata esse dignoscitur. Cui si aliquis contradixerit, non solùm extorris, sed etiam anathematizatus ab Ecclesiâ pellatur.

23. *Et Dominus in Evangelio alias dicit; Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Si eos Dominus beatos dicit, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quis eos damnare potest? Et si ipse de Civitate ad Civitatem propter persecutionem fugere præcipit; quis eos detrahere, aut damnare propterea audet, vel potest, quod verbis Dominicis obtemperant? Profectò is, qui contradicit, aut resistit, seipsum damnat, quià ori Domini contumax, & inobediens exsistit. Unde & ipsa per se veritas dicit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quarè vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit, Propterea vos non auditis, quià ex Deo non estis. Omninò oportet Deo obedire plusquam hominibus. Et idcircò, quod Deo obedimus, & de Civitate ad Civitatem (ipso præcipiente) persecutionis causâ, idest necessitatis, aut utilitatis, transimus, damnandi summus? Non omninò, sed potius venerandi, quoniam nèc ipsis Episcopis hoc imputari potest.*

24. *Qui his resistit, profectò Dei ordinationi resistit, & est infideli deterior: quià melius est non cognoscere viam veritatis, quàm post agnitionem retrorsum abire. Nàm & ipse Dominus de loco ad locum secessit, idest transivit, Judæis illum quærentibus. Fugiens ille quærentes, & persequentes se, dedit nobis exemplum fugere nos persequentes, & de Civitate ad Civitatem transire dicens: Si vos persecuti fuerint in Civitate istâ, fugite in aliam, & cætera his similia. Nàm si fugere, malum est: persequi, multò deterius. Hic quidem ne deterius: Hic quidem ne moriatur, absconditur. Hic autem persequitur, ut occidat, & ut fugiatur, præcipitur, quià, qui quærit occidere, prævaricatur legem, & magis fugiendi præbet occasionem. Si fugam improperant persequentes, erubescant potius semetipsos, & quiescant insidiari, & quiescent continuò fugientes. Nemo enim mitem fugit aliquando, sed magis ferocem simul, & callidum. Omnis enim, qui gemebat, & vexabatur à Saul, fugiebat, & veniebat ad David. Si ergo pii simus, atque justissimus David sciret peccatum esse, persecutionem fugientes, & transeuntes de loco ad locum, & de Civitate ad Civitatem, tales nequaquam reciperet, nec secum teneret, nec in aliis Civitatibus eos collocaret.*

25. *Qui enim persequuntur Domini Episcopos, eosque de Civitatibus ad Civitates transire compellunt, non eos tantum persequuntur, quantum Dominum nostrum Jesum Christum, cujus legatione funguntur. Nec ipsi in hoc peccant Episcopi: quoniam non sponte, sed coactè hoc agunt, sed illi à quibus persequuntur, nec ipsis Episcopis hoc imputari potest, sed illis, qui eos hoc agere cogunt. Sanctus enim Protomartyr Stephanus lapidabatur, sed Jesus suscipiebat plagas. Ideoquè unicuique prævidendum est, ne aliquem injustè persequatur, judicet, vel puniat, ne Jesum persequatur, judicet, & puniat. Qui autem negant misericordiam faciendam fugientibus, ac necessitatem patientibus, ipsum Christum negant, qui est misericordia, & veritas, & omnibus necessitatem patientibus subvenire jubet. Pauca sunt, frater, quæ asservi, sed quanta ex his pendeant tuâ providentiâ poteris æstimare. Quarè hanc adnituntur malevoli irrumpere misericordiam? Cur illudere vanis intentionibus felicitatem? Excusationem jàm non habet furor iste in credentibus; nec*

inter est, quibus itineribus ad Mundi principem currat, qui à benevolentiâ fratrum discessit, aut necessitatem patientibus misericordiam negat. Negat misericordiam necessitatem patientibus, qui populis indigentibus divinis mysteriis, & non habentibus proprium Episcopum, qui eos instruat, causâ utilitatis, atque necessitatis, ex aliâ Civitate, licet minor sit, in eam, quæ non habet Episcopum, doctiorem, vel utiliorem, meliori consilio, non spontè transeuntem, sed majorum exhortatione mutare, aut Episcopum electum, & persecutionem patientem, causâ utilitatis, aut necessitatis inthronizari non permittit. Apud veteres enim sinè ullâ differentia de una Civitate ad alteram migrabat Episcopus, dùm utilitas, aut necessitas evocaret. Quapropter ipsam etiam regulam huic epistolæ placuit inseri, ut monstretur, eos mentitos esse, qui Episcopum non posse inthronizari dixerunt. Unde, & in canonibus legitur itâ: Si quis Episcopus ordinatus ad parochiam, in quâ ordinatus est, minimè proficiscitur, non suâ culpâ, sed aut populo respuente, aut proptèr aliam quamlibet causam necessitate factam: hunc honore, ministerioque participare, nec tamen misceri rebus Ecclesiæ, in quâ collectas celebrat, sed sustinere quoque, quod Provinciæ Synodus suo judicio terminaverit, decernimus. Huic regulæ contradicere nullus potest, quæ etiam causa utilitatis, aut necessitatis inthronizari Episcopum jubet, & mutari, ac transire eum de Civitate ad aliam Civitatem non proprium habentem Episcopum, finit. Pingues hostias litat Diabulo, qui his resistere nititur, aut misericordiam; & utilitatem Ecclesiæ jàm dictis negat, idest & Episcopis, & *populis. In vanum ergò contrà simplices, qui hæc olim dicentes agere prohibuerunt, tendicula deinceps parabunt, cum his, & aliis armati ad miniculis, noverint, quid super his sit agendum, & quid vitandum. Nimis enim armatus est; qui illa, quæ adversarius misericordiæ, utilitatis, atque concordiæ ministrat, tela contemnit. Sufficit ergò contra omnia jacula jurgiorum fide, nuda oppositio. Scio te non ignorare frater, memoratas canonum sententias, atque Evangelicas sanctiones, novas non esse, sed nostro eas assensui mancipari. Cur his contradicentes, & emigrationes Episcoporum utilitatis, & necessitatis causa fieri prohibentes, ut sæpè dictum est, & non avaritiæ, aut temeritatis, in perniciem sacerdotum, ac populorum, lædunt sacerdotale Concilium? Cur lacerant sententiam, in quâ, inspirante Christo, oracula superna patuerunt, & inter Deum, & homines, interpres extitit lingua Pontificum.*

26. *Illa enim Cæli curia variarum dotibus acta Curulium, & multò Redemptoris nostri auro, ostroque decorata, nihil in illâ decisione auctore se protulit, sed per humanæ linguæ ministerium divino militavit imperio. Intellexit non esse suum, quicquid impulsa constituit: nihil quoque habet in illâ sententiâ, nisi unde de solâ devotione gratuletur. Nàm dum profanis memoratorum verbis creditur, & suæ vesaniæ inscitiam produnt, & livorem. Quis hic locus erroris, ubi congruentia pari ducta exempli, & historiæ verba concurrunt? Nec diversum est ab intellectu catholico, & lectionibus, quod profertur. Nàm non benè nodus inscirpo quæritur, dum involuis nebula prædicatæ lucis auctores. Fedâ quoque à nitore Domini sui obligatione dissolvitur, qui statutis cælestibus minus vera fide dependit officia. Talium ergò dictiones, vel prohibitiones indignæ etiam fiunt memoratu. Profunda est ergò nimis imperitia eorum, quià linguis suis dolosè agunt. Non est enim in ore eorum rectum, interiora eorum insidiæ, densis cor eorum vepribus suffocatur, & interna vitia aliis certant adscribere. Nobilitatem ergò dat facinoribus, qui in talibus ventilationem ipsorum in exemplum sumit, aut ad aures posteras digna relatione transmittit. Tibi autem non sit cura talium quæstionum, sed sequere sententiam Beati Pauli Apostoli, qui mones per Discipulum cunctis, & clamat dicens: Inanes quæstiones devita. Inanes namque (juxta Apostolum) quæstiones semper devita, & age quod meliori consilio, non avaritiæ, vel temeritatis, sed utilitatis, & necessitatis, (ut sæpè dictum est) causâ, faciendum viriliter perspexeris. Quapropter, charissime, his Apostolicis fultus auctoritatibus, muta Episcopum causâ necessitatis,*

aut

aut utilitatis, super quo consulere nos voluisti, & alios fratres nostros, quibus hoc faciendum necessitas, aut utilitas compulerit, agere doce, quià hoc, quod tibi soli scribimus, generalitèr omnibus tenere mandamus. Quià sicut potestatem habemus, Episcopos, & Sacerdotes regularitèr titulare, & ordinare, ità (ut prædictum est) causâ necessitatis, aut utilitatis habes, & mutare, ac de titulo ad titulum translatare, licet de minori ad majorem urbem mutandus sit. Hoc tamen summopere prævidendum est, ne causâ arrogantiæ, aut avaritiæ unquam fiat, quià hi à prædictis canonibus damnantur, non illi, qui necessitate, aut utilitate, majorum consilio, & sanâ, ac purâ, & Deo placidâ intentione hoc faciunt. Tu frater semper sectare justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, & mansuetudinem (a).

(a) Pelag. PP. 2. loc citat.

27. Nec aptior, nec magis eloquens esse potest præsentis epistolæ tota series. In ea enim doctrinalitèr, magistralitèr, ac veluti ex Cathedrâ Pontificali Pelagius Papa II. definitivè pronuntiat, licitam esse transitionem Episcopi de unâ ad aliam Ecclesiam, & de uno ad aliud beneficium Episcopale, dummodò justa causa concurrat, & assensus sedis Apostolicæ accedat, auctoritas demùm superioris transitionem ipsam licitam esse faciat. Et quod dicitur de beneficiis Episcopalibus, à fortiori verùm est de beneficiis Episcopatu minoribus; quippè in illis non tàm urgens debet esse ratio transitionis, quantam intercedere oportet quotiès Antistes de unâ est ad aliam Ecclesiam transvehendus: quæ ratio summatim capta ad hoc reducitur, quod adsit vel utilitas, vel necessitas translationis agendæ: nam earum alterutrâ concurrente, & superioris auctoritate decretum suæ approbationis addente, sinè dubio, licita, & legitima est Clerici de uno ad alium locum, sivè de uno ad aliud beneficium transinigratio, iste namque non mutat Ecclesiam, sed mutatur.

28. Admissâ autem justitiâ transitionis de uno ad aliud beneficium, in diversâ Urbe locatum; venit ex consequenti justitia quoquè admissionis Clericorum extraneorum ad Ecclesiastica beneficia; nàm Clericus ità translatus de unâ ad aliam Diœcesim, vèl à primo, vèl à secundo loco erit extraneus; nec enim utrobique esse potest indigena. Et sic ex præfatâ epistolâ decretali Pelagii Papæ II. satis probata remanet libertas Ecclesiæ prò admittendis Clericis extraneis ad Ecclesiastica beneficia, quotiès ex illâ literalitèr, & sole clariùs, probatur, licitam esse translationem Episcopi, & consequentèr etiam cujuslibet alteriùs Clerici beneficiati de unâ ad aliam Ecclesiam: prò quâ porrò translatione faciendâ non est populi, non est plebis, non est laicorum dijudicare, an justa causa concurrat, nec nè, illius faciendæ; sed solius Ecclesiastici superioris, qui pensatis pensandis; quandò est beneficiarium translaturus, dijudicet, an adsit causa legitima, vèl utilitatis, vèl necessitatis ipsius translationis faciendæ: & præfatâ causâ concurrente statim translationem complere potest, absque eo quod debeat de hac re alicui rationem reddere.

29. Præterquamquod si licita, & recta est admissio Clericorum ut suprà extraneorum ad Ecclesiastica beneficia, per viam translationis peracta, erit etiam licita, si per viam collationis agatur, non est etenim major ratio, quarè potiùs uno modò liceat, quam alio: nàm collatio, præsentatio, electio, confirmatio, institutio, permutatio, translatio, & generalitèr omnis modus, per quem fit beneficiorum provisio, sunt species collationis, quæ differunt sola voce, ac quantùm ad rei veritatem collationis nomine continentur (b). Quarè intèr collationem, & translationem, (quoad capacitatem Clericorum, ut de beneficiis valeant provideri) currit paritas. Argumentum autèm à paritate deductum validissimum est, tàm in Physicis, quàm in Theologicis, & Legalibus: quippè parium eadem est dispositio, & judicium (c). Itaquè quià ex textu memoratæ epistolæ Pelagii Papæ II. probatur libertas Ecclesiæ, conferendi beneficia Clericis extraneis, per viam legitimæ translationis; fit ut ex ea probata quoque remaneat ipsamet libertas, dum beneficiorum largitio fit per viam legitimæ collationis.

(b) Barbos. Jur. Eccles. univ. l. 3. c. 13. n. 2. & Tract. var. appell. 14.

(c) Cap. inter corporalia cap. sicut ergo de transl. Episc. Barbos. tract. var. dict. 144. nu 3.

30. Absque eo quod quidquam relevet asserere, quod Pelagius loquatur non

de beneficiis simplicibus, sed de residentialibus, quorum aliquod quisquis adipiscitur, tametsì origine sit extraneus, tamèn statim post illud adeptum, fit inibi indigena, quatenùs Clericus in aliquâ Civitate beneficio Ecclesiastico insignitus, ejusdem Urbis est Civis (*a*): Et ità beneficia quidem residentialia valeant ab extraneis obtineri, non verò beneficia merè simplicia. Nàm in primis constat ex factis mens Contradictorum, quæ ex illorum dictis non constat. Cùm enim unus eorum, veritate victus, nesciat quo evadere, & in id consentiat, quod licitum Clerico extraneo sit beneficium adipisci in loco, ubi priùs erat extraneus, inibique residere, & personalitèr ministrare, dicens, *licuit, semperque licebit*: alii duo in id non consentiunt; indistinctèque Clericos extraneos arcent ab Ecclesiasticis beneficiis, cujuscumque sint qualitatis. Sed ubi ipsi vocibus discordant, facta sæcularis potestatis concordant; nam in Regione Contradictorum perspicimus, extraneos repelli, nedùm à beneficiis simplicibus, verùm etiàm ab illis, quæ residentiæ debitum secùm habent.

(a) *Felin. in cap. Rodulphus nu. 18. de rescr. Bart. in l. 1. ff. ad municipal. Bellet. loc. mox citanda.*

31. Secundariò attendendum est, quod extraneitas, & respectivè indigeneitas, in Clerico, beneficium obtinente, non causatur ex eo, quod beneficium ipsum residentiam exposcat, vel non; sed ex eo quod idem beneficium ipsimet Clerico in titulum est collatum: sicque non ex eo, quod Clericus resideat in loco beneficii, fit ibi indigena; sed ex eo, quod beneficium ipsum in titulum est sortitus, illique est incardinatus, & desponsatus: ideoque per accidens est, quod Clericus ratione beneficii debeat, vel non debeat residere, quià non ex debito residentiæ, sed ex adepto titulo beneficii, fit indigena loci, in quo beneficium ipsum reperitur erectum, talitèr tamen, ut si plura habeat; in dignioris beneficii loco indigenatum ratione principaliori sortiatur, sicut juxtà dignioris beneficii Kalendarium, officium recitare tenetur (*b*). Quarè Doctores communitèr sentiunt, quod Clerici, licet habeant alibi domicilium; tamèn prò Civibus reputantur illius loci, in quo possident Ecclesiasticum beneficium (*c*). Nec aliam fuisse opinionem hac de re, usque ad præsentia tempora in Regione Contradictorum, satis colligitur ex auctoritate Joannis Mariæ Belletti, in margine citati, qui utpotè Episcopus Hieracensis, & consequentèr ejusdem Regni Prælatus, & per theoricam, & per praxim, integram & totalem habuit hujuscè rei notitiam.

(b) *S. Thom. quodl. 1. art. 13. in corp.*

(c) *Bertaz. cons. 443. n. 7. vol. 2. Bellet. disq. Cler. p. 1. de discipl. Cler. §. 2. nu. 15.*

32. Redeundoque ad sermonem nostrum, si Clericus extraneus, vi præfatæ Constitutionis Pelagii Papæ II. potest beneficiis Ecclesiasticis residentialibus insigniri; profectò licitè potest etiam beneficiis merè simplicibus decorari, quia beneficia merè simplicia, non minùs conferuntur in titulum Clerico illa recipienti, quam conferantur beneficia residentialia; nec minùs incardinatur beneficiarius merè simplex in beneficio, cujus titulum adipiscitur, quàm in suo incardinetur beneficiarius residentialis, & tàm ille, quàm iste potest ad ipsius beneficii titulum promoveri (*d*). Et ità quocumque se vertant Contradictores, ac quocumque modò sumatur status quæstionis, semper verum erit, quod beneficia Ecclesiastica non minùs Clericis extraneis liberè, & licitè conferri possunt, quam indigenis: Et quod Ecclesia, quæ sæculo Christi sexto eâdem fruebatur libertate, ipsâmet nùnc quoque perfrui debet, atque semper, & in perpetuum illâ potiri debebit.

(d) *Philib. Marchin. de sacr. ordin. tr. 2. p. 4. c. 6. nu. 2.*

CA-

CAPUT XIII.

In quo ex gestis, & doctrinâ plurium virorum, vel sanctitate, vel aliâ ratione celebrium, & presertìm S. Fulgentii, S. Benedicti, Pauli *Antiocheni*, Mennę *Constantinopolitani*, Heliæ *Hierosolymitani*, Agapeti I. *Romani Pontificis, & aliorum, qui* Sexto Christi Sęculo *floruerunt, probatur; quòd per illa tempora, Ecclesia integrâ libertate potiebatur admittendi Clericos extraneos ad Ecclesiastica beneficia: adeoque eâdem libertate nùnc quoquè perfrui debet.*

SUMMARIUM.

1 S. Fulgentius *in variis cœnobiis vitæ monasticæ operam dedit: Ægyptum petens Episcopi Syracusani monitu retrocessit: & cur?*

2 *Romam petiit, viditque pompam Theodorici Regis Gothorum, inde in Africam, rediit, ac diversis iterum in cœnobiis, modo Abbatis, modo Monachi opus exercuit.*

3 *Episcopi Africæ præfici vacuis Ecclesiis novos Præsules decrevère. Nuntani, & alii optarunt sibi eligere in Antistitem S. Fulgentium latitantem.*

4 *Ruspenses, refutato Felice propriæ Ecclesiæ Diacono, sibi præficiunt Fulgentium solâ fama eis notum, cui, & nec ipsi cogniti erant.*

5 *Qui S. Fulgentius non in tot dissitis locis monachale, & Abbatiale beneficium suscepisset, si novisset culpæ reos esse extraneos, beneficia, suscipientes.*

6 *Ecclesiæ Africanæ hinc indè sibi Antistites præficientes: Nuntani, & alii optantes S. Fulgentium sibi præesse: ac Ruspenses postpositis indigenis illum in Episcopum eligentes, favent extraneis.*

7 *Quinque Sancti Præsules in Italiâ, & Hispaniâ hoc tempore episcopatum tenuerunt, etsi extranei, Græci, & Hungari.*

8 *S. Benedictus Monachorum Occidentalium Parens, in suâ regula disponit, monachos extraneos esse suscipiendos, & sociandos corpori monasterii.*

9 *Imò si digni sint, eos suadendos esse disponit, ut maneant, quos & Abbas officiis Conventus præficiat: monachatus autem est ecclesiasticum beneficium.*

10 *Monachos quoque alterius noti monasterii suscipi mandat, consentiente illorum Abbate: nec uno, sed pluribus modis præfata regula favet libertati Ecclesiæ.*

11 *Flaviano Antiocheno deposito per Conciliabulum Sidoniense, substitutus est* Severus *Sozopolitanus monachus prope Majumam, undè pulsus Constantinopolim petiit.*

12 *Severo subrogatus est* Paulus *Constantinopolitanus, qui habuit successorem Euphrasium Hierosolymitanum.*

13 *Nuntii Hormisdam Papam totius eventus conscium reddiderunt: nec sunt commoti, quod clericis Antiochenis, viri extranei præpositi fuerint.*

14 *At videntes Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum velle Paulum consecrare Constantinopoli, restitère, instantes eum consecrandum esse Antiochię.*

15 *Simplicius Papa decreverat, ne electus Antiochenus consecraretur Constantinopoli, quando ad Zenonis Imperatoris petitionem, super eârè dispensavit.*

16 *Refertur tenor epistolæ Simplicii Papæ ad Zenonem Imperatorem super ordinatione Antistitis Antiocheni.*

17 *Canones jubent Archiepiscopos in propriâ metropoli consecrari. De Episcopis nulla fuit lex id præcipiens, tamen honestum fuit idem fieri.*

18 *Novâ lege Concilii Tridentini Episcopi extrà Curiam consecrandi sunt in propriâ Ecclesiâ, vel in provinciâ: Quoad Patriarchas, quid agendum fuit?*

19 *Legati Papæ instantes, ne electus Antiochenus consecraretur Constantinopoli, id obtinuerunt: perperam vero, ut eligeretur indigena insinuarunt.*

20 *Multi anteà, & post, quorum nomina referuntur, Patriarchatu Antiochiæ potiti sunt, quamquam ortu extranei.*

21 *Ex hac rerum serie patet, quod si licitum est extraneis beneficia Patriarchalia adipisci, multo magis licitam est minora suscipere.*

22 Joanni *Cappadoci successit* Epiphanius *in sede Constantinopolitanâ, qua vacante* Anthimus *Trapezuntinus in eam insilivit.*

23 *Agapitus PP. I. Constantinopolim petiit, ubi Anthimo Eutychiano communicare recusavit, sed in ejus locum Mennam Alexandrinum consecravit.*

24 *De duobus Anthimus accusabatur, primò, quod non rectè de fide sentiret: secundò, quod Ecclesiam Bizantinam malis artibus occupasset.*

25 *Meruisset Anthimus utrâque sede privari. Agapetus tamen ipsum voluit priori sedi redintegrare, si fidem catholicam profiteretur.*

26 *Verba Zonaræ factum narrantis. Anthimus debuisset deponi propter extraneitatem, si hæc esset tale crimen, quale dicunt Contradictores.*

27 *Mennas extraneus Constantinopoli erat: Ibi ordinavit presbyterum S. Sampsonem Romanum. Anthimus à synodis damnatus fuit, & ab Imp. mulctatus.*

28 *Epistola Agapeti Papæ I. ad Petrum Hierosolymitanum de Anthimi depositione, & Mennæ provectione refertur.*

29 *Antè Mennam nullus alius Patriarcha Constantinopoli fuit à Papa consecratus: postpositis indigenis, Mennas extraneus prælatus est.*

30 Helias *Arabs Patriarchatum Hierosolymitanum hoc sæculo obtinuit: quo etiam* S. Euthymium, & S. Sabam *extraneos, habuit Palæstina Monachos, & Abbates.*

31 *Plures hoc sæculo beneficia ecclesiastica possederunt in locis, à quibus erant extranei, in Germaniâ, Hispaniâ, Angliâ, seu Hibernia &c.*

32 *Multi Sancti in Galliâ beneficiis episcopalibus insigniti sunt in locis, à quibus erant extranei, hoc sexto Christi sæculo.*

1. SANCTIFICAVIT, & ornavit sæculum Christi sextum *Sanctus Fulgentius*, cujus vita sicut meritis plena est, ita & rationibus perabundat, nobis suadentibus Ecclesiæ libertatem, quàm in hoc opere propugnamus. Ipse etenim origine Carthaginensis, patriâ vero Teleptensis, (*a*) primò professus est monachatum in Cœnobio Fausti Episcopi, qui extra Urbem propriam relegatus, in loco sui exilii tale sibi constituerat Monasterium (*b*). Indè ad Monasterium aliud, cui præerat Felix transivit, in eoque Coabbatis ministerium exercuit. (*c*) Posteà novum aliud Cœnobium adivit, juxtà civitatem situm, quæ Ididi nuncupatur. (*d*) E'quo successivè itèr arripiens, ut in Thebaidem Egypti provinciam, se conferret, ibique strictiori vitę monachalis instituto operam daret, Alexandriam navi tendens; vi ventorum, æquora turbante, appulit Syracusas, ubi Eulalio Episcopo suum communicans consilium, hoc responsum audivit: *rectæ facis cupiens meliora sectari, sed scis quoniam Deo sine fide impossibile est placere* (*e*). *Terras ad quas pergere concupiscis, à communione B. Petri perfida dissensio separavit &c.* (*f*)

(a) *Surius in vit. B. Fulg. die 1. Jan. cap. 1. quæ etiam antè ejus opera est.*
(b) *Ibid. cap. 4.*
(c) *Ibid. cap. 4.*
(d) *Ibid. cap. 12.*
(e) *Hebræor. 11.*
(f) *Surius in vit. S. Fulg. cap. 12.*

2. Fulgentius ergo Syracusis Romam perrexit, ubi maximum tunc erat gaudium propter Theodorici Gothorum Regis adventum, quem cernens in loco, dictò Palma aurea, Romanę nobilitatis diversis gradibus circumcinctum, concionem facere

facere, confessus pariter, & loci decore raptus, in celeberrimum illud epiphonema prorupit: *quam speciosa potest esse Hierusalem Cælestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis honor, & gloria, & pax præstabitur sanctis contemplantibus veritatem?* (a) Româ deinde discedens, versus Africam velocitèr per Sardiniam navigavit, & ad primum suum rediit Monasterium: *nullus tamèn ausus est eum, quia discesserat culpare, sed cuncti potiùs satagebant pro reditu ejus gratias Deo agere* (b) Ab hoc Monasterio rursus discessit, & ad aliud in provinciâ Byzacenâ novitèr erectum se sistitit, Abbatis ibi fungens officio. A quo paritèr ad aliud Monasterium perrexit, propè Vivacense littus erectum, ubi non Abbatis, sed simplicis monachi partes objuit, flabellis contexendis è palmarum foliis, dum tempus supererat, occupatus. (c)

(a) *Ibid. cap. 13.*

(b) *Ibid. cap. 14.*

(c) *Ibid. cap. 14.*

3. Faustus intereà Episcopus primi Monasterii auctor, à Felice illius Abbate interpellatus, pœnis comminatis compellit Fulgentium illuc reverti: quarè *deponitur rursus B. Fulgentius ad Monasterium proprium: subire præcipitur Abbatis officium: & ne iterum à desiderio spiritali mutabilis fieret, repente eum sacerdos consecrat presbyterum, ut Abbatis, & presbyteri decoratus officio, nèc Monasterium relinquere, nec in aliâ Ecclesiâ posset ordinari* (d). Sed quid? famâ Fulgentij per totam Africam crebrescente, Nuntani eum sibi deligere in Antistitem peroptabant: obstitit tamèn Regium interdictum, quòd novos Episcopos eligi prohibebat: cùm Episcopi superstites, una simùl congregati decreverunt, non obstante Arriani Regis prohibitione, debere quaslibet Diœceses sibi propriùm deligere Antistitem. Tunc facta est *communis assumptio, Presbyteros, Diaconos, & si quos inveniret electio, rapere, benedicere, consecrare, certatim in locis singulis properantibus, ne in tali studio, aùt tardus, aùt novissimus inveniretur* (e) B. Fulgentius, ne ab aliquâ Ecclesiâ ad Episcopatum raperetur, se abscondit, Plebsque illius loci, ubi suum erat Monasterium, aliquantò distulit sibi præficere sacerdotem, ut Fulgentium, si invenire potuisset, eligeret: donec timens sibi ex morâ periculum, unum de propriis Clericis sibi in pastorem elegit. (f)

(d) *Ibid. cap. 15.*

(e) *Ibid. cap. 15. 16.*

(f) *Ibid. cap. 16.*

4. Repletis sedibus Episcopalibus, S. Fulgentius è latebris emersit. Vacua tamèn remanserat sedes Ruspensis, quia Felix illius Ecclesiæ Diaconus, *qui ambire voluerat honorem Pontificis, repudiatus, in illo loco, nec ipse merebatur, nec alium recipere patiebatur* (g). Ruspenses tamen Antistite carere nolentes, auditâ dudum famâ Fulgentii, & eum, *quem tot loca primò sacerdotio judicaverant dignum, nullatenus tempore ordinationis inventum, remansisse presbyterum*, consensu Victoris Primatis, & vicinorum Episcoporum petito, Fulgentium ipsum, rei nescium, in cellâ repertum, ut sit eorum Episcopus interpellant. *Invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex esse non rogatur, sed cogitur. Inde ad Episcopum, qui admonitus fuerat ordinationem celebrare, perductus, ignoti populi constituitur pater; itâ ut in illo Propheticum illud compleri videretur oraculum: populus, quem non cognovi servivit mihi* (h) Itâ B. Fulgentius Episcopale beneficium adipisci declinans, in illud, vel invitus impegit: & nativi, domiciliarisque loci, sacerdotio fungi detrectans, eo perductus est, ut gradùm ipsum intèr extraneos retineret: populisque, uti pastor præesset, quibus nomine quidem notus, sed personâ omninò erat incognitus.

(g) *Ibid. cap. 17.*

(h) *Ibid. cap. 17.*

5. Ex totâ rerum harum seriè, attentè perpensâ, multiformitèr comprobata remanet Ecclesiæ libertas in conferendo ecclesiasticas præbendas, etiam extraneis. Nàm S. Fulgentius, vir fuit probitate, doctrinâ, & sanctitate nulli secundus; quem nefas est autumare, vel nescisse, vel scitum contempsisse pondus vitii, quod per Contradictores in extraneitate supponitur. Ipse inquam in pluribus locis monachi vitam egit, à quibus, & origine, & nativitate erat extraneus: monachatus autem inter beneficia ecclesiastica computatur (i). In pluribus quoquè, & dissitis locis, fuit Abbas, adeoque beneficiatus: Abbatia quippè regularis & ipsa est ecclesiasticum beneficium (l). Nec ullus ausus est illum, quia discesserat culpare: imò Faustus Episcopus eumdem ordinavit presbyterum, nè in aliâ Ecclesiâ posset ordi-

(i) *Thomassin. p... nov. Eccl. discipl. p... l. 3. c. 13. n. 1. Barbos. de Jur. Eccl. univ. l. ... c. 4 n. 69.*

(l) *Card. de Luca ... benef. disc. 97. num. 1 Barbos. loc. cit.*

ordinari. Ex quibus patet, quod si suus Episcopus non obstitisset, sed consensisset, liberum illi fuisset presbyteratus ordinem, & emolumenta in aliâ Ecclesiâ adipisci.

6. Ex eo etiam quod cunctę Ecclesiæ Africanę, Antistite carentes, tametsi proprios clericos habentes, hinc illinc presbyteros, & diaconos accersere inceperunt, quos magis idoneos reputabant, ut eos sibi eligerent in Episcopos; Ex eo rursùs, quòd S. Fulgentius, nè ab aliquâ Ecclesiâ in Præsulem postularetur, se abscondit, quod Nuntani quoque illum sibi præficerę in Episcopum peroptarunt; Incolæque illius loci, ubi suum erat situm Monasterium, idipsum aggredi satagerunt, quamquam propriis Clericis non carerent, quorum unum tandem elegerunt; Ex eo demum, quòd Ruspensibus, sibi ignotis, ministrare adactus est, & apud eos episcopale beneficium amplecti, quantumlibet Ruspensis Ecclesia alios haberet Clericos eligibiles, & præsertim Felicem diaconum, cui cleri, & populi pars notabilis adhærebat; hæc omnia, inquam, simul sumpta, quid probant, nisi quod ætate S. Fulgentij, qui sexto Christi sæculo in vivis agebat, & ipse, & Victor Primas, & Episcopi ejusdem provinciæ, & totâ demum Ecclesia Africana, in eo sensu fuerunt, quod accessus ad ecclesiastica beneficia pateret non minus extraneis, quam indigenis, dummodò benemerentibus, & idoneis?

7. Eâdem ætate plures Sancti doctrinâ, & meritis celeberrimi, beneficium episcopale tenuerunt in Ecclesiis, â quibus erant extranei: & præsertim *S. Laurentius* I. ex familia Litiâ, *(a)* & *S. Honoratus*, ex stirpe Castillionea *(b)*, qui cum essent cives Mediolanenses, primo Episcopatum Novariensem adepti sunt (in quo paulò antè sederat *S. Gaudentius* natione Hispanus *(c)*: Et deindè ad Mediolanensem Ecclesiam sunt transvecti: adeoque, cum anteà fuissent extranei ab urbe Novariâ, & hic promoti ad infulas, evasissent extranei ab urbe Mediolani; tamen, & in primâ, & in secundâ Ecclesia, præcipuum habuere Ecclesiasticum beneficium. Eisdem quidam alii intermedii assiderunt, quos inter *S. Eustorgius* II. Gręcus, S. Joannis Damasceni discipulus, Romam profectus cum Joanne Alexandrino, & à Felice IV. Papa Mediolanensis Ecclesiæ factus Antistes: ubi *S. Florianum* electum posteà Episcopum Hispalensem, ex ultimâ Pannoniâ venientem, domi excepit, baptizavit, literis instruxit, & diaconum ordinavit *(d)*. In quâ sanè brevi narratione quinque sanctos habemus, beneficia ecclesiastica, sine ullo prorsùs scrupulo possidentes, in locis, à quibus erant extranei: & centum, ac forte mille alios, colligere possemus, si tempus id permitteret, qui hoc ipsum eodem Christi sæculo peregerunt, id proculdubio non facturi, si cognovissent, culpam inesse extraneis, quam supponunt Contradictores.

(a) *Biblioth. Patr. to. 6. p. 2. præf. in S. Laur. Novar f. 333. Jo. Gual. Chron. Cronic. Eccl. in Archiep. Mediol. n. 26.*

(b) *Jo: Gualter. loc. cit. n. 32.*

(c) *Mombrit. tom. 2. ap. Sur. 22. Januar.*

(d) *Jo: Gualter. loc. cit. n. 27.*

8. Floruisse itidem in Ecclesiâ circà hæc tempora, nimirum anno Christi 520. *S. Benedictum* Nursiensem, patrem Monachorum Occidentalium, omnibus notum est *(e)*: qui præclarâ editâ Regulâ, per quam facilis aperitur monachis aditus ad Cœlestia Regna, hoc inter cætera de monachis peregrinis disponit. *Si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam invenerit, & non fortè superfluitate suâ perturbat Monasterium, sed simplicitèr contentus est, quod invenerit, suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua tamèn rationabilitèr, & cum humilitate charitatis reprehendit, aut ostendit, tractet Abbas prudentèr, nè forte eum propter hoc ipsum Dominus direxerit. Si vero posteà voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maximè quià tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci. Quod si superfluus, aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori monasterii, verum etiàm dicatur ei honestè ut discedat, nè ejus miseriâ etiam alii vitientur (f).*

9. *Quod si non fuerit talis, qui mereatur proiici, non solum, si petierit, suscipiatur congregationi sociandus, verùm etiàm suadeatur, ut stet, ut ejus exemplo alii erudiantur, & quia in omni loco uni Domino servitur, ut uni Regi militatur. Quem etiam si talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiore aliquantulum constitue-* re

(e) *S. Greg. dial. l. 2. Sur. 21. Martii.*

(f) *Regul. S. Bened. c. 61. Biblioth. Patr. tom. 6. f. 430.*

re loco. Non solùm autem monachum, sed etiàm de supradictis gradibus sacerdotum, vel clericorum, stabilire potest Abbas, in majori, quàm ingrediuntur loco, si eorum talem prospexerit esse vitam. Caveat autem Abbas nè aliquando de alio noto Monasterio monachum ad habitandum suscipiat, sinè consensu Abbatis ejus, aut literis commendatitiis, quià scriptum est, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. (a) Alibi diximus, tùm secundum Theologos (b) tùm secundum Jurisconsultos (c), quod monachi sunt totidem beneficiati. Si autem juxtà regulam S. Benedicti, monachi *de longinquis provinciis* supervenientes, quotiès probitate, & benèmerentiâ fulgeant, nedùm possunt recipi, sed etiàm suaderi debent, ut se recipiendos exhibeant; profectò ex his satis patet, quod nedùm attento sæculari, & ordinario vitæ clericalis more, sed etiàm servatâ methodo austerioris disciplinæ, cui in regulâ monachali servitur, licitum est extraneos advocare, ac illis beneficia sacra committere.

10. De monachis verò, ex alio noto monasterio proficiscentibus, cavet præfata Regula, nè sinè consensu sui Abbatis suscipiantur; in hocque coincidit cum sanctione Agathensi, corpori Juris communis insertâ (d) ergo à contrario sensu, cum permissione proprii Abbatis, alibi suscipi permittuntur, argumentum etenìm à contrario sensu validissimum est (e): Et quia nedùm alienos monachos, servatis ut suprà servandis, verùm etiàm sacerdotes, & clericos recipi decernit Regula, de qua loquimur, non solum in gradu monachi, sed etiàm talitèr, ut ad majores monasterii dignitates valeant promoveri, quæ paritèr, imò & à fortiori sunt ecclesiastica beneficia (f); sequitur iterum eâdem consequentiâ, quam paulò antè deduximus favore clericorum extraneorum: & ità vi memoratæ Regulæ monachalis, non uno, sed pluribus argumentis infertur libertas, quâ pollet Ecclesia dispensandi sua beneficia, non tàm indigenis, quàm etiàm extraneis; Libertas, inquam, quâ si potitur Ecclesiâ, multò magis eâ fruitur Summus Pontifex, ejusdem Ecclesiæ Caput, & Pastor, atquè supremus rerum Ecclesiæ Moderator, Ecclesiasticorumque beneficiorum distributor, ac post eum alii paritèr beneficiorum dispensatores, congruâ proportione servatâ.

11. Hoc eodem Sexto Christi Sæculo, ea, quæ sequuntur, evenere de *Severo*, & *Paulo* Episcopis Antiochenis. Cum Flavianus junior magnæ illius Ecclesiæ Antistes fuisset in Conciliabulo Sidoniensi depositus, propter fidem Catholicam à se strenuè defensatam (g); *Severus* ad illius thronum evectus est, cui, Evagrio teste, *patria fuit Sozopolis, urbs Pisidię, qui antequàm Episcopatu potitus sit Berythi in oratione forensi, ac judiciali se exercuit. Verùm simul ac in sacro Templo Leontii divini Martyris, quem Tripolis urbs Phœniciæ maritima colit, fuit lavacro baptismi tinctus, se à legum studio ad vitam monasticam transtulit, quam quidem vitam traduxit in monasterio, quod medium locum inter urbem Gazam, & oppidum Majumam occupat* (h): Undè à Nephalio depulsus, Constantinopolim se recepit (i), ac tandem Antiochenis infulis est ornatus (l): quas retinens, multa mala patravit, in hæresim lapsus, propter quàm adversus Catholicos multis modis desæviit (m), donec primò à Cosmâ Epiphaniæ ad Orontem Episcopo, & à Severiano Presule Arethusæ, libellum abdicationis ad eum transmittentibus, per Aurelianum Epiphanię Diaconum, fæminili habitu indutum, percussus est (n). Deindè in Concilio Constantinopolitano depositus, & exilio mulctatus (o), linguâ ejus propter blasphemias, quas proferebat, excisâ (p), & scriptis igne combustis (q).

12. Severo deposito, substitutus est *Paulus* Præsbyter Constantinopolitanus (r): Eique non multò post Episcopales tęnias à se abdicanti, subrogatus est *Euphrasius, Hierosolymis Antiochiam profectus* (s). Antequam Paulus promoveretur, nuntii Hormisdæ Papæ, nimirum Germanus, & Joannes Episcopi; Felix, & Dioscorus Diaconi; ac Blandus Presbyter, Constantinopoli tùnc manentes, eligi aliquem de Antiochenâ Ecçlesiâ, qui esset fide integer, satagerunt; sed propter magnas contentiones, in unum non convenientibus electoribus, Imperator Justinus

(a) *Regul. S. Bened. loc. cit. vid. Petr. Cluniacens. infr. Sæc. 12. cap. 33. num. 42. 43.*
(b) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 13. nu. 1.*
(c) *Barbos. Jur. Eccles. univ. l. 3. c. 4. n. 69.*
(d) *Cap. Monachum 3. caus. 20. qu. 4.*
(e) *Vid. Barbos. tract. var. loc. 27. per tot.*
(f) *Barbos. Jur. Eccles. univ. l. 3. c. 4. n. 69.*
(g) *Card. Baron. ann. 512. nu 19.*
(h) *Evagr. l. 3. c. 33.*
(i) *Evagr. loc. cit.*
(l) *Baron. ann. 513. num. 1.*
(m) *Baron. ann. 513. 13. & 517. 52.*
(n) *Evagr. l. 3. c. 34.*
(o) *Baron. ann. 536. num. 90. & 106.*
(p) *Evagr. l. 4. c. 4.*
(q) *Baron. ann. 536. num. 106.*
(r) *Baron. ann. 519. 58. & 522. 36.*
(s) *Evagr. l. 4. c. 4.*

nus mandavit promoveri Paulum Presbyterum Constantinopolitanum, catholicum, & qui aliquandò Antiochiæ consistens, Severo prædecessori, quotidiè anathema in Concilium Chalcedonense proferenti, restitit; Et Eutychianos exagitavit: *Eique dabatur mandatum, ut Concilium Chalcedonense palam prædicaret* (a). Magnâ quidem circumspectione, ac meritorum discussione inter plures fuit electus Paulus præfatus, nihilominus exitus acta probans (b), ostendit nimirum fallibilia esse judicia hominum, Paulus etenim ipse obscænitate morum se pessimum prodidit (c), quamquam fide semper optimus permaneret.

(a) *Evagr. l. 4. c. 4.*

(b) *L. siquidem ff. de rebus dub. cap. quatuor qu. 1 c. quod autem 12. qu. 2.*

(c) *Baron. an. 522. num. 36.*

13. Dè electione itaque illius, Nuntii præfati Hormisdam Pontificem conscium reddiderunt, scribentes ei inter cætera: *Nostra erat propositio de his, qui se suspenderant de anathemate, in prædictâ Ecclesiâ ordinare sacerdotem*: sed in cassum isse dicunt eorum officia, quippè Eutychiani, Severi sequaces, multis contentionibus obsistebant; subjunguntque Nuntii: *post multas afflictiones, & penè in tres menses à partibus protracta certamina, piissimus Imperator suâ auctoritate nomine Paulum Presbyterum, de Ecclesiâ Constantinopolitanâ elegit Episcopum fieri in Ecclesiâ Antiochenâ, dicens inter alia, & hoc testimonium de ipso, quià duobus annis in Antiochiâ positus, non mediocriter resistebat Severo heretico: similia & omnes catholici consonabant: omnia ista de personâ prædicti, Imperator se promisit ad vestram Beatitudinem relaturum* (d). Ità successivè tres prorsùs extranei beneficium Patriarchale sedis Antiochenæ adepti sunt, *Severus* natione Pisidiensis, patriâ Sozopolitanus, baptismate Tripolitanus, & monachatu Majumensis, aut Gazensis: *Paulus* Presbyter Constantinopolitanus: & *Euphrasius* è Hierosolymitanâ Ecclesiâ decerptus. Proponebant Nuntii Apostolici, ut post Severum aliquis clericus Antiochenus eligeretur; tamen quià id non de præcepto, sed tantummodo de consilio esse agnoscebant, solum ut cæteris paribus fieret insinuabant, nihilque commoti sunt, quod contrarium eorum suggestioni successerit.

(d) *Epist. Nuntiorũ post epist. 65. Hormisdæ ap. Bin. tom. 3. Concil. f. 780.*

14. Sed quandò viderunt, quod Epiphanius Patriarcha Constantinopolitanus volebat Paulum illum Antistitem consecrare in Ecclesiâ Constantinopoleos; Nuntii præfati ei fortitèr obstitere, clamantes, Electum Antiochenum non alibi quàm Antiochiæ, in suâ propriâ Patriarchali Ecclesiâ esse sacro Consecrationis oleo respergendum: & ità se in mandatis habuisse à Romano Pontifice Hormisdâ, cui Dioscorus unus è prænarratis Nunciis ità perscripsit. *Antiochena Ecclesia ordinata est, electus est quidam, Paulus nomine, Presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quem huic honori aptissimum Imperatoris testimonio comprobatum est, voluerunt & tentaverunt hic eum ordinare. Ego jussionis vestræ non immemor, contradixi, dicens: Jussit Dominus noster Beatissimus Papa, secundum antiquam consuetudinem, ibi eum Episcopum ordinari. Hoc obtinuit quod præcepistis* (e).

(e) *Epist. Dioscori post Epist. 65. Hormisd. loc. cit.*

15. Præcesserat jam dudum Simplicii Papæ præceptio, districtè interdicens, nè Præsul Antiochenus Constantinopoli ordinaretur: quod tunc decretum est, quando trucidato per emissarios Petri Fullonis, sivè Cnaphei (olim Episcopi Antiocheni, à throno depositi) Stephano seniore illius successore, una cum aliis, qui secum divinis officiis persolvendis operam dabant, proùt narrat Evagrius (f), memoratque Nicephorus (g); Zeno Imperator, ad avertendos tumultus, qui facilè poterant exoriri, si de novo Præsule subrogando, haberentur in urbe Antiochiæ comitia; mandavit Antiochenum Antistitem pro illâ vice Constantinopoli eligi, Simplicii Papæ super hac re auctoritatem implorans, ut tale factum, etsi sacris canonibus discordans, ratum haberet, ac super eo in legibus ecclesiasticis dispensaret, proùt re vera Simplicius fecit, hac tamen lege, ut in posterum Præsul Antiochenus non Constantinopoli eligeretur, neque consecraretur; sed ejus fieret electio Antiochiæ, & consecratio à Syriæ Episcopis, in unum convenientibus expleretur, prærecepto etiam super eâ re ipsius Principis Juramento (h): super quo negotio Simplicius ad Acacium Constantinopolitanum literas dedit (i), qui *Stephanum* juniorem, electum Episcopum Antiochenum, in Byzantii metropoli consecravit.

(f) *Evagr. l. 3. c. 10.*

(g) *Niceph. l. 15. c. 48*

Baron. an. 479. n. 2.

(h) *Bin. in not. ad Ep. 15. Simplicii f. to. 3. Con. Baron an. 479. n. 4.*

(i) *Simpl ep. 15. ap. Bin. in to. 3. Concil.*

16. Sed

16. Sed fusius eâde re Pontifex ad Zenonem perscripsit: *quoniam seditiones Antiochenas religiosissimo proposito sedandas non alitèr existimastis, nisi præter præjudicium venerandi illius Concilii Nicæni, apud Constantinopolim iisdem petentibus ordinaretur Antistes, quod in ejus tantummodo personâ sic memorastis assumptum, ut deinceps secundum definitiones Patrum orientali Synodo creatio Antiocheni Pontificis reservetur, nec haberi loco vultis injuriæ, quod dissensionis gratia factum est auferendæ. Tenet hanc pietatis vestræ B. Petrus Apostolus sponsionem, & Christianissimi, fidelissimique Principis mentem in hæc verba jurasse, quod post hac in Antiochenâ urbe, veteri more servato, à Comprovincialibus suis Episcopis ordinetur, nè quod nunc frater, & Coëpiscopus meus Acacius verbis vobis est jubentibus exequutus, in usum posteritatis veniat, & statuta patrum, quæ præcipuè præstatis illesa confundat. Unde quæ à vobis amore quietis sanctè, & religiosè sunt ordinata, reprobare non possumus, nè status Antiochenæ Ecclesiæ sub nostrâ dubitatione videatur ambiguus, præcipuè eum is, qui legitur ordinatus, testimonio Clementiæ vestræ, & tantâ sit prædicatione subnixus, ut in eo, præter horum vulnerum dolorem posito, possimus, & Ecclesiæ, quæ illum meruit gloriari &c.* (*a*).

17. Porrò gratum semper extitit sacris canonibus, ut electus Antistes non alibi, quàm in propriâ Ecclesiâ sacram obtineret Pontificatus unctionem. Et quidem de Archiepiscopis id est expressum in jure (*b*), sumpto ex epistolâ Sancti Leonis magni Papæ ad Anastasium Thessalonicensem (*c*), & ex Concilio Toletano IV. (*d*), sancientibus, quod eorum consecratio in propriâ metropoli celebretur. De Episcopis verò, quamquam non esset precisè limitata ad locum propriæ Cathedralis eorum ordinatio; quippe Concilium Toletanum præfatum illam Archiepiscopi arbitrio derelinquit (*e*); attamen non est dubium, fuisse à disciplinâ ecclesiasticâ peroptatum, ut unusquisque Antistes in eâ, cui famulaturus esset, consecraretur Ecclesiâ, tamquam res, non necessaria, sed congrua, & honesta, de quâ Concilium Aurelianense IV. disposuit, *Episcopus in Civitate, in qua per decretum eligitur ordinandus in suâ Ecclesiâ, cui præfuturus est consecretur. Sanè si subitò necessitas temporis hoc implere non patitur, licèt melius esset in suâ Ecclesiâ fieri, tamen, aut sub præsentiâ Metropolitani, aut certè cum ejus auctoritate, intrà provinciam omninò à Comprovincialibus ordinetur* (*f*). Stephanus Larissenus rationem reddens justitiæ suæ provectionis in Concilio Romano coram Bonifacio Papa IV. hoc exposuit: *decretum factum est communiter, tùm cleri, quàm populi Metropolitani, atque eorum, quorum assensus erat actui necessarius &c. Et quià ordinationem, secundum priscam consuetudinem, non alibi, sed in eadem Civitate fieri oportebat; convenit sancta provinciæ Synodus &c. & communi omnium testimonio, nihil consuetudini detrahente, in Ecclesiâ sum ordinatus Episcopus* (*g*).

18. Hæc quoad antiquam disciplinam. Quoad novam verò habemus sanctionem generalis Concilii Tridentini, sic resonantem: Episcoporum *consecratio, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesiâ, ad quam promoti fuerint, aut in Provinciâ, si commodè fieri poterit, celebretur* (*h*). Quibus ità se habentibus, quoad Patriarchas tamèn, sivè Præsules primarum sedium, alia ratio urgebat, ex Nicæno Concilio petita (ut innuit mox memoratus Simplicius). Quippe cum Concilium ipsum Diœceses præcipuis illis Præsulibus divisisset, quorum unùs erat Episcopus Antiochenus (*i*); intolerabile erat, quod is ab Episcopo Constantinopolitano consecraretur: tùm nè fines Diœcesum, à Concilio constituti, confunderentur: tùm nè Præsul Constantinopolitanus sibi Antiochenum subjicere conaretur Antistitem, cui nedùm non superior, sed tunc vix erat reputandus æqualis; eò quod Patriarchalis dignitas, reluctante Summo Pontifice, à Constantinopolitanis Episcopis fuerat usurpata, quos aliis Præsulibus primarum sedium Concilium Nicenum non aggregaverat (*l*).

19. Duo ergo fecerunt sedis Apostolicæ Delegati: & adversùs promotionem Pauli ad sedem Antiochenam, nè fieret Constantinopoli, reclamarunt, idque obtinuerunt: & nè in eâ sede inthronizaretur extraneus institerunt; sed id non obtinuerunt:

(a) *Simpl. PP. ep. 14. ad Zenon. ap. Bin. loc. citat.*

(b) *Cap. metropolitano dist. 63. c. qui in aliqua l. 5. dist. 51.*

(c) *S. Leo ep. 84. c. 6.*

(d) *Concil. Tolet. 4. cap. 18.*

(e) *Concil. Tolet. 4. loc. cit.*

(f) *Concil. Aurel. 4. cap. 5.*

(g) *Collect. Rom. Holsten. f. 67. Thomassin. vet. & nov. discipl. p. 2. l. 2. c. 9. n. 3.*

(h) *Conc. Trid. sess. 23. c. 2. de reform.*

(i) *Vid. Less. de Just. l. 2. c. 34. n. 103. Barbos. in Conc. loc. cit. n. 4. & de offic. Episcopi alleg. 1. n. 44.*

(l) *Conc. Nicæn. 1. cap. 6.*

(m) *Vid. Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 1. c. 8. & 10.*

runt: quippè hoc non obstante Paulus ipse Presbyter Constantinopolitanus, & Antiochiæ prorsùs extraneus, electus est. Cur quęso autem prima legatorum instantia locum habuit, non verò secunda? Certè non aliâ de causâ, nisi quia sanctio Nicæna præceptiva erat, & rem magni momenti continebat; ideòque sinè speciali dispensatione violari non poterat (quæ non nisi semel, & ex necessariâ causâ per summum Pontificem Simplicium interposita est, cum ordinatus est Stephanus junior,) nè Antiochena sedes Constantinopolitanæ subjugaretur, fieretque primarum Ecclesiarum perniciosa nimium confusio. Promotio verò Clerici extranei, vèl indigenæ ad beneficium Episcopale Antiochenum, vèl cujuslibet alteriùs Ecclesię, nulli pręcepto suberat, neque dispensatione indigebat; poteratq; prò Eligentium libito non attendi, tamquam res parvi momenti, & ad vim directivam pertinens, non coactivam.

20. Quarè non solùm hac vice *Paulus* Constantinopolitanus extraneus, sed etiàm pluriès anteà, & posteà Clerici extranei fuerunt Antiochenis infulis decorati, absque eo, quod unquam fuerint de extraneitatis vitio redarguti, vel proptèr illam à beneficio repulsi. Et ità *Paulus* ex Urbe Samosatensi factus est Episcopus Antiochenus (*a*): *Eustatius*, Sidæ in Pamphiliâ natus, primò Berroeæ in Syriâ Episcopus, posteà fuit in Antiochenâ sede locatus (*b*): *Meletius*, anteà Sebastæ in Armeniâ, dein Berroeæ in Syriâ, demùmque Antiochiæ tenuit Episcopium (*c*): *Petrus Cnapheus* ab initio fuit monachus Acœmeta Constantinopoli, deinde presbyter Chalcedonensis, & postmodùm Pręsul Antiochiæ (*d*): *Theophilactus* Edessenus (*e*): *Anastasius* Sinaita (*f*): *Gregorius* item monasterii montis Sinai Abbas (*g*): *Euphronius* Cęsariensis (*h*): *Leontius* Phrix (*i*): *Euphronius* alter Cappadox (*l*): *Stephanus* Liddensis (*m*): *Stephanus* junior Constantinopolitanus (*n*): *Severus* è Sozopoli (*o*): *Eudoxius* Cilix (*p*): *Euphrasius* Hierosolymitanus (*q*): & alii Episcopatum Antiochenorum adepti sunt, qui tùm ratione patriæ, in quâ exorti erant, tùm ratione presbyteratus, vèl Episcopatus, vèl Archimandritatus, alibi præcedentèr exerciti; fuere toto cœlo ab infulis Antiochenis extranei: & tamen vèl eis nulla obstitit culpa, ob quam meruerint ab illâ sede fieri extorres; vel aliquibus vitium quidem non sanæ fidei, aut aliorum delictorum sunt reatus objecti, nunquam tamen extraneitas exprobrata est, neque illis hæc obstitit, quin potuerint Episcopale beneficium celeberrimæ illius Metropolis adipisci.

(a) *Baron. ann. 262. num. 70.*
(b) *Baron. ann. 324. num. 141.*
(c) *Sozom. lib. 4.*
(d) *Baron. ann. 360. nu. 44.*
(e) *Baron. ann. 471. num. 6.*
(f) *Baron. ann. 562. num. 1.*
(g) *Evagr. l. 5. c. 6.*
(h) *Azor. Instit. Mor. p. 2. l. 5. c. 44. §. Ex Antiochenis.*
(i) *Azor. loc. cit.*
(l) *Azor. loc. cit.*
(m) *Baron. ann. 479. num. 1. Azor. loc. cit.*
(n) *Baron. ann. 479. num. 4.*
(o) *Evagr. l. 3. c. 33.*
(p) *Azor. ubi sup.*
(q) *Evagr. l. 4. c. 4.*

21. Occasione ergò recensendi historiam Pauli Constantinopolitani, hoc sexto Christi sæculo ad Antiochenam cathedram provecti, à qua erat prorsùs extraneus, quindecim Antistites ejusdem Ecclesiæ conglobavimus, pari extraneitate laborantes; & tàm ex allegatis literis, & documentis, quàm ex memoratis successibus; tàm ex jure, quàm ex facto, patefecimus, hanc fuisse illius temporis disciplinam, quæ successivis quoquè sæculi, viguit, usquè ad nostram ætatem: nimirùm, quod liberum est Ecclesiæ beneficiis, quæ dispensat, etiam Clericos extraneos insignire; quinimò arguendo à majori ad minùs, quod est optimum probandi res, de quibus agitur, medium (*r*); si ad præbendas tantæ dignitatis, quales sunt Patriarchales, quæ sinè dubio sunt Ecclesiastica beneficia (*s*); patet aditus Clericis undecumque progenitis; multò magis patere illis debet accessus ad beneficia minoris ponderis; adeoquè hinc abundè patescit, liberum, & licitum esse Ecclesiæ, illiusque ministris, pręebendarum dispensatoribus, & multò magis Summo Pontifici, supremo cunctorum beneficiorum distributori, ipsamet beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis impertiri.

(r) *Barbos. tract. var. loc. 67. cum aliis, ab eo allegat.*
(s) *Barbos. Jur. Eccles. univ. l. 3. c. 4. n. 49.*

22. Post Pauli Antiocheni provectionem, placeat audire aliam *Mennæ* Constantinopolitani, eodem sæculo, Agapiti Papæ auctoritate peractam. Successerat in Episcopali sede, *Joanni* Cappadoci, optimo, & Catholico Præsuli (*t*) *Epiphanius* Constantinopoleos Patriarcha, vir omnibus numeris orthodoxus, qui obiit anno Christi 535. (*u*). Cumque de successore deligendo ageretur, *Anthimus* Trapezuntinæ sedis in Ponto Metropolita, operâ Theodorę Imperatricis, & Justiniani ejus Viri, Patriarchatum malis artibus occupavit, se catholicum esse simulans, cum tamen

(t) *S. Nicephor. in Chron. Episcopor. Constantinop. num 48.*
(u) *Card Baron. ann. 535. num. 52.*

mèn esset intrinsecus Eutychianus, binamque in Christo naturam pertinacitèr denegaret (*a*): Evenit eodem tempore, quod Theodatus Rex Gothorum Amalasuntam uxorem, nec; dedit, Theodorici Regis filiam, Regni hæredem, post Athalarici filii obitum, atque à Patre Justiniano Cæsari commendatam, Qui propterea Imperator exercitum sub Belisario mittere disposuit in Italiam, ut uxoricidam condignâ ultione puniret (*b*). Theodatus itaque ictum preveniens, Agapito Papæ scripsit, *Et Senatui Romano interminando denuntiavit, se non solùm Senatores, sed uxores, & filios, filiasque eorum gladio interempturum, nisi essent apud Imperatorem, ut destinatum exercitum suum de Italiâ submoveret* (*c*). Cui Imperarori etiam & Siciliam, in quâ jam Belisarius hyemabat, & totius Italiæ Regnum obtulit, dummodò illius vitæ indulgeret (*d*).

(a) *Baron. ann. 535. num. 59. & 86.*

(b) *Procop. de Bello Goth. lib 1. Luitprand. in S. Agapeto I.*

(c) *Liberat. in Breviar. cap. 21.*

(d) *Procop. de Bello Goth. lib. 1.*

23. Agapitus ergò Papa I. & imminentis periculi compassione commotus, *aliaque quadam de causâ universam Ecclesiam concernente* (*e*), Constantinopolim profectus est, ubi cum honore susceptus (*f*), honore mutuo, & Augustam, & Cæsarem est prosecutus. Verùm salutationis officia Pseudopatriarchæ Anthimo reddere recusavit (*g*): *Denique petentibus Principibus, ut Anthimum Papa in salutatione, & communicatione susciperet; ille fieri, inquit, posse si se libello probaret orthodoxum, & ad Cathedram suam reverteretur. Impossibile esse ajebat translatitium hominem in illâ sede permanere. Augustâ verò clam promittente munera multa, & rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa persistit, nè ejus audiret petitionem. Anthimus verò videns se à solio depulsum, pallium quod habuit Imperatoribus reddidit, & discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa Principis favore Mennam prò eo ordinavit Antistitem, consecrans eum manu suâ, in Basilica S. Mariæ. Fuit iste Mennas præpositus Xenodochii majoris; quod vocatur Sampson, genere Alexandrinus* (*h*).

(e) *Binius in not. ad vit. Agapeti tom. 3. Conc. f. 362.*

(f) *Luitprand. vit. Pontif. in S. Agapet.*

(g) *Baron. ann. 536. n. 25.*

(h) *Liberat Breviar. cap. 21. vid. etiam Niceph. hist. l. 17. c. 9.*

24. Duorum criminum vocabatur in culpam Anthimus, primò quod de fide non rectè sentiret, juxtà Chalcedonense Concilium, binam in Christo admittens naturam, sed unicam cum Eutychete confiteretur. Secundò, quod à sede Trapezuntinâ insiliisset in Constantinopolitanam. A primò crimine se purgare posse Anthimum asserebat Agapitus, si libello scripto fidem Chalcedonensem, & orthodoxam profiteretur. A secundò verò se non posse abstergere contendebat; non quia Constantinopoli esset extraneus, (nam etiam *Joannes* Cappadox ejus mediatus prædecessor, & alii multi, de quibus superiùs dictum est (*i*), inibi erant extranei, intèr quos hoc eodem sæculo floruit *S. Eutychius*, è divino pago iu Phrygia exortus, ac Episcopus Lazicenus à Coepiscopis anteà designatus (*l*): qui tamen Patriarchale beneficium illius Metropolis tenuerunt,) sed quià malis artibus, & modò à sacris canonibus non permisso, sedem illam invaserat potiùs, quàm esset legitimè consecutus: solâ enim operâ Principum cathedræ Patriarchali se intulit, quod patet ex ipso facto, quippe res suas nutare perspiciens, pallium Metropoliticum non Ecclesiæ Constantinopolitanæ restituit, sed Justiniano Cœsari retrotradidit, à quo illud fuerat assecutus. Ad hæc cum esset Episcopatui Trapezuntino devinctus, oportebat, quod Ecclesiæ catholicæ auctoritate, ab illius vinculo exsolveretur, priusquam alteriùs sponsæ se connubiis alligaret.

(i) *Vid. hic supr. Sæc. 4. cap. 6. num. 26.*

(l) *Surius in ejus vit. die 6. April.*

25. Hanc dimissionem non obtinuerat, sed propriâ auctoritate ab Ecclesiâ Trapezuntinâ discesserat, à minori ad majorem, contra canonum interdicta (*m*), & quia se ipsum dissolvere non poterat, manebat adhùc prioris uxoris vir, primæque sponsæ vinculis irretitus. Et quamvis hæc agendo meruisset utrâque Ecclesiâ privari (*n*): alterâ quia eam sinè canonicâ permissione dimiserat; alterâ, quia eam soliùs propriæ ambitionis temeritate abripuerat; nihilominùs Agapitus promptum se obtulit eundem priori sedi redintegrare, si fidem Catholicam, suæ manus subscriptinne firmaret. Audiamus Zonaram: Agapitus *Byzantium ad Justinianum profectus, primum de Deo, & rectâ in eum fide disserit, & Anthimi collocationem in novæ Romæ sede incusat: neque enim eum Trapezunte, urbium Polemoniaci Ponti Metropoli,*

(m) *Canon. Apost. 14 & 15. Conc. Nicæn. 1. cap. 15. Concil. Sardic. c. 1. & 2. Conc. Chalced. cap. 5.*

(n) *S. Leo epist. 84. ad Anast. Thesal. cap. 8.*

poli, Byzantium ritè translatum, prætereàque perversa opinione Severi imbutum esse. Verùm Imperator, qui Anthimum intercessione conjugis Constantinopolitanum Patriarcham designarat, acta rescindere voluit, & Divo Agapeto acriùs instanti, minatus, se suo arbitratu, quod vellet posse agere dixit.

26. Prosequitur Zonaras: *Cum autem Pontifex ad minas risisset, seque eadem etiam æquo animo laturum esse respondisset, ac beatum fore si talis sibi vitæ exitus daretur, verecundatus Imperator, mutatâque sententiâ, rem examinandam proposuit. Ac nonnulli è primioribus sacerdotibus Agapeto Papæ in Imperatricis gratiam sunt refragati, ab eadem quoquè largitionibus corrupti: quos tamen ille, qui veritatem defenderet, omnes superavit. Itaquè Anthimus throno, quem annum unum occuparet ejectus est, Imperatore Sanctissimum Papam, & veritatem reverito, & in ejus locum suffectus Mennas, vir summæ pietatis, Alexandrinus patriâ, & illustri genere ortus* (*a*). Attende quod si extraneitas esset tale crimen, quale illud exaggerant Contradictores, divino, naturali, & humano jure prohibitum, debuisset Anthimus etiam proptèr illam deponi. Et tamen revera ipse non propter extraneitatem depositus est, sed tùm proptèr contaminatam fidem, tùm quia non ritè fuerat è Trapezuntinâ sede ad Constantinopolitanam translatus. Alioquin Agapetus non illum in suæ hæresis pertinaciâ consistentem ab utraque sede deposuisset, nimirum, & à dimissâ, & ab invasâ (*b*), sed à solâ Constantinopolitanâ, à qua erat extraneus. Prætereà si extraneitas reputata fuisset crimen in Anthimo, Agapitus illum dethronizans, non extraneum eidem subrogasset, sed indigenam: & tamen illi substituit Mennam Alexandrinum, patriâ, genere, provinciâ, & natione prorsùs extraneum.

27. Quod si dicatur Mennam fuisse indigenam Constantinopoli, quando ibi est electus Antistes, tamquam qui tunc ibi erat præfectus magni Hospitalis Sampsonis; retrotrahitur argumentum ad tempus, quo fuit illâ præfecturâ insignitus; nàm hæc vèl erat beneficium Ecclesiasticum, in titulum Præfecto collatum, prout alicubi sunt Hospitalia (*c*), vèl non: si non; ergo adhùc erat extraneus, quando in Episcopum est electus. Si erat; ergo tunc extraneitatis vitio laborabat, quando est factus præfectus: adeoquè vèl erat extraneus beneficium Patriarchale sumendo, vel eo tempore, quo beneficium præfectorale magni hospitalis accepit. Qui subindè congregavit in Urbe Regiâ Synodum 53 alios Episcopos continentem (*d*), condemnavitque in ea Anthimum ipsum cum suis Cohæreticis (*e*), & successivè S. Sampsonem Romanum, fundatorem hospitalis Constantinopolitani, cui Mennas præfuerat, tametsì extraneum, presbyteratu, ac presbyteralibus stipendiis insignivit (*f*): Anthimus postmodùm fuit etiam in Concilio Hierosolymitano damnatus (*g*). Et Justinianus Cæsar eundem exilii pœna mulctavit (*h*). Nec omittendum, quod in præfata Synodo Constantinopolitanâ intèr alios subscripsit, *Alexander Episcopus quondam Paraxiorum, nunc verò Justinopolitanus* (*i*), qui profectò, vel ab Ecclesiâ Paraxiensi, vel à Justinopolitanâ erat extraneus.

28. Lecta quoque fuit in eâ Synodo epistola Agapiti ad Petrum Hierosolymitanum, in qua hæc intèr cætera denotantur: *Cùm pervenimus ad Comitatum Serenissimi Imperatoris filii nostri, invenimus sedem Constantinopolitanæ Ecclesiæ contrà omnem canonum honestatem, ab Anthimo Ecclesiæ Trapezundarum Episcopo inconvenientèr usurpatam. Cujus animam non solùm secundùm istam partem, sed quod majus est, in confessione veræ fidei à perditione reducere desideravimus, sed Eutychetis errori insistens, ad viam veritatis redire contempsit. Undè cum ipsius in fide pœnitentiam isto modo expectemus, nequè catholico, nequè sacro nomine dignum esse saneivimus, donec omnia à Patribus tradita, per quæ veræ religionis fides, & disciplina custoditur, secundum congruentem satisfactionem suscipiat &c. Hoc autem prò excitando vestræ conspiritualitatis lætitiam significo, quod Mennam fratrem, & Coepiscopum nostrum, virum multis laudum modis ornatum, prædicta Constantinopolitana Ecclesia suscepit. Cui licèt pretèr cæteros Serenissimorum Imperatorum*

electio

(a) *Jo: Zonar. Annal to. 3. in Justinian. f. 95. B.*

(b) *Cabasut. ad Conc. Constantinop. sub Menna an. 536.*

(c) *Clementin. quia contingit 6. ut aut. de relig domib Garc. p. 1. cap. 4. num. 4. Barbos. Jur. Eccles. Universal. l. 2. c. 4. nu. 65.*

(d) *Cabasut. loc. cit.*

(e) *Baron. ann. 536. nu. 71.*

(f) *Lipom. in vit. S. Sampson. die 27. Junii.*

(g) *Card. Baron. ann. 536. num. 114.*

(h) *Paul. Diacon l. 16 f. 463. Baron. loc. citat. num. 103.*

(i) *Concil. Constantinop. sub Menna ann. 536. Act. 1. Bin. to. 3. Conc. f. 23.*

electio arriserit, similitèr tamen, & totius cleri, ac populi consensus accessit, ut & à singulis eligi crederetur. Etenim alicui, nequè scientiâ, nequè vitâ fuit ignotus, sed & fidei integritate, & sacrarum Scripturarum studio, atquè etiam piæ administrationis officio sic prædicti viri resplenduit opinio, ut ipsi tardiùs venire videtur, quo dignus erat (*a*).

29. Pergit Agapitus, atquè subjungit: *Et hoc dignitati suæ addere credimus, quod à temporibus Petri Apostoli nullum alium unquam Orientalis Ecclesia suscepit Episcopum, manibus nostræ sedis ordinatum: Et forsitan vel ad destructionem inimicorum instans res tanta pervenit, ut illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus ipsius Apostolorum primi electio ordinavit* (*b*). Ità & Papæ, & Imperatoris, & Cleri, & Populi Constantinopolitani, simul in unum concurrere suffragia, ut cum aliquis decorandus esset beneficio Patriarchali magnæ urbis Byzantii, (ubi & Clericorum, & Monachorum, & his deficientibus, laicorum immensa erat numerositas, tantæ dignitatis capacium) unus eligeretur Mennas Ægyptius, nedùm extràdiœcesanus, verùm etiàm extràprovincialis, extrànationalis, adeò tandèm extraneus, ut magis esse non posset. Quodquè notabile est, hoc evenit in sequelam depositionis Anthimi extranei; ut agnoscatur, & Anthimum non fuisse propter extraneitatem, sed propter fidei deformitatem, atquè illegitimam transmigrationem depositum; & Mennam subrogatum fuisse nullâ attentâ, sivè indigenatus, sivè extraneitatis ratione. Undè subinfertur, quod si tàm sublimis beneficii, quale est Patriarchatus, eâ ætate capaces erant extranei, etiàm sunt nunc ejusdem, & multò magis ad beneficia notæ minoris idonei.

30. De primariis sedibus elocuti, aliquid etiam de Hierosolymitanâ dicamus. Post obitum Sallustii, in Hierosolymorum fuit cathedrâ collocatus *Helias*, natione Arabs, professione monachus, ac discipulus S. Euthymii (*c*), adeoque illius Ecclesiæ non indigena, sed extraneus. Erat *S. Euthymius* è Melitenâ urbe Armeniæ ad Euphratem, usquè ad Lectoratus ordinem promotus ab Otrejo Melitensi (*d*), à quo ad Lauram Pharan deindè ad alia incolenda monasteria Palæstinæ se contulit (*e*): habuitque intèr alios, discipulum *S.Sabam* in vico Mutulasca Cæsareæ Cappadociæ natum, qui primo fuit monachus monasterii Flavianæ in Cappadocia (*f*), posteàque cœnobium, sivè lauram D. Euthymii, in Palæstina sitam incoluit, & ibi eum Sallustius Hierosolymitanus in presbyterum consecravit (*g*). Helias autem præfatus, cum aliquandò ab Imperialibus militibus, atque à quibusdam Clericis eum Hierosolymis expellere connitentibus, vim pateretur; idem S.Saba monachorum numeroso cætu stipatus accurrit, & Clericos illos, militesque nefarios impetu facto fugavit (*h*). Habemus hic breviter, & *Heliam*, beneficio Patriarchali, & *Sabam*, & *Euthymium*, viros sanctissimos, Abbatiali beneficio præditos in locis, à quibus prorsùs erant extranei. Et quod mirum est, habemus S. Sabam, cum suis monachis, mansuetudine depositâ, vim, & arma tractantem, ut virum extraneum, nempè Heliam præfatum, in possessione sui beneficii Patriarchalis contuerentur.

31. Sed jam satis de Oriente; aliqua nunc succinctìm de Occidente tractemus. In *Germania S. Gaugericus* Jvodii Diœcesis Trevirensis nativus, & Diaconus in Cathedrali patriâ ordinatus, Episcopale demùm beneficium Cameracensis Ecclesiæ adeptus est (*i*). Qua etiam ætate Theodoricus Rex multos Clericos Arvernenses ad famulandum Deo in officiis Ecclesiasticis Treverim introduxit (*l*): quamquam Trevirensis Ecclesia tunc piis Viris, & Clericis ità esset instructa, ut ex eis possent aliæ Ecclesiæ sibi Prælatos accersere, quemadmodum fecit Cameracensis (*m*). Habuit eadem Trevirensis Ecclesia hoc sæculo Episcopum S. *Goar* in Aquitaniâ progenitum (*n*), nec defuerunt alii, qui hac eâdem currente ætate alibi per Germaniam beneficia Episcopalia tenuerunt. In *Hispaniâ* corruscarunt *Justus* Episcopus Urgelitanus, & *Justinianus* Valentiæ Antistes, fratres (*o*): qui alios duos fratres Episcopos habuerunt, *Nebridium*, & *Elpidium* (*p*). Si-

(a) *Agapet. PP. epistola 8. est in Concil. Constantinop. sub Menna Act. 1. Bin. tom. 4. Conc. f. 23.*

(b) *Apud Binium ibidem.*

(c) *Baron. ann. 493. num 36.*

(d) *Vit. S. Euthym ap. Surium die 20. Januar. cap. 1. & 4*

(e) *Idem loc. cit. c. 7. 12. 22. 23. &c.*

(f) *Cyril. in vit. S. Sabæ apud Surium die 5. Decembris.*

(g) *Cyril. loc. cit. & Baron. ann. 485. nu. 21.*

(h) *Nicephor. l. 16. c. 34. Cyril. loc. cit. Baron. ann. 133. nu. 8.*

(i) *Vit. S. Gaugerici ap. Surium die 11. Augusti.*

(l) *Vit. S. Gall. Arvern. ap. Surium die 1. Julii.*

(m) *Vid. Jo. Gualter. Chron. Eccl. in Archiepiscop. Trevir. nu. 50.*

(n) *Idem num. 47.*

(o) *S. Isidor. Hispal. de Script. Eccl. cap. 20. & 21.*

(p) *Sixt. Senens. Biblioth. l. 4. in Just. Urgelit.*

Similitèr Sanctus *Leander* Episcopus Hispalensis, è Carthagine (*a*), cujus fuerunt Germani fratres *Isidorus*, itidem Episcopus Hispalensis, & *Fulgentius* Episcopus Astigitanus (*b*). In *Angliâ* sivè Hiberniâ celebris extitit S. *Columbanus* Hibernus, ab initio monachus Cœnobii Benchor, indè Abbas monasterii Lexoviensis in Galliâ, & demùm monasterii Bobiensis in Italiâ (*c*). Qui omnes beneficia Episcopalia, & respectivè Abbatialia tenuerunt in locis, à quibus erant extranei.

32. In *Galliâ* S. *Cæsarius* Cabilonensis factus est priùs monachus, & Abbas Lerinensis, ac deindè Episcopus Arelatensis (*d*). S. *Quintianus* Afer Episcopus Ruthenensis (*e*): S. *Gregorius* Arvernus Episcopus Turonensis (*f*): S. *Eligius* è pago Catalacensi, Armoricus, Lemovicensis Diœcesis, monachus Solemniacensis, & deindè Episcopus Noviomensis (*g*): S. *Venantius* ex monacho, & Abbate S. Martini Turonensis factus Episcopus Bituricensis (*h*): S. *Paternus* Pictaviensis, Episcopus Abrincensis (*i*): S. *Germanus* ex agro Augustodunensi, Episcopus Parisiensis (*l*). S. *Medardus* è Salentiaco, Diœcesis Viromandensis, Episcopus Noviomensis (*m*): S. *Gildardus* Medardi frater Episcopus Rotomagensis (*n*). Sed nimium longum esset omnium Ecclesiarum Episcopos, vèl Abbates, vèl qui alitèr in eisdem beneficia Ecclesiastica receperunt currente Christi sæculo sexto recensere. Sat sint hucusquè relati, ex quibus patet, quòd tàm in Oriente, quàm in Occidente; tàm in Italiâ, quàm in Galliâ, Hispaniâ, Thraciâ, Syriâ, Palestinâ, Germaniâ, Angliâ, Ponto, Africâ, & generalitèr in omnibus Provinciis Christiani Orbis, integrâ libertate potiebatur Ecclesia vocandi ad beneficia Episcopalia, Patriarchalia, Monasterialia, Abbatialia &c. & ad ipsum Papale beneficium Clericos undecumquè progenitos. Undè legitimè inferri debeat, quod sicuti tùnc, ità & nùnc Ecclesia eâdem libertate potiri debet, beneficia Ecclesiastica conferendi, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.

(a) *Tritbem. in S. Leandr. Ep. Hispal. & Isid. loc. cit. c. 28.*
(b) *Vit. S. Leandr. ap. Surium die 27. Febr.*
(c) *In ejus Vit. apud Surium die 21. Nov.*
(d) *Surius die 27. Augusti.*
(e) *Surius die 13. Novembris.*
(f) *Surius die 17. Novembris.*
(g) *Surius die 5. Decembris.*
(h) *Surius die 13. Octobris.*
(i) *Surius die 16. Aprilis.*
(l) *Surius die 7. Junij.*
(m) *Sur. die 8. Junij.*
(n) *Idem loc. cit.*

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI VII.

C A P U T XIV

In quo ex factis, & dictis Summorum Pontificum, ac præsertìm* Gregorii I. Sergii I., *atque* Honorii I. *probatur inesse Ecclesiæ plenam, & integram libertatem conferendi Ecclesiastica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.

S U M M A R I U M.

1 *Sæculo septimo si admissi sunt extranei ad Summum Pontificatum; beneficia quoquè minora illis licitè potuerunt committi.*

2 *Tredecim extranei, extraprovinciales, & extranationales D. Petri Cathedræ hoc sæculo insiderunt: Syri, Dalmatæ, Thraces, & sex è Regno Neapolis.*

3 *Mortuo Conone Papa, aliis Archipresbyterum, aliis Archidiaconum peroptantibus, utroque prętermisso, electus est Sergius Syrus.*

4 *Si dicatur S. Sergium fuisse Romæ indigenam, uti jam insertum Clero Romano, retrotrahitur vis rationis ad tempus dictæ insertionis.*

5 *Ipse* S. Sergius *misit ad Frisios* S. Vvillebordum *Anglum in Archiepiscopum, &* S. Hubertum *creavit Episcopum Leodiensem, non attento indigenatus defectu?*

6 *Laudes* Honorii *Papæ I. qui & Papatum suscipiendo, & de Patriarchatu Gradensi disponendo &c. admissioni extraneorum valdè profuit.*

7 *Mortuo Severo Patriarcha Aquilejense, Schismatici elegerunt Joannem, qui apud Forum Julii, Catholici verò elegerunt Candidianum, qui apud Gradum constitit.*

8 *Epistola Honorii PP. I. ad Episcopos Venetiæ, & Istrię, qua nuntiat se Fortunato Hæretico, & suppellectilis Ecclesiasticę direptori, subrogasse Primogenitum Romanę Ecclesiæ Subdiaconum.*

9 *Non Plebs, non Clerus, nequè Ariovaldus Rex, aùt Imperator, ejusque Exarchus, non ipse demùm Fortunatus electionem Primogeniti extranei impugnarunt.*

10 S. Sophronius *extraneus illâ ętate Patriarchali beneficio apud Hierusalem est insignitus, qualis erat etiam* Cyrus *Alexandrinus.*

11 Sergius *quoquè Constantinopolitanæ, & Anastasius Antiochenæ sedi tùnc præsidentes, erant extranei, prout erant & Archiepiscopi plures alibi.*

12 S. Gregorius *magnus valdè ab Auctoribus laudatus, sollicitus erat, ut proveherentur viri digni ad beneficia.*

13 *Non sè electionibus Antistitum immiscebat favore cujuscumque. Si electio ad illum devolvebatur, adhuc ipsam Electoribus committebat.*

14 *Idem S. Gregorius adeò liberè beneficia extraneis committebat, ut mirum sit quomodo Contradictores illum pro ipsis stare asserant.*

15 *Innuuntur varia beneficia Presbyteralia, Diaconalia, Episcopalia, quæ in diversis locis contulit viris extraneis.*

16 *Sebastiano Smirnensi recusanti Episcopatum in Patriarchatu Antiocheno, Episcopatum offert in Sicilia.*

17 *Ex Sicilia virum dignum Episcopatu accersit, ut alicui Ecclesiæ præficiat. Plures quoquè Episcopos ad alias sedes transvexit.*

18 *Aliquandò indigenas ex causis parvi momenti abstinuit à consecutione beneficiorum, eisque extraneos prætulit.*

19 *Restitit nè Reges Francorum Episcopatum Taurinensem bonis, & parte Diœcesis, in Francia positis, denudarent.*

20 *Scribens eisdem Regibus, injustitiam esse declarat, extraneos repellere, illisvè jurisdictionem aut bona resecare.*

21 *Ex ejus doctrinâ liquet, licere viro Clericale beneficium tenenti, aliorsùm ad beneficium Sacerdotale vocari.*

22 *Patuit mens S. Gregorii prò extraneis, ubi de rebus Neapolitanis egit. Clerici Capuani Neapoli morabantur.*

23 *Neapolitana, & Capuana Urbes propriam habebant Diœcesim, & Principem: tamèn Clerici mixtim utrobique stipendia percipiebant.*

24 *Rursùs Clerici Capuani, Neapoli morantes, beneficiis Capuanis potiebantur, tametsì apud Capuam non manerent.*

25 *S. Gregorius viduam Neapolitanam Ecclesiam Paulo extraneo commisit, quem Neapolitani optarunt habere Antistitem, sed Paulus abnuit.*

26 *Tàm S. Gregorius, quàm Urbs Neapolitana, in sensu fuerunt, quod extranei possent beneficia Neapoli possidere.*

27 *Scissis Neapolitanis in duas partes, dum fieret electio, S. Gregorius, utrumque electum, tametsì indigenas, levibus ex causis, exclusit.*

28 *Demùm electus fuit in Præsulem Neapolis Fortunatus extraneus: si extraneis patebat Episcopatus, cur non beneficia minora?*

29 *Binos Monachos Româ misit D. Gregorius, ut Abbatiam Neapoli susciperent, ubi alii non deerant indigenæ idonei.*

30 *Venusinum Clericum Ecclesiæ Neapolitanæ concessit. Nulli vim inferebat, ut ad aliam Ecclesiam transiret.*

31 Cardinare, *sivè* incardinare, *idem est ac beneficia conferre. Ex S. Gregorio patet libertas Ecclesiæ committendi beneficia etiàm extraneis.*

32 *Ex iis, quæ de Papis, Patriarchis, & Episcopis hujus Sæculi dicta sunt, patet libertas Ecclesiæ præficiendi beneficiis etiàm extraneos.*

PER-

1. PERVENIMUS ad Sæculum Christi septimum, in quo sicut Ecclesia majora semper incrementa suscepit, & bonis temporalibus aucta est; ità multiplicia suæ libertatis exhibuit argumenta, quibus nostræ sententiæ veritas roboratur, & aditum patere ostenditur Clericis extraneis ad Ecclesiastica beneficia. Diximus, iterumque nùnc dicendum occurrit, quod summum, & maximum omnium beneficiorum, quæ sint in Ecclesia Dei, est Romanus Pontificatus (*a*). Huncque si demonstramus, currente Sęculo Christi septimo, extraneos admisisse, virosque in D. Petri Cathedrâ sedentes talia docuisse, quæ ipsorum extraneorum admissioni favent; profectò, arguendo à majori ad minùs (*b*), ac tàm facto, quàm dogmate rem probando, demonstratum habebimus, hujusce temporis disciplinam præcedentium sæculorum normæ cohærere, stareque libertatem Ecclesiæ in dispensatione suarum præbendarum, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis. Nàm si Clericos extraneos Ecclesia usque ad summum Pontificatum attollit; non est cur eis denegare cogatur beneficia minoris ordinis. Cui etenim conceditur id, quod est majus, id etiam, quod minùs est, concedendum esse videtur (*c*). Minùs namque semper in eo, quod majus est, continetur (*d*).

(a) *Cap. 1. de Maled. Selva. de benef. p. 1. qu. 2. nu. 8. Rebuf. prax. benef. p. 1. tit. Sæculare beneficium quod. sit n. 2. Mart. de Jurisdict. p. 2. c. 39. Layman. l. 4. tr. 2. c. 4. nu 4.*

(b) *Gonzal. ad reg. 8. Canc. gloss. 9. §. 2. n. 24. Sanch. de Matrim. l. 8. disp. 1. nu. 21.*

(c) *Cap. ex parte de Decim. leg. non debet ff. de regul. jur. l. filius familias §. fin. ff. de Donat*

(d) *L. in eo ff. de Regul. jur. Barbos. tract. var. Axiom. 304. n. 5.*

2. Sanè Summi Pontifices, qui per hanc septimam annorum centuriam Ecclesiæ præfuerunt, viginti unum numerantur, inter quos octo Romani, & tredecim extranei, hique ultimi fuerunt *Sabinianus* Etruscus: S. *Bonifacius* IV. è Valeriâ Marsicanus: *Bonifacius* V. Neapolitanus: *Honorius* I. Campanus: *Joannes* IV. Dalmata: *Theodorus* Hierosolymitanus: S. *Martinus* è Tuderto in Etruriâ: *Vitalianus* è Sverniâ Aprutinus, vel secundùm alios Signiensis in Campaniâ: S. *Agatho* Siculus, vel, ut aliis placet, è Valle Siciliana in Aprutio: S. *Leo* II. ex eadem Valle, seù & ipse Siculus: *Joannes* V. Antiochenus: *Conon* Tomitanus in Thraciâ: & S. *Sergius* I. Ortus Antiochiæ (*e*). Ità duo Etrusci, unus Dalmata, unus quoquè Thrax, tres Syri, & sex è Regno Neapolis prodeuntes Pontificatus apicem tenuerunt. Et si intrà circulum centum annorum, ex viginti uno, tredecim, nedùm extradiœcesani, sed etiam respectivè extraprovinciales, & extranationales, tamque longè ab Urbe venientes, quantum ab ea distant Dalmatia, Thracia, atque Syria, Romæ summum beneficium Ecclesiasticum tenuerunt; non sapit, sed desipit, quicumque audet ambigere, an Clericis extraneis pateat aditus ad Ecclesiastica beneficia. Quibus etenim totiès licuit plus, profectò quod est minùs quoquè licebit (*f*).

(e) *Anastas. Biblioth. Luitpran. Ticinen. Albo Floriac. Ciaccon. & c. in Vit. Pont. hujus Sæculi.*

(f) *Cap. cui licet 53. de Reg. Jur. in 6. l. non debet eod. tit. Surd. cons. 258. nu. 14.*

3. Et quod non exiguam ponderationem hic opportunè meretur, est Schisma in S. Sergii provectione excitatum. Nam mortuo Conone, scissa sunt Romani Cleri, & populi vota; eligentibus aliis Theodorum priorem Presbyterorum, sivè Archipresbyterum Romanæ Ecclesiæ, aliis verò Paschalem Archidiaconum, sive Diaconorum priorem (*g*), cui ultimo Exarchus Imperatoris, Ravennę degens, toto conatu favebat, munerum promissione captus (*h*). Prævalentibus autem utriusque partis viribus, nec altera alteri locum dante, Clerus ipse, atque populus factionibus utrimque depositis, tàm Theodoro, quam Paschali abjecto, in S. Sergium convenerunt (*i*), natione uti diximus Syrum, patriâ Antiochenum, & educatione Panormitanum (*l*). Mirum est autem, quod Romani, duobus Concivibus suis Archipresbytero, & Archidiacono, reprobatis, in Sergium suffragia contulerint, plusquam extraneum, & patria, natione, idiomate, toto Cœlo demùm ab Urbe Roma remotum. Magis quoquè mirum est, quod Paschalis, & Theodorus competitores, vèl saltèm alter eorum, & præsertim Archidiaconus, Exarchi auctoritate stipatus, vitium extraneitatis D. Sergio non objecerit, & non se dietim validiùs in Romana sede confoverit, saltem ex hoc, quod alterutriùs eorum electio deberet electioni Sergii præferri, utpotè quem, juxta sensum Contradictorum, & humanum, & naturale, & divinum jura, à Pontificalis beneficii consecutione pellebat.

(g) *Anastas. Ciacon. & alii in Sergio I.*

(h) *Binius to. 5. Conc. ad vit. Sergii in notis f. 405.*

(i) *Baron. ann. 685. n. 3. 4.*

(l) *Anast. Luitpran. Ciacon. in Sergio I.*

4. Nec dicatur, quod Sergius jam Romæ esset indigena: quippe tametsi Antiochiæ natus, & Panormi educatus, citò tamèn ad Urbem accesserat, ibique ab Adeodato Pontifice inter clericos adscitus, & successivè à S. Leone II. Presbytèr S. Susannæ creatus (*a*), non amplius erat inibi extraneus, sed indigena. Nàm si res ità se habet, retrotrahitur vis rationis ad tempus, quo Sergius fuit clericali, & presbyterali officiis decoratus: cum enim tunc esset extraneus, non potuisset sine gravi culpâ beneficium clericatus, & Presbyteratus Romæ suscipere. Presbyteratus tituli S. Susannę, est titulus Cardinalis Presbyteri illius Ecclesiæ, & unus ex viginti octo antiquis titulis Presbyteralibus Cardinalitiis (*b*): Cardinalatus autem, tàm à Theologis (*c*), quàm à Canonistis (*d*), inter beneficia ecclesiastica computatur. Quis credat autem, quòd S. Leo II., & Sergius, ambo in tabulis ecclesiasticis Sanctorum albo conscripti (*e*), tàm laxis conscientię habenis se gesserint, ut altèr contulerit, altèr Presbyteratus beneficium susceperit, calcatis legibus divinâ, humanâ, atque naturali, extraneos excludentibus, in sententiâ Contradictorum?

5. Ipse S. Sergius Papa I. misit ad Frisios *S. Villebordum*, eumque in Ecclesiâ, & die S. Cæciliæ, illorum Archiepiscopum consecravit (*f*): cui posteà sedes Ultajectensis assignata est (*g*): nihil attento, quod sanctus hic vir in Frisiâ esset extraneus, utpote natione Anglus (*h*). Cujus extraneitatem si dicamus non fuisse attendendam, quià ad prædicandum gentibus mittebatur., & ad eos Christi fide imbuendos; quid respondebimus ad promotionem *S. Huberti*, natione Aquitani, ad Episcopatum Leodiensem in Belgio (*i*), ubi jam fides erat adulta, præcesseratque illi in episcopatu S. Lambertus, & huic *S. Theodardus*, natione Gallus, professione monachus, & dignitate Abbas monasterii Stabulensis? Nunquid audebimus affirmare, quod S. Sergius, & S. Hubertus Dei, naturæ, ac hominum leges, iniquissimè conculcarint? Absit. Non aliud ergò ex hisce factis concludendum est, nisi quod illa ætate, tota Ecclesia in tali versabatur opinione, quod ei non minus licitum, quam liberum esset, ecclesiastica beneficia, sive minoris ordinis, sive Abbatialia, sive Episcopalia, sive Cardinalitia, sive etiam Papale clericis extraneis paritèr, ac indigenis clargiri.

(a) *Anast. & alii in Sergio. Baron. an. 687. num. 6.*
(b) *Azor. Inst. Mor. p. 2. l. 4. c. 1. qu. 6.*
(c) *Azor. Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 1. q. 5. f. 155. Laym. Theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 4. num. 4.*
(d) *Mart. de Jurisd. p. 2. c. 39. nu. 2. Barbos. Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 2. num. 52.*
(e) *Beda l. 5. c. 12. Baron. an. 690. n. 7. & 696 num. 1.*
(f) *Baron. an. 696. 2.*
(g) *Beda hist. l. 5. c. 12.*
(h) *Baron. an. 699. 2.*
(i) *Sigebert. in Chron. an. 658. Baron. eod. an. n. 3. & 5. &c.*

6. Floruit, ut innuvimus, hoc eodem sæculo, *Honorius* Papa I. quem viri sancti appellatione denominat S. Maximus Martyr. (*l*): fuit autem Honorius natione Campanus, ac decimus Papa Regnicola (*m*), egregius Theologus (*n*), & ut eum vocat Jonas Abbas, sui temporis Historicus, *erat venerabilis Præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrinâ clarus, dulcedine, & humilitate pollens &c.* (*o*). Hic autem nedum Papale beneficium per tredecim annos obtinuit, cum & patriâ, & origine, à Romanâ Urbe esset extraneus; sed etiam aliis extrancis aliorum ordinum posse conferri beneficia docuit, dum de facto illa contulit, & ut unum præcæteris referamus primarię notæ, ac propter concurrentes circumstantias valde notabile, præsto est beneficium patriarchale Ecclesiæ Gradensis, cujus quanta fuerit amplitudo, & jurisdictio, audiatur ex Thomassino, scribente, quod ei suberat *quidquid erat Venetorum, aut Venetis subditorum in Constantinopolitano Imperio sparsum*; *adiectâ etiam potestate creandorum Episcoporum illis in Urbibus omnibus, ubi Veneti plures suæ gentis Ecclesias obtinerent* (*p*).

(l) *Vid. Baron. an 633 num. 45.*
(m) *Ciacon. vit. Pontif. in Honor. I.*
(n) *Baron. an. 638. num. 4.*
(o) *Bin. to. 4. Conc. in not. in vit. Honor.*
(p) *Thomassin. vet. & nov. Eccles. discipl. p. 1. l. 1. c. 23. n. 3.*

7. Sectâ in duas partes, post obitum Severi, Ecclesiâ Aquilejensi, pars adherens schismati trium capitulorum, Joannem Abbatem in Patriarcham elegit, qui cum suis successoribus apud Forum Julii commorari consuevit, Regum Longobardorum patrocinio potientibus. Pars verò catholica, Candidianum sibi præfecit, qui cum successoribus suis, apud Gradum resedit, favore Romanorum Pontificum, atque Imperatoris, ejusque Exarchi gaudentibus, et ità ex uno Patriarchatu, duo ejusdem nominis emersère (*q*). Successerat autèm Candidiano, post alios intermedios, Fortunatus, qui ab observantiâ, & integritate Prędecessorum deficiens, hæresim incurrerat: Eoque, non mortuo, uti mauult Sigonius (*r*), sed fugiente, districtionem Apostolicam Honorius Papa primus exercuit; quippè illum Patriarchali

(q) *Thomass. loc. cit. c. 21. n. 5. Baro. an. 605. n. 2. & 630 15.*
(r) *Sigon. de Regno Ital. l. 2. ad an. 627 f. 36*

chali dignitate deposuit, ac ei quemdam subdiaconum Romanæ Ecclesiæ, nomine Primogenitum, subrogavit (*a*): quâ de rè scripsit Episcopis Venetiæ, & Istriæ: *Honorius &c. Suademus, & decretales apices fraternitati vestræ dirigimus, per quos expetimus, ut loco Judæ, alius vitæ probabilis ad regendum gregem Dominicum promoveatur: Et non immeritò is, qui dejectus est, & Judæ actibus comparatur, & motibus: Nam quod ille in capite, hoc iste videtur exercuisse in corpore* (*b*).

8. Sequitur Epistola Honorii: *Primogenitum itaquè* (Primigenium legit Sigonius) *Subdiaconum, & Regionarium nostræ sedis, Gradensi Ecclesiæ episcopali ordine, cum pallii benedictione direximus consecrandum. Oportet ergò Fraternitatem vestram juxtà legem ecclesiasticam cuncta disponere, capitique vestro sinceram obedientiam exibere. Nos enim dirigentes homines nostros ad excellentissimum Longobardorum Regem, injunximus, ut eundem Fortunatum, uti relictâ ab eo Republicâ, ad gentesque prolapsum, & abnegatâ concordiæ unitate, Deo rebellem, & perfidum, necnon res quascumque secum, aufugiens abstulisse monstratur, expetat, & repetere non moretur, ut & hi, à quibus repetuntur, à partibus Christianissimæ Reipublicæ parem justitiam consequantur.* Aufugerat ergò Fortunatus ad Ariovaldum Longobardorum Regem Arrianum, sub quo hæc evenère, direptæque Gradensis Ecclesiæ supellectiliâ pretiosa secum abstraxerat; & tam ob furtum, quam ob hæresis crimen, atque concordiæ scissionem, ac rebellionem, pœnâ depositionis dignus effectus, ultorem tot, & tantorum scelerum Honorium Papam invenit: qui tamèn Gradensi Ecclesiæ non præfecit Clericum illius Ecclesiæ, vel in illâ urbe progenitum; sed clericum Romanum, in Romanâ urbe beneficium subdiaconi Regionarii potientem; cujus beneficii eximia erat dignitas, & officium (*c*).

9. Licitam fuisse promotionem Primogeniti, tametsi extranei, in Patriarcham Aquilejensem, ipsa rei series patefacit, & quidem nec Ariovaldus, qui Fortunato favebat, nec Fortunatus ipse, qui successorem sibi dari lugebat, nec Antistites, neque clerici, neque laici Patriarchatus Gradensis, neque tandèm Imperator Constantinopolitanus, ejusve Exarchus Ravennæ residens, qui speciali propensione in Gradensem Præsulem ferebantur; quidquam adversus provectionem Primogeniti mussitarunt, quam tamèn impugnare debuissent, nec certè carpere intermisissent, si eandem pro illicitâ reputassent, si sacris canonibus, si naturali, si divino juri cognovissent adversam, cum in Gradensi Ecclesiâ, & patriarchatu clerici indigenæ non deessent, qui provehi ad illas infulas potuissent. Præthereà, nulla non adhibita est industria ad inquirendum nodum in scirpo, ut integritati famæ Honorii Papæ præjudicium ab ejus hostibus inferretur: eoque deventum est, ut illi crimen hæresis Monothelitarum, tunc surgentis, impingeretur (*d*), cum tamen ab eadem fuisse immunem constet (*e*). Non ommisissent autèm tantum facimus adnotare, quantum contenditur esse hoc, præficiendi uni ex primariis Ecclesiis virum Romanum, & beneficium patriarchale, viro extraneo (jam possidenti aliud subdiaconale beneficium, in Ecclesiâ Romanâ) manu liberâ conferendi.

10. Rursùs literas dedit ad Honorium, confessionem fidei continentes, S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus Vstrenuus propugnator fidei Catholicæ adversus Monothelitas (*f*). Qui denuò postquam prò bono pacis adhærens placito Sergii Patriarchæ Constantinopolitani, ut silentio committerentur voces, unicam, vel binam in Christo voluntatem exprimentes (*g*), cùm audisset Cyrum Patriarcham Alexandrinum ab hac eadem conventione deficere, & unicam in Christo voluntatem prædicare; delegatum à se virum ad ipsum misit Honorium, ut eundem Cyrum suâ auctoritate reprimeret (*h*). Honorius autèm, & S. Sophronii fidem probavit: & sileri præfatas voces ipse quoque opportunum duxit (*i*), & literas hac dè rè ad Sergium dedit; & aliâ Epistolâ Cyrum commonuit, ut earundem vocum silentium observaret (*l*). Erat autem *S. Sophronius* patria Damascenus (*m*), & ante patriarchatum adeptum, in Cœnobio monachalem vitam agebat (*n*): adeoquè ab Ecclesiâ Hierosolimitanâ, ubi patriarchale beneficium tenuit, erat extraneus,

(a) *Card. Baron. ann. 630. n. 14.*

(b) *Bin. to. 4. Concil. ep. 1. Honor. Baron. an. 630. n. 26.*

(c) *Card. Baron. ann. 598. n. 16 Sigon. de Regn. Ital. l. 2. ad an. 625.*

(d) *Ciacon Platina Foresl. &c. in Honorio I. Petr. Annati App. ad posit. Theol. l. 5. ar. 7.*

(e) *Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. cap. 11. Jo. Turrecrem. de Prim. S. R. E. Alb. Pighi de Eccl. Hierar. Baron. an. 633. & 681 Bin. to. 4. Conc. in vit. Hon. I. Annati loc. cit.*

(f) *Baron. ann. 633. num. 9.*

(g) *Card. Bar. an. 633 num 35.*

(h) *Baron. loc. cit. num. 37.*

(i) *Idem an 633. n. 17*

(l) *Id. ubi supra n. 37. Bin. in not. ad ep 3. Honor. I. & ad epist. Serg. to. 4. Conc.*

(m) *Possevin. Appar. sacr. in Sophronio.*

(n) *Baron. an. 633. num 9.*

neus. *Cyrus* quoquè Alexandrinus, ex episcopatu Lazitano, ad paludem Meotidem sito, Alexandriæ Ecclesiam moderandam suscepit (*a*), qui propterea sedens in Lazitanâ jam ab Alexandrinâ Sede erat extraneus, sed de eo nihil est loqui, ut pote contra fas ad illam sedem promoto.

11. Paritèr *Sergius* Constantinopolitanus, patriarchale beneficium Regiæ illius urbis tenens, natione Syrus fuit, natus ex parentibus Jacobitis, & antea factus magnæ Ecclesiæ diaconus (*b*). Demùm *Athanasius* Patriarcha Antiochenus, ab illâ sede fuit extraneus: quippe, qui patriarchæ munere fungens apud Iacobitas, dùm Hierapoli in Phrigiâ Heraclium Imperatorem alloqueretur, Antiochenum thronum à Cæsare impetravit, factâ pollicitatione Chalcedonensis fidei profitendæ (*c*). Ità illâ eâdem ętate principalia totius orbis beneficia, & Ecclesiæ, à viris extraneis possidebantur, *Romanum* ab Honorio Campano: *Constantinopolitanum* à Sergio Syro: *Alexandrinum* à Cyro Lazitano: *Antiochenum* ab Athanasio Jacobitâ: *Hierosolymitanum* à Sophronio Damasceno, & *Gradense* à Primogenito Romano. *Coloniensi* quoque sedi in Germaniâ præerat S. Cunibertus apud Mosellanos natus (*d*): *Mediolanensi* in Italiâ, Asterius Romanus (*e*): *Lugdunensi* in Galliâ Viventius, pridem Abbas Monasterii S. Justi (*f*): *Cantuariensi* in Angliâ Justus, Româ illùc transmissus (*g*): *Toletanæ* in Hispaniâ altèr Justus, e monasterio Agaliensi Metropolitanæ illi Cathedræ immissus (*h*), Et sic de aliis. Si autem in præcipuis totius orbis Ecclesiis, si præcipua ordinis ecclesiastici beneficia, Papale, Patriarchalia, & Archiepiscopalia, tàm in Occidente, quàm in Oriente; tàm in Hispaniâ, quàm in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Angliâ &c. possidebant septimo currente Christi Sæculo extranei; non est cur, & minora in aliis Ecclesiis non possent pariformitèr retinère: & si tùnc id poterant, cur & nunc idipsum non possunt?

12. Initia ejusdem Sæculi, doctrinâ, & sanctitate illustravit *S. Gregorius*, Apostolicæ Sedis Pontifex, cognomine Magnus, patriâ Romanus, ordinis Senatorii, Urbis aliquandò Prætor, mox monachus, inde diaconus Cardinalis, ac demùm Summus Pontifex, *vir meritis, dignitate, doctrinâ, sanctitate, omniquè ex parte magnus* (*i*). Quem, egregium Ecclesiæ Doctorem, vocat Bonifacius Papa VIII. (*l*) Anglorum Apostolum, venerabilis Beda (*m*), aliis præconiis alii passim Auctores ecclesiastici appellant. Obiit anno Christi 604. (*n*). De eo, quod spectat ad ecclesiastica beneficia, ità loquitur Joannes diaconus, illius vitæ scriptor: *quantà sedulitate Gregorius idoneos quosque ad regimen destitutarum quæsierit plebium, brevitèr indicabo, ut tantus vir non solum doctrinis, quin & operibus verus paterfamilias fuisse gregis Dominici, probabilitèr colligatur* (*o*). Ipse de se profitebatur, *Cunctarum Ecclesiarum injuncta nos sollicitudinis cura constringit* (*p*). Hac vero sollicitudine se tunc potissimè urgeri declaravit, quādò de providendis beneficiis episcopalibus agebatur. Undè scripsit, *quanto Apostolica Sedes Deo auctore, cunctis prælata esse constat Ecclesiis, tanto & intèr multiplices curas, illa nos valdè sollicitat, ubi ad consecrandum Antistitem, nostrum expectatur arbitrium* (*q*).

13. Habuit autem in more electiones Episcoporum Ecclesiis liberas derelinquere, nec se in beneficiis episcopalibus adipiscendis, pro quorumcumque utilitate miscere; quâ de rè scripsit ad clerum Mediolanensem, *antiquę meę deliberationis intentio est ad suscipienda pastoralis curæ onera, pro nullius unquam misceri personâ* (*r*). Quod si quando proptèr non factam in tempore Antistitis electionem, hæc ad illum esset more canonico devoluta; non erat facilis ad electionis onus in se suscipiendum; sed eam potius iisdem, ad quos spectaverat, relinquebat; commonens illos, ut citò, moràque postpositâ, in virum idoneum votis concordibus convenirent: ità Perusinis aliquando has literas dedit, *miramur quarè Ecclesiam Dei tantò tempore absque Rectore conspicitis, ac de vestro, totiusque plebis regimine, minimè cogitatis &c. Undè necesse est de iis, qui Ecclesiæ militant, unum habito timore Domini, perquirere, qui Pastoris ministerium possit dignè suscipere* (*s*). Aliquandò aliquos de clero, & populo Romam venire præcepit, ut sub ejus ocu-

(a) *Baron. an. 630. n. 13.*
(b) Baron. *an. 629. n. 9. Zonar. Annal. to. 3. in Phoca f. 97.*
(c) Baron. *an. 629. num. 3.*
(d) *Theatr. vit. hum. verb. Episc. in Archiep. Coloniens. n. 8.*
(e) *Jo: Gualt. Chron. Eccles. to. 2. in Episc. Mediol. n. 37.*
(f) *Jacob Sever. ap. Theatr. vit. hum. loc. cit in Arch. Lugdun. n. 39.*
(g) *Vid. Bar. an. 601. n. 18 & an 633. n. 57.*
(h) *S. Idelf. Tolet. de vir. illust. c. 8. &* Bar. *an. 636. n. 10.*
(i) *Petr. Annati Ap. par. ad Theol. l. 4. ar. 16 fol 182.*
(l) *Cap. unic. de reliq. & vener. Sanctor. in 6.*
(m) Beda *in histor. Angl.*
(n) *Baron. ann. 604. Ciacon. Platina, & alii in S. Greg. I.*
(o) *Jo. Diac. l. 3. c. 11.*
(p) *S. Greg. l. 2. ind. 2. ep 50. & l. 4. ep. 13.*
(q) *S. Greg. l. 2. ind. 11. ep. 10.*
(r) *S. Greg. l. 2. ind. 11. ep. 29.*
(s) *S. Greg. l. 1. ep. 58.*

oculis, in electione alicujus benemerentis clerici concordarent, & ità cum Neapolitanis se gessit (*a*). Aliquando etiàm de Ecclesiis pro suâ voluntate disposuit. (a) S.Greg.l.2. epist. 15. ind.11.

14. Adeò verò liberè suum exercuit arbitrium in præficiendo clericos extraneos beneficiis, tàm Episcopalibus, quàm Abbatialibus, atque aliis minoris categoriæ, ut mirum sit, quomodo Contradictores nihil metuerint affirmare, quod S. Gregorius illorum causę astipuletur. *Non solum* (inquit Joannes Diaconus in ejus vitâ) *diversarum gentium diversi ordinis clericos, verùm etiàm vacantes Episcopos in suę Diœceseos Episcopatus invitabat* (*b*). *Civitatum desolatarum Pontifices Gregorius vacantibus Civitatibus incardinare curabat* (*c*). *Aliarum parochiarum clericos sibi, & aliis discretissimus Pontifex discretissime incardinare curabat* (*d*). Et quod res ità se habeat, videamus. Importuno Episcopo scripsit, *quià Ecclesiam S. Marię quondam Campisinis in tuâ parochiâ positam, presbytero vacare cognovimus, pręsentium portitorem Dominicum presbyterum in eadem Ecclesiâ, ut præesse debeat, nos scitò deputasse. Ideoque fraternitas tua ei emolumenta ejusdem Ecclesiæ faciat sinè cunctatione præstare, & decimæ fructus indictionis, qui jam percepti sunt prædicto viro fac sinè morâ restitui, quatenus ejusdem Ecclesiæ utilitates, cujus emolumenta consequitur, Deo adjutore sollicite valeat procurare* (*e*). En beneficium Presbyterale, sivè simplex, sivè parochiale, Dominico extraneo liberè per D. Gregorium Apostolicâ auctoritate collatum,

(b) Joan.Diac. lib. 3. cap. 13.
(c) Idem l.3.cap.14. & At verò.
(d) Idem l.3.cap.19.
(e) S.Greg. l.4. Ind. 16.ep.10.

15. In epistolâ ad Heliam Abbatem, in provinciâ Isaurię, ità effatur; *Filium verò nostrum Epiphanium mandasti, ut ad sacrum ordinem provehere deberemus, vobisque retransmittere. Sed in uno vos audivimus, in alio autem minimè audire potuimus. Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac Ecclesiâ ordinem sacrum acceperit egrediendi ex eâ ulterius licentiam non habet &c.* En beneficium Diaconale Epiphanio Isaurico monacho, & extraneo collatum. In aliâ epistolâ ad Cyprianum Siciliæ Rectorem hæc ait: *sicut dilectio tua studiosè laboravit pro personâ fratris, & Cœpiscopi nostri Joannis, ut in Syracusanâ Ecclesiâ, auctore Deo, debuisset ordinari; ità nunc necesse est, ut per dilectionis tuæ studia, ei quoque regiminis solatia ministrentur. Quendam enim presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen à fratre, & Cœpiscopo nostro Leone in Catanensi Ecclesiâ dicitur ordinatus &c. prędicto Leoni blandè, & leniter persuadere debes, ut ei prędictum presbyterum cedere debeat &c. sed sicut idem frater, & Cœpiscopus noster Joannes, quantum ego in ejus mente didici, ejus se esse Archidiaconum, nec ob Episcopatum susceptum obliviscitur &c.* (*f*). En beneficium Episcopale datum extraneo, beneficium Archidiaconale in aliâ Ecclesiâ insimul retinenti, (f) S.Greg.l.4. Ind. 13.ep.30.

16. In aliâ epistolâ ad Sebastianum Episcopum Smirnensem, habet ut sequitur: *Ad me Bonifacio defensore referente pervenit quià vir sanctissimus, frater noster Dominus Auastasius Patriarcha, in unâ suarum Civitatum regendam vobis Ecclesiam committere voluit, & consentire noluistis: Quem sensum, & sapientiam vestram valdè ego libenter amplexus sum, & laudavi vehementer &c. Si tamen animus vester fortassis fratribus condescendendo &c. ad hoc unquam consentire decreverit, peto, ut amori meo alium minimè præponatis. Sunt enim in Siciliâ insulâ Ecclesiæ vacantes Episcopis: & si vobis placet auctore Deo Ecclesiam regere, juxtà B. Petri Apostoli limina eum ejus adjutorio melius potestis. Si verò non placet, feliciter state, & pro nobis infelicibus exorate* (*g*). En beneficium Episcopale oblatum extraneo, in aliquâ Ecclesiâ Patriarchatus Antiocheni, & plusquam extraneo ab Ecclesiis Siciliæ, vel ab alia aliquâ Ecclesiâ Patriarchatus Romani, (g) S.Greg.l.5.ep.10

17. Idem scribens Maximiano Episcopo Syracusano, ait, *Felix vir consularis, præsentium lator, edocuit nos, esse quendam in illis partibus presbyterum, qui ad Episcopatus ordinem provehi probatæ vitæ merito dignus appareat. Hunc ergò fraternitas tua coram se deduci faciat, eumque sicut certus sum propter animæ periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc gradum provehi dignum esse perspexerit, ad nos studeat destinare, ut eum disponente Deo, loco cui providerimus possimus*

mus ordinare pastorem (*a*). En beneficium Episcopale in loco adhuc non designato, presbytero extraneo destinatum. Idem ipse D. Gregorius Martinum, anteà Episcopum Tamitanum, Alerienſi Ecclesiæ præfecit (*b*). Joannem Lusitanum, Episcopum Cardinalem in Squillitanâ Ecclesiâ constituit (*c*): Paulino Taurianensi Ecclesiam Liparitanam concessit (*d*). Agnellum Fundanum Ecclesiæ Terracinensi præesse decrevit (*e*); & alios, anteà Episcopos aliarum Ecclesiarum, beneficiis Episcopalibus alibi constitutis admovit, à quibus proculdubio erant extranei (*f*).

18. Et quod mirum est aliquando, ex causis parui, & penè nulliùs momenti, clericos indigenas à consequendo Episcopali beneficio retinuit, & extraneos eorum loco promovit: sic Florentinum Archidiaconum, & Rusticum Diaconum Anconitanos posthabuit, ac Florentio Diacono Ecclesiæ Ravennatis, ut Anconæ fieret Præsul, visus est adhærere (*g*). Sic Trajanum Presbyterum Syracusanum pro grato non habuit, quod Episcopatui patriæ præficeretur, promovendo ad illam sedem Joannem Archidiaconum Catanensem (*h*). Sic reprobato electo Surrentino, alium extraneum eligi fecit, qui fuit Amandus præsbyter Oratorii Sancti Severini, in Castro Luculano siti (*i*). Omittimus id quod de D. Gregorio notat Joannes Diaconus: *Expulsos Episcopos, quos tàm eiiò, vel incardinare non poterat, vel quorum reditum ad sedes proprias contingere posse sperabat, aliis Episcopis, qui tunc videlicèt in locis suis degebant, interim pro sustentatione, ac stipendiis præsentis vitæ jungebat* (*l*). Omittimus jussionem, quàm S. Gregorius dedit Maximiano Syracusano, ut Felici ex Istriâ venienti, de reditibus beneficii Diaconalis suæ Ecclesiæ, in quo illum cardinaverat, responderet (*m*).

19. Hæc, & similia omittimus, atque ad alia properamus. Ursicinus Episcopus Taurinensis, tempore Theodorici, & Theodoberti Regum Francorum, parochiales plures Ecclesias ad suam Diœcesim pertinentes, pluraque bona suæ Ecclesię, intrà ditionem ipsorum Regum tenebat; cum autem quędam infortunia incurrisset, atque captivitatem corporis, ac bonorum deprędationem; iidem Reges occasione captâ, tentarunt id agere, ut parochiales ipsæ ab alio Antistite, illorum Regni incolâ, regerentur, & ut eidem Episcopo Taurinensi bona præfata subtraherentur, nè jurisdictionem ecclesiasticam, reditusve beneficiales, in eorum Regno constitutos, posset Ursicinus extraneus adipisci. Hac rè audita D. Gregorius, zelo Apostolico iusurgens, S. Syagrio Episcopo Augustodunensi commisit, ut Principes commoneret, atquè ad desistendum à tàm perniciosâ novitate compelleret; nec ab incœpto cessaret, donec res erat recens, *nàm si parvæ rei aditus*, inquit, *antequam diù patefeat, non clauditur, usu fit latior, & erit consuetudine licitum, quod ratione constat esse prohibitum* (*n*). Tùm ad Reges ipsos literas dedit, illis simillimas, quas ad Syagrium exaravit, in quibus inter cætera hęc habet.

20. *Fratrem, & Coepiscopum nostrum Ursicinum Taurinæ Civitatis Antistitem, in parochiis suis, quæ intrà regni vestri sunt terminum constitutæ, grave omninò dicitur præjudicium sustinere; adeò ut contrà ecclesiasticam observantiam, contrà sacerdotalem gravitatem, & contrà sacrorum canonum instituta, nullo ejus exigente crimine, alter illic non metuerit Episcopus ordinari. Et quià parum visum est, si illicitis non jungerentur illicita; etiàm res Ecclesiæ suæ, ut fertur ablatæ sunt. Quod si ità se veritas habet, quoniam intolerabile nimis est, ut vi opprimeretur cui culpa non nocuit; præmisso paternâ charitate salutationis alloquio, petimus, ut quod excellentiâ vestra amore ecclesiasticæ reverentiæ, & æquitatis contemplatione spontè potest impendere, nostrâ studeat benignius intercessione concedere, & justitiam illi, sicut de æquitatis ejus bono confidimus, faciat in omnibus custodiri, atque patefactâ veritate, & quod illicitè actum est, corrigi, & res ei violenter ablatas, æquitate jubeat faciente restitui* (*o*). Ità D. Gregorius apertam esse injustitiam pronunciavit extraneos clericos à beneficiorum consecutione repellere, eisvè totàm, vèl partem suæ jurisdictionis, ac proventuum resecare, ut aliis regni ipsius incolis præberentur.

21. Si-

(a) *Joann. Diac. vit. S.Greg. l.3. cap.14. & S.Greg. l.4. ep.35.*
(b) *S.Greg. lib.2. Ind. 10. cap.18.*
(c) *S.Greg. l.2. ep.77.*
(d) *S.Greg. l.2. Ind. 10. ep.25.*
(e) *S.Greg. l.2. Ind. 10. ep.26.*
(f) *S.Greg. l.2. Ind. 11. ep.13.*
(g) *Jo: Diac. l.3. c.15.*
(h) *S.Greg. l.12. Ind. 7. ep.6.*
(i) *S.Greg. l.4. ep.19.*
(l) *S.Greg. l.8. ep.17 & 18.*
(m) *Jo: Diac. l.3 c.16 S.Gregor. l.12. ep.2.74. S.Greg. l.3 ep.14.*
(n) *S.Greg. l.2. Ind. 1. epist.111.*
(o) *S.Greg. l.7. Ind. 1. epist.112.*

21. Similitèr cum Pancratius quidam clericus Diaconatum in monasterio suscepisset, eumque Desiderius Diœcesanus suus Antistes repeteret, S. Gregorius ipsi Episcopo scripsit, nè Pancratium à monasterio divelleret: *Hortamur*, inquit, *ut tàm promptæ devotioni ejus, quàm in sancto studet habere proposito, minimè vestra sit impedimento fraternitas* (*a*). Erat monasterium positum extrà Diœcesim Desiderii; nàm si fuisset intrà illius limites, frustrà Episcopus Pancratium repetiisset, cùm etiàm in monasterio Diœcesano consistens Antistiti illius loci, juxtà ejusdem D. Gregorii doctrinam, subditus fuisset (*b*), nisi aliud exemptionis peculiaris privilegium poposcisset. Clericatus in sententiâ Contradictorum, juxtà priscorum temporum disciplinam, erat idem cum ecclesiastico beneficio: Monachatus quoquè, uti pluries diximus, est beneficium ecclesiasticum, à quo non poterat monachus spontè propriâ resilire, poterat tamèn Episcopus illum è monasterio vocare, & Sacerdotio dignum in loco, quem judicaret idoneum ordinare (*c*). Ităque juxtà doctrinam D. Gregorii, licitum fuit viro, beneficium clericale possidenti, aliò migiare, & ibi beneficium monachale suscipere; rursusque aliorsùm ab Episcopo ad beneficium sacerdotale vocari, sicque non uno, sed multis modis beneficium adipisci in loco, à quo erat extraneus.

(a) S.Gregor. lib.10. epist.38.

(b) S.Gregor. lib.8. epist.39.

(c) S.Gregor. lib.1. epist.40.

22. Sed nullibi melius patuit quinam, & qualis fuerit sensus D. Gregorii pro libertate Ecclesiæ, in admittendo etiàm clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia, quàm ubi cum Neapolitanis, vel cum Neapoli commorantibus egit; urbem, quàm tunc Gudoinus Dux regebat (*d*). Mortuo Festo Episcopo Capuano, D. Gregorius visitationem illius Ecclesiæ Gaudentio Episcopo Nolano commisit (*e*), cui hæc expresse dedit in mandatis: *Qui ecclesiasticis famulantur obsequiis, ecclesiastica, ut possibilitas exigit, debent adipisci subsidia. Proindè fraternitatem tuam præsentibus hortamur affatibus, ut clericis Capuanæ Ecclesię, qui in Civitate Neapolitanâ consistunt, quartam in presbyterum eorum, de hoc, quod antè Ecclesiæ singulis annis accesserit, juxtà antiquam consuetudinem distribuere, secundum personarum studeat qualitatem, quatenùs aliquod stipendiorum habentes solatium, ministerium, officiumque suum circa eandem Ecclesiam, devotiori mente provocentur impendere* (*f*).

(d) S.Gregor.lib.12. epist.5.

(e) S.Gregor. lib.4. epist.13. & 14.

(f) S.Gregor. lib.4. epist.16.

23. Agitur hic sinè dubio de ecclesiasticis beneficiis, quæ juxtà morem illorum temporum, in manualibus erogationibus consistebant, & quamvìs alicubi jam incepissent latifundia ad perfruendum clericis concedi, quę sunt ecclesiastica beneficia; tamèn adhùc pluribus in locis quarta pars redituum ecclesiasticorum intèr clericos, matriculæ ecclesiasticæ adscriptos, distribuabatur, adeoque istorum beneficia in stipendiis illis manualibus consistebant, & sic se habebant beneficia Capuana, de quibus est sermo. Porrò clerici Capuæ, Neapoli erant extranei, & è contrà: quippè in spiritualibus, tàm Capuana, quàm Neapolitana Ecclesia, proprias habebant sedes Episcopales, & Diœcesana confinia. In temporalibus quoquè Neapolis tùnc non erat caput illius partis Italiæ, quæ componit Regnum Siciliæ citra Pharum, dictæ Regnum Neapolitanum, sed erat urbs, proprium tenens Ducem, proùt diximus, cui cæteræ urbes Regni Neapolitani cunctæ non suberant: & tamen si clerici Capuani Neapoli degebant, ubi erant extranei, sequitur, quod ibi viri extranei non erant exclusi à muneribus, & beneficiis ecclesiasticis: nisi velimus fingere, quod clerici Capuani manerent Neapoli prorsùs inertes, ad Ecclesiam non accedentes, adeoque nil sibi de stipendiis ecclesiasticis promerentes.

24. Quo etiàm admisso, sequitur aliud; nempè quod sicuti clerici Capuani, tametsì Capuæ non residerent, adhùc stipendia ecclesiastica de bonis Ecclesię Capuanæ consequi debebant, juxtà D. Gregorii mandatum; ità quoque clericis aliorum locorum paria stipendia debita erant (nimirum ecclesiastica beneficia) quantumlibet in Ecclesiis stipendia, sivè beneficia ministrantibus, non manerent: quià hi in eorum absentia non minora, neque majora, obsequia, exhibere poterant Ecclesiis suorum beneficiorum, quàm Capuani absentes *ministerium, officiumque suum circà Ecclesiam Capuanam impendere possent*. Et ità textus D. Gregorii per-

catit novitatem Contradictorum, vel ex duplici, vel saltèm ex unico latere, nimirum probando, quod clerici extranei possint beneficia ecclesiastica consequi; vel quod beneficia possidentes eorum proventibus potiri valeant, quantumvis in loco beneficiorum non permaneant, quorum utrumque ab ipsis Contradictoribus impugnatur: adeoquè doctrina D. Gregorii favet libertati Ecclesiæ, pro qua certamus, si non uno, saltèm altero modo.

25. Progrediamur ulteriùs. Eodem Sancto Pontifice in Cathedrâ D. Petri sedente, vacavit beneficium Episcopale Ecclesię Neapolitanæ, statimque D. Gregorius Ecclesiam illam Paulo alteriùs sedis Episcopo regendam commisit, donèc fieret Successoris electio (a). Neapolitani verò eundem Paulum sibi præfici in Antistitem postularunt, de quo ipsis rescripsit Pontifex, *quale de Paulo fratre, & Coepiscopo nostro habeat charitas vestra judicium, directa à vobis relatio patefecit. Quem quoniam ità estis in paucis diebus experti, ut eum Cardinalem habere desideretis Episcopum; gratulamur* (b). Res tamen effectum non habuit, tum quià D. Gregorius tempus ad deliberandum poposcit super illius translatione à propriâ ad Neapolitanam Ecclesiam: tùm etiàm quià Paulus de facto ad suam sedem redire optans, consensum præbere pro adipiscendâ Neapolitanâ Cathedrâ recusavit; imòque Pontificem pulsare non destitit, ut vacuâ Sede citò ordinatâ, se ad propriam fineret remeare. Quarè Gregorius illi respondit: *ad hoc fraternitatem tuam Neapolitanæ Ecclesiæ ad præsens præesse constitui, ut quosque potuisses, suasoriâ ad Deum prædicatione converteres. Et dùm totâ te oporteat hoc intentione peragere; priusquam hunc Domini fructum operer is, reverti festinas, petisque à mè, ut celeritèr eandem debeam Ecclesiam ordinare, dùm meus non sit animus in hac rè otiosus* (c).

(a) S.Greg. l.2. Ind. 10. ep. 12.

(b) S. Greg. loc. cit. epist. 6.

(c) S Greg. l.2. Ind. 10. ep. 13.

26. Erat Paulus extraneus, tamquam alteri jàm sponsæ conjunctus: & sinè dubio, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesia originariè erat extraneus; & tamèn Neapolitani postularunt, ut majori beneficio, quod habebant, nempè Episcopali, præficeretur; S. Gregorius quoque eisdem annuere non detrectabat, sed differebat, id omninò de illius persona facturus, & depostulantium desiderio, quod ejus cordi Dominus inspirasset (d): Solus Paulus dissentit, & ideò res infecta remansit. Tàm Divus ergò Gregorius, quàm tota Neapolitanorum urbs, in eo fuit sensu, quod quamvìs Neapoli non deessent viri Episcopalibus infulis digni, uti paulò infrà patebit; adhuc tamèn licerèt beneficia ecclesiastica, & quidem majoris ordinis, atque primarium Ecclesiæ Neapolis beneficium, clericis extraneis impertiri: eatenusque tantùm Paulus beneficium illud non est adeptus, quatenùs consensum suum præbere translationi hujusmodi recusavit. Sed quid consecutivè factum sit, videamus.

(d) Idem loc. citat. ep. 6. in fine.

27. Neapolitani, ad electionem novi Antistitis descendentes, in duas partes divisi sunt, aliis Joannem Diaconum, aliis Petrum itidem Diaconum eligentibus, quorum utrumque, tametsì indigenam, D. Gregorius refutandum duxit, & alium idoneum providendum, ratus in illâ Ecclesiâ, sinè opprobrio, dici non posse, quod non essent alii, ad idem Episcopale beneficium idonei. Refutandum inquam duxit utrumque, nec ex gravissimis, sed ex pusillis causis, merisque suspicionibus, vel continentiæ non adhuc certæ, & constantis in Joanne, eo quod anteà filiolum genuisset; cum tamèn pluries fuissent ad Episcopatum promoti viri, uxores adhuc, & filios habentes. Vel simplicitatis in Petro, & quod usuras de solidis percepisset, cum nulla tamèn usurarum exhiberetur probatio (e). Urgebat interìm Paulus pro reditu ad suam Ecclesiam, & cum Neapolitani adhuc in unum non convenirent, Gregorius, diuturniorem illius Ecclesiæ vacationem sustinere detrectans, scripsit Petro Subdiacono Campaniæ, ut aliquos de clero Neapolitano Romam transmitteret, qui omnium vice fungerentur, & vestiarium, ac nummos pro novo Antistite deferentes, cum diversis nobilibus, in urbe tunc degentibus, de Episcopali ordinatione tractarent (f). Demùm post varios casus, post tot discrimina

(e) S.Gregor. lib. 8. epist 40.

(f) S.Greg. l.2. Ind. 11. epist. 35.

mina rerum, Episcopatus ipse obtigit Fortunato.

28. Hunc fuisse extraneum, facilè conijcere est ex literis ab eo scriptis Pontifici, qui eidem respondit, *scripta tuæ charitatis accepimus, quibus nobis indicasti, Deo propitio, te benè à filiis tuis Neapolitanis Civibus esse susceptum: de quibus omnipotenti gratias retulimus* (a), quibus verbis satis indicari videtur, Fortunatum fuisse extraneum: alioquin, ut quid specificè Pontifici denunciare se *benè à Neapolitanis esse susceptum?* Non enim ambigi potuisset de illius gratâ acceptione, si unus ex indigenis illius urbis fuisset. Itaquè præcipuum beneficium Ecclesiæ Neapolitanæ, Paulo extraneo oblatum, & ab eo non acceptatum; Joanni, & Petro Diaconis indigenis, in divisione suffragantium coelectis, denegatum; Fortunato tandèm extraneo collatum fuit: quid autèm tota hæc rerum series, non unâ, sed multiplici voce, non unico, sed repetitis factis concludat, nemo cordatus vir non intelligit. Nàm si Episcopale beneficium extraneis & defertur, & datur, indigenis verò ex causis, ut videtur parum relevantibus, denegatur, in Ecclesiâ cujus amplum clerum incredibile est, aliis, ad hoc munus idoneis caruisse, constat profectò, quod in Ecclesiâ Neapolitanâ clericis extraneis reseratus erat aditus ad beneficium Episcopale: & si reseratus erat aditus ad beneficium Episcopale, numquid non eis patebat accessus ad beneficia minoris ordinis? Et si accessus ille tunc eisdem patebat, cur nunc obstructus, & clausus esse debeat, non videmus: cum ab eo tempore nulla lex supervenerit extraneis ipsis adversa.

(a) S.Greg. l.2. Ind. 11. ep.61.

29. Sed adhuc alia attendamus. Præfecerat D. Gregorius monasterio, Neapoli constituto, Abbatem Româ illùc missum, adeoquè extraneum, qui cum demum diem subiisset extremum, Pontifex alium transmisit, qui eidem in Abbatiali beneficio succederet: sed quià tutus non erat, quod conceptæ expectationi esset effectivâ sollicitudine responsurus; probari ad tempus voluit illius regimen, & si providè, utiliterquè præesset; mandavit Fortunato Episcopo, ut eundem in Abbatem ipsimet monasterio præficeret: *Quem*, inquit, *ad præsens præpositum esse decernimus, ut si ejus vita tuæ fraternitati placuerit, hunc post aliquantum temporis eorum Patrem debeas ordinare* (b). Vide hic beneficium Abbatiale semel, & bis collatum extraneis in magnâ urbe Neapolitanâ, ubi multa monasteria, & infinitos propemodum fuisse monachos est probabile, quibus potuisset Abbatiale officium committi, si necessarium fuisset beneficia ecclesiastica solis indigenis impertiri.

(b) S. Gregor. lib.7 epist.93.

30. Demùm petenti Fortunato Episcopo Neapolitano Gratianum Ecclesiæ Venafranæ clericum, ut illum in suâ Ecclesiâ cardinare posset, S. Gregorius optatum virum concessit, Apostolicâ auctoritate supplens consensum Episcopi, quo tunc Venafrana Ecclesia carebat (c). Necessarium enim erat, quod Episcopus clerici, in una Ecclesia cardinati, assensum præberet, ut hic ad aliam transire posset, atque inibi cardinari: super quo tamèn nulli Episcopo vim inferebat, sed solis precibus, & officiis eorum assensum præstolandum esse ducebat S. Gregorius (d). Necessarius quoque erat assensus clerici sic traducendi: nec ulli unquam vim super hoc discretissimus Pontifex inferebat: notante de eo Joanne Diacono, *neminem prorsùs, quantacumque necessitate coactus, violentèr promovere certabat, nè sub hujusmodi occasione quemquam eliminando deponere videretur* (e). Cavebat paritèr nè quidquam in aliorum Diœcesibus innovaret, quod posset locorum Præsulibus displicere (f), profitebatur etenim sic, *bonorem esse non reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namquè honor est, honor universalis Ecclesiæ; meus honor est fratrum meorum sollidus vigor. Tùnc ego verè honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur* (g).

(c) S. Gregor. lib.5. epist.12.

(d) S.Gregor. lib.12. ep.6. & lib.5. ep.20.

(e) Jo. Diac. l.3. c.11

(f) S.Gregor. lib.2. epist.38.

(g) S. Gregor. lib.7. epist.30.

31. Quod *cardinare*, sivè *incardinare*, idem significet ac beneficia conferre, certò certiùs est, ex ipso textu epistolæ, pro Diacono Venafrano exaratæ, atque aliarum à D. Gregorio scriptarum (h): Ideoquè præfatus Diaconus Venafranus beneficium adeptus est in Ecclesiâ Neapolitanâ, à qua erat extraneus, & prò quo sic

(h) S.Greg. l.5. ep.12 l.3. ep.13. vid. cap. fraternitatem 5. dist.71.

fic ad beneficium promovendo opus fuit Apostolicâ auctoritate, ordinarii defectum supplente. Jamquà ex totâ ferie rerum, quas de præfato Sancto Pontifice in hoc capitulo recensuimus, patet, quod ipse Sanctus Pontifex, & alienos clericos propriæ Ecclesiæ inserebat, & suos per alienas Diœceses disseminabat, & generalitèr clericos unius loci in alio cardinari posse docebat, & quotiès opus erat id suâ auctoritate firmabat, vel approbabat, sivè, ut posset fieri, permittebat, ac præsertìm in Diœcesi Neapolitanâ id specificè factum est, pro beneficiis Episcopali, Abbatiali, Diaconali. Quarè tàm ex doctrinâ, quàm ex gestis, tùm dogmate, tùm facto, adeò efficacitèr probata remanet libertas Ecclesiæ, de quâ disserimus, ut vix fortius valeat comprobari. Nec, ut patet, D. Gregorius Contradictorum causæ favet, sed nostræ.

32. Ex iis etiam, quæ de cæteris Romanis Pontificibus *Sergio, Honorio*, atque aliis, in hoc capitulo memoratis, necnon de *Patriarchis*, & *Episcopis* præcipuarum orbis Ecclesiarum, hìc similitèr nominatis, allegavimus; evidentèr apparet, quod Sæculo Christi Septimo tota Ecclesia, non minùs Orientalis, quàm Occidentalis, per omnes Christianitatis regiones usquequaquè diffusa, in eo sensu fuit, quod beneficia Ecclesiastica, Papale, Patriarchalia, Episcopalia, Abbatialia, Presbyteralia, Diaconalia, & consequentèr alia quoquè alterius cujuscumque speciei, liberè possent clericis etiàm extraneis, non verò solis indigenis dispensari. Adeoquè Contradictores, hanc libertatem impugnando, incedunt contrà doctrinam & exempla à D. Gregorio nobis tradita, & contrà praxim per universam Ecclesiam, toto præfato Septimo Christi Sæculo observatam, à qua deficere nunc non licèt, quià ex eo tempore usque ad præsens, nullus editus est canon extraneos ipsos ab Ecclesiæ beneficiis repellens. Undè attentis huc usque traditis, nihil aliud superaddendum restat, nisi animo vel invito fateri, quod liberum, & licitum est Ecclesiæ, illiusque in primis supremo Capiti Romano Pontifici, necnon Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, ipsa beneficia ecclesiastica, non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

CAPUT XV.

In quo ex sacris Canonibus plurium Conciliorum, & præcipuè Toletanorum, *nec non* Emeritensis, Cabilonensis, & Constantinopolitani, *seù* Quinisexti, *probatur, quod Ecclesia*, Sæculo Christi septimo, *eâdem libertate fruebatur, quâ nùnc potiri contendimus, conferendi Ecclesiastica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 *In Concilio Toletano anni 610 delatus est honor Primatialis Metropoli Toletanæ, cum anteà inhæsisse videretur Hispalensi.*

2 *Post textum Concilii sequuntur tres formulæ electionis Episcopi, quarum prima refertur, favens admissioni extraneorum.*

3 *Diœcesani petunt sibi præfici Emilianum indigenam, nisi Primas, vel Concilium alium præficere velint.*

4 *Hi-*

4 *Hispaniæ Reges, olim vi Concilii* 11. *Toletani, & nunc vi Apostolici indulti, præsentant etiàm extraneos ad Episcopatus.*
5 *In Concilio Toletano* XVI. *depositus fuit Sisbertus Toleti Antistes, ob reatum læsæ majestatis contrà Ezicam Regem.*
6 *Decreto ipsius Concilii translati sunt Felix, Faustinus, & alter Felix de sedibus, quas habebant, ad alias Ecclesias.*
7 *Hi tres Præsules beneficium adepti sunt in Regnis diversis, & ad aliam Ecclesiam translati, fuerunt ab alterutrâ extranei.*
8 *Crebrò utimur exemplis Episcoporum, Patriarcharum, Pontificum, quia etiàm Episcopatus, Patriarchatus, Papatus, sunt beneficia.*
9 *Argumentum etiàm ducimus à majori ad minùs: nèc omittimus rationes quoquè beneficia minoris ordinis concernentes.*
10 *Factis non est judicandum, sed juribus: tamèn si facta sunt juri consentanea, & veritati; optimè illis judicari potest.*
11 *Præsertìm, quod exempla per nos allegata, non sunt singularia, sed millies repetita: Et exempla juribus mixta.*
12 *Quorum celebritas facit de illis judicare, posse, & debere fieri, quod ibi factum est: nec factum esset, si in eis culpa fuisset.*
13 *Refertur Canon* Concilii Emeritensis. *Jus Metropoliticum Emeritæ ad sedem Lucensem, indè ad Compostellanam translatum fuit.*
14 *Ab hoc canone permittitur Clericis, habentibus beneficium, ejus reditus percipere, tametsi apud illud non resideant.*
15 *Concilium Emeritense supponit ut rem certam, quod Episcopus egens Clerico alieno, possit illum aliundè accire. Nèc loquitur de casu necessitatis.*
16 *Alieni Clerici sic vocati, vèl à primâ, vèl à secundâ Ecclesiâ sunt extranei. Sicquè Concilium Emeritense favet provectioni extraneorum.*
17 Concilium Cabilonense *vetat, nè quis alienum Clericum ordinet, sinè sui Episcopi voluntate. Hac ergò accedente ordinari poterat.*
18 *Plures canones huic sanctioni concordantes recenset Cabassutius, & querimonias Demetrii Alexandrini, ac aliorum.*
19 *Vales argumentum à contrario sensu: si alienus Clericus alibi ordine, vèl beneficio donetur, sat est ei suum Præsulem consentire.*
20 *Concilium* Trullanum, *seù* Quinisextum, *non fuit Oecumenicum, nec omnes illius Canones admissi sunt, sed aliqui soli.*
21 *Talis est Canon, vetans, nè Clericus in alienæ Ecclesiæ Catalogum referatur.* Catalogus *significat Ecclesiasticum beneficium.*
22 *Explicatio Balsamonis ad hunc canonem Trullanum habet, quod Clericus eget commendatitiâ non solùm, sed etiàm dimissoriali.*
23 *Quinisextæ Synodi vi liberum est cuilibet Episcopo alienum Clericum beneficiis munerare, modò illius Præsul suum præstet assensum.*
24 *Præter id, quod erat Episcopis commune, si poterant Constantinopoli, & Carthaginis Præsules, poterit etiam Papa Clericos in alienis Ecclesiis locare.*
25 *In eodem Concilio inhibitum est Armenis viros tantùm de genere sacerdotali ordinare, cum etiàm aliis Christianis idoneis ordines sint conferendi.*
26 *Canon hic vetans restrictionem præfatam ad solos consanguineos, percutit etiàm restrictionem ad solos indegenas.*
27 *Concilium* Toletanum x. *interdicit nè Episcopi Monasteria, parochias &c. committant consanguineis, vel suo favore potientibus.*
28 Hæreditario jure, *alludit ad versiculum Psalm.* 82. qui dixerunt hæreditate possideamus sanctuarium Dei.
29 *Et ad restrictionem collationis beneficiorum ad solos indigenas. Nàm per hunc versiculum significantur præbendæ Ecclesiasticæ.*

30 *His-*

30 *Hildebertus quoquè Turonensis, & Concilium Londinense versiculum ipsum de præbendis intelligunt.*

31 *Interdictum est beneficiariis designare tibi successorem: Nam beneficia hæreditaria fieri non debent.*

32 *Non minùs servitur humano affectui restrictione beneficiorum ad solos indigenas, quam illorum transmissione ad hæredes.*

33 *Innocentius PP. III. objurgat Patriarcham Constantinopolitanum, quod ad unam tantùm nationem beneficia restringebat. Quid scribat Clemens VI. Regi Castellæ.*

34 *Nec dicatur sequi, quod Germani, Galli &c. tuti non sint repellendo extraneos à beneficiis; salvat enim eos Apostolicum privilegium.*

35 *Si licet Episcopo patronatum super beneficiis reservare, cur Papæ non liceat præbendas unius Regni solis illius incolis reservare?*

36 *Quotiès Papa justis ex causis privilegium præfatum confert, libertas Ecclesiæ non læditur, sed firmatur.*

37 *Itaquè Canon Trullanus tàm consanguineos complectitur, quàm indigenas. Aliquandò etiàm consanguinei promoventur, quià digni.*

38 *Licèt plura motiva faveant indigenis, totidem tamen favent extraneis: mediâ ergò viâ incedendum est.*

1. CATHOLICA Regio Hispaniæ plura nobis hoc Sæculo Christi Septimo, documenta subministrat, probantia libertatem ecclesiasticam, quam propugnamus, edita in Conciliis, intrà ipsius Regionis ambitum celebratis. Et prima facie occurrit *Concilium Toletanum*, quod non solet poni in serie Conciliorum illius metropolis, alias tamen sub Gundemaro Rege celebratum, anno Christi 610. in quo quindecim Episcoporum votis decretum est, deferendum esse Primatus honorem metropoli Toletanæ (*a*), cum anteà hæc illi dignitas nutare videretur. Leander enim præfuit Concilio Toletano III. cùm esset Episcopus Hispalensis: & Isidorus ejusdem sedis Antistes, præfuit Concilio Toletano IV. cui interfuere Metropolitani, Narbonensis, Emeritensis, Toletanus, Bracarensis, & Tarraconensis (*b*), undè Primatus ante hoc tempus inhæsisse videtur Hispalensi potiùs Cathedræ, quàm Metropoli Toletanæ. Utcumque sit Concilium præfatum, assensu Sedis Apostolicæ, Primatiales honores Arausio Toletano, illiusque Ecclesiæ detulit (*c*), & successivè Concilium Toletanum XII. Primatus hanc dignitatem Toletano Præsuli solidiùs roboravit (*d*): quæ tamen variè fuit aliquando concussa, & exagitata, licèt potiùs quoad Crucis prægestationem, quam quoad Antistitum ordinationem (*e*); donèc diplomatibus Pontificiis prærogativa Primatus ad eum statum redacta est, in quo nostris temporibus reperitur.

(a) *Concil. Toletan. ann. 610. apud Binium tom. 4. Conc. f. 536.*

(b) *Vid. Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. c. 30. n. 4.*

(c) *Binius in not. ad Conc. Tolet. ann. 610.*

(d) *Concil. Toletan. 12. ann. 681. cap. 61.*

(e) *Thomassin. loc. cit. p. 1. l. 1. c. 38. n. 1. c. 45. n. 14. c. 47. n. 5. & l. 2. c. 59. n. 6. & par. 2. l. 2. c. 25. nu. 3.*

2. Quià autem Toletano Episcopo, tamquam Primati, competebat novos Episcopos ordinare, qui debebant esse postulati, & electi cum cleri, & populi voluntate, ab Episcopis comprovincialibus (*f*); Statim post textum præfati Concilii Toletani, de quo loquimur, sequuntur tres formulæ supplicis libelli, quo clerus, & populus Ecclesiæ vacantis rogabat Concilium, vel Metropolitanum pro novi Antistitis provectione: quarum formularum prima sic loquitur, favore cujusdam Emiliani: *Ad relatus sanctitatis vestræ deduco, quod convenientia servorum vestrorum fuit pro humili vestro D. Emiliano, ut per voluntatem Dei, & vestram in Ecclesia vestrâ Sacerdotio fungatur. Et quià in ipsâ Diœcesi talis, nec melior invenitur, pro eo Domino suas suggestiones miserunt, ut si Deus Domino aditum dederit, jubeatis venire, ut per manus vestras, & illud perficiatur, & aliud, quod adhùc insupèr suspensum est, & desiderantes Dominum, de vultu vestro læti efficiamur. Si verò alitèr est vestra prævisio, cui vultis ordinationem vestram dirigite, qui causam perficiat, & ordo vester incolumis persistat* (*g*).

(f) *Conc. Toletan. 4. cap. 19.*

(g) *Concil. Toletan. ann. 610. in fin. apud Binium to. 4.*

3. Dice-

3. Diœcesani ergo Ecclesiæ vacantis optare se profitentur in Antistitem Dominum illum, in quem convenerunt, nomine Emilianum, quo dicunt nullum meliorem in totâ eorum Diœcesi inveniri; sed in fine concludunt, quod si Metropolitanus, sivè Concilium, cui suggestio, sivè supplex libellus directus est, non Emilianum, sed alium mavult Episcopali beneficio munerare; in eum pro suo libito dirigat ordinationem. Petebant Diœcesani, quamquam rudi sermone, sibi præfici Emilianum indigenam, sed tamèn auctoritati Ecclesię se subdendo, quatenus hęc alium vellet ad beneficium illud provehere. At iste *alius* non poterat esse indigena, quippè cum Diœcesani ipsi declarent, nullum esse in totâ Diœcesi meliorem Emiliano, non est credibile, quod Primas, vel Concilium in talem vellet injustitiam proruere, ut magis digno indigenę, indigenam minus dignum præferret; ergò iste *alius* non poterat esse, nisi extraneus. Et ità in eodem Concilio, in quo defertur Præsuli Toletano Primatus honor, in dispensatione præsertìm beneficiorum Episcopalium explicandus, additur quoque formula patefaciens libertatem Ecclesiæ in promovendo ad eadem beneficia, non modo clericos indigenas, verùm etiàm extraneos.

4. Eadem libertate usos esse Reges Hispaniæ in præsentando clericos, beneficiis Episcopalibus decorandos, juxtà decretum Concilii duodecimi Toletani (*a*), quod corpori Juris insertum est (*b*), coniicimus ex eo, quod cum mortuo Eusebio Episcopo Tarraconensi, Braulio Cæsaraugustanus Episcopus S. Isidoro Hispalensi scripsisset, ut suggereret Regi, quod quendam ad sedem illam vacuam nominaret; S. Isidorus illi respondet, *de constituendo Episcopo Tarraconensi non eam quàm petisti sensi sententiam Regis; sed tamen, & ipse adhuc ubi certiùs convertat animum illi manet incertum* (*c*). Ex quibus verbis deduci facilè potest, quod vel Braulio proponeret indigenam, & Rex propenderet in extraneum, vel res è contrà se haberet. Utcumque autem fuerit eo tempore, quandò Rex nominabat præsules, à Toletano Antistite comprobandos, ex speciali Sedis Apostolicæ privilegio (*d*), certum est, quod idem Rex Hispaniæ nunc præsentans Papę viros beneficiis Episcopalibus insigniendos, nominat pro suo libito, non solum indigenas, sed etiam extradiœcesanos, extraprovinciales, & extranationales: Et ità Reges quoque antiquos fecisse censeri potest.

(a) *Concil. Tolet. 12, can. 6. ann. 681.*
(b) *Cap. Cùm longè dist. 63.*
(c) *S. Isidor. epist. ad Braulion. est ante oper. D. Isidor.*
(d) *Vid. Binnium in not. ad Conc. Tolet. 2.*

5. Intrà istiusmet septimi Sæculi curriculum celebratum est *Concilium Toletanum* XVI. nationale, ex 59 Episcopis, & tribus eorum Vicariis, compositum, cui, & quinque Abbates, & 16. Comites viri illustres subscripserunt, adfuitque præsens etiàm Rex Egica (*e*). In eo hæc quæ sequuntur inter cætera, decreta sunt, *quià Sisbertus Toletanæ sedis Episcopus &c. bicipiti se percellens mucrone, superbiæ videlicèt, atque perjurii, gloriosum Dominum nostrum Ezicanem Regem non solum Regno voluit privare, sed & mortis impensione perimere; ideò non congruit nos priùs Concilium incohoare, nisi illo priùs Canonicâ, ac legali censurâ mulctato, in loco ejus fuerit subrogatus, Toletanæ sedis Cathedram retenturus. Idcircò nobis omnibus in unum collectis, idem Sisbertus Episcopus nostro cœtui præsentatus, atque infidelitatis suæ machinationem patuli oris est affatu professus. Undè nos per hujus Decreti nostri formulam sæpedictum Sisbertum, secundum edictum priscum Synodicæ sanctionis, ac decretum de talibus promulgatæ legis, ab Episcopali ordine, & honore deiicimus, à perceptione Corporis, & Sanguinis Christi excommunicatum perpetuò manere censemus, in fine tantum communionem per omnia percepturus: excepto si eum Principalis pietas cum sacerdotali conniventiâ delegerit absolvendum* (*f*).

(e) *Concil. Tolet. 16. ann. 693. Bin. tom. 5. Concilior.*
(f) *Concil. Tolet. 16. cap. 12.*

6. *Igitur quoniam favente Domino Concilium est quo citiùs incohoandum, secundum prælectionem, atque auctoritatem toties dicti nostri Domini, per quam in preteritis jussit venerabilem fratrem nostrum Felicem Hispalensis sedis Episcopum, de prædicta sede Toletana jure debito curam ferre, nostro eum in postmodum reservans ibidem decreto firmandum: ob id nos cum consensu cleri, ac populi, ad sæpedictam*

Tole-

Toletanam ſedem pertinentis, prædictum venerabilem fratrem noſtrum Felicem Epiſcopum de Hiſpalenſi ſede, quam uſquè hactenus rexit, in Toletanam ſedem canonicè traducimus; & in eadem Hiſpalenſi Cathedrâ fratrem noſtrum Fauſtinum Bracarenſis ſedis Epiſcopum: necnon, & Felicem Portucalenſis Eccleſiæ Antiſtitem in præfatâ Bracarenſi ſede, ſimilitèr Pontifices ſubrogamus, ac perpetuâ ſanctione unumquemque eorum in privatis ſedibus confirmamus (*a*). En trium Epiſcoporum de una ad aliam ſedem tranſuectio, Felicis de Hiſpalenſi ad Toletanam: Fauſtini de Bracarenſi ad Hiſpalenſem: & alterius Felicis de Portucalenſi ad Bracarenſem.

(a) *Conc. Tolet. 16. loc. cit.*

7. Hi profectò Epiſcopi ſic traducti de una ad aliam Eccleſiam, imò de una ad aliam Metropolim, in diverſis provinciis conſtitutam, à ſecundâ ſede erant extranei, nedumque extradiœceſani, ſed etiam extraprovinciales, quinimo, & extranationales, quatenus Bracara in Luſitaniæ Regno, Toletum in Regno Caſtellæ, Hiſpalis in Regno Vandalitiæ locatæ ſunt. Et ità condemnatio Sisberti Toletani, ob crimen læſæ majeſtatis (*b*), hunc parturiuit effectum, ut quamuis in ampliſſimâ illâ Eccleſiâ, ac Diœceſi rationabilitèr credi non poſſit, quod viri deficerent infulis archiepiſcopalibus digni; ad huc ex Regno Vandalitio clericus eſt accitus, qui depoſito Antiſtiti ſubintraret: ipſiuſque clerici promotio, nempè Felicis Hiſpalenſis, velut annulus catenæ, qui tractus, plures alios poſt ſe annulos trahit, mutationi plurium Antiſtitum locum dedit: ſicque unico actu habemus hic tres extraneos, primariis Hiſpaniarum epiſcopatibus inſignitos: hoc notato, quod ſedes Portucalenſis, à qua Felix ad Bracarenſem translatus eſt, nulli alteri fuit conceſſa, ſed à Felice ipſo retenta, qui proinde ità concilio ſubſcripſit, *Ego Felix in Dei nomine Bracarenſis, atque Portucalenſis ſedium Epiſcopus &c.* (*c*), quamvis ab alterutrâ eſſet extraneus.

(b) *Card. Baron. an. 693. n. 1. & 3.*

(c) *Conc. Tolet 16. in ſubſcr. n. 5.*

8. Sed dices, eccur propugnando libertatem Eccleſiæ in conferendo ſacra beneficia clericis etiam extraneis, tàm crebrò uteris exemplis Epiſcoporum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Pontificum? Reſpondemus, nos id facere ex triplici cauſa: *primò*, quia etiam Contradictores idipſum faciunt, & non diſſimilia coacervant, tametſi parum proſpero eventu. *Secundò*, quia in antiquioribus hiſtoriis eccleſiaſticis, & in ſacris canonibus Conciliorum, doctrinâque patrum, & in aliis conſtitutionibus Eccleſiæ, raro fit mentio beneficiorum minoris ordinis: eo quod non adeò erebrò occurrerit occaſio de illis, uti de epiſcopalibus, eloquendi. *Tertiò*, tàm epiſcopatus, quàm cæteræ majores dignitates ordinis, Pontificalis ſunt beneficia eccleſiaſtica, non minùs, quàm alia minoris ordinis, uti tàm de Epiſcopatu (*d*), quàm de Archiepiſcopatu (*e*), Patriarchatu (*f*), & Papatu, (*g*) tradunt doctores: Et ideo quoties probamus liberam eſſe, & fuiſſe iſtorum collationem viris extraneis; profectò libertatem Eccleſiæ probamus in conferendo eccleſiaſtica beneficia, non modo clericis indigenis, verùm etiam extraneis.

(d) *Cap. felicis §. quod ſi de pœnis in 6. Selv. de benef. p. 1. q. 2. n. 13. 17. Azor. inſtit. mor. p. 2. l. 3. c. 1. qu. 5. Mart. de juriſd. p. 2. c. 139. n. 7.*

(e) *Iidem DD. qui ſupr. Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 49.*

(f) *DD. qui ſup.*

(g) *C. 5. de Maledic. Azor. & Barboſ. ubi ſ. n. 47. cum aliis.*

9. Rurſus ità nos gerendo, procedimus à majori ad minus, à quo ſine dubio pluſquam validum eſt argumentum (*h*). Nàm ſi probamus licitam eſſe traditionem beneficiorum Pontificalis ordinis clericis extraneis, multò fortiùs licere probamus collationem eorum, quæ ſunt ordinis inferioris. Ecque ratio enim unquam probare poteſt, quod liberum, & licitum ſit Eccleſiæ clericos extraneos beneficiis Pontificalibus inveſtire; non eis verò licitum ſit conferre beneficia, Abbatialia, Parochialia, Canonicalia, & alia quocumque nomine nuncupentur, ſive merè ſimplicia? Certè cui conceditur majus, minùs quoque conceſſum eſſe cenſetur (*i*). Cæterum in toto hujuſce operis decurſu, & uſque nunc allegavimus multoties, & inpoſterum adhuc pluries allegabimus textus, canones, Patres, hiſtorias eccleſiaſticas, & Apoſtolicas conſtitutiones, de beneficiis minoris ordinis eloquentes, adeoque partes officii noſtri perabundè quoad hoc adimplemus; nèc probationes, quibus libertatem Eccleſiæ propugnamus, ullo modo in hiſce vacillant.

(h) *Barb. Tract. var. Loc. 67. per totum.*

(i) *L. filius fam. §. fin. ff. de donat. C. ex parte de decim. Barboſ. trac. var. Axiom. 140. n. 5.*

10. Di-

10. Dices fortè iterum: Hæc documenta, quæ refers, non sunt jura, sed facta, factis autem non est judicandùm, sed juribus (*a*). Nèc debet attendi, quid factum est, sed quid debuit fieri (*b*). Respondemus *primò*, nos illam tenere methodum, quam servant Contradictores, quorum scripta sunt pleniora exemplis, & factis, quam juribus, proùt cuilibet ea legenti patere potest: adeoquè ipsi non poterunt nos in hac parte impugnare, quin & se ipsos condemnent: nisi velint sibi esse concessum impugnare factum proprium, quod omnibus denegatur (*c*). *Secundò* dicimus non esse quidem judicandum, factis, & exemplis, sed hoc intelligitur de factis, & exemplis erroneis, perfunctoriis, furtivis, futilibus, & exigui momenti, vel talibus, quibus jura resistant, paucis demum numero, & contrariis rei certę, ità ut ex legibus constet, quod veritas est contra exemplum (*d*). In casu autem nostro non ità est; nâm non pauca, sed infinita sunt exempla, quæ afferimus; nèc constat legibus, quod veritas sit contrà exempla; sed potius apertè constat, quod exempla sunt consentanea legibus; nèc est certum, de jure excludendos esse extraneos ab ecclesiasticis beneficiis, sed potius est certum oppositum, juxtà jura, & praxim usque nunc per octodecim sęcula universalitèr observatam.

(a) *L. sed licet ff. de off. Præsid. c. 1. de post. Præl.*
(b) *L. nemo C. de sentent. & interloc.*
(c) *L. post mortem, ff. de adopt. l. sicut C. de action. c. veniens de fil. presbyt. c. cum super. de concess. præbend.*
(d) *Alexandr. cons. 150. n. 7. l. 6. Menoch. cons. 96. n. 27. vol. 10. Barb. tr. var. Axiom. 86. n. 3.*

11. In reliquis dicimus, quod si attentè ponderentur exempla, & facta, per nos hìc, illìc, in toto decursu pręsentis operis allegata, non sunt nuda facta, sed facta juribus mixta; nàm quoties facta in contradictorio partium evenerunt, vel fuerunt Summorum Pontificum auctoritate roborata, vel sacrorum Conciliorum approbatione stipata; hæc non sunt facta, sed jura, vel saltem sunt facta juribus intermixta. Rursùs non sunt facta, & exempla singularia, sed millies repetita, & uti talia habent omnem pręsumptionem pro sè. Paritèr non sunt facta, clanculum ad praxim perducta, vel furtim adimpleta, sed in propatulo, in medio Ecclesiæ, ac coram totâ Christianitate, vidente, advertente, nedumque non contradicente, sed imò potius consentiente: sępèque sæpius Imperatoribus, Regibus, & sæculi Principibus, convenientibus in idipsum. Demùm exempla ipsa non sunt virorum ignavium, ac laxæ conscientiæ prejudicio laborantium, sed magnorum hominum, nomine, doctrinâ, vel sanctitate celebrium, ut plurimum in sacris Conciliis coassidentium, vel auctoritate Apostolica, quid agendum esset deliberantium.

12. Eos etiam in parte Ecclesia veneratur, vel uti sanctos, vel uti doctores, vel uti scriptores, plurimo dignos honore; ideoque excluditur ab eis omnis suspicio, quod irregularitèr egerint id, quod fecerunt. Imò attentis, tàm crebris factis, & tàm frequentibus exemplis, quæ viri præfati ad praxim perduxerunt; de illis, ratione intellectum dirigente, non potest nisi talitèr pronuntiari cùm D. Prospero, quod isti, tàm sancti, & tàm perfecti viri, ac respectivè doctrinâ, & celebritate præeminentes, factis suis docuerunt, posse, & debere fieri, quod fecerunt; qui uti legis Dei observantes, ecclesiasticorum jurium bene periti, praxisque ac disciplinæ ecclesiasticę opulentissimè conscii, ut plurimum hæreticorum, vel aliorum sibi invidentium, & contradicentium, latratibus expositi, tàm crebrò, tàm liberè, atque tàm publicè non egissent, id quod non agendum esse cognovissent (*e*). Stat ergo vis nostræ rationis, factis præmemoratis inhærens, adeò qualificatis, ac tàm abundè justificatis: hocque unum ex illis est inferendum, quod viget in Ecclesia plena libertas admittendi ad sacras præbendas, non modo clericos indigenas, verum etiam extraneos.

(e) *S. Prosp. de vita contempl. c. 9.*

13. Ex *Lusitaniâ* nunc aliquid audiamus. Hoc sęculo *Concilium Emeritense*, Emeritæ Augustæ, celebratum est, quæ urbs erat Lusitaniæ, nunc diruta, cujus Metropoliticum jus aliquando ad Lucensem sedem translatum fuit (*f*), deindè ad Compostellanam (*g*). In eo Concilio intèr cætera hoc emanavit decretum; *Si piorum canonum sententia hunc rectè tenet ordinem, ut Episcopus ab alio Episcopo, si indigentiam habuerit Clericum ad ordinandum petat, & accipiat, cur qui in Diœcesi sua habet eos, quos pro Dei officio, & suo juvamine dignos repererit, ad suam principalem Ecclesiam non perducat, & habeat? Pro hujus rei causa, hoc* elegit

(f) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 1 c. 41. n. 1.*
(g) *Cabassut. in Concil. Emerit. an. 666.*

elegit unanimitas nostra, ut omnes Episcopos provinciæ nostræ, si voluerint, de Parochianis Presbyteris, atque Diaconibus Cathedralem sibi in principali Ecclesia facere, maneat per omnia licentia. Hi tamen, qui fuerint traducti &c. eo honore, & reverentia habeantur, & venerentur in Cathedrali Ecclesia sicut hi, quos constat fuisse ordinatos in ea. Et quamvis ab Episcopo suo stipendii causa, per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab Ecclesiis tamen, in quibus priùs consecrati sunt, vel à rebus earum extranei non maneant &c. (a).

(a) *Concil. Emerit. an. 666. c. 12.*

14. Duo continet præsens canon, ad causam nostram spectantia; unum quod potest Clericus fructus beneficiorum percipere, tametsi eisdem personalitèr non deserviat, sed alibi in Ecclesiæ ministerio famuletur; prout consecutivè in hac synodali sanctione definitur favore presbyterorum, & diaconorum parochialium, quos contigerit Ecclesiæ Cathedralis Canonicos fieri, talitèr ut & fructibus canonicatus potiantur, & reditus Ecclesiæ parochialis percipiant, dummodò in hac postremâ presbyter alius substituatur, qui muniis ecclesiasticis perfungatur, undè subdit Concilium: *Pontificali electione, presbyteri ipsius*, Canonici, *ordinatione, presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat, & discretione prioris presbyteri*, Canonici, *victum rationabilitèr illi ministretur, ut non egeat &c.* (b). Et ità de erroneitate convincitur suggestio illa, quam jactitant Contradictores, nulli fas esse ecclesiastica retinere beneficia, tametsi merè simplicia, nisi in locis, in quibus erecta sunt, præsentialitèr consistat, & personalitèr famuletur; cum tamen hoc Provinciale Concilium id permittat, non solum in beneficiis merè simplicibus, sed etiam in parochialibus, modo ibi Clericus idoneus deputetur, qui onera beneficii ipsius adimpleat. Sed de hoc alibi fusiùs,

(b) *Conc. Emerit. loc. cit.*

15. Alterum, quod ad causam nostram insinuat Concilium Emeritense, est jussio, qua disponit, seù, quam uti certam, & veluti definitam *Canonum sententiam* supponit, quod si Episcopus indigeat Clerico, in sua Ecclesia ordinando, & illum ab alio Episcopo petat, debeat hic eundem concedere; qui profectò in Ecclesia, ad quam traducitur ordinandus, seù beneficio, & munere ecclesiastico decorandus, omninò erit extraneus. Nèc dicatur, quod Concilium Emeritense loquitur de casu necessitatis, specificato per dictiones illas, *si indigentiam habuerit*, quâ positâ sumus extrà casum; quippè necessitas non habet legem (c), ipsâque concurrente, fit licitum, quod aliàs fuisset prorsùs illicitum (d); Nàm pluries sacri Canones utuntur verbo necessitatis, quo tamèn non veram necessitatem, sed solam opportunitatem significant (e), & hoc modo indigere ibi non præcisam necessitatem, sed honestam opportunitatem, & congruentiam significat: tùm quia nunquam positiva necessitas habendi Clericum alienum occurrere potest Episcopo, quippèqui facultatem habet eligendi de tota sua Diœcesi Clericos si habet, & si non habet, laicos in Clericos ordinandi, tot, quot vult, & toties, quoties sibi videtur: debuisset autem citrà ullam ambiguitatem, & deberet Episcopus potiùs laicos indigenas clericatu insignire, quam Clericos extraneos accersere, si extraneis beneficia elargiri esset crimen, divino, naturali, & humano jure prohibitum, uti supponunt Contradictores,

(c) *L. tutor. de administr. tutor. l. aliquando ff. de off. Proconf. c. licet de feriis, c. ex sti. sin de verbor. signif.*
(d) *Cap. quanta de consuet. c. quod non est licitum de reg. jur. Barbos. tract. var. Axiom 157. num. 2.*
(e) *Fagnan. in cap. tuæ fraternitati n. 18 de sponsal. & in cap. presbyt. de pœnit.*

16. Tùm etiam proptèr alias rationes, hujusmodi obiectioni adaptabiles, quas suprà fusius profecuti sumus, agendo de canone 45. Concilii III. Carthaginensis (f): ad quas lectorem remittimus. Cessante ergò motivo necessitatis, & disponente Concilio Emeritensi, quinimò supponente uti *Canonum sententiam*, quod quoties expediret uni Episcopo habere Clericum alienum, in propriâ Ecclesiâ ordinibus, & consequentèr etiam stipendiis ecclesiasticis, munerandum; deberet Episcopus Ordinarius Clerici Episcopo petenti Clericum ipsum prompto animo relaxare; disertè satis ostendit, Ecclesiam, præfato currente septimò Christi Sæculo, in eâ sententiâ versatam esse; quod Clericis extraneis pateret aditus ad ecclesiastica beneficia. Et cum hoc sit consentaneum praxi, quam successivè tenuit, & tenet adhuc Ecclesia, observantia quoque sit fidelissima intèrpres præcedentium

(f) *Vid. sup. secul. 4. c. 6. à n. 15.*

tium dispositionum (*a*); sequitur, quod sicuti tempore Concilii Emeritensis licita erat, sic liceat & nunc admissio Clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia.

17. Exhibet nobis & Gallia *Concilium Cabilonense*, hoc eodem Christi Sæculo convocatum (*b*), convenientibus ad illud 38. Episcopis, unà cum Vicariis sex aliorum. Adfueruntque intèr illios Archiepiscopi, Lugdunensis, Viennensis, Rotomagensis, Senonensis, & Bituricensis. Defuit verò Theodosius Arelatensis, cui Concilium sententiam suspensionis suis literis intimavit (*c*). Ob talem, ac tantam Episcoporum, & Metropolitanorum frequentiam, Concilium hoc Nationalis potiùs videtur, quam Provincialis titulum promereri. Viginti Canones in eo sunt Synodali deliberatione procusi, quorum unus, tametsi brevis elocutione, prolixus tamèn significatione, talitèr pro causâ nostrâ perorat; *Nullus alterius Clericum retinere præsumat, sicut priscis est canonibus statutum, nèc ad sacrum ordinem sine voluntate Episcopi sui penitus promovere* (*d*). Duo hic prohibentur, & alienum Clericum ordinare, & ordinatum retinere: per quæ significari admissionem ad ecclesiastica beneficia, nulli dubium esse potest: quippè beneficium est sequela ordinis, & cum eo tempore beneficia, ut plurimum in manualibus erogationibus consisterent, quæ Clericis porrigebantur, juxtà ordines, quos habebant; patet, quod quidquid ibi de ordinatione dicitur; de beneficiorum quoquè collatione verificatur.

18. Nova non fuit hæc lex, sed confirmativa eorum, quæ super hac rè pluriès fuit ab Ecclesia definitum. Idcircò Cabassutius, canonem hunc expendens, ait, *id pridem provisum fuerat Sardicensis Oecumenicæ Synodi 16. 18., & 19., & Apostolorum canonibus 15; 16., & 32; & primi Carthaginensis Concilii sub Julio Pontifice habiti can. 15., ne quis alterius Episcopi clericum sinè commendatitiis ab eodem literis susciperet. Multoque magis ne quis alienum ordinaret absque dimissoriis, quod fieri prohibent Nicænæ primæ Synodi can. 16., & Arelatensis primæ can. 22., & Sardicensis can. 15., & Antiochenæ can. 22., & Carthaginensis primæ can. 5. quemadmodum & prohibetur hujus Cabilonensis præsenti canone. Notæ sunt veteres querimoniæ Demetrii Alexandrini adversus Alexandrum Hierosolymitanum, à quò fuerat Origenes ordinatus: & Joannis Hierosolymitani adversus Epiphanium, à quo fuerat Paulinianus presbyter ordinatus: & Augustini Hipponensis adversus Severum, eo quod Thimotheum Subdiaconatu initiasset* (*e*).

19. Sanctio ergò Cabilonensis consentanea præfatis canonibus restricta erat ad hoc, ne quis alienum Clericum ordinaret, atque apud se retineret, *sinè voluntate Episcopi sui*. Ergò in sensu contrario, à quò optimè ducitur argumentum, & quidem in jure validissimum (*f*), accedente voluntate proprii Episcopi, poterat alienus clericus & ordinari, & retineri, & consequentèr etiam stipendiis, sivè beneficio ecclesiastico insigniri. Ex quo canone, ad rem nostram congruè applicato, subsequitur, quod quoties clericis alibi beneficio decorandis, consensus assistit proprii Dioecesani, liberè possunt ubilibet beneficio ecclesiastico munerari, & nedùm beneficio munerari, sed etiam ad sacros ordines promoveri: quod magis est, quam beneficiis augeri. Contradictores itaquè justè non poterunt sacras prębendas denegandas esse contendere universis Clericis extraneis, sed illis solum, quibus deest proprii Ordinarii consensus, spectabitq; ad eos in casibus practicis probare, quòd Clericis, quibus volunt beneficia denegari, proprii Ordinarii desit assensus, quod sanè, vel nunquam, vel per quam rarò probabunt.

20. Ab Occidente ad Orientem divertendo, impingimus *in Concilium Constantinopolitanum, alias Trullanum*, ità dictum, eoquod celebratum fuit in Trullo Imperialis Palatii Constantinopolitani, appellatum etiam alio vocabulo *Quinisextum*, eo quod Episcopi in hac Synodo congregati professi sint supplere vices Conciliorum quinti, & sexti Generalium, in quibus nulli canones circà disciplinam ecclesiasticam sanciti fuerant (*g*): tametsi intèr dictum sextum Generale Concilium, & hoc Trullanum intercesserint duodecim anni, & ex 227. Patribus, qui ad

(a) *Menoch. cons. 192 n. 12. Barbos. in cap. cum dilectus S. de consecr. num. 15.*

(b) *Concil. Cabilon. circ. an. 650.*

(c) *Epistola Conc. Cabilon. apud Sirmond. to. 1. Concil. f. 494.*

(d) *Concil. Cabilon. can. 13.*

(e) *Cabassut. a l can. 13. Conc. Cabil. a. 651*

(f) *Vid. Barbos. 7 a. var. Loc. 27. per tot.*

(g) *Coriolan. in Concil. Const. pol. an. 697 in princ. Bin. in eod. Concil. to. 3. f. 311.*

ad hoc secundam concurrerunt, soli 43. ipsi sextæ Synodo interfuissent (*a*), Quià tamèn ad hujusmodi Quinisextū Concilium non convenerunt, neque Romanus Pontifex, nèc illius Apostolici delegati, sinè quibus Generale Conciliū haberi non potest (*b*), ideò prò Oecumenico non est habitū, quinimò, & cum in pluribus canonibus à recto deviaverit, *Synodi Erraticæ* nomen accepit, nèc Sedes Apostolica canones hìc editos indifferentèr admisit, sed illos tantum, qui reperti sunt cùm Sanctæ Romanę Ecclesiæ, ac sacrorum Conciliorum constitutionibus convenire (*c*).

21. Hujuscè generis est canon ibi editus, ità sonans, *Statuimus, ut nullus omninò clericus possit, sinè proprii Episcopi scripturâ dimissoriâ, in alienæ Ecclesiæ Catalogum referri, qui secùs fecerit deponatur* (*d*). Canon hic omninò consonat canonibus Sardicensi, Nicæno, Arelatensi, Cabilonensi &c. quos paulò antè citavimus; idcircò nullam patitur exceptionem. *Catalogum alienę Ecclesiæ*, palmaritèr hìc apparet significare Matriculam, sivè album, sivè tabulam, in quâ nomina Clericorum adscripta erant, stipem ab Ecclesia suscipientium, quod in idem resonat, ac ecclesiasticum beneficium, Contrarius autem sensus prę̨sentis canonis est sumendus, quippè, uti aliquantò superiùs ostendimus, argumentum à contrario sensu efficax est, & legitimum: & hoc ipsum Concilium illo uti videtur in alio canone (*e*). Recurrit ergò hìc argumentum, paulò antè in Concilio Cabilonensi propositum, quod toties licitum erit beneficia ecclesiastica Clericis extraneis elargiri, quotiès constet eorum Ordinarios eisdem consensum, & dimissorias literas non negare, quòd in facto esse, & in praxi semper verificatur, vel ferè nunquam non verificari contingit.

22. Expendens canonem hunc Trullanum Theodorus Balsamon talem ei superaddit explicationem: *Sæpiùs diximus, quod omni Clerico, qui foris ordinatus est, duas scripturas afferre opus est; ejus qui eum ordinavit commendatitiam scilicèt, & dimissoriam, ut illâ quidem utatur ad comprobationem illius gradus, qui ei inesse dicitur: hac verò, ut citrà ullum impedimentum ab aliâ Ecclesiâ in Clerum cooptetur. Nota ergò præsentem canonem, qui est maximè necessarius, & habentem Clericum deponi, qui præter Episcopi sententiam receptus est, & Episcopum, qui eum recepit sinè dimissoriâ ejus qui eum ordinavit. Cùm hoc enim sepè Synodicè dictum esset, dixerunt quidam unam, vèl solam scripturam satis esse ei, qui est foris ordinatus, scilicèt commendatitiam. Excipe mihi Constantinopolitanum, & Carthaginensem Episcopum &c. Ii enim, ut sępè dictum est, possunt Clericos suscipere præter voluntatem eorum, qui ipsos ordinaverunt* (*f*).

23. Similia profert in expositione sequentis canonis Trullani, quo cavetur, ut Clericus, qui propter hostium incursionem, vèl aliâ de causâ, à propriâ Ecclesiâ secesserit, cessante illâ circumstantiâ, ad ipsam Ecclesiam redeat, alioquin segregetur, tàm ipse, quàm Episcopus illum retinens (*g*). Ait inquam Balsamon, Patriarcham Constantinopolitanum hujus canonis lege non detineri, quià habet dictam facultatem Clericos undecumque, etiàm sinè literis dimissorialibus, & assensu proprii Pręsulis ad se trahendi (*h*). Itaque juxtà utrumque allatum hujuscè Concilii canonem habemus libertatem Ecclesiæ, cuicumquè Episcopo competentem, admittendi in proprio Clero, & beneficiis Ecclesiasticis munerandi alienum Clericum, dummodò Ordinarius ipsius Clerici suum eidem præstet assensum: & hoc nobis sufficit ad intentum: nàm in casibus practicis ipsa libertas subsistet semper, & quousquè non doceatur, Ordinarium Clerici dissentire, & assensum suum denegare, nè Clericus Diœcesis, cui præest, ab alieno Episcopo suscipiatur, & ibi beneficiis Ecclesiasticis decoretur, ubi ex naturâ suâ est extraneus.

24. Pręter quam generalem libertatem, omnibus Episcopis competentem, habemus aliam specialem propriam Archiepiscopi Carthaginensis, & Patriarchæ Constantinopolitani, accipiendi undecumquè Clericos, eosque vèl suo, vèl alieno Clero inserendi, etiàm sinè consensu Episcopi Diœcesani, cujus Clericus erat subditus. Hanc prærogativam non credimus habuisse Præsules præfatos, Carthaginen-

(a) *Cabassut ad Conc. Quinisext. anno. 692. Bin. loc. cit.*

(b) *Vid. Binium, & Cotelan. ad hoc Conc. in princ.*

(c) *Anastas. Bibliot. in epl ad Joan. 8.*

(d) *Concil. Constantinopol seu Quinisext. c. 17.*

(e) *Idem Concilium c. 60. apud Binium.*

(f) *Balsamo ad can. 17. Conc. Trul. f. 378.*

(g) *Concil. Constantinopol. sive Quinisext. c. 18. Bin. to. 5. Concil.*

(h) *Balsam. in eod. can. 18.*

ginensem, & Constantinopolitanum præcisè, ut Episcopos, quià sic omnes Episcopi fuissent ejusdem prerogativæ participes: neque ut Archiepiscopos, vèl tamquàm ordinariæ conditionis Primates: quippè ità etiàm aliis Archiepiscopis, & cunctis Primatibus fuisset prærogativa ipsa communis. Oportet ergò, quod illam habuerint utì primarum sedium Prelati, altèr quoad Africam, & altèr quoad Provincias Patriarchatui Constantinopolitano subjectas. Rebus autèm hoc modò se habentibus, intrat inspectio prò Summo Pontifice, cui & tamquàm primo Præsuli primariæ sedis Patriarchatus Occidentalis (*a*), & multò magis tamquàm Summo Pontifici totius Ecclesiæ Dei, negandæ non sunt prærogativæ aliis sè minoribus Præsulibus competentes, cùm in hoc ipso Concilio non præferatur Episcopus Constantinopolitanus Romano Antisti (*b*), sed æquetur, tametsì perperàm (*c*). Adeoquè poterit Pontifex quoscumquè Clericos, undecumquè venientes, suscipere, & suo, vèl alieno Clero aggregare, ibiquè beneficiis Ecclesiasticis insignire, ubi magis viderit expediens esse.

25. In hoc eodem Concilio Trullano, sivè Quinisexto, alius editus est canon, ad rem nostram faciens, & sub hiscè terminis conceptus: *Quoniam agnovimus in Armeniorum regione eos solùm in Cleri ordine referri, qui sunt ex genere sacerdotali, iis qui hoc facere aggrediuntur mores Judæorum sequentibus; nonnullos autèm eorum etiàm non tonsos sacros Cantores, & divinæ legis lectores constitui; decernimus, ut deinceps non liceat iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad ejus, cui manus imponitur, genus respicere. Sed examinantes an digni sint, juxtà exposita in sacris canonibus decreta, in Cleri cathalogum referri, ut eos ecclesiasticè promoveant, sivè sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sivè non* (*d*). In solâ gente Judæorum sacerdotium erat hæreditarium, & ad unam Tribum Levi impertransibilitèr coarctatum (*e*): Quarè quicumquè non descendebat ex filiis Aaraon, prorsùs incapax erat officii Sacerdotalis. At apud Christianos, contemptâ successione gentilitiâ, Sacerdotium, non jure sanguinis, sed prò suscipientium meritis dispensatur: semperque in Ecclesiâ Dei est voce unanimi conclamatum adversùs eos, qui sanguinis, non meritorum jure Sacerdotium, & ministeria sacra pervadunt (*f*).

26. Hic canon quamvis literalitèr percutiat restrictionem collationis sacerdotii, & sacerdotalium proventuum, sivè beneficiorum ad solos consanguineos; tamèn vis prefate sanctionis equalitèr percutit etiàm eandem restrictionem ad solos indigenas, tùm ex identitate rationis, tùm ex titulo canonis, qui sic inscribitur. *Non attendatur genus, sed mores ad manus impositionem*, quod pariformitèr complectitur indigenas, ac consanguineos: Tùm demum quià, tàm indigenæ, quàm consanguinei, sub generis specificatione vocantur: nec minùs officit libertati Ecclesiæ limitatio præfatæ collationis ad solos indigenas, quàm ad solos consanguineos. Porrò sanctio clara est, neque patitur ipse canon aliquam exceptionem, ob vitium quo laborare diximus Concilium illum edens: quippè canon ipse est consentaneus aliis legibus ecclesiasticis, restrictionem præfatam improbantibus, quàm sicuti ab Armenis compescere gestiit iste canon, sic & in Hibernis improbavit S. Bernardus (*g*), & in Arvernensibus coarguit Hildebertus Turonensis (*h*), & à Danis eliminare fategit Henricus eorum Rex (*i*), & generalitèr pro cunctis gentibus interdixit Ecclesia, pluries in sacris Conciliis hac de rè agens.

27. Ac signantèr Concilium *Toletanum X.* habitum anno 656. seu era Hispanica 694. decrevit. *Agnovimus quosdam Pontifices precepti Principis Apostolorum &c. ità esse immemores, ut quibusdam monasteriis, parochialibusque Ecclesiis, aut sue consanguinitatis personas, aut sui favoris participes, inquam sepe statuant in Prælatum. Proindè &c. quisquis Pontificum deinceps, aut sanguine propinquis, aut favore personis quibuscumque sibi devinctis, talia commendare lucra tentaverit, ad suum nefandæ præsumptionis excidium, & quod jussum fuerit vocetur in irritum, & qui ordinavit annuæ excommunicationi subjaceat* (*l*). Similitèr in Concilio Lateranensi II. anno Christi 1139. sancitum est: *Indubitatum est, quoniam ho-*

(a) *Petr. de Marca in concord. Sacerd. & Imper.*

(b) *Concil. Trul. seu Quinisext. cap. 36.*

(c) *Vid. Binium Cabajut Coriolan. & alios in can. 5. Concil. Constantinopol. S. Baron. an. 381. nu. 35.*

(d) *Conc Constantinopol. sive quinisext. c. 33. Bin. 10. 5. Concil. f. 332.*

(e) *Numer. 25. 13. & Ecclesiastici 45. 16. 19. 30.*

(f) *Concil. Trid. sess. 25. c. 7.*

(g) *Hildeb. Turon. epl. 55.*

(h) *Krantz l. 5. Daniæ c. 10.*

(i) *Concil. Tolet. X. c. 3.*

(l) *Concil. Later. 2. c. 16.*

honores ecclesiastici, sanguinis non sunt, sed meriti, & Ecclesia Dei non hæreditario jure, aliquem, neque secundum carnem successorem expectat, sed ad sua regimina, & officiorum suorum dispensationes; honestas, sapientes, & religiosas personas exposcit. Propterea auctoritate prohibemus Apostolicâ, nè quis Ecclesias præbendas, præposituras, capellanias, aut aliqua ecclesiastica officia, hæreditario jure valeat vindicare, aut expostulare præsumat. Quod si quis improbus, aut ambitionis reus attentare præsumpserit, debita pœna mulctabitur, & postulatis carebit (*a*).

(a) Psalm. 82. 13.

28. Notentur verba illa *hæreditario jure*, quæ ad versiculum illum psalmi perspiciunt, in quo diris imprecationibus impetuntur omnes, *qui dixerunt hæreditate possideamus Sanctuarium Dei* (*b*). Ubi quantum ad literam pulsantur execrationibus Ismaelitæ, & Idumæi, Moabitæ, & Agareni, aliique populi, & eorum Duces, qui percusso intèr se fœdere, Judæam, & populum Dei electum, suæ potestati subigere satagebant, & sanctuarium divinum, ac quidquid sacrum erat in Hierusalem, connitebantur sibi jure hæreditario vendicare (*c*); sed mysticè, sivè figurali allusione, per hunc textum, significari constat illos, qui bona Ecclesiastica velut quâdam sibi hęreditariâ usurpatione substernunt: quemadmodum habetur ex epistolâ Lucii Papæ I. ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ, ubi de bonis ecclesiasticis agens, sic loquitur; *res quoque Ecclesiarum vestrarum, & oblationes fidelium, quas significastis à quibusdam irruentibus vexari, vobisque, & Ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum &c. de talibus enim, idest qui facultates Ecclesię rapiunt, fraudant, vel auferunt, Dominus comminans omnibus, per Prophetam loquitur dicens, Deus ne taceas tibi, nè sileas, & non quiescas Deus: quià ecce inimici tui multiplicati sunt, & qui oderunt te levaverunt caput &c. Inierunt consilium adversus arcanum tuum. Pone Duces eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana: omnes principes eorum, qui dixerunt possideamus nobis pulchritudinem Dei* (*d*), seù, ut habet lectio usitata, *Sanctuarium Dei*. Sed dicet hic aliquis, textum psalmi non loqui, neque à Lucio Papa pertrahi ad significanda ecclesiastica beneficia, sed ad solam usurpationem bonorum Ecclesiæ confingendam: quo sensu etiàm S. Bernardus miseriam suorum temporum ità deflet; *non sufficit spoliari bonis præsentibus domus Episcopales, etiàm in terras, & in homines manus sacrilegia circumquaque desævit, totiùs insuper anni ex eis sibi reditus vendicando &c. Commisit Rex germano suo Roberto vices Episcopi, & ille in cunctis terris, rebusque Ecclesiæ potestativè versans &c. terras fructiferas, & villas populosas ità in ore gladii devastavit, ut penè in solitudinem redegerit universas. Frequens in omnibus auribus vox, hæreditate possideamus Sanctuarium Dei* (*e*).

(b) Bellarmin. in psalm. 82. in princ.

(c) Lucius epl. 1. c. 6. in tom. 1. Concil.

(d) S. Bernard. ep. 224. ad Stephan. Prænest.

(e) Hugo Card. in Psal. 82. 13. 5. qui

29. Sed in primis inutilis est hujusmodi ludificatio scripturæ, nàm nunquid non est invasio bonorum Ecclesię, beneficia ecclesiastica à solis indigenis occupari, exclusis extraneis, quos nec jura sacra pellunt, nec instituta Ecclesiæ reiiciunt? Ast age: ità non sit: Negari tamen non potest, quod versiculus Psalmi, de quo loquimur, tùm à Patribus, tùm à Papis, tùm à celeberrimis Scripturæ Expositoribus, & etiàm à Conciliis, ad significandas præbendas ecclesiasticas non sumatur. Intèr Expositores notabilis est interpretatio Hugonis Cardinalis, prædicta verba sic expendentis, *qui dixerunt hæreditate possideamus Sanctuarium Dei, idest præbendas, & dignitates ecclesiasticas. Hujus maledictionis participes sunt, & seculares, & ecclesiastici principes, quià seculares, vel minis, vel precibus obtinent suis consanguineis sanctuaria Dei, idest beneficia, vel præbendas. Principes verò ecclesiastici sinè difficultate, & sinè contradictione possident hæreditarie sanctuarium Dei, ipsi, & posteritas eorum, quià conferunt prębendas, & dignitates nepotulis suis, & consanguineis, & ità implent Ecclesiam sanguine suo, quod post mortem eorum quasi necesse est, ut aliquis de sanguine suo substituatur &c.*

30. Ex Patribus adest Hildebertus Cenomanensis, & posteà Turonensis Episcopus

ſcòpus ità ſcribens Epiſcopo Claromontano, & improbans illius Eccleſię abuſum, quo beneficia inibi ſolis indigenis, & jure ſanguinis hæreditariè conferebantur, *audivimus, & ultrà quàm eredi poſſit, admirati ſumus, in veſtrâ matre Eccleſia hæreditario jure præbendas canonicas obtineri: perniciosſa hæc, & exhæredans hęreditas. Canonica namque ſtipendium eſt gratiæ, non hæreditatis emolumentum. Perit autem gratia ubi hæreditas principatur, undè & hæreditate Canonicum fieri, exire eſt de Eccleſia, non Eccleſiam introire, qui enim dicunt hęreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, non hæredes ſunt Dei, nec cohęredes Jeſu Chriſti*; Et infrà: *Mementote, qui dum facitis forenſem de Eccleſia poſſeſſionem, debitum de gratia conſtituitis ædificium, cui nullum ſuppoſitum eſt fundamentum. Super arenam ædificatis, veſtrum hoc ędificium, veritatis teſtimonio, ruinam pollicetur: teſtimonio veritatis, pluvia deſcendet, venient flumina, flabunt venti, & irruent in ędificium, & cadet, & erit ruina magna. Nolite, nolite partem veſtram ponere cum his, qui dixerunt, hęreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, Deus ultimum perſequetur eos in tempeſtate ſuâ, & in irâ ſuâ turbabit eos. De veſtro quoquè reverendiſſime Preſul, de veſtro, inquam, agitùr periculo, niſi explantare ſatageritis plantationem, quàm non plantavit Pater veſter cęleſtis &c.* (*a*). Ex Conciliis demùm peregregium habemus canonem Concilii Londinenſis, ità ſynodalitèr decernentis, *Sancimus nè quis Eccleſiam ſibi, ſivè prębendam paternâ vendicet hęreditate, aut ſucceſſorem ſibi in aliquo conſtituat beneficio. Quod ſi præſumptum fuerit, nullos vires habere permittimus, dicentes cum Pſalmiſtâ, Deus meus pone illos, ut rotam, & ſicut dixerunt hęreditate poſſideamus ſanctuarium Dei* (*b*). (a) *Hildeb. Turonen. epiſt. 55.* (b) *Conc. Londinen. 3. ann. 1125.*

31. Dicetur à Contradictoribus, quod in his Conciliaribus decretis hæreditaria ſucceſſio non percellit collationem prębendarum, ad ſolos indigenas limitatam, ſed vel illam tantùm, quâ beneficiarii ſibi ſucceſſorem deſignant, vel illam, quâ ex mero intuitu affectus humani beneficia conſanguineis conceduntur: Etenim deſignatio ſucceſſorum in beneficiis Epiſcopalibus eſt inhibita, juxtà id, quod de Nundinario Barcinonenſi, qui ſibi quendam Irenęum ſubſtituerat, reſcripſit Hilarus Papa ad Epiſcopos provinciæ Tarraconenſis; *Nec Epiſcopatus honor hæreditarium jus putetur, quod nobis ſolâ Dei noſtri benignitate confertur* (*c*), & de aliis omnibus beneficiis inquit Socrates, *canones non faciunt cuiquam morituro poteſtatem quemquam in locum ſuum ſufficere* (*d*). Canones, inquam, præſertìm Apoſtolici (*e*), & Synodi Antiochenæ (*f*), vetantes ne illi, qui poſſident Eccleſias, velut hæreditariè ſibi deligant ſucceſſorem. Delatio etiàm beneficiorum conſanguineis humano affectu, & hæreditariâ quodammodò ſucceſſione odioſa ęſt Eccleſiæ, pluriesque improbata, uti diximus, factum eſſe modò apud Armenos (*g*), modò apud Hibernos, modò apud Arvernos (*h*), modò apud Danos (*i*), & certè Eccleſia illam percellere non omiſit (*l*). Itàque inquient, verba pſalmiſtæ de poſſeſſione ſanctuarii Dei jure hæreditario, illùc ſolum tendunt, *nè quis ſibi beneficia eccleſiaſtica paterna vendicet hæreditate, aut ſucceſſorem ſibi conſtituat in beneficio*, uti loquitur Concilium Londonienſe (*m*), quià tùnc ſolis conſulitur perſonis, & humano affectui ſervitur; non verò quidquam probant contrà coarctationem beneficiorum ad ſolos indigenas, quià per hanc non proſpicitur commodo perſonarum ea recipientium, nequè humano affectui ſervitur, ſed ſolùm utilitati, & neceſſitati Eccleſiarum conſulitur, & pro earum bono regimine, atque animarum profectu, ſollicitè laboratur.

(c) *Hilar. PP. ep. 2.* (d) *Socrat. l. 5. c. 15.* (e) *Can. Apoſt. c. 76.* (f) *Conc. Antiochen. cap. 35.* (g) *Conc. Conſtantinopolit. ſive Quiniſext. cap. 32.* (h) *Hildeb. ep. 55.* (i) *Krantz. l. 5. Dan. cap. 10.* (l) *Cap. Moyſes cum ſeq. 8. qu. 7. cap. Ad extirpandas cap. Dilectus de fil. Presbyt.* (m) *Concil. London. ann. 1125. cap. 5.*

32. Verùm, quidquid ſit de allegatis textibus Conciliorum, certè doctrina Hugonis Cardinalis, atque Hildeberti Cenomanenſis, vel Turonici, ſuperius recenſita, hanc explicationem veracitèr non admittit, cum ibi coarguatur reſtrictio beneficiorum Romanorum ad ſolos Romanos: & Claromontani moneantur, ut forenſes etiàm ad beneficia ſuę regionis admittant; producto utrobique pro ratione illo verſiculo pſalmi, quo diris imprecationibus ſubjugantur ii, qui dicunt *hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei*: quarè negari non poteſt quin per hunc ipſum

ver-

versiculum percutiatur restrictio collationis beneficiorum ad solos indigenas; & quidem hujusmodi restrictio (ubi desit motivum equalitatis meriti, quo stante, indigenas prestat de honestate, à collatore cognoscendâ, præferri) nunquid non est possessio hæreditaria sanctuarii Dei, æque, vel saltèm parùm dissimilitèr, ac sit designatio successoris in beneficio, vel transmissio beneficii de consanguineo in consanguineum, aut de amico in amicum? Quis dicit: serviri humano affectui, & soli commodo personarum consuli, dùm designatur successor, vel dùm beneficium de uno in alium, jure consanguinitatis traducitur; non verò cum collatio beneficii ad solos indigenas coarctatur? Si res ritè pensetur, coarctatio hæc ad solos indigenas, eorum soli commodo servit, & Ecclesiis nihil proficit, animarumque saluti nil prorsùs utilitatis impertit, cum & Ecclesiarum, & animarum servitio æque sit aptus extraneus, ac indigena: ideòque textus Davidicus, *pones eos, ut rotam, qui dicunt hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, optimè restrictionem collationis beneficiorum ad solos indigenas plectit, & extraneis admittendis elegantissimè suffragatur.

33. Rem ponant extrà aleam duo eximii Pontifices, jàm à pluribus annorum centuriis literas exarantes, qui hanc quæstionem, quàm agitamus nobilissimè dirermerunt. Primus est Innocentius Papa III. qui Thomam Maurocænum Patriarcham Constantinopolitanum objurgans, eo quòd præbendas suæ Ecclesiæ non aliis, quàm Venetis largiretur; hæc ei fecit per suos Nuntios intimari: *sicut nostris auribus est suggestum, Constantinopolitanus Patriarcha, aliarum nationum clericos spernens, Venetos tantùm in Constantinopolitanis Ecclesiis satagit collocare, non attendens, quod in omni gente, quæ facit justitiam acceptus est Deo, nec sanctuarium Dei convenit jure hereditario possideri. Quo circà mandamus, quatenùs moneatis eundem, ut viros literatos, & alios idoneos, undecumque originem duxerint, in prædictis Ecclesiis, & maximè in majori instituere non postponat &c.* (a). Secundus est Clemens Papa VI., qui audito decreto, per Alphonsum Castelle Regem edito, de extraneis à beneficiis illius Regni repellendis, proptèr Episcopatum Cauriensem extraneo cuidam collatum, zelo Apostolico inflammatus, hasce ad eum literas dedit; *Miramur quomodò sic tuam per aliquos circumveniri præsentiam passus fueris, sicque illorum, quærentium sanctuarium Domini hæreditario possidere inordinatè condescenderis volunta*ti, *ut ipsius Romane Ecclesiæ matris tuæ ordinationem providam circà provisionem ejusdem Cauriensis Ecclesiæ, molestè tuleris &c. Nunquid, fili carissime, Apostoli Domini &c. quorum sunt Episcopi successores, extrà proprias nationes, & gentes, provincias alias, atque regna in sortem prædicationis, disponente Domino, non susceperunt? Nunquid B. Jacobus, per quem Hispanis Evangelicæ veritatis lumen resplenduit, & sacri baptismatis innotuit Sacramentum, in Hispaniis ortus est? Quid igitùr mirum, si Romanus Pontifex, ad exequendum ministerium servitutis injuncte, illius, cujus vices gerit in terris, & apud quem non est Judæi, Græcique distinctio, neque acceptio personarum, instructus exemplo, personas idoneas eligit, & quamquàm alienigenas, vacantium Ecclesiarnm regimini præficit &c* (b). Sed de his alibi fusius.

(a) Cap. Ad decorem 5. de Instit.

(b) Raynald. an. 1348. num. 14.

34. Videant ergò Contradictores, attendatque lector ingenuus, quod textus Davidis, imprecans mala iis, qui dicunt, *hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, non solos illos percellit, qui sibi designant successores, vel beneficia traducunt de consanguineo in consanguineum, sivè de amico in amicum; sed illos etiàm plectit, qui ad solos indigenas, vel ad certum personarum genus beneficiorum limitant adeptionem. Nèc novis cavillationibus hæc veritas impetatur, asserendo, quod si ità est, nec etiàm gens Alemanica, neque Gallica, neque Hispanica, neque aliarum si quæ sunt nationum populi, apud quos beneficia solis connationalibus conferuntur, tuti erunt apud Deum: quippè sanctuarium Dei jure possident hæreditario: neque illos privilegium poterit Apostolicum excusare, cum in Pontifice non sit facultas faciendi, quod sanctuarium Dei ab illis hæreditariè non possidea-

fideatur; si præbendas solis indigenis elargiri est fanctuarium Dei hæreditarie possidere. Non inquam, sic impetatur veritas, quandoquidèm citò tota cadit cavillosa hæc illatio, respondendo, quod si nationes prædictæ hoc sibi proprio marte arrogassent, ut beneficia, in eorum regionibus constituta, non aliis quàm suis connationalibus conferrentur; certè non essent tuti apud Deum, cujus decreto, per Psalmistam prolato, non debet *hæreditate possideri fanctuarium Dei*. At quià id apud eos fit ex Apostolica concessione, nihil est, quod eos vocet in culpam. Omnia enim beneficia ecclesiastica Christus auctoritati Papæ, in persona Petri, submisit, cui datâ facultate solvendi, atque ligandi (a), & fratres suos confirmandi (b), ædificatâque super eum Ecclesiâ (c), factâ demùm ei potestate judicandi de bonis, Ecclesiæ destinatis, atque de eorum fraudatione, per Ananiam, & Saphiram commissâ (d), proculdubio collatum fuit ipsi etiàm arbitrium designandi, & modum, & personas, quibus bona Ecclesiæ debeant opportunè præberi, prout meliori ipsius Ecclesiæ regimini agnoverit expedire.

(a) *Matth. 16 19.*
(b) *Lucæ 22 32.*
(c) *Matth. 16. 18.*
(d) *Actor. 5. 5.*

35. Et certè si licitum est cuilibet simplici Ordinario jus patronatus alicui personæ, vel prosapiæ, ejusque hæredibus super beneficio reservare, absque eo, quod hi dicantur fanctuarium Dei jure hæreditario possidere (e); cur non poterit summus Ecclesiæ Pontifex beneficia alicujus regionis illius solis incolis reservare, absque eo quod dicatur, ibi fanctuarium Dei jure hæreditario possideri? *In beneficiis* (inquit Azorius) *dicimus rationem haberi meritorum: genus tamèn, & patria aliquandò ministrum Ecclesiæ utiliorem, & aptiorem efficiunt. Itèm quamvìs beneficium unius gentis, ac familiæ hominibus debeatur, non indè hæreditaria successio in beneficiis locum habet, neque enim illis confertur ratione generis, & sanguinis, sed quià utiliores, & magis idonei sunt, aùt saltèm quià digni, & idonei cum sint, leges, & canones eos præfici Ecclesiis jubent, cæteros excludunt* (f), vides, quomodò cum juxtà leges ecclesiasticas ad aliquod personarum genus, vel familiam restringitur capacitas ad aliqua beneficia, non possidetur fanctuarium Dei jure hæreditario, quià auctoritas Ecclesiæ hanc maculam omninò purgat. Profectò dùm in Concilio Tridentino actum est, ut omnia beneficia, saltèm parochialia, fierent patrimonialia, & solis indigenis committerentur (g), dùm intèr Theologos Sotus (h), & intèr Canonistas Covarruujas (i), implorant, ut per aliquem Pontificem, vel per Concilium Generale omnia beneficia fiant prout suprà patrimonialia; certè, inquam, Patrum Tridentinorum, ac præfatorum Doctorum mens fuit, se fundamentalitèr opinari, quod liberè Pontifex possit nationibus indulgere, ut beneficia suarum partium solis indigenis conferantur, absque eo quod hi dicantur fanctuarium Dei jure hæreditario possidere.

(e) *Cap. Nobis 25. cum aliis cap. de Jurepatr. Lambertin. eod. tit. Vivian. eodem tit. Barbos de Offic. Episc. alleg. 70. & Jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 12. n. 38.*
(f) *Azor. p. 2. l. 6.*
(g) *Sotus, & Covar. infr. citandi.*
(h) *Sotus de Just. & Jur. lib. 3. qu. 6. art. 2. f. 258.*
(i) *Covar. pract. qu. l. unic. c. 35. n. 5. § unde.*

36. Quarè quotiès, perpensis temporum circumstantiis, urgentibusque causis ità deposcentibus, Pontifex censuit, bono Ecclesiæ statui, & regimini prodesse, quod beneficia alicujus regionis, provinciæ, vel urbis, solis illarum districtualibus conferantur, & ut ità servetur suam auctoritatem pontificalitèr interposuit; libertas Ecclesiæ non fuit læsa, sed firmata: & præfati districtuales, atque indigenę tutissimi sunt apud Deum, quià summi Ecclesiæ Pontificis auctoritate nituntur: nec præbendas, nec fanctuarium Dei jure possident hęreditario, sed gratiosè, & ex concessione Ecclesiæ, talitèr ex justis rationibus, demandantis. Itàque si pręciso privilegio Apostolico, ad solos indigenas coarctare capacitatem beneficiorum ecclesiasticorum, est fanctuarium Dei jure hæreditario possidere; fanctuarium autem Dei jure hæreditario possidere, inconveniens est, piaculum est, quod imprecationes promeretur, in textu Psalmi per os Davidis promulgatas; sequitur, quod ipsorum beneficiorum largitio est in omnibus, & per omnia ecclesiasticę libertati relinquenda, ut Ecclesia, illiusque supremus Rector, & caput, nec non Episcopi, aliique omnes, jus conferendi beneficia possidentes, vel ad ea clericos pręsentandi, beneficia ipsa viris sibi bene visis, & canonicas qualitates habentibus, sivè indigenis, sivè extraneis, dilargiantur.

37. Undè ad iter, à quò aliquantùm deflexìmus, redeundo, certum esse ostenditur, quod Concilium Constantinopolitanum, seù Quinisextum, sivè Trullanum, interdicens, nè in collatione beneficiorum habeatur ratio generis, sed meriti; cùm genere patentèr repellit tàm consanguineos, quàm indigenas: quià tàm hi, quàm illi sub generis specificatione vocantur. Non quòd indigenæ non sint ad beneficia Ecclesiastica admittendi, quandò sunt idonei; sed quod ratio admissionis non debet ad solam conditionem indigenatus referri. Sicut etiàm consanguinei quandoquè ad sacerdotia promoventur, & ità S. Udalricus Episcopus Augustanus in Concilio Ingelheimensi, cathedram, quam tenebat, Adalberoni nepoti suo dari fategit (*a*). Berno Cluniacensis, vir pietate percelebris, ad Abbatiam illius cœnobii, cui præerat, fecit Vidonem suum consanguineum pervenire (*b*). S. Cyrillus in sede Alexandrina Theophilo ejus patruo successit (*c*). Absalonem Roschildensem consanguineum suum Eschilus Lundensis habuit in suo Archiepiscopali munere successorem (*d*). Et nè diutiùs circà minores Sedes immoremur, in supremâ Romani Pontificatus dignitate, fuerunt Stephanus III, & Paulus I. Papæ, fratres germani: Benedictus VIII. & Joannes XIX, paritèr fratres germani: Gregorius IX, Innocentii III. nepos; Romanus Papa, Marini similitèr Papæ nepos: Alexander VI. Calixti III.: Gregorius XI. Clementis VI.: Hadrianus V. Innocentii IV.: Julius II. Sixti IV.: Pius III. Pii II.: Paulus II. Eugenii IV, nepotes: Honorius III. & Honorius IV. cognatione intèr se juncti fuerunt; Silverius Hormisdæ filius fuit, ex legitimo thoro susceptus: Leo X. & Clemens VII. fuere consanguinitatis vinculis alligati: Et ità de aliis, quos reperire est (*e*). Ità inquam consanguineis Ecclesia quandoquè summos dedit honores, non tamèn quià consanguineis, sed quià virtute, & meritò præstantibus, quorum promotione utilitati Ecclesiæ consulebatur, hos aliis præferendo; hacque ratione etiam indigenæ sunt extraneis præferendi in assecutione prebendarum, quandò eos virtus, & benemerentia commendat, non verò quandò tota ratio meriti est naturalitatis, sivè indigenatus conditio.

(a) *Surius die 14. Julii.*
(b) *Bibliotb. Cluniat. pag. 9. 10. 269. 270.*
(c) *Socrat. l. 7. cap. 6. Baron. ann. 412. n. 45.*
(d) *Saxo Grammat. lib. 14.*
(e) *Ciacon. Platin. & alii in dictis Pontif.*

38. Parùm relevante illo imbecillimo supposito, cui Contradictores innituntur, nempè quòd dùm beneficia indigenis conferuntur, non personarum, sed Ecclesiarum necessitati, atquè utilitati consulitur; sicquè beneficia non hæreditario jure, sed prò zelo ecclesiastico conferuntur. Nàm si res in suo verò sensu examinetur, invenietur Ecclesiarum necessitati, & utilitati, saltèm generalitèr loquendo, magis consuli, vel saltèm non minus consuli promovendo Extraneos, quàm indigenas. Et licèt plurima, eaque gravia motiva concurrant, indicantia proficuum esse beneficia Ecclesiastica solis indigenis impertiri; totidèm tamèn, & nòn minoris momenti sunt alia, quæ suadent, melius esse, quòd ipsa beneficia solis extraneis conferantur. Intèr quas rationes, nos mediâ viâ incedentes, in eo sumus, erimusque perennitèr voto, quod Ecclesiastica beneficia, nèc solis indigenis, nèc solis extraneis, sint tradenda, sed quod ità servanda sit aurea mediocritas, ut non modò istis, verùm etiàm illis promiscuè conferantur, prout personarum, Ecclesiarum, & temporum conditio deposcit, habitâ ratione, quod indigenæ semper extraneis, ceteris paribus præferantur, ità tamèn ut hęc cæterorum paritas, non à populo, non à privatis viris dijudicanda sit, sed à beneficiorum Collatoribus, & à Nominatoribus ad ea. Quâ moderatione servatâ, & illæsa permanent dictamina Concilii Constantinopolitani, de quo agimus, jubentis, nè in distributione beneficiorum attendatur genus, sed merita, & mores: suffultaque, ac stans in suo robore, viget libertas Ecclesię, sacras prębendas, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis dilargiendi, proùt illorum virtus, & merita, necnon servitium, & libertas ipsius Ecclesiæ, suggerunt, in casibus practicis esse agendum.

CAP.

CAPUT XVI.

In quo occasionalitèr probatur Octo *Rationibus, quod,* politicè *loquendo, satis expediens est, ut Ecclesia, ejusque Ministri, conferentes ecclesiastica beneficia, vel ad ea nominantes, & præsentantes clericos idoneos, integrâ libertate potiantur ipsamet conferendi, sivè respectivè ad eadem nominandi, non modo clericos indigenas, verum etiam extraneos.*

SUMMARIUM.

1 *Cum sint multæ rationes prò, & contrà admissionem extraneorum, hic octo rationes politicæ allegantur, faventes ipsis extraneis.*
2 *Superiores non possunt totam suam ditionem ex se ipsis regere: indigent proindè adiutoribus, tàm pro actibus gratis, quàm prò odiosis.*
3 *Moyses ob hanc necessitatem, rogavit Deum, ut adiutores illi præberet. Non semper viros ad talia idoneos habent Præsules in sua ditione.*
4 *Media trahendi extraneos, sunt præmia: hæc autem quomodo adiutoribus præbebunt; si non possint beneficia extraneis elargiri?*
5 *Et quod dicitur de superioribus, proportionalitèr locum habet etiam in inferioribus Collatoribus beneficiorum, vel ad ea nominatoribus:*
6 *Opinio Contradictorum est Principi damnosa: privatque superiores potestate præbendi viris benemerentibus præmia.*
7 *Facultas beneficia dispensandi originem suscipit à Pontifice, cui tolli non potest libertas, dandi extraneis beneficia, quin tollatur & aliis.*
8 *Regimina populorum melius expediuntur per extraneos, quàm per indigenas.*
9 *Vicarii Episcoporum debent esse extranei. Judices laici pluribus in locis esse non possunt indigenæ.*
10 *In rebus militaribus prodest uti extraneis: sunt tamen rationes suadentes, bonum esse dare magistratus etiam indigenis.*
11 *In defectu idiomatis Papa dispensat; in Regno Neapolis beneficiis Regii patronatus præficiuntur sæpè Clerici, linguæ Italicæ ignari.*
12 *Socialis humanitas exigit, ut quælibet Respublica extraneos favoribus prosequatur, & eis quoque officia committat.*
13 *Romani liberalissimi fuerunt, in admittendo extraneos ad Civitatem, ad honores, & ad Imperium.*
14 *Infiniti extranei Romæ ad dignitates pervenerunt. Lex Papia, eos repellens, utì vanissima, fuit abrogata ab Aureliano Cæsare.*
15 *Romam confluebant familiæ, ut Civitate donarentur. Sardi, & Istri petierunt, id aliquâ moderatione compesci.*
16 *In cunctis orbis Regnis, & Provinciis reperiuntur extranei, ad naturalitatem, Cathedras Magistrales, officia, & legationes admissi.*
17 *Referuntur verba Augustini Steuchi, de liberalitate Romæ favore extraneorum.*
18 *Estnè ullus magnus Principatus, in quo extranei non regnaverint? Romani Imperii, & plurium Regnorum dantur exempla.*
19 *Si expedit bono publico sic exteros civili humanitate prosequi, ut & Regna valeant*

leant adipisci, cur regimen ecclesiasticum eos non admittet?

20 *Martinus* V. *in dedecus Polonorum esse dixit edictum repellens à beneficiis extraneos.*

21 *In praxi pauca sunt beneficia, quæ in unaquaque Diœcesi ad manus extraneorum perveniunt.*

22 *Beneficiorum, quæ ab extraneis possidentur, cum ijs, quæ Clerici illius Diœcesis alibi accipiunt, fit congrua compensatio.*

23 *Non gravatur habens decem beneficia, si unum; & habens quinquaginta, si duo, ad mandatum Pontificis impertiatur.*

24 *Vi primarum precum, Imperator non gravat collatorem, habentem quatuor beneficia, si unum ad sui nutum faciat impertiri.*

25 *Fit etiam compensatio inter beneficiarios, quia Clerici vicissim, unus in Diœcesi alterius, beneficia solet adipisci.*

26 *Utile est superioribus posse beneficia viris aliundè accitis præbere, quia Rectores populorum omnibus placere non possunt.*

27 *Beneficia non sunt conferenda Clericis immeritis, sed & non sunt impediendi cuncti Clerici, quin ea possint alibi adipisci.*

28 *Est ergo utile subditis posse in alienis partibus beneficia consequi, si forte illa consequi diffidunt in patriâ.*

29 *Cunctæ Ecclesiæ debent civili, ac sacrâ charitate sibi invicem opitulari. Favet his textus Concilii Carthaginensis* III.

30 *Nec de solis superfluis, sed etiam de non superfluis, Ecclesię debent sibi vicissim opitulari.*

31 *Liberum est cuilibet Episcopo proprium Clericum alieno Antistiti concedere, ratione mutuæ charitatis Ecclesiarum.*

32 *Quæ charitatis lex non habet locum in solo casu necessitatis, sed etiam extra illum, quoties opportunum sit eâ uti.*

33 *Qui hanc legem charitatis non admittunt, excludentur vicissim à subsidiis alienarum Ecclesiarum.*

34 *Si non possent beneficia conferri etiam extraneis, sequeretur quod Ecclesia non haberet integrum dominium administrativum suorum bonorum.*

35 *Bona Ecclesiæ administrabant olim Episcopi per Presbyteros, Diaconos, vel Archidiaconos, & Oeconomos, juxtà Concilium Gangrense, & Chalcedonense.*

36 *Ex Conciliis Toletano* III., *&* IV. *Aurelianensi* I., *& Cabilonensi, dominium administrativum bonorum Ecclesię pertinet ad Episcopum.*

37 *Præter dominium particulare administrativum bonorum Ecclesiæ, spectans ad Episcopos, adest eorum dominium generale, & supremum in Pontifice.*

38 *A Papa omnia orbis beneficia ordinari possunt, & cur?*

39 *Potestas disponendi de beneficiis, est vel apud Episcopos, vel apud Papam. Quid de jure patronatus, de jure primarum precum &c.*

40 *Dominium administrativum, residens in collatoribus beneficiorum, vel ad ea nominatoribus, exigit, ut ipsa valeant cunctis concedi.*

41 *Sicut Patrono liberum est præsentare ad beneficia virum extraneum, ità & multo magis, id facere potest Collator.*

42 *Subtractio libertatis Ecclesiæ, nè beneficia conferre possit extraneis, eam quoquè demit laicis, beneficiorum patronis.*

43 *Roma est patria omnium communis, & Romana Ecclesia est mater omnium fidelium, atque Ecclesiarum.*

44 *Sicut extraneis ad beneficia in Romana Ecclesia patet aditus; ità & Clerici Romanæ Ecclesiæ ad beneficia debent alibi admitti.*

45 *Politicè non expedit, viros extraneos à beneficiis, & dignitatibus Romanæ Ecclesiæ repelli, qui usque ad Papatum pervenire ibi possunt.*

46 *Hæc ratio, tametsi in recto tangat solam Romanam Ecclesiam; in obliquo tamèn concernit etiam cæteras, quarum Romana est exemplar.*

I DI-

1. DIximus in fine Capituli præcedentis, multas esse rationes, suadentes, magis expedire, quod beneficia ecclesiastica solis indigenis conferantur, totidemque vice versa inveniri, nec minoris momenti, quæ suadent, melius esse, quod ipsa beneficia solis extraneis dispensentur: inter quas rationum extramitates nos amplectimur alias, mediâ viâ incedentes, quæ suggerunt, bonum esse, ut beneficia promiscuè distribuantur tàm indigenis, quàm etiam extraneis, prout Collatorum, vel Præsentatorum prudentia, juxta varias locorum, personarum, ac temporum circumstantias iudicaverit expedire. Et quià prudentia in agendis optimum operandi ordinem præbet, in casibus practicis observandum, qui alio nomine in rebus publicis, & regiminibus objectivè politia dici potest, & in rebus ecclesiasticis, *politia ecclesiastica* nuncupatur, utile hìc esse censemus intueri, an politicè loquendo expediat, Ecclesiam integrâ libertate potiri sacras præbendas, non modo clericis indigenis, verum etiam extraneis dispensandi. Expedireque sine ambiguitate affirmamus, proptèr multas rationes, quarum octo hìc successivè subnectimus.

2. Itaque *Prima ratio* desumitur ex eo, quod politicè loquendo interest Papæ, interest Episcoporum, interest omnium, sivè ecclesiasticorum, sivè laicorum, ad quos spectat præbendas ecclesiasticas, atque sacra beneficia conferre, sivè ad illa nominare, eorum inquam interest ipsa posse, prò suo libito, & facultate, tàm clericis extraneis, quàm indigenis elargiri. Nàm saltèm quantùm spectat ad altiores Ecclesiæ ministros, quales sunt Papa, Præsules, & Episcopi, aliique in beneficiorum collatione, sivè ad illa nominatione, præclariores; certum est, quòd neque Papæ concessum est totam Ecclesiam, suæ curæ cœlitus commissam, ex se ipso immediatè regere, neque Episcopo totam suam diœcesim ex se ipso immediatè gubernare. Sicut neque Imperatori, neque Regi datum est totum suum Imperium, aut Regnum, cui præest, ex se ipso immediatè dirigere; sed omnes indigent adjutoribus, quorum ope valeant ditionem sibi subditam moderari, & qui cum illo, tamquam membra capiti adjecta, vel tamquàm unus homo, ex multis constans hominibus, *fiant in unum collati, quasi homo unus, qui multos pedes habeat, multas manus, multosque sensus*, ut non minùs politicè, quàm moralitèr, declamavit Sanctus Chrysostomus (*a*). Et quatenùs etiàm per quandam hypothesim aliqui, vel aliquando Magnates, omnia possent ex se ipsis obire, tamen prudentialitèr, & politicè, non illud facere debent: memores communis odii, quod in se concitavit Timesiús, vir alioquin politicus apud Plutarchum; *quià omnia per se ipsum agere voluit* (*b*). Hoc etenim naturalitèr evenire solet, ut hominum regimen sine odiositate, vel non, vel vix compleri possit, ideòque præstat, ut Superior adjutores habeat, qui & in actibus populo gratis ei præstò sint; & in odiosis successibus, vel totum odium in se suscipiant, vel illud saltem cùm Superiore dimidient.

3. Hanc necessitatem agnovit Moyses, vir in omnibus magnus, & in politicis nulli secundus, quandò, Antistitis simul, & Principis officio, apud Hebræos perfungens, ità est Dominum allocutus, *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quià gravis est mihi. Sin alitèr tibi videtur, obsecro ut interficias mè, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Et dixit Dominus ad Moysen: congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod Senes populi sunt, & Magistri, & duces eos ad Ostium tabernaculi fœderis, facìesque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris* (*c*). Igitùr adiutoribus indigent rectores populorum, ut munere suo ritè possint perfungi, & ut politici regiminis officia congruè valeant adimplere: nec adiutoribus qualibuscumque, sed adiutoribus piis, doctis, fidelibus, ad munia sibi demandata satis idoneis, & prò modo humanæ conditionis eximiis: quippè *adornamentum palatii pertinet aptas dignitatibus personas eligere, quià de claritate servientium crescit fama Dominorum*, inquit aureus Cassiodorus (*d*). Viros autèm hujusmodi officiis, dignitatibus,

(a) *S. Joan. Chrisost. hom. de ferend. reprehens.*

(b) *Plutarc. in præcept. polit.*

(c) *Numer. 11. 14.*

(d) *Cassiod. l. 4. epi. 3.*

bus, negotiis probè agendis idoneos, non semper habent Præsules, & Episcopi in sua propriâ, & immediatâ ditione, vel si habent intrà suas ditiones, quandoque extrà eas meliores reperiunt, qui prò circumstantiis loci, temporis, & officii sunt magìs idonei: oportet ergò ut illos hinc indè conquirant, & inventos mediis congruis ad se trahant.

4. Medium autem præcipuum, quo alliciuntur homines ad officia apud Papam, & Antistes exercenda, sivè ad assidua, & fidelia illis ministeria exhibenda; est præmium, sine quo, inquit Cicero, *nec domus, nec respublica ratione quadam, & disciplinâ designata videtur, si in ea nec rectè factis præmia extent ulla, nec supplicia peccatis* (a). Et generalitèr observatum est apud Livium, non nisi eo *impendi laborem, ac periculum, undè bonos, atque emolumentum speretur* (b). Præmia autem quomodò adjutoribus poterit Pontifex, poterit Episcopus, quomodò poterunt apud se officia exercentibus impertiri; si libertate careant beneficia clericis extraneis elargiendi? De præmio benemeritis conferendo, loquens Seneca, ait, *meliùs beneficiis Imperium custoditur, quàm armis* (c): Quo loco licet verbum *beneficiis* prò actibus beneficentiæ, non prò præbendis ecclesiasticis intelligat Philosophus ille moralis; tamèn eadem ratio est prò illis, ac prò istis. Verùm si nec Papa, nec Præsules, & Episcopi libertate potiuntur beneficia extraneis concedendi, ægrè poterunt Imperium proprium custodire, quià difficultèr poterunt condigna præmia viris benemerentibus impertiri. Si beneficia ecclesiastica clericis, si commendas militares, quæ & ipsæ præbendæ ecclesiasticæ sunt (d); bellatoribus extraneis non valent Papa, Imperator, Reges, Episcopi, qua collatione, qua nominatione largiri; undè nàm præmia suscipient, quæ respectivè rependant, *bellorum sociis, periculorum consortibus, & de se in togâ benemerentibus* (e)? Hoc medio sublato non nisi ad ærarium recurri potest: At sufficietne tantis expensis ærarium Pontificium, Imperiale, Regale, Episcopale? Profectò non: nisi quod in mercede extraneis eroganda exhauritur; per scelera suppleatur, quemadmodùm Cæsar, ut præmia militibus, ad sua signa vocatis, largiretur; æs non habens, *fana, Templaque Deûm donis referta expilavit, urbes diripuit, sæpiùs ob prædam, quam ob delictum* (f).

(a) Cicer. de Nat. Deor. lib 5.
(b) Liv. dec. 1. l. 4.
(c) Senec. de Brevit. Vitæ.
(d) Garcia de Benef. p. 1. c. 4. n. 1. Barbos. Jur. Eccl. Univ. lib. 3. cap. 7. num. 3.
(e) Plin. in Panegir.
(f) Sveton. in Cæsar. cap. 54.

5. Et quod dicitur de Summo Pontifice, Imperatore, Regibus, & Episcopis, Collatoribus beneficiorum, vel respectivè nominatoribus ad illa; proportionalitèr etiàm verificatur de Abbatibus, Archidiaconis, & aliis clericis, ac laicis inferioribus, quibus competit beneficia pleno, vel delegato jure conferre, aut ad ea respectivè, patronatus titulo, nominare: quippè hi, sivè habeant territorium regendum, sivè solam propriam familiam moderandam (quatenùs quælibet familia est parva respublica, sivè regnum: & quodlibet regnum, vel respublica, est magna familia) eodem modò, sub congruâ semper proportione, indigent libertate concedendi, pro eorum arbitrio, beneficia, ad se spectantia, non secùs ac illâ indigeant Papa, Imperator, Reges, & Episcopi. Quâ igitùr ratione horum, & sub congrua proportione, omnium, ad quos spectat beneficia conferre, vel ad illa nominare, interest posse extraneos ad se trahere, ut ab illis opitulationem, & ministerium habeant opportunum; eâdem ratione illorum interest, posse beneficia non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri: neri etenim quisque potest, non illi defuturos fidos ministros, & opportunos adjutores, donèc non defuerit libertas, eos hìnc indè, per loca extranea conquirendi, & conquisitos pro gradu benemerentiæ, præbendis, & retributionibus congruis munerandi: sub quâ spe accersiti, *nihil non aggressuri sunt homines*, inquit Livius, *si magna conantibus, magna præmia proponantur* (g).

6. Hinc opinio Contradictorum, quæ in eo incumbit, ut clericos extraneos à beneficiorum consecutione repellat, est *novandis, quàm gerendis rebus aptior*, ut inquiebat Curtius (h). *Suadetque bona Principi, sed non benè*, quià ei tollit medium magis opportunum, ad præmia sibi ministrantibus conferenda, & ad hono-

(g) Liv. dec. 1. l. 4.
(h) Quint. Curt. l. 4.

rcs,

res, atque utilitates viris de se benemerentibus impertiendas: Si quis autem, inquit Demosthenes (*a*), *honores, & præmia benemeritorum tollat, ipse nihil boni facit*: sed potiùs proprium Principem prodit, & rempublicam in discrimen adducit: tùm & hanc bonorum hominum adjutorio privat, & bonos homines spe mercedis, quàm promervere, defraudat, atque ità non publicum bonum promovet, sed invertit. Nec dicatur, quod conatus Contradictorum eo tantùm tendit, ut Papæ adimat libertatem, de qua est sermo, non verò Imperatori, Regibus, & Episcopis, aliisque beneficiorum collatoribus, vel ad ea respectivè nominatoribus; quippè est adeò connexa horum omnium causa, ut non possit præfata libertas detrahi Papæ, quin detrahatur etiàm Imperatori, Regibus, & Episcopis, aliisque collatoribus, & nominatoribus præmemoratis, nec viceversa.

(a) *Demost. in orat. ad leptin.*

7. Et ratio est, quià tota facultas beneficia conferendi, vel ad ea nominandi, suam originem suscipit à Pontifice, ab eoque, tamquàm à suo fonte scaturit (*b*), sive immediatè per privilegia particularia clericis, aùt laicis ad conferendum, vel nominandum collata: sive mediatè, per juris dispositionem, eandem facultatem clericis, aùt laicis impertientem; talitèr tamen, ut hæc quoquè dispositio à Pontifice, tamquàm à radice prosiliat: quippè Jus Canonicum non est Jus, nisi in quantùm à Pontifice sortitur auctoritatem publicam faciendæ legis. Quarè sentiunt canonistę, quod Episcopi, & alii beneficiorum collatores, in hoc sint veluti vices tenentes Pontificis (*c*): Et quod Principes quoque, beneficia dispensantes, nil aliud sint nisi organum Papæ, explicativum voluntatis illius (*d*), quod & respectivè locum habet etiàm in beneficiorum patronis. Non potest autem esse major libertas in clerico, vel laico, mediatè, vel immediatè per Pontificem stipato potestate beneficia conferendi, vel ad ea nominandi, quàm sit in ipso Pontifice; & ità non potest huic detrahi libertas, beneficia extraneis conferendi, quìn abscindatur & illis. Stat igitùr nostra sententia: & corruit opinio Contradictorum: probatoque per nos, quod per exclusionem extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis detrahitur Collatoribus, & Nominatoribus ad ea, libertas accersendi sibi viros fidos, & idoneos, quorum ministerio in suis opportunitatibus utantur, quodque hoc resultat in maximum illorum damnum, & incommodum; jàm satis probatum remanet, quod politicè expedit, liberum, & licitum esse Ecclesię, illiusque ministris, quicumque illi sint, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, ut ecclesiastica beneficia possint, non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

(b) *Gonzal. ad regul. 8. Cancel. §. 1. proem. n. 3. 4. 6. 9. &c.*

(c) *Gonzal. loc. cit, cum aliis ab eo alleg.*

(d) *Cardin. de Luca de Benef. disc. 9. n. 13.*

8. *Secunda Ratio* desumitur ex utilitate, quam experiuntur Pontifex, Imperator, Reges, & Episcopi &c. ex ministerio sibi per extraneos attributo: estque consentanea rationi mox allegatæ. Certum est etenim, quod nonnunquam eisdem fideliùs, & majori assiduitate deservitur per extraneos, quàm per indigenas, & regimen Ecclesiæ, Imperii, Regni, Diœcesis &c. meliùs per eos, qui aliundè nati sunt, expeditur, quàm per nativos. Non quod etiàm concivium ministerium non sit utile, sed quod ut plurimùm utilius est exhibitum ab extraneis. Et primò, quantùm ad honorificentiam superioris sustinendam, non ambigimus prodesse famulatum viri extranei, tamquàm qui non est cum subditis implicatus, nec quid commune habet cum populo, ut plurimum superioribus, quibus parere debet, infenso: *omni enim populo inest malignum quiddam, & querulum in imperantes*, ait Plutarchus (*e*). Et quotidiè oculis intuemur, apud extraneos, vel ab extraneis, summoperè honorificari eum, qui apud populum nativum despectui, & probro est. Nec proficit exigere à Superiore, ut talitèr suum regimen instituat; quod cunctis universalitèr placeat: Nâm, vel non datur hęc ars, vel certè non datur Artifex, & si fortè res theoricè voto respondet; profectò practicè non arridet: pluribus namque placere difficile; omnibus impossibile: *& quamvìs id agas, ut nè quis meritò te oderit; erunt tamèn semper, qui oderint*, inquit Seneca (*f*). Cum honor ergò, & majestas Superioris magis apùd extraneos, quàm apùd indigenas pre-

(e) *Plutar. in Polit. Lips. in polit. l. 4. c. 11.*

(f) *Senec. de provid.*

pretium habeat, utiliùs est superiori extraneos, quàm indigenas in ministerium habere, nisi in casibus, & circumstantiis particularibus, aliæ rationes concurrant, oppositum suggerentes.

9. Quoàd Magistratus, tàm ecclesiasticos, quàm sæculares idem judicium est; nàm pluries sacræ leges decreverunt, Vicarios Generales Episcoporum debere esse extraneos (*a*), quia alitèr propter consanguinitates, & affinitates, familiaritates, & aliàs adnexiones, possunt facillimè, vel à justitiæ tramite declinare, vel se reddere partibus in justitiæ administratione suspectos (*b*). De aliis officiis, & Magistratibus laicis, audiendus est Gomez ad regulas Cancellariæ, ità egregiè proloquens. *Judex ejusdem nationis, cujus est Actor, à reo convento recusari potest, ut in cap. accedens el. 2. ibi de terra uxoris suæ oriundus: Ut lite non contest. quià eadem natio inducit suspicionem, ut dicit Abbas in cap. postremo col. fin. de appel. Hinc voluit Franc. Patritius lib. 3. de instit. reipublicæ tit. 2. Magistratus populis peregrinos, & non cives dari debere, quià non solent peregrini in administrandâ justitiâ esse clementes, sicut cives, qui si non facilè indulgent, concivibus, odia, & capitales inimicitiæ oriuntur, quæ plerumque maxima scandala in republicâ pariunt. Quamobrem præclarè actum arbitror apud Hispanos Regni Castellæ, qui ad regendas provincias lege antiquâ mittunt alienigenas, sivè alteriùs civitatis cives, quod idem apud Francos fieri debere, Philippus Pulcher, ac Carolus V. Francorum Reges, statuerunt, ut latiùs prosequitur egregius moder. Gulielm. Benedicti in repet. cap. Raynutius in verb. uxorem nomine Adelasiam nu. 1050. cum sequ. de Test. quod institutum plerique Italiæ populi etiàm hodiè servans, aliundè Magistratus perquirentes: pro quibus facit l. fin. C. de sacr. & lib. 3. C. de divers. Offic. & appar. Judic. libr. 12. quas quidem sanctissimas observationes si Regna Valentiæ observare curassent, non tantis intestinis civium discordiis, & crassandi licentiâ respublica abundaret. Nàm cum intèr concives ejusdem linguæ sit à natura data quædam morum similitudo, facilè unus alteri indulget, & in malefactis connivet, cum speret easdem sibi vices reddi. Et ità Valentiæ justitia ad complacentiam ministratur. Bona est igitùr hoc casu exterorum Judicum promotio, qui non dulci amore patriæ, non spe, ut sibi paria reddantur, sed ex debitâ juris severitate justitiam prosequuntur* (*c*).

10. In militaribus quoquè rebus, uti bellatoribus extraneis, multùm proficit causæ publicæ, de quâ Tacitus, *nil validum in exercitibus, nisi quod extraneum* (*d*), & sæpè visum est, magnos Duces, tunc magis, quando externis, vel extraneorum militum phalangibus constipati sunt, prævaluisse ad victoriam, quod innuit Virgilius, dum cecinit, *classem conscendit jussis gens Lydia Divûm, externo comissa duci* (*e*), & Ovidius, *auget uterque suas externo robore vires* (*f*). Scimus tamen non deesse rationes, quibus suadetur, etiàm indigenas optimè regere Magistratus, tùm judiciales, tùm militares; quas legere est apùd Cassaneum in cathal. gloriæ mundi (*g*), sed cernimus in praxi, penè à cunctis principibus servari, ut in Judices non præficiant eos, qui in eodem loco nati sunt, & in rebus militaribus libentèr utantur tàm Ducibus, quàm militibus extraneis, prout opportunitas, & rerum contingentia suggerit esse utiliùs. Si autèm in judicialibus, tàm ecclesiasticis, quàm sæcularibus; si in rebus militaribus, præfecturæ dari solent extraneis, vel libentiùs, vel saltèm æque libentèr, ac indigenis, eccur etiàm beneficia ecclesiastica non porrigenda sunt promiscuè, tàm clericis extraneis, quàm indigenis, prout rerum contingentia largitori suggerit expedire? Non loquimur, quod beneficia curâ animarum prædita, debeant talibus extraneis conferri, qui linguam populi ignorent, à se regendi; alibi enim fusiùs ostendemus, & nunc asserimus, hęc non nisi viris, idiomatis populi, per eos gubernandi, peritis, esse tradenda, ut ovile sibi commissum congruè valeant in viâ Domini dirigere, & bonis instructionibus imbuere, Sacramenta illis ministrare, prædicare, & alia facere, quæ ad animarum rectorem pertinet deligentèr obire.

11. Quam-

(a) *S.Congr. in Tragur. 3. Sept. 1602. & in Messinen. 23. Julii 1603.*
(b) *S.Congr. in Senogal. 10. Febr. 1698. in Sutrin. 16. Novem. 1640. Hieron. Nicol. Flosc. V. Vicarius n. 30*
(c) *Gomez ad regul. Canc. regul. de idiom. quæst. 1.*
(d) *Tacit ap Lipsium de Magnit. Roman. l. 2. cap. 7.*
(e) *Virgil Eneid. l. 10 f. 360. n. 28.*
(f) *Ovid. 14. Metamorphos. 91.*
(g) *Barthol Cassan. part. 11. consid. 22.*

11. Quamquàm & supèr hoc, justis intervenientibus causis, per summum Pontificem dispensetur (*a*): ponitque Rebuffus formulam, quæ solet in hujusmodi dispensationibus adhiberi (*b*): Et in Regno Neapolitano is defectus idiomatis, saltèm vernaculi, non attenditur in Episcopatibus, & aliis beneficiis patronatus Regii: talitèr ut etiàm reluctantes Regnicolæ vix tandèm hoc potuerint obtinere, *ut Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiæ, Prioratus, Canonicatus, præbendæ, & cætera beneficia, quæcumque, spectantes, & spectantia ad collationem, seù nominationem, & præsentationem Regiæ Majestatis, conferantur prò medietate Regnicolis, prò alia ad beneplacitum, & cum vacaverint, alternatim provideantur, prout servatur in Regno Siciliæ ultrà Pharum* (*c*). Quæ certè nec Papa, nec Rex facere possent, si juri divino, & naturali obsisteret extraneorum promotio ad Ecclesiastica beneficia, prout prętendunt Contradictores. Sed quià utrique cognoscunt, bono Ecclesiæ, & respectivè Regni regimini expedire, ut aliquando beneficia possint extraneis dispensari; id ad effectum, prò eorum prudentiâ, & rationabilitate, perducunt. Itaque ex hac ratione duo emergunt, primò, quod sicut alia munia, sivè Ecclesiastica, sivè sæcularia, possunt per eorum dispensatores extraneis quoque distribui; ità etiàm politicè expedit, ut & beneficia Ecclesiastica eisdem concedi valeant. Secundò, quod sicut in aliis officiis, tùm Ecclesiasticis, tùm Sæcularibus, proficit superioribus posse ministrantes sibi extraneos adhibere, quos fideliores, aptiores, & magis opportunos esse cognoscunt; ità etiàm politicè illis proficit posse extraneos beneficiis sacris præficere, vel respectivè ad ea præsentare: & quià quod de Papa, Imperatore, Regibus, & Episcopis, ac generalitèr de omnibus superioribus dicitur, servatâ proportione, etiàm de aliis inferioribus verificatur, quorum est beneficia conferre, vel ad illa præsentare; sequitur quod sub hac politica ratione expedit, ut liberum, & licitum sit Ecclesiæ, illiusque Ministris, posse, beneficia non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

12. *Tertia Ratio* desumitur ex sociali humanitate, quà justum est unamquamque Rempublicam viros extraneos favoribus prosequi, & advenas ad se accedentes, vel alitèr benemerentes, complecti. De eâ Cassiodorus sic loquitur, *pietate plenum est peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, & non tantùm compatriotas ad substantiæ lucra admittere, quantùm ipsos quoquè advenas invitare* (*d*). *Athenienses*, quibus prò lege fuit peregrinis hominibus jura civitatis negare (*e*), attamèn eos, qui vel exilio à propriâ patriâ recedebant, vel Athenas exercendæ suæ artis gratiâ commigrabant, in civitatem recipiendos esse, Solon eorum legislator sancivit (*f*): & cum civibus virtute præstantibus non carerent, exterorum tamen etiàm usum, dum id sibi proficeret, admittebant. Hinc aliquandò Apollodorum Cizicenum (*g*), aliquandò Heraclidem Clazomenium (*h*), aliquandò alios extraneos Imperatores suis exercitibus prefecerunt. Ipsi Philippum Macedonem (*i*), & Cotyn Regem (*l*), & Erichthæum Ægyptium civitate donarunt (*m*), & Diepten quoque civem simùl, ac Regem suum fecerunt (*n*), omnes extraneos. Cumque mutatâ formâ regiminis, extraneos à se repellere condixissent, de illis, æquè, ac de Lacedemoniis, Claudius Cæsar scitissimè pronuntiavit, nihil magis utrorumque reipublicæ exitiale fuisse, quàm quod in societatem civitatis recipere detractassent, quos in prælio fractos, armis victricibus subegissent (*o*). *Cretenses* quoquè benignè peregrinos prosequebantur hospitio, & ad magistratus etiàm gerendos, vel accedentes admittebant, vel alibi commorantes accibant (*p*). Ità & ab aliis populis factitatum esse legitur in historiis, quarum congerie ne lectorem oneremus, prò multis valeant, quæ de Romanorum disciplinâ apud Historicos recensentur.

13. *Romani* in admittendis extraneis liberalissimi fuerunt, & celebriores, majorisque nominis viros, qui in eorum republicâ floruerunt, nemo nescit ut plurimùm aliundè ortum traxisse. Marcus Portius Cato fuit genere Tusculanus (*q*): Vi-

(a) *Ludov. Gomez ad Reg. Cancel. de Idiomat quæst. 7.*
(b) *Rebuff. ad Reg. Cancellar gl. 2. n. 14. & 15.*
(c) *Scipio. Rovit. in Pragmat. Regni de offic. provis. pragmat. 1. f. 277.*
(d) *Cassiod. l. 5. ep. 9.*
(e) *Alex. de Alexan. genial l. 4. c. 10.*
(f) *Plutarch. in Solone.*
(g) *Ælian. l. 14. var. hist.*
(h) *Ælian. loc. cit.*
(i) *Plutar. in Philip. Maced.*
(l) *Valer. Max. lib. 3 cap. 7.*
(m) *Diodor. Sicul. l. 1. cap. 2.*
(n) *Diodor. loc. cit.*
(o) *Theatr. Vit. hum. antiq. edit. vol. 25 l. 2. f. 4243.*
(p) *Heracl. de politiis ap. Theatr. Vit. human. loc. cit. vol. 1. lib. 1 f. 47.*
(q) *Plin. 2. de Vir Illust. in Por. Caton.*

Viriatus ex Lusitaniâ prodivit (*a*): Cajum Marium (*b*), & Marcum Tullium Ciceronem, Arpinates progenitores Urbi dederunt (*c*): Sexti Roscii Ameria, Sertorij Nursia patria fuit: Seneca in Hispania; Virgilius Mantuæ: Catullus Veronæ: Titus Livius Patavii: Ovidius apud Sulmonam ortum habuerunt, & sic de aliis, quos longum esset referre. Sanè Cajo Ælio, & Cajo Fabricio extraneis, nonnè Romani statuam publicam erexerunt (*d*)? Consulatum, qui *fastigium quoddam honorum, & omnium propè actionum in Republicâ consummatio* à Plutarcho vocatus est (*e*); nonnè infinitis extraneis contulerunt? Triumphum M. Perpennæ Græco, qui Aristonicum Gallorum Regem subegit (*f*); L. Cornelio Balbo Gaditano, qui Garamantes vicit (*g*); Ventidio Basso Piceno, qui Parthos prælio superavit (*h*), & aliis, qui alios populos domuerunt, Romani liberalissimè concesserunt. Quid plura! Ubi nam majori numero ad supremam reipublicæ dignitatem admissi sunt extranei, quàm Romæ? De Imperio loquimur, quod Vespasianus è Reatinis partibus est assecutus (*i*): Nerva Coccejus Narniensis (*l*): Ulpius Trajanus Hispanus (*m*); Severus, & Albinus Afri (*n*): Didius Julianus Mediolanensis (*o*): Antoninus Caracalla Lugdunensis (*p*): Carus, & Numerianus Narbonenses (*q*): Philippus Bostrensis (*r*): Claudius, & Quintillius ex Illyrico (*s*): Commodus ex Lanuvio (*t*); Alexander ex Syriâ (*u*): Constantius Clorus ex Dardaniâ (*x*); Heliogabalus ex Assyriâ (*y*): Magnentius ex Galliâ (*z*): Maximinus ex Gothiâ (*aa*): Emilianus ex Mauritaniâ (*bb*): Gratianus ex Syrmio (*cc*): Valentinianus ex Cibalâ (*dd*): Jovvianus ex Pannoniâ (*ee*): & alii aliundè nati, quos Romanorum Urbs, & Senatus, vel elegit, vel respectivè alitèr electos recognovit, & approbavit, ac tamquam Principes honoravit.

14. Omittimus infinitos alios ad Dictaturam, Imperium, Consulatum, Proconsulatum, Tribunatum, Prefecturam, Quæstoratum, Ædilitatem, Censoratum, Decemviratum, Auguratum, &c. quæ dignitates Romanæ Reipublicæ erant (*ff*), admissos, quantumcùmque hac illac, extrà Urbem exortos. Omittimus permultos, qui quandòque fuerunt Senatorum albo conscripti, tametsì Romam nunquàm vidissent (*gg*). Omittimus Perpennam premmemoratam Consulatus honore decoratum, priùsquam civis Romanus effectus esset (*hh*): Nec quidquam profuisse legem Papiam de extraneis tepellendis, quippe illam Aurelianus Cæsar, uti vanissimam abrogavit (*ii*): *Anco regnante*, inquit Livius, *Lucumo Demarati Corinthii filius, ob seditiones domo profugi, vir impiger, ac divitiis potens, Romam commigravit, cupidine maximè, ac spe magni honoris, &c. Romam Lucumo petiit, ubi omnis repentina, atque ex virtute nobilitas sit regnasse ibi Tatium Sabinum; accersitum in Regnum Numam à Curibus, & Aneum Sabinâ Matre ortum, nobilemque una imagine Numæ esse* (*ll*): Et infrà describens diligentiam Tarquinii prò Regno obtinendo, sic illum proloquentem inducit, *se non rem novam petere, quippè qui non primus, quod quisquam indignari, mirarivè posset, sed tertius Romæ peregrinus Regnum affectet: Et Tatium non ex peregrino solùm, sed etiàm ex hoste Regem factum: & Numam ignarum Urbis, non petentem, in Regnum ultrò accitum &c.* tùm subdit: *Hæc eum, haud falsa memorantem, ingenti consensu Populus Romanus regnare jussit* (*mm*); Undè vides Romanam Rempublicam, usque à suis initiis, & successivè id in more habuisse; ut lubens extraneos amplecteretur, & ad suos Magistratus admitteret, etiàm ad Regnum, & etiàm ad Imperium, de quo Dio in Nervâ, *Trajanus, quamquam Nervæ propinqui non deerant, Cæsar, ac posteà Imperator factus est. Nec enim ille conjunctionem sanguinis antepofuit publicæ utilitati, nequè rursum eum deterruit, quod Trajanus homo Hispanus, nec Italus erat, nec Italicus, quodquè ante eum nemo alteriùs nationis Imperium Romanorum obtinuerat. Censebat enim virtutem cujusque, non patriam existimari, & ponderari oportere* (*nn*).

15. Porrò Romani eò usque in admittendis extraneis processere, ut ad Urbem familiæ integræ, Oppida, & Civitates, patriâ desolatâ, transirent, quâ de re-

do-

(a) *Idem in Viriato.*
(b) *Idem in C. Mario.*
(c) *Cicer. pro leg. Agrar.*
(d) *Plin. l. 34. c. 6.*
(e) *Plutar. ap. Forest. to. 2. l. 15. f. 8.*
(f) *Val. Maxim. ap. Theatr. vit. hum. vol. l. 4 f. 753.*
(g) *Plin. l. 5. c. 5. & l. 7. cap. 43.*
(h) *Cælius l. 12. c. 8.*
(i) *Sueton. in Vespas.*
(l) *Onuphr. Panvin. Rom. Princ. in Nerva.*
(m) *Dio in Nerva.*
(n) *Jo: Bapt. Egnat. in Septim. Sever.*
(o) *Egnat. Rom. Princ l. 1. in Did. Julian.*
(p) *Onuphr. Panvin. Rom. Princ. in Caracal.*
(q) *Egnat. & Forest. in Caro.*
(r) *Panv. in Philip. l. 1. cap 40.*
(s) *Idem in Claud. & Quintil.*
(t) *Idem in Commodo l. 1. n. 19.*
(u) *Idem in Alexan. l. 1. num. 20.*
(x) *Panv. Rom. Princ. l. 1. nu. 73. in Constant. Cloro.*
(y) *Egnat. in Heliogabal.*
(z) *Panvin. in Magnentio.*
(aa) *Jornandes in Gethicis c. 15. Marquard. Treberius in not. ad Petr. de Andla de Imperio ad l. 3. c. 3 f. 168.*
(bb) *Jo: Bapt. Egnat. in Emiliano.*
(cc) *Panv. Rom. Princ n 85. l. 1.*
(dd) *Idem loc. citat. num. 82.*
(ee) *Egnat. in Jovviano.*
(ff) *Alexand. à Turre de Fulg. radio lib 4. rad 18.*
(gg) *Theatr. Vit. hum. antiq. edit. vol. 28. l. 2. f. 3243 § Claudius.*
(hh) *Valer. Max. l. 3 c. 4. Alex. genial. lib. 4. cap 22.*
(ii) *Vopisc in Aurelian.*
(ll) *Tit. Liv. l. 1. f. 8.*
(mm) *Idem loc. cit. fol. 9.*
(nn) *Dio Nicæus in Nerva.*

doluerunt legati ex Sardiniâ, & Istriâ, Romam transmissi, ut exponerent, *cives suos Romæ censitos, plerosque Romam commigrasse, quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, ut deserta oppida, deserti agri nullum militem dare possent. Lex sociis, ac nominis Latini, qui stirpem ex se se domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent &c. Posteà his quoquè imaginibus juris spretis, promiscuè sinè lege, sinè stirpe, in civitatem Romanam per migrationem, & censum transibant. Hæc nè posteà fierent petebant Legati &c.* usque hùc Livius (*a*). Nec solùm Alienigenis Romana Urbs tradebatur, sed etiàm paulatim jus civitatis cunctis Italis datum est, quod posteà usque ad omnes Gallos cisalpinos, & ad fines Venetos est, Strabone teste, prostensum (*b*), & successivè jus ipsum civitatis Romanæ cunctis Provinciis, Romano Imperio subjectis, communicatum est, adeò ut jàm prò Barbaris, saltèm ut plurimum non haberentur, nisi quos Romanum non complecteretur Imperium. Et hic est sensus Herodiani, Spartani, Eutropii, aliorumque recentiorum, cum in suis historiis de Barbaris sunt locuti (*c*). Nèc hujusmodi extraneis nudum Civitatis jus, & merè honorarium civium nomen est inditum, sed etiàm res significata per nomen: Officia, opes, subsidia prò temporum ratione, & prò personarum capacitate collata: in gloriam, & decùs proprium vertente Republicâ, quod hæc alienigenis liberalitèr impertiret: quâ de re Tullius, *Homines externos non egere, ornamento est Reipublicæ* (*d*).

(a) *Liv.lib.4.f.346.*

(b) *Theatr.Vit.hum. loco mox citando.*

(c) *Theatr.Vit.hum. antiq. impref. vol. 18. l.2.f.4343.&.Clau:iux.*

(d) *Cicer. de Offic. l.2. 94.*

16. De Romanæ Urbis, atque illius dominatus Imperio, ità quondam egregiè scripsit Augustinus Steuchus Eugubinus: *Est hoc regnum, ut omnium sanctissimum, sic omnium nobilissimum, plenum charitatis, commune totius Christianæ gentis patrimonium, in quo cum omnes gentes, provinciæque omnes, & Urbes, omnesque familiæ, ut sæcula tulerunt præfuerint, ac præesse possint, jure dici potest regnum cunctarum gentium, ad quod nemo ferè non aspirare possit, placidissimum sinum cunctis aperiens, humiles in altissimum gradum extollens, ob quod nemo desperes, quin dari possit facultas ei fore ut aliquandò sit Rex. Nàm in reliquis Regnis quis aliquandò se Regem futurum, nisi sit è stirpe Regia speraverit? Hoc Regnum modò Hispani modò Germani, nunc Galli, nunc Itali tenuerunt, ipse Senatus ex omnibus gentibus constat. Tota denique ipsa Civitas ex omni natione, quæ cælo subest, conflata est, ut meritò possit appellari patria omnium gentium, Urbs omnium Christianorum, in qua sint domicilia cunctarum Nationum, omnesque ad ipsas supremas civitatis dignitates omnibus præmiâ sint proposita, nec minùs provehantur humiles, abiectioresque, quam Proceres, ac Principes, cum sit patrimonium omnium gentium, cum neminem à suis dignitatibus excludas, cum opes hæ non sint ullius privatę familiæ, sed omnium familiarum &c.* (*e*) Valet hoc eloquium, tàm de præsenti dominatu Urbis Romæ, quàm de illo qui antiquis temporibus emicabat.

(e) *August. Steuch. de Donat. Constantini*

17. Hanc autem rectæ politiæ rationem, quam talitèr observabant Romani antiqui, ad praxim nunc quoque perducunt, licet parciùs, Regna moderna, vixque est Principatus, in quo viris extraneis, vel virtute militari, vel prudentiâ in politicis, vel experientiâ in rebus agendis, vel doctrinâ, vel artium peritiâ præclaris, non tradantur, naturalitas, magistratus bellici, cathedræ Doctorales, ministeria, legationes, officia: hocque agentes Principes, & sive alienigenas, ad se confluentes, amplectendo, sive illos, aliundè conquisitos, ad se trahendo, non tàm eorum utilitati, quàm propriæ gloriæ existimant deservire: quià hoc modò, & ostendunt, suam potentiam ad illas usque provincias extraneas pervenire: & incolas extranearum illarum provinciarum sibi faciunt benevolos, sub monitu Ciceronis, *apud externos populos valere opibus, & gratiâ, vehementèr utile est iis, qui honestè multàm posse volunt* (*f*). Mente quisque perlustret Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Poloniam, Lusitaniam, aliasque Europæ Provincias: perlustret Asiaticas: intueatur Punicas: omnium tandem plagarum Orbis regiones, & urbes ingrediatur, aulas Principum perscrutetur, classes maritimas, acies bellicas, ministeria publica sciscitetur, & videbit, quod ubilibet sunt ex-

(f) *Cicer. de Offic. l.2. ubi supr.*

extranei, qui & munia, & officia, & magistratus, & præfecturas tenent, quas proculdubiò non exercerent, si inibi alienigenis ad illas aditus non pateret. Qui miracula super hac rè gratum habet intueri, Romam pergat, & Constantinopolim, ibi enim videbit quid prò extraneis fortuna valeat operari. Solùm in Moscovia ingressum ad itinerandum, nedum aditum ad proficiendum, extraneis fuisse occlusum legitur in historiis (a). Sed jam ibi quoque res formosiorem susceperunt prospectum, ex quo Regnum moderandum suscepit Serenissimus magnus Czar modò vivens.

18. Ast quid de jure civitatis, de magistratibus, de officiis loquimur, viris extraneis antiquitùs impertitis? Quid de præfecturis, de ministeriis eisdem moderniùs contributis? Estnè ullum Regnum, in quo extranei non regnaverint? *Imperium Romanum*, ex quo à Leone Papa IIJ. in persona Caroli Magni excitatum est, nullus Romanorum, pauci ex Italis tenuerunt, & in eo modò Germani, modò Galli imperarunt, Angli quoquè, & Hispani quandoque prò illo adipiscendo contenderunt (b), omnes à Romanâ urbe prorsùs extranei (c). In *Hungariâ* nunc Galli, nunc Poloni, nunc Germani regnarunt (d). In *Poloniâ* & Galli, & Sveci, & Saxones, diadema Regium induerunt (e). In *Angliâ* Normanni, Galli, & Scoti, sceptrum Regium moderati sunt (f). In *Aragoniâ*, quandoque Castellani (g). In *Castellâ* quandoque Aragonenses, & utrobique Germani in Regali solio considerunt (h). *Lusitaniam* nupèr sibi Hispani subegerant (i). *Galliam* sibi debitam Rex quidam Anglicus autumavit, & apùd Parisios se coronâ Gallicâ circumcinxit (l). Alius Rex Gallicus Angliam sibi deberi contendit, & diadema Regale apùd Londinum suis temporibus adaptavit (m). *Siciliæ* Regnum plures jàm diversæ Dynastię tenuerunt, Normannorum, Svevorum, Andegavensium, Aragonicorum, Austriacorum: qui omnes indè erant extranei. Cur autèm Regna, Viceregna, Imperia, Præfecturæ armorum, Provinciarum regimina, & infinita alia officia, ac publica ministeria, extraneis dari possunt, & dantur, nisi quià expedit publico bono socialem humanitatem in extraneos exercere, & hinc illinc venientes, vel accersitos viros prudentiâ, doctrinâ, virtute militari, natalium generositate, rerum gerendarum experimento, aliisve meritis præcellentes, aut respectivè jure sanguinis, vel alio titulo ad munia publica destinatos, accipere, amore prosequi, & participes facere honoris, ac oneris reipublicæ?

19. At si in cunctis Imperiis, Regnis, & Dominiis, viri extranei ad Officia, & dignitates publicas admittuntur, quià sic expedit publico bono, expedit eos hac civili prosequi humanitate; cur quesò à sola republica ecclesiastica, hæc ipsa est civilis humanitas ableganda? Cur solum regimen ecclesiasticum clericos extraneos ad sua munia non recipiet? Ecquæ deterior est conditio regiminis ecclesiastici, quæ luctuosior est ratio politiæ clericalis, & sacræ, ut huic sit detrahenda libertas, quâ omnia Imperia, & Dominia sæcularia, sivè Christiana, sivè Ethnica perfruuntur? Nunquid respublica ecclesiastica est respublica Hebræorum, de qua S. Gregorius, *Gentilium quemque ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat* (n)? Absit. Reipublicæ ecclesiasticæ est nedùm clericos omnes amore prosequi, sed etiàm cunctos fideles beneficentiæ effectibus devincire: Et nedùm fideles, sed etiàm infideles largitate obligare. Ità enim Acacius Episcopus Amidensis, exhausto ærario, ac fractis sacris vasis Ecclesiæ, septem millia Paganorum, sub Persarum Principe militantium, & à Romano Imperatore victorum, è captivitate redemit, liberosque, ac sufficienti commeatu stipatos, in patriam remisit, quod admirans Ussuncassanes Rex, teste Socrate, declamavit, quod Christiani, *& bello, & beneficiis hostes vincere laborabant* (o).

20. Ideò benè Martinus Papa V. audito edicto, quod Uladislaus Poloniæ Rex, tamquàm de Prælatorum sui Regni voto, promulgaverat, ad repellendum extraneos à beneficiorum sui dominii consecutione, ipsi Regi improperavit, quod in illius *Regni dedecus, & Prælatorum infamiam* talis ordinatio vergebat (p). Quippe

(a) *Della Motta scuola de Prencipi nella Geografia.*

(b) *Raynald an. 1263. n. 38. 19. 43. 46. &c.*

(c) *Vid. Panvin. & Egnatium, ac Foresti de Roman. Imperatoribus.*

(d) *Foresti Map. Istor. ne' Rè d'Ungaria. Loschi nella Casa d' Austria.*

(e) *Foresti ne' Rè di Polonia.*

(f) *Idem in Reg. Angliæ.*

(g) *Hieron. Blanca in se..e Reg. Aragon. ac Jo. Gualter. Chron. Chron. Polit. tom. 3. à fol. 253. Loschi nella Casa d' Austria.*

(h) *Idem & Forest. in Reg. Hispan.*

(i) *Forest. in Phil. II Reg. Hisp. Loschi ibid.*

(l) *Forest. in vit. Ludov. VIII. Reg. Franc.*

(m) *Henric. VI. Rex Angliæ. Forest. Map. Istor. in ejus vita.*

(n) *S. Greg. hom. 40. in Evang.*

(o) *Socr. l. 7. c. 21.*

(p) *Raynald. an. 1419 num. 13.*

pè probrum erat inclytæ illi nationi ab actibus beneficentiæ repellere clericos, quâ etiàm infideles proſequi, ex Eccleſiæ debito tenebatur; & politice turpe erat aptas dignitatibus, & officiis eccleſiaſticis perſonas arcere, quas omnes Reipublicæ, omnia Regna, & Imperia, non modò admittebant, ſed & interdum conquirebant, & muniis, ac beneficiis temporalibus decorabant. Itàque ſi de more, ſi de ratione ſocialis humanitatis eſt, ſi de ſtylo cujuſcumque benè ordinati regiminis, ut extranei quoque prò locorum, & temporum opportunitate, & juxtà perſonarum capacitatem, ad publica officia, & commoda ſæcularia admittantur; ne deteriùs regimine ſæculari ſit regimen eccleſiaſticum, quod nedùm clericos, & fideles, ſed etiàm infideles debet beneficiis complecti; politicâ ratiocinatione convincitur, Eccleſiæ quoquè ineſſe debere libertatem fovendi extraneos, quæ non deeſt regimini temporali, & ſic liberum, ac licitum eſſe Eccleſiæ beneficia ſacra etiàm extraneis impertiri.

21. *Quarta Ratio* deſumitur ex paucitate beneficiorum, quæ de facto reperiuntur in unaquâque Diœceſi clericis extraneis diſtributa: Nàm quamvìs in abſtracto multa Contradictores in oppoſitum debacchentur; tamen in actu practico, res valdè diverſimodè diſcernuntur: & nec minima pars beneficiorum uniuſcujuſque Diœceſis ab extraneis retinetur. Quod ut ad evidentiam pateat, è theoricâ locutione deveniatur ad praxim. Numeretur quot beneficia habeat aliqua Diœceſis particularis, quæ nec nimium ampla ſit, nec nimium reſtricta, ſed mediocris, ut à mediocritatis ratione extrema aliarum Diœceſeon, ſivè majorum, ſivè minorum, ſub congruâ proportionalitate tangantur. Igitùr Diœceſis aliqua mediocris habebit beneficia parochialia verbi gratia 50. canonicalia, 20. manſionarialia, vel portionalia 10. beneficia merè ſimplicia libera 15. Juris patronatus laicorum 15. Omnia ſimùl beneficia eccleſiaſtica numero 110. Non loquimur de Capellaniis, vel Vicariis amovibilibus, quippè hę non ſunt beneficia eccleſiaſtica (*a*), & ideò ſub difficultate non cadunt: Cum etiàm in regionibus, & provinciis diplomate Pontificio ſtipatis, vetante, ne beneficia illorum locorum præbeantur extraneis, adhuc non eo ſe pervehat interdictio, ut eiſdem extraneis Capellaniæ amovibiles denegentur; queętiàm cum ſint ad largitorum arbitrium ammovibiles, parùm refert extraneorum, quod eas valeant, aut non valeant adipiſci.

(a) *Garc. de Benef. p.1.c.2. n.93. Barboſ. Jur. Eccleſ. Univ. l.3. cap.6. num.59.*

22. Ex ipſis autem 110. beneficiis, in primis parochialia, canonicalia, manſionarialia, partionalia &c., quę ſunt numero 80. utpotè reſidentię debitum involuentia, omnia, vel penè omnia dantur Diœceſanis: & pro miraculo erit, ſi inter hos beneficiarios duo erunt extranei; & mirabilius erit, ſi unus reperiatur extranationalis: qui etiàm poſteà beneficiis ipſis acceptis, non ſunt ibi ampliùs extranei, ſed indigenę. Nàm ſubſunt in omnibus, & per omnia Epiſcopo Diœceſano, & deſinunt quodammodo eſſe cives locorum, undè traxerant originem, fiuntque incolæ, habitatores, pars reipublicę, cives tandem locorum, ubi beneficia illa reſidentialia ſunt aſſecuti (*b*). Reſtant 15. beneficia merè ſimplicia juris patronatus laicorum, quę ordinariè dantur indigenis, quià concedi ſolent conſanguineis eorum, qui rectores ad beneficia ipſa pręſentant. Superſunt alia 15. beneficia merè ſimplicia liberę collationis, quorum aliqua non ſemper, ſed quandoque dantur extraneis, aliqua dantur indigenis, & modò magis iſtis, modò magis aliis, prò locorum, perſonarum, & temporum contingentiis diſpenſantur. Supputando igitùr totam ſummam beneficiorum, quę prębuntur extraneis, & quæ indigenis; quotiens indè eductum eſt hoc, quod ex 110. beneficiis eccleſiaſticis, quę in illâ Diœceſi erecta ſunt, centum & ultrà reperiuntur ad indigenas perveniſſe, & vix quatuor, vel quinque circitèr in manus eſſe extraneorum: hoc etiàm accedente, quod viceverſa ex illâ Diœceſi totidem clerici probabilitèr extramorabuntur, qui in alienis Diœceſibus conſimilia obtinuerint beneficia; ſitque propterea congruâ compenſatio: prętérquam quod multæ ſunt Diœceſes, beneficiorum inopiâ laborantes, in quibus extranei nihil adipiſcuntur: Et è contrà clerici in illis Diœceſibus

(b) *Bart. in l.1.n.13. ff. ad municipal. Marchin. de Sacr. Ord. p.5. c.8. nu.2. Bellet. diſq. Cler. par.1. de diſcipl. Cler. §.2.n.15.*

busnati, huc illuc per alias Diœceses ad beneficia consequenda studiosissimè se distribuunt. Adeoque rè totâ seriò perpensâ, iu praxi verificatur id, quod Cardinales Romanæ Ecclesiæ (in fervescentiâ illâ dissidiorum intèr Bonifacium Papam VIII. & Philippum Pulchrum Galliarum Regem, conquerentem, quod Pontifex beneficia sui regni clericis extraneis contulisset) Universitati Parisiensi scripserunt. *Invenietis prò uno extraneo, cui est per istum Dominum*, Papam, *in dicto Regno provisum, ferè centum, qui de prædicto Regno traxerunt originem, ab eo provisionis gratiam accepisse* (a).

(a) Histor. Univ. Paris. to. 4. sæc. 8. f. 27.

23. En quo pertingit declamata illa extraneorum admissio ad ecclesiastica beneficia: En clamorosa illa exaggeratio Contradictorum, quod omnia beneficia Alienigenis dispensantur! Hæ sunt næniæ, sunt voces inanes, sunt res, telescopio, centuplum eas magnificante, perspectæ, quę si in suo verò aspectu cernantur, nullam in se continent turpitudinem, nullâ specie deformitatis turpantur, dum collatio beneficiorum clericis extraneis facta, ad paucas prębendas restringitur; & prò uno extraneo, qui beneficium suscipiat, centum indignæ reliqua beneficia nanciscuntur. In concordatis Gallicanis, intèr alias regulas, prò collatione beneficiorum Regni Franciæ, Delphinatus, & Comitatus Diensis, ac Valentini observandas, hæc quoqne legitur sanctio. *Statuimus, & ordinamus, quod quilibet Romanus Pontifex, semèl dumtàxat tempore sui Pontificatus literas in formâ mandati &c., & non ultrà dare possit, hoc modò, videlicèt, unum Collatorem habentem collationem decem beneficiorum in uno: habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum, & ultrà, in duobus beneficiis dumtaxàt gravare possit* (b). Non extenso mandato ad dignitates electivas, & ad beneficia juris patronatus laicalis, ex quo patet, quod prò gravi onere non habetur, si conferenti decem beneficia subtrahatur libertas à superiore unum prò suo arbitrio destinandi: & sic facultas dispensativa beneficiorum in decima sui parte scindatur.

(b) Leo X. Const. 10 §. 14.

24. Similitèr Imperator, à Sede Apostolica jus habet porrigendi primas preces, ut nimirùm in qualibet Ecclesia semèl personam idoneam ordinario collatori nominare possit, quàm ipse Ordinarius ad beneficium vacans recipere teneatur. Tamen, *Ut preces locum habeant, debet Collator saltèm quatuor beneficia conferre posse, quià si unicum tantùm, aùt alterum conferendum habeat, non tenebitur preces Cæsareas admittere; ne facilè contingat, ut toto vitæ suæ tempore impediatur uti jure suæ liberæ collationis* (c). Et ità prò gravi non habetur si conferenti quatuor beneficia, libertas prò quarta parte amputetur, ne unum eorum valeat prò suo libito dispensare. Quod hic dicitur de libertate conferendi beneficia, coaptetur prò regula ad ipsa beneficia extraneis conferenda: & sicuti grave non est Ordinarium, vel in quarta, vel in decima beneficiorum suorum parte, pertrahere ad eadem alieno arbitrio conferenda, dùm reliqua proprio suo nutu, & ad suum merum beneplacitum dilargitur; ità grave non est in Diœcesi, vel decimam, vel consimilem beneficiorum suorum partem ità disponere, ut hęc interdùm clericis extraneis conferantur, dùm reliqua interìm solis sunt indigenis distributa. Paritas hæc ad diversa quidem se porrigit, quod de naturâ paritatis est; sed seriò ventilata, ostendit, quod exiguus est numerus decem beneficiorum extraneis collatorum, respectu centum, quæ indigenis concessa sunt; sicut est exiguus numerus unius beneficii alieno nutu collati, respectu decem beneficiorum, quę ordinarius prò suâ pręcisâ conferat voluntate.

(c) Engel. Colleg. Jur. Canon p. 2. l. 3. tit. 15. §. 7. num. 70.

25. Accedit ad hęc ęqualitas, seù compensatio, alio titulo æquilibrata, quàm paulò suprà tetigimus. Nàm sicùt in una Diœcesi sunt aliqua beneficia extraneis tradita; sic & totidem sunt in aliâ: quarè generalitèr in omnibus locis, pars pręcipua beneficiorum ab indigenis possidetur, & aliam particulam tenent extranei, promiscuè cum nativis: undè indigenæ, qui in patriâ beneficium non obtinent, illud alibi adipiscuntur, Romanus verbi gratiam Mediolani obtinebit beneficium: Mediolanensis Neapoli: Neapolitanus Bononiæ: Bononiensis Florentię: Florentinus

tinus Romę, & sic de aliis: mutuâque istâ charitate, ac reciprocâ humanitate, quâ se Ecclesiæ invicem complectuntur, fit ut inter earum beneficiarios correspectiva quædam parilitas efflorescat, quâ defectus hinc indè supplentur, & quod deficit ex unâ parte, accrescit in aliâ. De hac veluti compensatione in Conventu Vvosmatiensi coràm Carolo V. Imperatore, præcipuisque Germaniæ Principibus, ità peroravit Hieronymus Aleander, ibi nomine Leonis Papę X. assistens, *o consideriamo i beneficii ecclesiastici: e questi per lo più in qualsivoglia luogo sogliono godersi da paesani: e di quelli, ne quali ciò non avviene, si fà la compensazione, godendone scambievolmente gl'uni nella patria degl'altri* (a), Itàque tàm parvus in rei veritate est numerus beneficiorum, quæ clericis extraneis universalitèr tribuuntur, ut Diœcesibus, non sit gravis; & si ullam continet gravitatem, habet etiàm aliundè æquilibrium prenotatum; adeoquè contentio prò repellendis extraneis nec meretur introduci, nec introducta valet utilitèr promoveri: & sic politicè præstat Ecclesiam in sua libertate relinquere, nec illam à tramite abstrahere, in quo perstitit usquè modò.

(a) *Palavicin. hist. del Conc. Trid. l.1.c.25 num.12.*

26. *Quinta Ratio* desumitur ex utilitate, quàm infert tàm Superioribus, quàm subjectis libertas conferendi ecclesiastica beneficia etiàm clericis extraneis. Nàm Superiores, ut plurimùm subditos habent, vel eorum partem sibi obsistentes, & ubi magis, ubi minùs, *omni populo inest malignum quiddam, & querulum in imperantes* (b), adeò ut nullum unquàm hominum, vel animas, vel corpora regentium historię recenseant omnibus placuisse, & ità regimen suum in pondere, & mensurâ librasse, ut grato cunctis præsederit dominatu. Nec Papas, nec Imperatores, nec Reges, nec Episcopos legere est, quantùmlibet sanctitate, prudentiâ, dexteritate, præclaros, vel aliis castigatæ politiæ regulis innitentes, qui non detractores habuerint, & adversarios. Utile est ergò Superioribus, & præsertìm Episcopis, tale infortunium patientibus, (quod frequens est, & familiare pluribus in locis) posse alienos clericos advocare, qui fidelitèr sibi assistant, honorem, opes, & interdum ipsam quoquè illorum vitam nutantem, custodiant, foveant, tueantur. Hoc autem præsidium commodè non haberent, si libertate quoque prędíti non essent clericos ipsos extraneos, ad sui adjutorium vocatos, aliquo beneficio ecclesiastico, in præmium servitii, & fidelitatis eis exhibitæ, munerandi. Ad hęc arctatio præfatæ libertatis est ipsis locis, & Diœcesibus perniciosa. In quodam Italię Oppido, quod justis de causis non nominamus, Testator jussit ex pingui sua hęreditate multa erigi ecclesiastica beneficia, quę nunquam liceret nisi clericis Oppidi ipsius incolis, & nativis conferre. Non est in tota Italia clerus ignavior, vitiis plus addictus, doctrinę, virtutum contemptor, indisciplinatus, Antistiti suo parum obsequiosus: quippè beneficia illa cum non nisi incolis preberi possint; clerici ejus loci, virtutibus non incumbunt; nam qualescumque sint, ad illa, vel citò, vel serò, etiàm meritis destituti, & etiàm Pręsule proprio invito perveniunt, & sic in Oppido illo disciplinę clericalis, & ecclesiasticarum virtutum vix paucula sunt vestigia: florerent autèm doctrina, & virtutes, si Episcopo liberum esset extraneis quoque beneficia illa conferre, tunc enim indigenę solertes essent, ut sibi meritum facerent studio literarum, & bonis moribus.

(b) *Plutar. in Polit.*

27. Ubi autèm libera est manus Antistitis Collatoris, & beneficia potest tamquam pręmium cunctis benemerentibus, undecumque veniant, impertiri, rectiùs res geruntur, & clerum suæ Diœceseos in discipiina continet, bonis beneficia concedens, pravis denegans. Et quidem inobedientibus, ac sibi adversantibus, quod Pręsul beneficia conferat, periculosum est, non enim in fide, non in officio manebunt, sed potiùs quò potentiores sunt, quo ad gradum sublimiorem provecti, eò deteriora adversùs Superiorem audebunt. Eos tamèn beneficiis destitutos semper tenere, & ne à patria discedere valeant, coarctare; adhuc discriminosiùs est; *clausis enim*, inquit Vegetius, *ex desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est, sumit arma formido* (c): Ergò quid in tali casu est agendum? Pro-

(c) *Veget. l.3.c.25.*

Profectò non aliud, nisi extraneos aliquos accersire, qui & vocatione capti, & beneficiis obligati, *se suaque jactabunt quocumque desideraverit imperantis salus* (a). Et de clericis adversariis, detractoribus, insidiosis, quid operandum? Certè politicè nihil est melius, quàm eos dimittere, ut alibi fortunam tentent, doctrinam, si qua præponderant, depromant, & extrà patriam beneficium inquirant, quod in nativo solo adipisci posse desperant: Scipionis namque semper laudata fuit sententia, quod *via hostibus, qua fugiant, est munienda* (b).

(a) *Senec. lib. 1. de Clementia.*

(b) *Veget. l. 3. c. 21.*

28. Quoad clericos quoque subditos utile est, beneficia posse extraneis dispensari, quià si clericus, vel proprio vitio, vel humano infortunio, vel malevolentium invidiâ, eo deductus sit, ut iram Principis, aut indignationem sui Antistitis promeruerit, jamque de consequendis ecclesiasticis beneficiis, in propriâ Diœcesi diffidat; unica ejus salus est fortunę cedere, *eamque diligere partem, ad quam eum illius utilitas, salusque converterit* (c). Nempè aliò transmigrare, & propero ad alienam Diœcesim gressu, ibi conseqendo beneficio incumbere, quod patria Diœcesis non est datura. Tàm largitoribus ergò beneficiorum, quàm illorum susceptoribus, utile est beneficia posse extraneis impertiri, quemadmodùm utile est subjectis, qui proprio Superiori parùm grati sunt, aliorsùm pergere ad conquirendam fortunam: & Superioribus, qui parùm acceptos habent subjectos, utile est eisdem ad discedendum viam aperire: siquidèm, uti benè *Pyrrhus intèr cætera præcepta Imperatoria memoriæ tradidit: non est pertinacitèr instandum hosti fugienti, non solùm ne fortius ex necessitate resistat, sed ut posteà quoque faciliùs acie cedat* (d). Hęc ratio Superiores ęquè tangit, ac inferiores, sed non ęqualitèr omnibus beneficiorum largitoribus applicatur; tamèn quià quidquid de Superioribus conferentibus beneficia, vel ad ea præsentantibus, dicitur, aliquo modo verificari potest etiam de aliis minoris momenti viris, ad quos spectat de beneficiis per viam præsentationis disponere; ideò sub generali hac ratione, politicè benè concluditur, expedire, ut liberum sit Ecclesię, illiusque Ministris posse beneficia etiàm viris extraneis elargiri.

(c) *Cicer. pro Planc.*

(d) *Front. 1. c. 6. ap. Lips. Polit. l. 5. c. 16.*

29. *Sexta Ratio* desumitur ex illâ civili simùl, ac sacrâ charitate, quâ Ecclesiæ omnes per totum Orbem, & multò magìs per eandem Regionem constitutæ, debent sibi invicem opitulari, & mutuum subsidium in opportunitatibus exhibere. Et sicuti Ecclesiæ, quæ Clericis abundant, justum est, ut aliis, quę ministris indigent, Clericos suppeditent; ità justum est, ut quę sunt subsidiis sufficientibus destitutæ, illa possint ab Ecclesiis opulentioribus adipisci. *Contingit nonnunquàm*, ait Aurelius Carthaginensis in Synòdo Carthagine congregatâ, de quâ suprà locuti sumus, *ut postulemur ab Ecclesiis, quæ præpositis egent, vel Episcopis, vel Presbyteris, & tamèn memor statutorum id sequor, ut conveniam Episcopum ejus, aut eum inculcem, quod ejus clericus à qualibet Ecclesiâ postuletur. Sed fortè in hodierno non reluctati sunt, & nè quandò contingat, ut reluctentur, cum fuerint à mè in hac causâ postulati, quem scitis multarum Ecclesiarum, & ordinandorum causam sustinere*: Hujusmodi propositioni talis data fuit responsio; *Fuit semper hæc licentia huic sedi, undè vellet, & de cujus nomine fuisset conventus, prò desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum &c. Undè tibi non potestatem damus, sed etiàm assignamus, ut liceat voluntati tuæ, & semper tenere quem voles, ut præpositos plebibus, vel Ecclesiis constituas, qui postulati fuerint, & undè voles* (e). Ità Patres celeberrimi illius Concilii, plenum pietatis, & justitię simùl esse censuerunt, ut Ecclesię se mutuâ charitate foverent, & sibi vicissim in opportunitatibus subvenirent.

(e) *Concil. Cart. 3. c. 45.*

30. Nè verò hujus rationis efficacitas eludatur, autumando, quod eatenùs in Concilio decreta fuit hujusmodi Ecclesiarum mutua opitulatio, inquantùm una abundet, alia verò sit cleris destituta, nec ideò Ecclesiam abundantem debere nisi de sibi superfluis elargiri; audiatur Synodus ità subdens: *Qui unum habuerit, nunquid debet illi unus ipse presbyter auferri? Aurelius Episcopus dixit: Sed Episcopus*

ſcopus unus eſſe poteſt, per quem dignatione divinâ presbyteri multi conſtitui poſſunt, unus autèm Epiſcopus difficile invenitur conſtituendus. Quapropter ſi neceſſarium Epiſcopatui quis habet presbyterum, & unum habuerit, etiàm ipſum ad promotionem dare debebit. Poſthumianus Epiſcopus dixit. Ergò ſi habet alius abundantes clericos, debet mihi alia plebs ſubvenire? Aurelius Epiſcopus dixit: Sanè quomodò Eccleſiæ alterius tu ſubveneris, perſuadebitur illi, qui plures habet clericos, ut unum tibi ordinandum largiatur (*a*). Hac facultate uſum eſſe non dubitamus Archiepiſcopum Carthaginenſem Primatem totius Africę, quandò illa ſucceſſit notabilis indigentia clericorum, quam hiſcè verbis Concilium Hipponenſe deſcripſit: *Tantùm autèm inopiæ clericorum patiuntur Eccleſiæ, ut quædam loca omninò deſerta ſint* (*b*). Et ne putemus ad ſolas Africanas Eccleſias hujuſmodi poteſtatem, & exercendę charitatis debitum fuiſſe limitatum, recolimus hic id quod alibi de Romanâ Eccleſiâ (*c*), de Conſtantinopolitanâ (*d*), & de Alexandrinâ (*e*), conſimili auctoritate præditis, tranſvehendi de unâ ad aliam Eccleſiam clericos, recenſuimus.

(a) *Conc. Carth. 3. loc. cit.*

(b) *Conc. Hippon.*

(c) *Vid. ſupr. ſæcul. 4. c. 6. n. 20. & 31.*

(d) *Fileſac. de ſacr. Epiſc. Auctor. c. 7. §. 2. fol 165.*

(e) *Vide ſupr ſæc. 4. c. 6. n. 8. 9. 23. 25.*

31. A quâ etiàm eminentiori auctoritate præſcindendo, inditâ ſedibus principalioribus, cogendi judicialitèr clericos, etiàm invitos, ad ſuffulciendas alienas Eccleſias; certum, eſt quod ſemper, & ubique licitum fuit cunctis Epiſcopis clericos ſuos, aliis Eccleſiis, miniſtris indigentibus, dilargiri, uti ſuprà variis probationibus, ex Conciliis petitis, demonſtravimus (*f*), quibus nùnc addimus decretale placitum S. Leonis Papæ I. in epiſtolâ ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem: *Alienum clericum invito Epiſcopo ipſius nemo ſuſcipiat, & nemo ſollicitet, niſi fortè ex placito charitatis intèr dantem, accipientemque conveniat. Nàm gravis injurię reus eſt, qui de fratris Eccleſiâ, id quod eſt utilius, aut pretioſius audet allicere, vel tenere* (*g*). Eccleſiaſticę hujus, ac civilis charitatis lege freti Patres Concilii Africani, clericorum inopia laborantes, Anaſtaſio Romano Pontifici, & Venerio Mediolanenſi Epiſcopo literas direxerunt, ut Eccleſiæ Africanæ clericorum tranſmiſſione ſuccurrerent (*h*), quod humaniſſimè fuiſſe factum à Præſulibus Mediolanenſi, & Romano, cenſet Cardinalis Baronius (*i*), urgente illos ſacrâ illâ, ac humanâ charitate, quâ juſtum eſt, ut membra Eccleſiæ ſibi invicèm compatiantur, ſe ſe viciſſim adjuvent, ſibi mutuò opitulentur, unaquæque demùm Eccleſia alteri, ſubſidia prętolanti, ſubveniat. Hac tandem charitatis lege S. Epiphanius ſe juſtificatum eſſe præſumpſit in ordinatione Pauliniani Stridonienſis, & extranei, ſuæ Eccleſiæ inſerti, ac in monaſterio exempto Diœceſis Joannis Hieroſolymitani, per ſe ad presbyteratum promoti, ipſi ſcribens Joanni: *Nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus; nec quidquam violentèr extorſimus. In monaſterio fratrum, & fratrum peregrinorum, qui provinciæ nihil tuæ deberent &c. ordinavimus diaconum, & poſtquàm miniſtravit, rurſùm præsbyterum: ſupèr quo debueras gratulari, intelligens, quod ob Dei timorem hoc ſumus facere compulſi, maximè cum nulla ſit diverſitas in Sacerdotio Dei, & ubi utilitati Eccleſiæ providetur. Nàm etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſupèr alienam menſuram extenditur: tamèn præponitur omnibus charitas Chriſti, in quâ nulla ſimulatio eſt: nèc conſiderandum quid factum ſit, ſed quo tempore, & quo modo, & in quibus, & quarè factum ſit &c.* (*l*).

(f) *Vid. ſupr. ſæc. 4. c. 6. à num. 19.*

(g) *S. Leo epiſt. 84. cap 9.*

(h) *Concil. Afric. 2. ann. 403.*

(i) *Cardinal. Baron. ann. 403. nu. 5.*

(l) *S. Epiphan. epiſt. ad Jo: Hieroſol. 60. inter epiſtolas S. Hier.*

32. Non illùc tendit vis pręſentis rationis, ut de neceſſitate extrema loquatur, vel de adeò gravi, quę nullum aliud remedium admittat: notum eſt enim, quod neceſſitas nulla lege conſtringitur (*m*), hęcque facit licitum, quod aliundè eſſet illicitum (*n*). Loquitur ergò de ſimplici penuriâ, cui quamvìs alitèr ſuccurri poſſet (verbi gratia Laicos idoneos feſtinatò ad ordines promovendo, cum quilibet Epiſcopus poſſit prò ſuo libito ex Laicis Clericos citò facere), & ex Clericis Sacerdotes (*o*); tamen magis placitum eſt uni Eccleſiæ ex alia Clericos accerſire, utendo lege illa charitatis, quæ dictat, cunctas Eccleſias debere ſibi invicèm ſubvernire: hocque locum habere, nedùm ſi numerus, ſed etiam ſi meritum Clericorum deficiat.

(m) *L. Tutor ff. de adminiſtr. tutor. c. licet de fer. cap. 5. in fin. de conſuetud.*

(n) *Cap quod non eſt licitum de reg jur. cap. quanto de conſuetud.*

(o) *Balſam. ad c. 59. Conc. Carthag. in med. fol. 613.*

ficiat. Significatur hoc totum à doctissimo Thomassino, dùm percontando causas, proptèr quas extranei indigenis preponuntur, hec habet: *Erant & aliæ causę, Bona fide fateri cogimur, venia Cœlestini Papæ, tàm inopem quandòque fuisse unius civitatis Clerum, & numero, & merito usque adèo destitutum, ut alterius Ecclesię opem implorare, & ab ea Episcopum sibi mendicare necesse haberet. Non semèl dictum est suprà de singulari potestate Carthaginensis Archiepiscopi, quâ egentibus Ecclesiis, ex aliis opulentioribus Episcopos largiebatur, à se priùs ordinatos, & suarum Ecclesiarum Clero suavissimâ quadam vi abreptos. Quin & assentiebantur Episcopi Africani Archiepiscopo Carthaginensi, ut vel ei Ecclesiæ, quæ unum modò, eumque præstantissimum baberet presbyterum, hunc auferret, & in alterius civitatis transferret episcopatum, eâ scilicèt beneficii vicissitudine, ut optimum aliis Ecclesiis surriperet presbyterum aliquem, quem ei restitueret, quæ suum amisisset. Nibil est hac charitatis vicissitudine, quod suspicari quis possit canonibus adversum, quorum finis, & scopus charitas est* (a), quod si verùm est de concessione personarum, idest Clericorum, cur verùm non erit de concessione rerum, nempè beneficiorum, non in perpetuum, sed ad usum?

(a) Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 3 lib. 3. cap. 35. nu. 8.

33. Tantique ponderis est hujusmodi sacræ, & civilis charitatis ratio, ut qui eam admittere detrectant, à mutuo quoquè correspectivę opitulationis beneficio repellantur, nèc suis pateat ad alienos accessus, qui extraneos apùd se ad officia ecclesiastica non admittunt, maximo quandòque in rebus politicis detrimento; Cum autèm universalitèr loquendo prosit publico bono, ut hęc civilis, atque sacra charitas intèr Ecclesias exerceatur, ac ut una vicissìm alteri suos Clericos dilargiatur, & hæc ab aliâ subsidiis, in opportunitatibus adjuvetur, istud verò ad effectum perduci non possit, sinè mutuâ extraneorum admissione ad ecclesiastica beneficia; sequitur, quod politicè loquendo expedit, ut sit liberum Ecclesiæ, Clericis quoque extraneis beneficia conferre.

34. *Septima Ratio* desumitur ex dominio, quod habet Ecclesia supèr bonis, ad se pertinentibus, Nàm si ei denegetur facultas beneficia Ecclesiastica, tàm extraneis, quàm indigenis impertiendi; necessariò sequitur, quod ipsa Ecclesia, vel nullum, vel non integrum possideat illorum dominium, & ei sic paulatim auctoritas amputetur, ut sensìm sinè sensu remaneat propriâ suâ facultate nudata. Certum est, quod bonorum ecclesiasticorum dominium, usque ab eorum origine, & à primis Christianæ religionis initiis, semper pertinuit ad Episcopos. Dominium, inquam, non proprietatis, sed administrationis, liberrimè spectantis ad Antistites, de quibus in Concilio Antiocheno: *Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum ergà omnes, qui indigent cum summâ reverentiâ, & timore Dei. Participet autèm & ipse quibus indiget, si tamèn indiget, tàm in suis, quàm in fratrum, qui ab eo suscipiuntur necessariis usibus profuturis* (b): quod, & penè totidem verbis, sancitum est in Canonibus Apostolicis (c), quos omnes genuinos esse censet Franciscus Turrianus, & ab eo parùm dissentiens, Severinus Binius (d), vel saltem sunt authentici quinquaginta priores, ut existimant doctissimi Cardinales Baronius, & Bellarminus (e), tametsi aliqui eorum sint in parte corrupti (f). Hocque unum certum est, quod sunt antiquissimi, & ab Ecclesiâ, saltèm usque ab initio sexti sęculi admissi (g), à Beato Joanne Damascenocitati (h), & à septimâ generali Synodo, hoc encomio memorati, *Divinos Canones amplectamur, & integram illorum præceptionem, ac immobilem teneamus, tàm scilicèt illorum, qui ab almis, & laudabilissimis Apostolis, Sancti Spiritus tubis, editi sunt, quàm eorum, qui à sex Sanctis, & universalibus Synodis promulgati sunt* (i).

35. Quę bona Ecclesiarum usque ab initio administrabant Episcopi per presbyteros, & Diaconos (l), vel per Archidiaconos (m), sivè per Oeconomos, quos primum deputari mandavit Concilium Gangrense (n), & sęculo subsequente, Concilium Chalcedonense, decernens: *Quoniàm in quibusdam Ecclesiis, ut rumore comperimus, prætèr Oeconomos, Episcopi facultates ecclesiasticas tractant, placuit*

(b) Conc. Antiochen. cap. 15.
(c) Canon. Apost. 41
(d) Turrian. de Canon. Apost. Binius to. 1 Conc. in not. ad Canon. Apostol.
(e) Cardinal Baron. ann. 102. & Bellarm. de Scriptor. Eccles. in Clemente.
(f) Gelasi. l. in Conc. Roman.
(g) Natal. ab Alex. sæc. 1. dissert. 17. conclus. 1.
(h) S. Jo. Damasc. de Orthodoxa fid. l. 4. c. 18
(i) Concil. Nicen. 2. cap. 1.
(l) Canon. Apost. 41.
(m) Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 3 l. 2. c. 3. nu. 5 & 8.
(n) Conc. Gangr. c. 8.

cuit omnem Ecclesiam, habentem Episcopum, habere Oeconomum de clero proprio, qui dispenset res ecclesiasticas, secundum sententiam proprii Episcopi; ità ut Ecclesiæ dispensatio prętèr testimonium Ecclesiæ non sit; Et ex hoc dispergantur ecclesiasticæ facultates (*a*). Ità tota, & totalis poteſtas ordinandi, & diſponendi de bonis Eccleſię, penès ſolum Epiſcopum erat: quamquàm in Oriente contrectanda ab illo eſſent, per organum Oeconomi, vel alteriùs, ad id ſpecialitèr deputati. In Occidente verò nulla erat Oeconomorum hujuſmodi deputatio, vel ſaltem de illis mentio non fit in antiquiſſimis monumentis, perſiſtente omnimodè apùd ſolos Epiſcopos, & adminiſtratione, & contrectatione bonorum Eccleſiarum: ità ut in unaquaque Diœceſi Antiſtites pleniſſimo dominio adminiſtrativo illa erogaret, de illis diſponeret, illorum demùm ordinandorum omnifarium arbitrium retineret.

36. Sic in Concilio Toletano III. decernitur, quod ſi qui fundaverint Eccleſiam, & *dotem, quam eidem Ecclesiæ contulerint, censeant ad Episcopi ordinationem non pertinere, factum talitèr in præterito corrigatur, ut & in futuro ne fiat probibeatur, sed omnia secundùm constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem, & potestatem pertineant* (*b*). Et in Concilio Toletano IV. ſancitum fuit: *Noverint conditores Basilicarum, in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere, sed juxtà canonum instituta, sicut Ecclesiam, ità & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere* (*c*). Ubi notandum eſt, quod utrumque Concilium de hac Epiſcopi poteſtate, & dominio, non loquitur, uti de rè noviter inſtitutâ, ſed ut de rè antiquâ, & vetuſtioribus adhùc canonibus conſentaneâ. Idipſum ſpecificatè decrevit Concilium Aurelianenſe I. his verbis, *de his, quę parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum statuta serventur, ut omnia in Episcopi potestate consistant* (*d*). Alii aliorum Conciliorum poſſent canones allegari, ſed hi ſufficiant: unumque eſt, quod leges Eccleſiaſticæ totale dominium ordinativum, & adminiſtrativum Eccleſiarum, ac bonorum ad illas pertinentium, voluerunt, ut pleno jure ad Diœceſanum Epiſcopum attineret, ac prout loquitur Concilium Cabilonenſe, *decretum est, ut omnes Ecclesiæ cum dotibus suis, & decimis, & omnibus suis, in Episcopi potestate consistant, atque ad ordinationem suam sempèr pertineant* (*e*).

37. Prętèr autèm hoc dominium particulare, ordinativum, & adminiſtrativum bonorum Eccleſiæ, reſidens apùd ſingulos Epiſcopos jure ordinario, adeſt etiàm dominium generale bonorum omnium Eccleſiarum, univerſalitèr ſumptarum, reſidens apùd Romanum Pontificem, jure ſupremo, de quo Angelicus D. Thomas: *res Ecclesiæ sunt ejus*, ſcilicèt Papæ, *ut principalis dispensatoris, non tamèn sunt ejus, ut domini, & possessoris* (*f*): Nàm bona Eccleſiaſtica, quantùm ad proprietatem, ſunt ſub dominio Dei, prout inſinuant Doctores, tàm Scripturales (*g*), quàm Theologi (*h*), ac itidem Canoniſtę (*i*), & uti adverſus Fraticellos ſuſtinuit Epiſcopus Anicienſis in famosâ illâ quęſtione paupertatis Chriſti, & Apoſtolorum, quæ aliquandò penè totam convulſit Eccleſiam (*l*). Quod ipſe didicit à S. Proſpero Aquitanico, ſic dicente, *possessiones, quas oblatas à populo suscipiunt sacerdotes, jàm non sunt res Mundi credendæ, sed Dei* (*m*). Quantùm verò ad eorum adminiſtrationem, jure ordinario, ſunt ſub dominio Epiſcoporum, reſpectu ad ſuas Diœceſes (*n*). Et quantùm ad eorum adminiſtrationem jure ſupremo, ſunt ſub dominio Summi Pontificis, reſpectu ad totum orbem, tamquam illius, qui eſt Vicarius Chriſti, & ſupremus diſpoſitor omnium rerum, Chriſto in Eccleſiis collatarum (*o*). Undè benè Joannes Gerſonius, pius pariter, ac doctus monachus, & Cancellarius Pariſienſis, ait, *Omnia beneficia subsunt Papæ, tamquàm Ordinatori supremo, non tamquàm domino, aut possessori* (*p*).

38. A' Romano ergò Pontifice jure ſupremo, & tamquàm à Vicario Chriſti, ac ſupremo diſpoſitore omnium totiùs Eccleſiæ bonorum, cuncta univerſi orbis beneficia poſſunt ex juſtis rationibus ordinari. Tùm quià beneficia Eccleſiaſtica, nihil aliud ſunt, quàm res Eccleſię: rerum autèm Eccleſiæ ſupremus miniſter, & diſpen-

(a) *Concil. Chalced. cap. 26.*
(b) *Conc. Toletan. 3. cap. 19.*
(c) *Conc. Toletan. 4. cap. 32.*
(d) *Concil. Aurel. 1. cap. 7.*
(e) *Cap. Decretum 3. 10. qu. 1.*
(f) *S. Thom. 2. 2. q. 100 art. 1. ad 7.*
(g) *Tostat. in 1. Paral. c. 26. quæst. 36.*
(h) *Bonac. to. 1. disp. 4. de Oblig. Benef. pun. 2. nu. 2.*
(i) *C. nulli 3. 12. qu. 2 Vivian. de Jurepatron. p. 1. l. 1. c. 1. n. 42.*
(l) *Raynal. ann. 1322 n. 59 & seq. mirum.*
(m) *S. Prosp. de vit Contemplat. Raynald. loc cit.*
(n) *S. Thom. 2. 2. qu. 63 art. 2. ad primum.*
(o) *S. Thom. 2. 2. qu. 100 art. 1. ad 7. & in 4 dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 2. Lotter. de re benef. l. 1. qu. 4. num. 57. Seraphin. dec. 514. nu. 4.*
(p) *Jo. Gerson tom. 1 fol. 22.*

dispensator est Pontifex, de quo Petrus de Alliaco quondam ait; *Papa jure potuit ordinationes majorum, & electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi, & Apostolicæ Sedi reservare, quià hæc antiquissimo jure sibi competebant. Hæc enim non solùm jure universalis administrationis Papalis potuerunt competere, sed etiam ex speciali causa &c.* (*a*). Tùm quià omnia Christiani orbis beneficia, quantùm ad suam originem, ab Apostolicæ Sedis institutione dependent: Ea enim non sunt de jure divino, neque naturali, sed humano (*b*). Nàm beneficia primò divisa sunt à S. Dionysio Papa, ut insinuatum legitur in canonibus (*c*): ergò ipsa ex humanâ auctoritate prodierunt, quæ suam originem habuit à Pontifice, à quo tamquàm à fonte dimanat tota auctoritas Ecclesiastica, quæ in inferioribus Ecclesiarum Rectoribus reperitur (*d*), ut alibi demonstrabimus: undè Nicolaus Papa II., dictatu S. Petri Damiani, Mediolanensibus scripsit, *omnes sivè Patriarchii cujuslibet apices, sivè Metropoleon primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates, instituit Romana Ecclesia* (*e*).

(a) *Petr. Alliacens. ap. Thomassin p. 3. lib. 2 cap. 45. num. 10.*
(b) *Garcia de benef. p. 3. c. 1. num. 3. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. num. 7.*
(c) *Cap. un. 13. qu. 1. Barbos. loc. cit. n. 6.*
(d) *Engel. Colleg. jur. can. p. 2. l. 3. tit. 15. n. 7. f. 62. Lotter. l. 2. qu. 22. num. 9.*
(e) *Cap. Omnes 1. dist. 22.*

39. Itàque potestas disponendi de beneficiis Ecclesiasticis residet omnifariè, vel apùd Episcopos, jure ordinario, vel apùd Summum Pontificem, jure supremo, & si quæ reperitur apùd Laicos, ut est juspatronatus, residens apud patronos beneficiorum; vel jus primarum precum, competens Romanorum Imperatori, aut jus conferendi beneficia, quo præditi fuerunt olìm aliqui Reges, de quibus fiet alibi per nos mentio, & quod nunc exerceri dicitur à Christianissimo Galliarum Rege, hoc non nisi ex privilegio Ecclesiæ succedit. Nàm juspatronatus est jus merè gratuitum; & per Ecclesiam ex purâ ejus gratiâ, & liberalitate concessum (*f*). Nèc acquiritur in omnibus beneficiis, neque ab omnibus eorum fundatoribus, neque ex ipsâ naturâ beneficiorum, sed ex solâ auctoritate Ecclesiæ (*g*), & cùm consensu expresso Papæ, vel Episcopi, jus illud verbis patentibus reservantis favore patronorum, ex fundatione, vel dotatione, vel notabili augmentatione bonorum beneficii (*h*): quatenùs cùm jus præsentandi rectorem, Ecclesiæ præficiendum, sit jus spirituale, seù ad spiritualia ordinatum (*i*), non potest à laico acquiri sine manifestâ Ecclesiæ auctoritate. Et idem judicium est de primis precibus memoratis, quæ sunt velut quædam species juris patronatus, non beneficiis determinatis affixum, sed Personæ cohærens, ab Ecclesia privilegio hujusmodi decoratæ (*l*). Jus quoque beneficia conferendi, sicuti in laico existit, soli Apostolico indulto prorsùs inhæret (*m*), quippè laicus ex sè non est capax juris spiritualis, quale est jus beneficia conferendi (*n*). Et idcircò benè inquit Petrus de Marca, *collationes præbendarum ex consuetudine contrà canones esse profectas, & ideò Concilii Lugdunensis auctoritatem quæsitam esse: Principibus haud satis consuetudine tutis* (*o*).

(f) *Cap. 3. V. Sufficimus de Jurepatr. Abb. in c. 1 n. 4. de præbend. Vivian. de Jurepatron. p. 1. l. 1. c. 2. n. 5.*
(g) *Cap. Placuit 1. qu. 2. & tot. titul. de Jurepatr. Vivian. loc. cit. p. 1. l. 2. c. 1. n. 7.*
(h) *Vivian. loc. cit. nu. 3. & 12.*
(i) *Cap. de Jure 6. de Jurepatr. Vivian. eod. tit. p. 1. l. 1. c. 2. n. 4. 6.*
(l) *Engel. p. 2. l. 3 tit. 15. n. 6. & 7. Conrad. Olig. de prim. prec. à f. 116.*
(m) *Vivian. p. 2. l. 11 cap. 12. nu. 5. Germon de Sacror. Immun. l. 3. c. 12. n. 32.*
(n) *Seraph. dec. 1352 nu. 1. 2. 6.*
(o) *Petr. de Marca l. 8. c. 24. n. 4.*

40. Tota igitur facultas conferendi Ecclesiastica beneficia, sivè ad illa rectores idoneos præsentandi, vel resideat supremo jure in Pontifice, vel ordinario jure in Episcopo, vel ex privilegio in laico, beneficiorum collatore, vel respectivè ad ea nominatore; talis est; ut cunctis præfatis collatoribus, atque nominatoribus tribuat dominium administrativum bonorum Ecclesiæ. Dominium, inquam, vel supremum, vel ordinarium, vel respectivè delegatum, sed semper tale, ut qui præfatâ facultate præditus est, sit verè dominus liber, & totalis administrandi bona illa Ecclesiastica, prò modo, & gradu suæ potestatis, & juxtà leges divinam, & naturalem, & humanas: administrandi nempè quantùm fert natura collationis, & respectivè nominationis: ergò primò, hi omnes taliter dicta bona ordinare posse debent, & admistrare, ut ea possint prò libito Clericis sibi benè visis elargiri; aliàs si concessio ad solos indigenas limitetur, nec collatores, nec nominatores præfati, erunt domini; neque dominii administrativi illorum beneficiorum compotes erunt. Secundò, ergò dominium administrativum præfatum eò usquè exerceri posse debet à præfatis, quousquè leges divina, naturalis, & humanæ id permittunt: sed nulla lex divina, naturalis, & humana interdicit concessionem

fionem beneficiorum extraneis, uti luculentèr in totâ hac elucubratione probatur; ergò dominium administrativum, & ordinativum beneficiorum, prænotatis collatoribus,& nominatoribus competens,ad ea extraneis elargienda se debet extendere.

41. Porrò ad beneficia, vì juris patronatus, omnes præsentare possunt, qui non sunt expressè prohibiti (*a*): sic & viceversa ad eadem omnes Clerici præsentari possunt, qui non sunt à jure prohibiti (*b*); ex regula generali, quod concessum videtur id,quod non est expressè prohibitum(*c*).Et quod dicitur de præsentatione respectu beneficii juris patronatus, multò magis est verùm de collatione respectu beneficii liberi, majus enim est jus administrativum beneficiorum, quod habet Collator, quamquod habet nominator ad ea:quippè major est potestas residens in concedente privilegium,quam in suscipiente illud.Quarè sicut patronus habet dominium liberum administrandi beneficium patronatum, quantùm spectat ad præsentationem Clerici sibi benè visi, præsentari non prohibiti; ità & collator habet dominium liberum administrandi beneficium liberum, quantùm spectat ad collationem illius Clerico sibi benè viso, cui conferri beneficia non sit prohibitum: sed nullibi, & nullo jure prohibitum est admittere ad beneficia Clericos extraneos; ergò tàm collatores, quàm nominatores ad beneficia, prò libero dominio, quod habent administrandi eadem, possunt illa liberè tùm Clericis indigenis, tùm extraneis elargiri. Patet ex his, quod est adeò connexa causa Papæ, Imperatoris, Regum, & Episcoporum, & Clericorum, ac Laicorum omnium, ad quos spectat beneficia conferre, vel ad ea nominare, ut non possit unius auctoritas convelli, sivè dominium attenuari, quin & in altero diruatur.

(a) *Vivian. de Jurepatr.p.2.l.5.c.3.n.2.*
(b) *Idem p.2 l.6.c.2. n. 2. Barbos. de Officio Episc. par.3. alleg.72. num.72.*
(c) *Leg. necnon §.quod ejus ff. ex quibus causis majores &c. Gloss. in cap. ex literis. V. Non excepto de Jurepatr. Barbos. axiom.46. n.2.*

42. Et ità ubicumque tendat intentio Contradictorum, non detrahet unquam libertatem Ecclesiæ, beneficia extraneis dilargiendi, quin etiàm eidem rapiat dominium administrativum bonorum Ecclesiasticorum; nec dominium hoc subtrahet Papæ, vel Episcopis, aliisque ordinariis collatoribus, quin illud etiam abscindat Imperatori, Regibus, atque aliis Clericis, aut Laicis delegatis collatoribus, vel patronis beneficiorum. Cum autèm politicè non expediat, tolli, vel attenuari Clericis, atque Laicis dominium administrativum, ut suprà bonorum Ecclesiæ, juxtà mensurum juris sibi competentis, ratione collationis, aut nominationis ad Ecclesiastica beneficia, nè si hodie queritur illud detrahere Papæ, cras instetur prò illo Episcopis subtrahendo: alia vice agatur de exuendis hujusmodi dominio Imperatore, atque Regibus, & alia vice laboretur prò Clericis, aut laicis eodemmet dominio denudandis; sequitur, quòd inhærendo regulis bonæ, & laudabilis politiæ, utile est, & expediens, quod libera sit in posterùm, prout hucusque fuit, Ecclesia, in dominio administrationis suorum bonorum, præficiendo beneficiis etiàm Clericos extraneos.

43. *Octava Ratio* desumitur ex intuitu ad dignitates Romanæ Ecclesiæ. Nàm sicut urbs Romana, usquè à suis initiis, omnibus extraneis charissimos porrexit amplexus, & primùs omnium, *Romulus asylum convenis patefecit* (*d*); ac ipsa successu temporum Roma, nobilissimum titulum adepta est patriæ omnium communis (*e*), vulgaritèrque Roma omnium parens est solita nuncupari, quippè quæ cunctis materna viscera, nullis novercales exhibet despectiones; ità Romana Ecclesia, ab ipsis suis principiis, tàm affectu mater omnium fidelium, quàm dignitate mater omnium Ecclesiarum, & esse meruit, & vocari (*f*). Hinc ad Romanam Ecclesiam ex toto orbe confluunt extranei, ut & dignitates, & præbendas, & officia, & beneficia ecclesiastica consequantur. Longum esset recensere cunctos alienigenas, qui & Papatum, & Cardinalatum, & Episcopatus, & Prælaturas, & Abbatias, & Canonicatus, & beneficia, & præbendas demùm ecclesiasticas in Romana urbe sunt nacti, vel respectivè ex professione ad Romanam urbem sunt assecuti. Sufficiat meditari, quod ex numerosa serie incolarum, quos Romana urbs in se continet, vix fortè quarta, vel tertia pars indè originem ducit, & longè adhùc minor est portio eorum, quorum avus, vel proavus ibidem fuit indige-

(d) *Plin. 1. de Vir Illustr.*
(e) *Leg. Roma ff. ad municip. Borel. Summ. decis. to.2 tit.37.n.102 de Luca de judic. disc. 3.nu.50.*
(f) *Cap. 1. & sequ. dist.12. c. dudum 3.qu. 6. Navar to.1. de Spol. 9.6.n.1.f.148.*

na.

na. Experientiaque quotidiana patefacit, quod Romæ dignitates, & beneficia ecclesiastica, ut plurimùm extraneis dispensantur, & satis prolixior est advenarum, quàm indigenarum series, qui sunt inibi præbendis ecclesiasticis insigniti.

44. Ergò quemadmodùm extranei in Romanâ Ecclesiâ, tùm ad dignitates, tùm ad beneficia ecclesiastica promoventur; ità justum est, ut reciprocâ ratione, etiàm clerici Romanæ Ecclesiæ, in aliis Ecclesiis, in quibus non sunt nativi, & dignitates, & beneficia ecclesiastica consequi possint. Alias si clericis Romanæ Ecclesiæ intercipitur accessus ad aliarum Ecclesiarum præbendas; etiàm clericis aliarum Ecclesiarum amputabitur aditus ad dignitates, & beneficia Romanæ Ecclesiæ, ut hincindè congruum observetur æquilibrium. Hęc ratio tanti ponderis est, ut ab ipsa naturali æquitate suum robur obtineat, multòque magìs à politicâ consideratione vires adipiscatur, quas convellere velle, est injustæ, & indiscretæ intentionis probrositatem incurrere, neque sapere, sed desipere: quęrere namque legem, ubi adest ratio naturalis, est infirmitas intellectus, inquit Aristoteles (a). Profectò rationem istam perpendens Sixtus Papa V. in celebri illo indulto, quod incolis Regni Valentiæ concessit, ut nullus extraneus ad beneficia ecclesiastica illius Regni posset admitti; vicissim disposuit, ut & incolis Valentinę ditionis ad beneficia non pateret accessus, in Regionibus illis, & locis, quorum incolæ in Valentino Regno à præbendis ecclesiasticis repelluntur, & è contrà. Itàque sic speciali paragrapho definivit: *Et quatenùs ullo unquàm tempore licuerit, & permissum fuerit prædictis indigenis beneficia, fructus, & pensiones in aliquo ex aliis Regnis, provinciis, dominiis, & insulis prædictis liberè, & indifferentèr, absque aliquo obstaculo, perindè ac si ibidem nati essent, obtinere, & percipere; ipsi quoque alienigenæ ex tali Regno, seù provincia, vel dominio, aut insulâ orti, ad similia beneficia, ac fructus, & pensiones in dicto Regno Valentiæ, vicissim admitti debeant, & ad illa habiles, & capaces censeantur* (b).

(a) Arist. 1. Phisic. cap. 3.

(b) Sixt. V. Const. 64.

45. Politicè autèm loquendo, nedùm non confert publico singularum orbis nationum, civitatum, & locorum, seù eorum incolarum, excludi a beneficiis, & dignitatibus Romanæ Ecclesiæ; sed imò positivè singulis nationibus, & earum accolis, expedit, ut ad easdem dignitates, & beneficia valeant admitti; quià singuli cujuscumque nationis viri, ad omnes dignitates, & beneficia Romanæ Ecclesię, virtute, ac fortunâ promoventibus, valent aliquandò, & sæpè felicitèr pervenire. Sileamus de Abbatiis, & Prælaturis; sileamus de Cardinalatu, prò quo adipiscendo, & respectivè suis consanguineis, vel subditis comparando, valdè solliciti sunt etiàm pręcipui totius Christianitatis Monarchę, & brevitèr ponderemus clericos Græcos, Syriacos, Africanos, Sardos, Siculos, Italos, Dalmatas, Germanos, Gallos, Hispanos ad Summi Pontificatus apicem sublimatos. Quod illis evènit, cunctis valet accidere: omnes orbis clerici, nullo excepto, possunt Pontificalem tiaram adipisci. Olim ad urbem Romam, & ad Romanum exercitum, cunctorum laicorum intererat properare, quià cuncti orbis milites poterant Imperialem consequi celsitudinem: magnæque, ac penè incredibiles rerum vicissitudines, & metamorphoses ab Historicis recitantur, militum, nedum nobilium, sed etiàm infimæ qualitatis, qui ad Imperii gloriam pervenere. Suprà retulimus numerosam seriem eorum, qui è diversis regionibus Romam confluentes, & militiæ operam dantes, per diversos gradus, & quandoque etiàm repentino fere volatu, ad culmen Imperialis apicis felicissime properarunt. Undè illorum nomen hic superfluum est repetere. Aliorum quoque mentionem fecimus, qui & Consulatum, & Præturas, & alias inferiores, lucrosas tamen, & nobilissimas dignitates adepti sunt, quorum paritèr nomina hic censemus non esse inutilitèr replicandą. Quod tunc in Imperio, nunc in Summo Pontificatu accidere valet, & sicuti tunc politicè non oportuit repelli quemquam extraneum à militiâ Romanâ, ut cuique inesset spes Imperium obtinendi; ità & nunc politicè non expedit

repel-

repelli clericos Ecclesiæ Romanæ à beneficiis aliarum Ecclesiarum, nè cunctis clericis aliarum Ecclesiarum intercipiatur aditus ad dignitates Romanæ Ecclesiæ, & spes crebrò verificata, Summi Pontificatus celsitudinem ineundi.

46. Hęc ratio quantùm est in se, & in recto, prò sola Romanâ Ecclesiâ perorat, nè illius clerici à beneficiis aliarum Ecclesiarum repellantur, ut & aliarum clerici valeant dignitates, & beneficia Romanæ Ecclesiæ adipisci; sed in obliquo prò cunctis totiùs orbis Ecclesiis ex ęquo proloquitur, quatenùs Romana Ecclesia est speculum, & exemplar, à quâ cæterę Ecclesię normam sui regiminis assequuntur (*a*), dicente Stephano Papa: *In speculum, & exemplum Sancta Romana Ecclesia, cui nos Christus præesse voluit, proposita est* (*b*). Ergò quemadmodùm Romana Ecclesia politicè cogitat expedire, ut ad suas dignitates, & beneficia cuncti alienigenę admitti possint, & viceversâ ejus clerici in cunctis aliis Ecclesiis ad beneficia ecclesiastica valeant promoveri, atque sub hoc themate politiam ordinat sui regiminis; ità ad ejus exemplum, cunctis aliis Ecclesiis debet esse persuasum politicè expedire, ut sit intèr omnes orbis Ecclesias correspectiva quædam admissio suorum utrinque clericorum ad mutua beneficia. Et ità politicè loquendo, enitescit, communis boni interesse, ut liberum, & licitum sit Ecclesię posse sacras prębendas, non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri. Alias politicas rationes inferius allegabimus Sęculo Decimo (*c*), illuc Lectorem remittimus.

(a) *Glos. in cap. enim vero 4. dist. 19.*
(b) *Steph. PP. I. in d. c. enim vero 4. dist. 9.*
(c) *Vid. infr. sæc. 10. cap. 16.*

CAPUT XVII.

In quo ex Formulis Marculfi, *ex gestis* S. Theodori Dorovernensis, *Sancti* Columbani, *aliorumque sanctorum: Et ex pluribus aliis documentis, & historiis, pertinentibus ad seculum Christi septimum, probatur, quod Ecclesiæ competit plena libertas conferendi Ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Floruit hac ætate* Marculfus *monachus, quis, & cujus fuerit. Cunctis Episcopis olim Papæ titulus erat communis.*
2 *Censetur Marculfum fuisse Gallum, & inscripsisse Opus suum Landerico Parisiensi. Cujusdam Marculfi meminit Beda.*
3 *Prima formula Marculfi est privilegium, quod Episcopus concedit, ut Abbatem ex se ipsi monachi eligant. Secunda est simile privilegium Regis.*
4 *Olim monasteria suberant Episcopo Diœcesano; Nisi Fundatores, ea subjecissent alieno Episcopo.*
5 *Episcopi interdum privilegium libertatis cœnobiis concedebant, prout eâ fruebantur monasteria Lirinense, Agaunense &c.*
6 *Hæc privilegia non eximebant monachos à spirituali subjectione Episcopi, sed solum ab œconomicâ; quidam patres ipsa privilegia improbarunt.*
7 *Juxta citatam formulam Marculfi concessum est monachis alicujus cœnobii, posse sibi in Abbatem præficere unum ex semetipsis.*

8 *Hæc*

8 *Hæc libertas eligendi unum ex se ipsis ad beneficium Abbatiale, non probat pro Contradictoribus, ut ipsi autumant, sed contra eos.*
9 *Cessante hoc privilegio potuisset Episcopus Abbatiam etiam monacho alterius cœnobii conferre.*
10 *Alicubi additum fuit privilegium quoque Regale, ubi Rex habebat jus nominandi Abbatem.*
11 *Privilegia sunt leges speciales, exorbitantes à jure: Indulta præfata erant personalia.*
12 *Ubi deest privilegium exclusivum extraneorum, illis conferri possunt beneficia Ecclesia enim libera est.*
13 *Antiquitus monasteria virorum erant independentia inter sè, prout sunt nunc illa monialium,*
14 *Poterat Episcopus monachos ex uno ad aliud monasterium traducere, & ibi beneficiis decorare.*
15 *Ex formulis ergo Marculfi, & similibus privilegiis mox allegatis, probata restat libertas Ecclesiæ, provehendi ad sua beneficia clericos etiam extraneos.*
16 *Refertur historia promotionis* S. Theodori *Cilicis ad beneficium Archiepiscopale Cantuariense in Angliâ, cum aliis cohærentibus.*
17 *Sequitur eadem historia, quam recenset Beda, Hadrianus rursus urgetur à Papa, ut Archiepiscopatum illum accipiat.*
18 *S. Theodorus benignè exceptus est in Angliâ, ubi beneficium dedit Hadriano præfato. Fit mentio Bedæ.*
19 Hadrianus *memoratus, nec non &* Andreas, *habuerunt, & respectivè habere potuerunt, beneficia in locis, à quibus erant extranei.*
20 *Eâ etate Neapoli, Romæ, Cantuariæ, in Galliâ, in Angliâ, in Scotiâ, nihil obstabat extraneitas ad beneficia adipiscenda.*
21 *In Synodo Herefordiensi decretum est, nè monachus, & clericus, sine promissione sui Præsulis, alibi suscipiatur.*
22 *Susceptio autem illa reddebat monachos illos, & Clericos extraneos capaces beneficiorum sæcularium, & regularium.*
23 *SS.* Columbanus, *Bercharius, Bertinus, Amatus, beneficiis potiti sunt in locis, à quibus erant extranei.*
24 *In* Hispaniâ *Joannes Gerundensis, & alii: In* Germaniâ *SS. Rudbertus, & alii extranei, beneficiis potiti sunt.*
25 *Plures sancti in Galliâ, Italiâ, & in Oriente, hoc tempore, tametsi extranei, beneficia obtinuerunt.*
26 *Hi Sancti facto suo docuerunt, potuisse fieri, quod fecerunt: nec Ecclesia decidit à primæva illa libertate.*

I. PLURES Patres atque scriptores ecclesiastici, hoc septimo Christi Sæculo floruerunt, inter quos postremos unus est *Marculfus* Monachus, vivens, quo anno, ignotum est (*a*). Monachus inquam sed nescitur cujus Cœnobii; prout & nec patriæ ipsius notitia habetur. Nomen ejusdem resonantiam quandam Gothicam habet, proindeque non improbabiliter dici posset, eum fuisse natione Hispanum, ubi Gothi, sive Visigoti Reges tunc temporis principatum tenebant (*b*). Accedit quod Marculfus opus suum inscripsit Landerico Papæ: Tunc temporis autem vixit Landericus Episcopus Ulysiponensis, qui interfuit Conciliis Toletanis xv., & xvi. celebratis anno 688., & 693., eisque subscripsit (*c*), quem licet Auctor, intitulet nomine Papæ, nil refert, nam sæculi tunc decurrentis usu locutus est. Sanè olim cunctis Episcopis Papæ titulus communis erat (*d*), & S. Hieronymum

(a) *Biblioth. Patr. to.7.in Marculfo f.564*

(b) *Ex Historiis Hispan.*

(c) *Concil. Tolet.15. & 16. in subscript.*

(d) *Dom. Magri not. de vocab. Eccl. V. Papa*

nymum novimus, quod ſcribens S. Auguſtino, illum, & Alipium Papæ titulo decoravit (*a*). Concilium Turonenſe II. vocat Papam S. Avitum Viennenſem (*b*): Sidonius Apollinaris Epiſcopus Arvernenſis, Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis, & Gregorius Turonenſis, paſsim in eorum ſcriptis Papas appellant Epiſcopos (*c*). Et ità nuncupari perrexerunt, donec Gregorius PP. VII. in quadam Synodo Romanâ titulum Papæ ſoli Summo Pontifici reſervavit (*d*).

2. Nihilominùs communitèr cenſetur Marculfum fuiſſe Gallum: agit enim de rebus Regni Francorum; præfatumque Landericum, cui ſuum opus inſcripſit, eſſe S. Landericum Epiſcopum Pariſienſem (*e*), qui privilegium exemptionis monaſterio S. Dionyſii conceſſit, à ſe, & ab aliis 24. Epiſcopis ſubſcriptum (*f*). Et Conventui Clipiacenſi interfuit, ubi Clodoveus Rex Francorum ſimile privilegium, ſive mandatum pro dicto monaſterio largitus eſt, cui Landericus ipſe paritèr cum 24. aliis Epiſcopis propriâ manu ſubſcripſit (*g*). Vixiſſe idcircò exiſtimatur Marculfum circa Chriſti annum 660. (*h*). Et fortè fuit ille Marculfus, Cellarius Monaſterii Salicis in Galliâ, quem Carantocus ejus Abbas miſit cum cibariis ad S. Columbanum, in eremo Voſagi tunc manentem, & victualium penuriâ laborantem, prout Beda recenſet (*i*). Utcumque res ſe habeat circa hæc, nos libentiſſimè Marculfi formulas allegamus, tamquam ſcriptoris antiqui, & cujus auctoritate utuntur etiam Contradictores, fragmina formularum ipſius, ſuis ſcriptionibus inſerentes, ut proprium intentum promoveant: & ſignantèr formulas exhibebimus de Abbatiis, & monaſteriis agentes, quippè etiam Contradictores ſimilibus documentis in ſuis ſcriptis utuntur.

3. Porro prima ex formulis Marculfi eſt privilegium, quod aliquis Epiſcopus concedit alicui monaſterio, in ejus Diœceſi poſito, exemptionis à propriâ juriſdictione: nititurque exemplo Cœnobiorum Lirinenſis, Agaunenſis, & Lexovienſis, conſimili privilegio præditorum. Ibi Epiſcopus inter cætera monachis hæc indulget; *ut de veſtrâ Congregatione, qui in veſtro monaſterio, ſancta debeant bajulare officia, quem Abbas, cum omni congregatione, popoſcerit à nobis, vel à ſucceſſoribus noſtris ſacros percipiat gradus &c. Et juxta diſpenſationem divinam, cum Abbas de ipſo Monaſterio à Domino migraverit, quem unanimitèr omnis congregatio illa monachorum, ex ſemetipſis optimæ regulæ comparatum, & vitæ meritis congruentem, ſimilitèr ſine premio memoratæ urbis Epiſcopus ipſe promoveat Abbatem &c.* (*l*). Poſt primam hanc formulam ſequitur ſecunda, in quâ Rex, inhęrens præfato privilegio, aliud & ipſe dat indultum, quod, *Conceſſio Regis ad hoc privilegium*, intitulat, primumque ab Epiſcopo datum confirmat (*m*).

4. Sciendum eſt autem, quod ab initio cuncta monaſteria, cum monachis, & Abbatibus inibi Deo famulantibus; ſuberant pleno jure Antiſtiti Diœceſano: quâ de rè, omiſſis aliis, Hieronymus Bigonius, hanc Marculfi formulam expendens, ait, *Jure communi Abbates Epiſcopis ſuberant can. 4. Concilii Chalcedonenſis: Synodi Aurelianenſis 1. ſub Clodoveo c. 9. c. 21. Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, ex quo in Capitulis Benedicti Levitæ exſcriptum eſt cap. 136. l. 6., & apud Gratianum can. Abbates 18. qu. 2. Synodi Epaunenſis c. 19. Aurelianenſis 15. ſub Childeberto c. 22. Caroli M. l. 2. c. 8. can. Monaſteria 18. qu. 2.* (*n*). Alicubi tamèn monaſteria Ordinario loci non ſuberant, & pręſertim illa, quæ Fundatores alteri Epiſcopo ſubjeciſſent: poterant enim, qui monaſteria fundabant, ea illius Epiſcopi juriſdictioni ſubiicere, quem mallent, ſicut pluries factum eſſe in Oriente legitur in hiſtoriis (*o*). Quod et creberrimè antiquis temporibus accidit in Africâ, ubi erant plura monaſteria hic illic erecta, & Epiſcopo Carthaginenſi ſubiecta (*p*).

5. Nihilominùs contigit ſæpè, ut Epiſcopi etiam Cœnobiis ſibi ſubiectis libertatis paginam largirentur: quod jam valdè uſitatum fuiſſe ætate Marculfi patet ex hac ipſa illius formulâ, ubi dicitur: *Et nè nobis aliquis detrahendo æſtimet in id novo decernere carmina, dum ab antiquitus, juxta conſtitutionem Pontificum, per Re-*

(a) *S. Hieron. ep. 96.*
(b) *Conc. Turon. 2. cap. 21.*
(c) *Vid. Hieron. Bigon. in not. ad Marculf. ad lib. 1. in princ.*
(d) *Bigon. loc. cit.*
(e) *Sirmond. tom. 1. Conc. Gall. f. 495.*
(f) *Aimoin. hiſtor. Franc. l. 4. c. 41. Sirm. loc. cit. f. 497.*
(g) *In Præfat. ad formul. Marculf.*
(h) *Magri, & Bigon. locis cit.*
(i) *Beda to: 2. in vit. S. Columban. c. 6.*
(l) *Marculf. formul. l. 1. c. 1.*
(m) *Marculf. form. l. 1. c. 2.*
(n) *Bigon. ad form. Marculf. l. 1. c. 1. V. privilegium.*
(o) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1 l. 3. c. 31. n. 14. 15. & c. 34. n. 1. 0. & 3.*
(p) *Idem loc. cit. c. 31 à n. 1 ad 14.*

galem sanctionem Monasteria sanctorum Lirinensis, Agaunensis, Leuoviensis, vel modo innumerabilia per omne Regnum Francorum sub libertatis privilegium videntur consistere (*a*), & hac eadem ætate legitur editum privilegium libertatis, datum, ut innuimus, à Landerico Episcopo Parisiensi favore monasterii S. Dionysii (*b*), atque alterum, datum à Bertefrido Episcopo Ambianensi favore monasterii antiquæ Corbejæ, cui alii 15. Episcopi subscripsere (*c*): & dudum antea S. Germanus Episcopus Parisiensis, patriâ Edvensis, sive Augustodunensis, ac prius Abbas S. Symphoriani Edvensis, deindeque Abbas S. Germani Parisiensis, atque demum hujusce urbis Episcopus (*d*); adeoque pluries beneficiis ecclesiasticis insignitus, in locis à quibus erat extraneus; consimile privilegium dedit anno Christi 569, à se, pluribusque aliis Episcopis propriâ subscriptione firmatum, favore monasterii præfati S. Germani (*e*). Sicut & pariter S. Gregorius PP. I. privilegium similis libertatis fuerat impertitus monasterio Classitano, literis ad Marinianum Episcopum Ravennatem directis. Imò hoc fuisse generale indultum, omnibus monasteriis concessum, & in Synodo Romana, quam S. Gregorius, cum 20. Episcopis, & pluribus presbyteris, atque Diaconis Cardinalibus celebravit anno Christi 601.; habetur ex Binio (*f*). Post quod quoque tempus, intra tamen hoc sæculum, alterius privilegii memoria habetur, à S. Ansberto Rotomagensi Episcopo, pro Cœnobio Fontanellense concessi in Concilio 16. Episcoporum, in eadem urbe congregato (*g*).

6. Erant hæc, & similia privilegia, paginæ libertatis indultæ monasteriis, talitèr tamen, ut nec Abbates, neque monachi eximerentur à spirituali subjectione Episcopi, sed solum in œconomicis indepentiâ ab iisdem perfruerentur, & ità proprium Abbatem monachi sibi eligere possent; nullus ex eis, sine consensu Abbatis, posset ab Episcopo ad ordines promoveri (ordinatio etenim monachos à potestate Abbatis quodammodo emancipabat, & Episcopo adiiciebat (*h*). Item se in ministrandis bonis monasterii Antistites non miscerent: Ordinarii tandem in sacrorum administratione nil pretii à Cœnobiis extorquerent &c. (*i*). Quæ postmodum privilegia, successu temporis, aliam induerunt figuram, exemptionem integram, & totalem Cœnobiis, eorumque monachis elargientem; qui quandoque libertatis obtentu disciplinam fugitabant: ideoque declamarunt adversus ipsamet privilegia S. Bernardus (*l*): Petrus Blesensis (*m*): Juo Carnotensis (*n*): Villelmus Tyrius, & alii (*o*).

7. Juxtà Marculfum ergò incitatâ formulâ libertatis indultæ, hoc monachis concedebatur: *Ut cùm Abbas de ipso monasterio à Domino migraverit, quem unanimitèr omnis congregatio illa monachorum, ex semetipsis optimę regulæ comparatum, & vitæ meritis congruentem, similiter sine præmio memoratæ urbis Episcopus ipse promoveat Abbatem* (*p*). Pariter in privilegio antedicto Bertefridi Ambianensis pro Monasterio Corbejensi dicitur, *cum Abbas fuerit de sæculo isto evocatus, quem unanimitèr Congregatio ipsius monasterii, ex semetipsis bonum, & dignum elegerint, datâ auctoritate à præfato Principe, vel ejus successoribus, à nobis, vel successoribus nostris, absque ullo commodo, secundum sacros canones ordinetur* (*q*). Itidem privilegium præfatum S. Ansberti Rotomagensis favore Cœnobii Fontanellensis, inter alia continebat, *ut monachi per succedentia tempora ex semetipsis sibi perennibus temporibus Abbatem eligerent* (*r*). Enuntiatum quoque privilegium D. Gregorii, favore monasterii Classitani sic habet, *defuncto vero Abbate cujuscumque Congregationis, non extraneus, nisi de eâdem conversatione, quem sibi propriâ voluntate concors fratrum societas elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo, vel venalitate aliquâ ordinetur* (*s*). Quod & totidem, seu iisdem verbis exprimitur, contentis in privilegio generaliter ab eodem Pontifice cunctis monasteriis impertito, in Romanâ Synodo, de quâ superiùs habita est mentio (*t*).

8. Quibus ità se habentibus, perspicuum est, monasteriis illis fuisse contributam libertatem eligendi ex se ipsis virum, Abbatiali beneficio munerandum, procul ablega-

(a) *Marculf. l. 1. c. 7.*
(b) *Sirmon. to. 1. Concil. Gall. f. 495.*
(c) *Sirmond. tom. 1. Conc. Gall. f. 504.*
(d) *S. Gregor. Turon. hist. l. 4. c. 50. & l. 8. c. 1. & de Glor. Conf. c. 90. 92. Aimoin. l. 2. c. 24. et l. 4. c. 31.*
(e) *Aimoin. de gest. Franc. l. 3. c. 2.*
(f) *Bin. in Conc. Rom. an. 601. to. 4. f. 152.*
(g) *Conc. Rotom. an. 682.*
(h) *Thomassin. vet. et nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 30. n. 11.*
(i) *Vid. Thomas. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 29 per tot. c. 30 à n. 1. ad 7. & c. 32.*
(l) *S. Bernar. de consid. l. 3. c. 8.*
(m) *Petrus Bles. ep. 68.*
(n) *Ivo Carnot. ep. 95.*
(o) *Vuillel. Tir. l. 17. cap. 3.*
(p) *Marculf. l. 1. c. 1.*
(q) *Sirmond. tom. 1. Conc. Gall. f. 503.*
(r) *Conc. Rotomag. ann. 682. ap. Bin. to. 5. Conc. f. 383.*
(s) *S. Greg. l. 7. ind. 1. epist. 18.*
(t) *Conc. Rom. an. 601 ap. Bin. tom. 4. Concil. f. 531.*

legatis viris extraneis. Quòd Contradictores, de ſimilibus indultis loquentes, & eorum fragmina ſuis libris inſerentes, illa multum ad cauſam ſuam facere autumant, & nobis fortitèr obviare. Nos verò, è contrà, efficacitèr contendimus, hęc prò nobis facere, & contrà adverſarios validiſſimè militare. Nàm ſi ad obtinendam libertatem eligendi ex ſe virum, Abbatiali beneficio decorandum, & repellendi ab ea dignitate viros extraneos, opus fuit privilegiis Epiſcopalibus, & Apoſtolicis ſe munire; jàm patet, quod de jure monaſteriis non competebat eligere Abbates ex ſe ipſis, & à beneficio Abbatiali extraneos repulſare: Si etenim hoc de jure fuiſſet; ut quid privilegia particularia, tantò cum apparatu, tantis cum ſolemnitatibus captitare? Privilegium eſt lex privata, differens à lege communi, ſicut ſpecies à genere (*a*), deque ſui naturâ derogat legi, & contrà jus commune diſponit (*b*), nec niſi fruſtrà privilegio impetratur id, quod de jure communi competit (*c*).

9. Hæc, & ſimilia privilegia ergò, quorum formulam refert Marculfus, ideò edita ſunt, quià de jure poterant Epiſcopi quemcumque virum, & undecumque ſuſceptum, ſivè ex monaſterio, ſivè aliundè, ſivè indigenam, ſivè extraneum, ſivè Diœceſanum, ſivè alienigenam, dummodò monachalem regulam profiteretur, cœnobio, & monachis, in Abbatiali officio præficere, prout pluries viros extraneos monaſteriis fuiſſe præfectos eſt certò certiùs apud ſacræ antiquitatis peritos. Quod ſi nè in eorum cœnobiis fieret, aliquandò quidam monachi peroptarunt; oportuit quod ſpecialibus privilegiis ſibi conſulerent, vel obtentis ab Ordinariis locorum, quorum libertati derogandum erat; vel impetratis à Sede Apoſtolica, interponente ſuam altam auctoritatem prò concordiâ, & quiete in cœnobiis conſervandâ, vel ob ſævitias tollendas, quibus aliquandò Ordinarii locorum Diœceſanos monachos infeſtabant (*d*), vel ipſis Ordinariis ità depoſcentibus, & nè ſucceſſor indultum impugnaret, quod prædeceſſor Epiſcopus conceſſiſſet: aliquandò etiàm ad petitionem magnorum Principum, vel eorum qui fundaverant monaſteria, vel aliis juſtis de cauſis (*e*).

10. Et nedum privilegii Epiſcopalis, vel Apoſtolici, ſed etiàm aliquandò Regalis adjunctio facta eſt: tunc ſcilicèt, quandò contigit, Reges, & Principes jus aliquod habuiſſe nominandi Abbatem, alicui monaſterio præficiendum: cum enim liberum eſſet Principi virum ſibi benè viſum, ſivè indigenam, ſivè extraneum, nominare; non poterat, ſinè illius aſſenſu, ejus libertas ad ſolos cœnobiales monachos coarctari: Et hujuſcè privilegii formulam allegat ipſe Marculfus, in quâ dicitur, *adiicientes, ut & privilegium, tàm de Abbatum ingreſſu ipſa Congregatio, poſtquàm alius migraverit ex ſe inſtituendo &c.* (*f*). Sed, & ubi aderat privilegium, adhuc aſſenſu Epiſcopi Diœceſani, & reſpectivè Regis, in novi Abbatis electione opus erat: uti patet ex præcepto Theodorici Regis, quo ſuum præbet aſſenſum electioni Eremperti Abbatis Corbejenſis, quem dicit electum à monachis ex ſe ipſis, cum voluntate Theodefredi Epiſcopi Ambianenſis, Diœceſani illius loci (*g*).

11. Hęc autem privilegia, tamquàm leges ſpeciales, & ſingulares (*h*), atque exorbitantes à jure, contrà quod ſemper emanant (*i*); Imò, & quæ nec privilegia dicerentur, niſi aliquid contrà jus commune concederent (*l*); ſunt ſtrictè interpretanda (*m*), & uti conceſſa perſonis cum adjectione loci, monachis nempè talis monaſterii, ſunt, ſivè erant privilegia perſonalia, locis alligata, & extrà peculiarem illum locum nullatenùs prævalentia (*n*), adeoque tamquam talia, & uti tantâ ſollicitudine obtenta, oſtendunt, quod currente Septimo Chriſti Sæculo, in quo Marculfus vixit, & in quo edita ſunt privilegia ipſa ſuperiùs memorata, de jure monachis non competebat generalitèr jus eligendi ex ſe ipſis Abbatem indigenam cœnobialem, & eorum corporis membrum, ſed illis ſolis competebat monachis, & illorum monaſteriorum, quibus privilegia ipſa ex ſpeciali gratiâ erant indulta: alioquin, ut quid ex ſingulari privilegio impetrare id, quod de jure, ac generali-

(a) *Fagnan. in cap. quæ in Eccleſiar. n. 35. de Conſtit. l. 1.*

(b) *Fagnan. in cap. ex parte num. 3. de Capell. Monach. l. 3.*

(c) *Idem in cap Paſtoralis n. 10. de appell. & in cap. olim nu. 2. de verbor. ſignif. l. 2.*

(d) *Greg. VII. ep. 69 ap. Bignoniū in not. ad formul. Marculf. loc. cit*

(e) *Vid. Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipiin p. 1. l. 3. c. 30. nu. 1. 2. 3. & 9.*

(f) *Marculf. l. 1. c 36*

(g) *Apud Sirmond. tom 1. Conc. Gall. f. 505*

(h) *Barboſ. in cap. ſanè 9. de privil. nu. 10 & in c. Abbate 25. de verb. ſignif. nu. 3.*

(i) *Barboſ. in cap. ex parte 3. de Capel. Monach. num. 6. & tit. de privil. n. 5.*

(l) *Idem in cap. Abbate 25. de Verb ſign f. n. 4.*

(m) *Barb. in cap. porro 7. n. 11 de privileg.*

(n) *Fagnan. in cap. quoniam n. 2. & cap. cum Capella de privil.*

ràlitèr eis debitum erat (*a*)? Ac proindè ubi privilegia similia deficiebant, optimè liberum erat beneficia Abbatialia, non minùs monachis extraneis, quàm indigenis elargiri.

12. Quibus ità se habentibus, & à libertate conferendi beneficia Abbatialia (quâ potiebatur Ecclesia Sæculo Christi Septimo, extrà loca, speciali privilegio suffulta; quę libertas nunquam successivis temporibus usque ad nostram ætatem, fuit Ecclesiæ subtracta) à libertate inquam conferendi beneficia Abbatialia, arguendo ad libertatem conferendi cætera beneficia, quippè à similli ad simile validum est argumentum (*b*); certum restat, & evidens, quod Ecclesia hac eadem libertate perfruitur admittendi etiàm extraneos ad ipsa cætera beneficia, nisi aliud, & ubi alitèr, ex speciali privilegio cavetur. Spectat ergò ad Contradictores ostendere, quod loca, à quibus volunt extraneos ablegare, sint simili privilegio munita: si sunt; exerant paginas, in quibus hæc privilegia contineantur: non enim privilegium præsumitur, neque creditur asserenti se illud habere, nisi ipsum exhibeat, & ostendat (*c*), & postquam exhibitum fuerit, cuncta illius verba erunt seriò perpendenda (*d*), strictè etenim est in omnibus, & per omnia intelligendum: Exhibitoque hujusmodi privilegio, nos nunc prò tunc, damus manus victas, & cedimus Contradictoribus undequaque victoriam. Sed quià scimus illos tali privilegio carere; ideò prò libertate Ecclesiæ sinè intermissione pugnamus.

13. Nec omittimus adnotare, quod in citato generali privilegio D. Gregorii, in Concilio Romano, favore monachorum, editi, peculiaritèr disponitur: *Paritèr custodiendum est, ut invito Abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exindè monachi non debeant* (*e*). Quod & totidem verbis legitur in privilegio, favore monasterii Classitani edito, his adjunctis, *sed si abundantes* monachi, *fuerint, & ad celebrandas Deo laudes, vel utilitates monasteriorum complendas sufficiant, Abbas cum devotione de his, qui superfuerint, offerat quos dignos coram Deo invenire potuerit. Quod si sufficientèr habens dare noluerit, tunc Ravennas Episcopus, ad ordinanda alia monasteria, de his, qui supersunt tollat*(*f*). Cœnobia monachorum, antiquo tempore, nullam intèr se connexionem habebant, sed unumquodque monasterium virorum erat ab aliis independens, eo modò, quo sunt nunc monasteria monialium (*g*), & tàm bona, quàm monachi erant in illis talitèr impermixti, ut monachus unius monasterii nihil haberet commune cum monachis alterius monasterii, adeoque quilibet monachus, ad aliud, quàm suum monasterium pergens, ibi erat extraneus.

14. Attamen si Episcopus ità expedire judicabat, cum ad ipsum spectaret Abbates, & Præpositos monasteriis præficere (*h*), poterat monachos, ex uno cœnobio deductos, ad aliud cœnobium transferre, illosque ibi beneficio Abbatiali, vel Præpositurali insignire, ubi erant extranei. Quod si monasterium Classitanum, & alia, ad quæ perspexit privilegium, in Concilio Romano per D. Gregorium editum, agere voluerunt, nè id in suis monachis factitaretur; oportuit quod sibi consulerent speciali privilegio, alias & de illorum monachis, prout & de aliis monachis cœnobiorum, privilegio carentium, potuissent Episcopi, quos idoneos indicassent excerpere, & in aliis cœnobiis beneficiis monasterialibus decorare, tametsi indè essent extranei. Nedumque Episcopi poterant hanc traductionem facere in monasteriis privilegio carentibus, sed etiàm in ipsis monasteriis privilegiatis poterat id facere localis Abbas, concedendo monachos, non sibi necessarios, ad ordinanda alia monasteria. Imò nedum poterat, sed etiàm tenebatur Abbas concedere monachos præfatos non sibi necessarios, & recusante illo eosdem dimittere, poterat Episcopus de facto illosmet abstrahere, & aliis monasteriis præficere, ità disponente in prædictis privilegiis D. Gregorio Papa hujus nonimis primo.

15. Ex tota ergò serie formulæ, sive formularum, quas ex Marculfo allegavimus, ac similium privilegiorum, de quibus hucusque in præsenti Capitulo locuti

(a) *Idem Fagnan. in cap. pastoralis n. 10. de appell. n. 3.*

(b) *Everard. in topic. legal. loc. 10. Decian. Cons. 31. n. 47. vol. 1. Barb. tra. var. loc. 103.*

(c) *Cap. porrò, & ibi Barb. n. 5. de priv. lib. 5.*

(d) *Idem loc. cit. n. 7.*

(e) *Conc. Rom. an. 60. apud Bin. to. 4. Concil. f. 512.*

(f) *S. Greg. l. 7. ind. 1. epl. 18.*

(g) *Vid. Thomass. Vet. & nova Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 24. n. 8. 9. 10. 13. &c. & c. 25. n. 6.*

(h) *Thomassini loc. cit. p. 1. l. 2. c. 43. n. 17. 19. & cap. 16. nb. 3. n. 9. 10. &c. & c. 65. n. 1. 2. 3.*

cuti sumus, satis probata remanet libertas, quâ potiebatur Ecclesia, conferendi beneficia Abbatialia, atque Monasterialia viris extraneis, in omnibus locis, præterquamquod in illis, ubi peculiaria privilegia libertatem hanc limitabant, & ad solos indigenas, sive cœnobiales monachos provisionem beneficiorum Monasterialium arctabant. A quibus beneficiis arguendo, uti dicebamus, ad alia, quæ per Ecclesiam dispensantur, tamquam à simili ad simile, eo quod de similibus idem est judicium (a); ritè, & legitimè infertur, quod sicuti tunc, ità etiàm nunc Ecclesia integrâ libertate in his potitur. Nam cum ea libertas, ab illo tempore usque ad nostram ętatem, nunquam fuerit Ecclesiæ detracta, nec illi ullis legitimis juribus amputata; sequitur quod liberum, & licitum est, & esse debet ipsi Ecclesiæ beneficia sua, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiri.

16. Celeberrimus quoquè fuit per hæc tempora *S. Theodorus*, natione Cilix, patria Tarsensis Gręcolatinus, Athenis eruditus (b), & beneficio Episcopali Dorovernensis, sive Cantuariensis primarię *in Angliâ* Ecclesię decoratus, cujus promotionem recenset Beda his eloquiis: *Deusdedit sextus Dorovernensis Episcopus obiit &c. Tunc cessante non pauco tempore Episcopatu, missus est Romam &c. Vigart Presbyter, vir in Ecclesiasticis disciplinis doctissimus, de genere Anglorum, petentibus Ecclesiæ Anglorum Episcopum ordinari &c. qui ubi Romam pervenit, cui Sedi Apostolicæ tempore illo Vitalianus pręerat, postquam itineris sui causam præfato Papæ Apostolico patefecit, non multò post, & ipse, & omnes penè qui cum eo aderant socii, pestilentiâ superveniente, deleti sunt. At Apostolicus Papa, habito de his consilio, quæsivit sedulus quem Ecclesiis Anglorum Archiepiscopum mitteret. Erat autem in Monasterio Niridano, quod est non longè à Neapoli Campaniæ, Abbas Hadrianus, vir, natione Afer, sacris literis diligentèr imbutus, monasterialibus simul, & Ecclesiasticis disciplinis imbutus, Græcæ paritèr, & latinæ linguæ peritissimus: hunc ad se accitum Papa jussit Episcopatu accepto in Britanniam venire: qui indignum se tantò gradu respondens, ostendere se posse dixit alium, cujus magis ad suscipiendum Episcopatum, & eruditio conveniret, & ætas.*

17. *Cumque Monachum quendam de vicino Virginum Monasterio, nomine Andream Pontifici offerret, hic ab omnibus, qui eum novère, dignus Episcopatu judicatus est: verùm pondus corporeæ infirmitatis; nè Episcopus fieri posset obstitit. Et rursum Hadrianus ad suscipiendum Episcopatum actus est: qui petiit inducias, si fortè alium, qui Episcopus ordinaretur, ex tempore posset invenire. Erat ipso tempore Romæ monachus, Hadriano notus, nomine Theodorus, natus ex Tarso Cilicię, vir, & sæculari, & divinâ literaturâ Græcè, & Latinè instructus, probus moribus, & ætate venerandus, idest annos habens ætatis 66. Hunc offerens Hadrianus Pontifici, ut Episcopus ordinaretur obtinuit &c. Qui Subdiaconus ordinatus quatuor expectavit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram more Orientalium S. Pauli Apostoli: qui ordinatus est à Vitaliano Papa anno Dominicæ Incarnationis 668. 7. Kal. Aprilis Dominica, & ità una cum Hadriano in Britanniam missus est &c.* Vide quot instantiis, diligentiis, sollicitudinibus, consiliis, & anxietatibus, ad effectum perducta est provectio Theodori Tarsensis ad beneficium Archiepiscopale Ecclesiæ Cantuariensis, Prosequitur Venerabilis Beda.

18. *Quod cum nuncii certi narrassent Regi Egberto, adesse scilicèt Episcopum, quem petierant à Romano Antistite in Regno Francorum, misit illo continuò Redfridum præfectum suum ad adducendum eum &c. Theodorus navigavit in Britanniam &c. deditque Hadriano monasterium Beati Petri Apostoli, ubi Archiepiscopi Cantiæ sepeliri solent. Præceperat enim Theodoro abeunti Dominus Papa Apostolicus, ut in Diœcesi suâ provideret, & daret ei locum, in quo eum suis aptè degère potuisset (c).* Habemus hic multiplex argumentum prò causâ nostrâ declamans. Et in primis *Beda* narrator, natione, secundum aliquos fuit Ligusticus, & patria Genuensis (d), secundum alios fuit natione Britannus, & patriâ Cantabrigensis

(a) *L. non possunt, & l. seq. ff. de l. Barbos. trac. var. loc. 101. n. 2.*

(b) *Zachar. PP. epl. 140. int. Epist. S. Bonif. Mogunt. to. 8. Bibl. Patr. f. 129.*

(c) *Beda tom. 3. Hist. Angl. l. 4. cap. 1.*

(d) *Vide Historicos Genuenses.*

gensis, Anglosaxo, qui primo fuit monachus, & presbyter monasterii SS. Petri, & Pauli ad Ostium Vviri amnis, in loco Bigirium appellato, deindè fuit monachus cœnobii Melros in Scotiâ (*a*), & sive fuerit Anglosaxo, sive Italus; in primo Bigiriensi monasterio erat saltem extradiœcesanus, in secundo verò monasterio fuit nedùm extradiœcesanus, sed etiàm extràprovincialis, imò & extrànationalis; & tamèn utrobique beneficium monasteriale suscepit: monachatus etenim, ut alibi pluries notavimus, est ecclesiasticum beneficium(*b*), & eo utuntur etiam Contradictores.

19. Paritèr *Hadrianus* mox memoratus fuit natione Afer, & tamèn primò Abbatiale beneficium tenuit in monasterio Niridano propè Neapolim, & secundò in monasterio S. Petri apud Cantuariam in Angliâ, cum tamèn ab utroque loco esset plusquam extraneus. Abbatia autèm regularis absque dubio intèr beneficia ecclesiastica computatur (*c*). Qui Hadrianus, nec non & *Andreas* monachus cœnobii Virginum, ad beneficium Episcopale sedis Cantuariensis à Vitaliano Pontifice designati fuerunt, tametsi non illud acceperint, quippè Andreæ obstitit corporalis infirmitas, Hadrianum verò humilitas à tanta sublimitate deterruit: sed ipsa destinatio patefacit, quod neutri illorum præjudicium ullum extraneitas inferebat. Nec ulla necessitas tunc aderat extraneos accersendi in defectum indigenarum; quippè Angliâ illo tempore, & laicis Christianis, & clericis, & monachis affluebat, ut ex ipsâ narrativâ Bedæ patescit: nec lactens, sed jàm adulta erat ibi fides: defunctusque Deusdedit, sivè Theodatus, non erat primus, sed sextus in ordine Cantuariensium Antistitum (*d*), undè coniicitur, quod viris ad Episcopatum idoneis non poterat Anglia tunc carere; cum de facto Vvighartum de suâ gente presbyterum, cum aliis Romam pro capessendis infulis transmisisset.

20. Demùm *Theodorus*, Græcus, Cilix, Tarsensis, primò beneficium monachale Romæ adeptus est, & deindè Episcopale in Angliâ, quamvis utrobique extraneus esset. Quid hæc omnia simul clamant, nisi quod Neapoli, Romæ, Cantuariæ, in Angliâ, in Scotiâ, viris Africanis, Græcis, Cilicibus &c. adeoque omnibus numeris extraneis, patebat aditus ad Abbatialia, & Episcopalia beneficia, multoque magìs ad ea, quæ sunt ordinis inferioris? Ipse *Vitalianus* Papa, ex Aprutio, Regni Neapolitani, Papale beneficium tenuit, & de beneficio Episcopali Cantuariæ, ac de Abbatiali S. Petri ejusdem urbis, favore S. Theodori, & Hadriani extraneorum, prò suo nutu, & respectivè voluntate disposuit, nec Rex Anglorum Egbertus Theodori provectionem impugnavit, sed lætus audivit, ac ut venientem Præsulem condigno honore prosequeretur, ad eum excipiendum suos nuncios usque ad Gallias delegavit. Quid clariùs pro libertate Ecclesiæ, de quâ tractamus, fas est reperire? Judicet prudens, ac doctus Lector.

21. Pergamus ulteriùs. Ad suam sedem progressus S. Theodorus paulò post Synodum congregavit in loco Herudfort: ubi cum suis Coepiscopis, decem capitula stabilivit, quorum quartum itâ disponit: *ut monachi non migrent de loco ad locum, hoc est de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprii Abbatis*. Et in quinto decernitur, *nullus clericorum relinquens proprium Episcopum passim quolibet discurrat, neque alicubi veniens, absque commendantiis literis sui præsulis suscipiatur* (*e*). Patet hinc, Angliam clericis, & monachis tunc temporis abundasse; & neque hos, neque illos potuisse alibi longe à loco ad quem pertinebant, suscipi, sinè permissione sui Antistitis, sivè Abbatis: ergò à contrario sensu, à quo benè ducitur, uti pluries diximus, argumentum (*f*), præsertìm ubi sumitur, ut hic, à contrarietate causæ finalis (*g*), à contrario inquam sensu infertur, quod cum sui Antistitis, & respectivè Abbatis, permissione poterant de uno ad alium locum transire, & ibi suscipi.

22. Sivè autèm susciperentur in gradu monachali, quod ex se rationem habebat ecclesiastici beneficii, & capaces illos faciebat obtinendi in eodem loco alia beneficia regularia, sivè monachalia, ut est munus Abbatis, Prioris, Præpositi &c. Sivè susciperentur in officio clericali, cum stipendiis clericalibus, quæ pari-

tèr

(a) *Sixtus Senens. Bibl. l. 4. in Beda.*

(b) *Thomassin. Vet. & nov Eccl. discipl. p. 2. l. 3. c. 13. n. 1. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. num. 69.*

(c) *Barbos. loc. citat. Card. de Luca de benef. disc. 97. nu. 17.*

(d) *Ved. Theatr. vit. lum. verb. Episcopus in Episc. Cantuar. fol. 273.*

(e) *Beda Hist. Angl. l. 4 c. 5.*

(f) *Gratian. discept. for. c. 995. 1. Riciul. de jur. pers. l. 2. c. 23. nu. 5.*

(g) *Bald. Cons. 477. lib. 4. Barbos. tract. var. loc. 27. nu. 2.*

tèr idem erant, ac ecclesiasticum beneficium; & illos disponebat ad obtinenda beneficia sæcularia, parochias, Canonicatus, & alia beneficia illius Diœcesis, ad quàm pergebant; hoc unum est; quod admittebantur ad ecclesiastica beneficia in locis, à quibus erant extranei. Et ità etiàm ex utroque capitulo Concilii Herefordiensis, à D. Theodoro Cantuariæ Antistite congregati, patet, quod in Anglia, Sæculo Christi Septimo currente, admittendi erant extranei, tàm clerici, quàm monachi, ad ecclesiastica beneficia, dummodò unà concurreret conditio assensus, ab Episcopo, vel ab Abbate prestandi. Quæ disciplina si locum tunc habebat; non est cur & nunc non habeat, cum nulla lex emerserit, quæ libertatem hanc attenuaverit, vel prorsus excerpserit ab Ecclesiâ, ubi non est privilegium Apostolicum aliud præscribens.

23. Obiit intrà præsentis Sæculi periodum celeberrimus *S. Columbanus* (*a*), qui natione Hibernus, patriâ e Lagenorum terrâ, professione Monachus, & Abbas, ordineque presbyter (*b*), in pluribus locis Hiberniæ, Britanniæ, Galliæ, Germaniæ, & Italiæ, Abbatiale exercuit ministerium (*c*), cum tamèn à cunctis illis locis, vel patriâ, vel simul etiàm provinciâ, & natione prorsus, esset extraneus; ac præsertim, à notissimis cœnobiis Luxoviensi in Burgundiâ, & Bobiensi in Italiâ, ubi Abbatis tenuit beneficium (*d*). Vixit & paulò post *S. Bercharius*, natione Aquitanus, qui prius monachatum induit in præfato cœnobio Luxoviensi, & deindè beneficium Abbatiale in monasterio Altivillarensi adeptus est, cum ab utroque monasterio, & patriâ, & natione esset extraneus (*e*). Similitèr & *S. Bertinus*, ortus in territorio Constantiensi, monachus primò Luxoviensis in Burgundiæ, & Lotaringiæ confiniis, & deindè Abbas Sithiensis, Diœcesis Morinensis (*f*) Item *S. Amatus* Gratianopolitanus, prius monachus cœnobii Agaunensis, indè monasterii Luxoviensis, & demum Abbas monasterii Romarici (*g*). Pariter *S. Aicardus* Fictaviensis, qui dum cujusdam cœnobii Abbatiam teneret, monasterio Guimesiensi à S. Audoeno Episcopo Rotomagensi prepositus est, ut ibi Abbatis munere fungeretur (*h*).

24. In *Hispaniâ Joannes*, origine Gothus, patriâ Scalabitensis, natione Lusitanus, fundator monasterii Biclari, Episcopali dignitate in Ecclesiâ Gerundensi, provinciæ Cataloniæ ornatus est (*i*). Pariter cum Vamba Rex Hispaniæ quemdam ordinare fecisset Episcopum in monasterio oppidi Aquensis, Episcopus Emeritensis, loci Diœcesanus, graviter de hac re conquestus est apud Patres Concilii XII. Toletani, qui jussere, ut novo illo abrogato Episcopatu, monasterium, ut anteà à solo Abbate regeretur, & promotus inibi Antistes primæ Sedi Episcopali vacaturę preficeretur, à quâ proculdubio erat extraneus (*l*). In *Germaniâ S. Rudbertus*, quem Gallia genuit, primò Episcopali beneficio in Ecclesiâ Vvormatiensi, deindè Archiepiscopali in metropolitanâ Salisburgensi donatus est (*m*). Similitèr *S. Kilianus*, natione Scotus, Virtzburgensem, sivè Herbipolitanam sedem est consecutus (*n*). *S. Remaclus* Bituricensis, natione Aquitanus, anteà Abbas Solemniacensis, demum Episcopatu Trajectensi potitus est (*o*), quem & *S. Vvilibordus* Anglus posteà obtinuit (*p*). Argentinensi quoque Cathedrę insedit *S. Florentius*, natione Scotus, post *Arbogastum* itidem Scotum (*q*). Et alii in eadem regione, tametsi exindè prorsùs extranei, Episcopalibus infulis, Sęculo Christi Septimo currente, ornati sunt.

25. In *Galliâ S. Audomarus*, ex Aurea Valle prope Constantiam, prius monachus Luxoviensis, indè fuit Episcopus Morinensis (*r*). *S. Leodegarius* Archidiaconus Pictaviensis, fuit Episcopus Augustodunensis, & Abbas monasterii S. Maxentii (*s*). *S. Vigorius* Atrebatensis, prius monachus S. Vedasti, deindè fuit Episcopus Bajocensis (*t*). *S. Farus* Burgundio fuit Episcopus Meldensis post *Vvalbertum* fratrem suum (*u*). *S. Lupus*, Aurelianensis pagi, fuit Archiepiscopus Senonensis (*x*). *S. Vulfranus*, è territorio Vastinensi, itidem ejusdem metropolis Archiepiscopus fuit (*y*). *S. Audoenus* Svessionensis fuit Archiepiscopus Rotomagen-

(a) *Baron. an. 614. nu. 11*

(b) *Beda de gest. Angl. l. 3. c. 4. & in vit. S. Columbani c. 1. & 2.*

(c) *Beda locis citat. & capit. subseq.*

(d) *Vide Baron. an. 565. nu. 31. & c. & an. 613. nu. 8. & Sur. die 21. Novem.*

(e) *Surius in ejus vit. die 16. Octobris.*

(f) *Surius in vit. S. Audomari §. 14. 17. 19 die 9. Septembris.*

(g) *Surius in ejus vit. 13. Septembris.*

(h) *Surius in vit. S. Aicardi die 15. Sept.*

(i) *S. Isidor. Hispal. de vir. illust. c. 43. f. 787.*

(l) *Thomassin vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 1. c. 42. nu. 1. & non*

(m) *Surius in ejus vit. die 27. Martii*

(n) *Surius die 8. Junii*

(o) *Surius die 3. Septembris*

(p) *Surius die 7. Septembris*

(q) *Surius die 7. Novembris*

(r) *Surius die 9. Septembris*

(s) *Surius die 2. Octobris*

(t) *Surius die 1. Novembris*

(u) *Surius die 28. Octobris*

(x) *Surius die 7. Septembris*

(y) *Surius die 20 Martii*

gen-

gensis (*a*). In *Italiâ S. Damianus* Dalmata Ravennati Ecclesiæ pręfuit (*b*). Alii aliis primariis sedibus hujus Regionis, tametsi exteri, pręfuerunt, quos longum esset referre. In Oriente præter superius recensitos, hoc ipso durante Sęculo, Fatriatchatum Alexandrinum habuit *S. Joannes Eleemosynarius*, natione Cyprius, cujus vitam scripsit Leontius coætaneus suus (*c*), deditque testimonium ipsi vitę Concilium II. Nicęnum, septimum Generale (*d*).

26. Hi autèm tot, & tantę sanctitatis viri, per universam Ecclesiam distributi, & Abbatialia, & Episcopalia, & Patriarchalia beneficia suscipientes, in locis à quibus erant extranei, facto suo docuerunt, potuisse fieri quod fecerunt, nec enim beneficia illa fuissent amplexi, neque Oriens, & Occidens, Gallia, & Hispania, Anglia, & Italia, Germania, & alię Christianę regiones, in eundem sensum convenissent, admittendi extraneos ad ecclesiastica beneficia, si somniassent, nedum si cogitassent, vel scivissent, quod eorum admissio non posset sine legum divinę, naturalis, & humanę pręvaricatione compleri, prout comminiscuntur Contradictores. Quod si pręfatis extraneis, ac sanctis viris, potuerunt licitè conferri beneficia altioris ordinis; certè, & illa inferioris ordinis licitè tribui potuerunt; cui etenim licet plus, licet etiàm quod minus est (*e*). Itàque toto currente Septimo Christi Sęculo perabunde rutilat, quod Ecclesia, totâ, & totali libertate potiebatur suas præbendas cuilibet, etiàm si extraneo conferendi: a quâ libertate cum successivis temporibus legitimè non deciderit; sequitur, quod sicuti tunc fuit, sic & nunc liberum, ac licitum est Ecclesiæ, in primisque Summo Pontifici, nec non & Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad eadem Nominatoribus, ecclesiastica beneficia, non modo clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

(a) *Surius die 24. Augusti*
(b) *Surius die 13. Martii*
(c) *Apud Surium die 23. Januar.*
(d) *Bellarm. de script. Eccl. in Leontio.*
(e) *C. cui licet 53. de reg. jur. in 6. l. non debet ff. de reg. jur. Barbos. tr. var. Axiom. 140. nu. 5. & 180. nu. 2.*

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI VIII.

CAPUT XVIII

In quo ex serie, & epistolis, ac decretis Romanorum Pontificum, *qui Sæculo Christi* octavo, *D. Petri Cathedræ insiderunt, probatur libertas Ecclesiæ in conferendo Ecclesiastica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Ex duodecim summis Pontificibus, qui sederunt sæculo Christi octavo, septem fuerunt extranei.*

2 *Septem illi extranei beneficium Pontificale obtinuerunt, quamquam essent aliorsum orti.*

3 *Si extraneis licitum est assequi summum Pontificatum, cur licitum eis non erit minora quoque beneficia percipere?*

4 *Defuncto Paulo PP. I. Pontificatui se ingessère, Theophilactus, Philippus, Constantinus, ac Stephanus Aprutinus.*

5 *Constantinus ex laico Pontificatui se intrusit. Tribus indigenis repulsis, Stephanus alienigena provectus est.*

6 *Stephanus* IV. *vel quando Pontificatum, vel quando alia minora beneficia in Romanâ Ecclesiâ consecutus est, ibi erat extraneus.*

7 *Constantinus fuit depositus, trususque in monasterium, non quia extraneus, sed quia, cum laicus esset, Pontificatum assumpsit.*

8 *Plures ex laicis ad episcopatum provecti sunt, Sergius, Tharasius, Nicephorus, Joannes, Thomas, Nicolaus, & Ambrosius.*

9 *Pontificatum hoc eodem sæculo tenuit S. Zacharias, absque eo quòd ei obstiterit extraneitas.*

10 *Carlomannus, qui apud Benedictinos Beatus appellatur, à Zacharia Papa clericatum, & monasterium in monte Soracte obtinuit.*

11 *Petente Pipino Rege, S. Zacharias misit quædam capitula in Gallias, quorum 16. disponit favore extraneorum.*

12 Parochia *aliquando non significat curam animarum, sed totam Diœcesim, &* Diœcesis *interdùm parochiam.*

13 *Argumentum à contrario sensu validum est. Assentiente Præsule, potest clericus extraneus consequi beneficia.*

14 *His ea similia sunt, quæ Hadrianus Papa I. decrevit in aliis capitulis, in gratiam Ingilramni Episcopi Mediomatricis.*

15 *Antonius Augustinus notas dictis capitulis apposuit, & sextumdecimum concordat cum aliis canonibus.*

16 *Cum assensu Episcopi, ad quem clericus spectat, poterit hic ubilibet ad ordines pariter provehi, & ad beneficia.*

17 *Tempore Stephani Papæ* Fulradus *Abbas plura possedit beneficia Abbatialia diversis in locis Gallię.*

18 *Stephanus Papa III. confert præfato Fulrado Gallo duo beneficia Romę, ut in literis ad eum datis legitur.*

19 *Quorum beneficiorum unum possidebat anteà* Ratchis, *fortè Rachisius Rex Longobardorum, & deindè Monachus.*

20 *Fulradus privilegium à Papa impetravit, nè posset à Concilio Episcoporum consecrari Episcopus.*

21 *Paulus PP. I. Stephano fratri in Pontificatu successit: Carlomannus à Monte Soracte, Montem Cassinum adivit.*

22 *Jussu Abbatis sui Galliam remeavit, ut impediret Pipinum, nè veniret contra Aistulfum Longobardorum Regem.*

23 *Donatio beneficis significat etiam collationem. Laicus ex dispensatione potest beneficia saltèm in commendam adipisci.*

24 *Idem Paulus PP. I. præfato Regi Pipino concessit Georgium Episcopum, & Petrum Presbyterum, beneficia in Italiâ possidentes.*

25 *Cum dicti Georgius, & Petrus non possent sinè titulo remanere, debuerunt aliis beneficiis in Galliâ provideri.*

26 *Pipinus Rex memorat patrimonia B. Petri in partibus Neapolitanis, & Episcopos illius regionis solitos Romæ consecrari.*

27 *Ipse Paulus Papa Pipino scribit ut Marinum Romanum, Gręcis faventem, beneficio Episcopali desigere faciat in Gallia.*

28 *Epistola refertur Pauli PP. I. ad Pipinum, ut Marinus in Gallia ad aliquem provehatur Episcopatum.*

29 *Archiepiscopi, ut erat Vulcharius, multum poterant in electione Antistitum prò Ecclesiis suffraganeis.*

30 *Utile est bono publico, & etiam ipsis Regibus, Ecclesiam libertate potiri admittendi extraneos ad beneficia.*

31 *Nuper vidimus in Regno Galliæ, in Neapolitano, Siculo, & alibi Clericos extraneos Episcopatibus insignitos, & hoc utile est politicè.*

32 *Tàm jure igitur, quàm facto, patet, quod hoc Sæculo, Ecclesiæ liberum erat præficere extraneos beneficiis.*

1. OPTIME semper in dogmatum probatione proceditur, quotiès vel jurium, vel eventuum allegatione, veritas, de quâ differitur comprobatur. Sed ubi jura cum eventibus conglobantur, fortior emergit sinè ambiguitate probatio. Id autèm succedit in casu nostro, quatenùs Sæculum Christi Octavum uberrima & jura, & facta, prò tuendâ Ecclesiæ libertate, in admittendo ad sacras præbendas, tàm clericos indigenas, quàm extraneos, subministrat. Et in primis dupdecim Summi Pontifices hoc Seculo thronum Apostolicum tenuerunt, quorum septem extranei ab urbe Româ fuerunt, & quinque indigenæ. Tàm autèm indigenæ, quàm extranei suis & factis, & literis, & decretis, prò admissione clericorum extraneorum ad beneficia ecclesiastica perorarunt. Romani fuerunt

Gre-

Gregorius II. monachus ordinis S. Benedicti: *Stephanus III.* Canonicus Regularis: *Paulus I.* ejusdem Stephani germanus frater: *Hadrianus I.* & demùm *Stephanus IV.* qui quoniam solis quatuor diebus vixit, ab aliquibus nec intèr Summos Pontifices computatur (*a*). De Leone III. agetur Sæculo subsequenti.

2. Extranei fuerunt *Joannes VI.* Grecus: *Joannes VII.* Celaber, è Rossano XIV. Papa Regnicola: *Sisinnius* Syrus, ex Antiochia: *Constantinus* itidem Syrus: *Gregorius III.* paritèr Syrus: *Zacharias* & ipse Calaber, Siberenus, Ordinis S. Benedicti, quintodecimus Pontifex, qui è Neapolitano Regno prodierit: & *Stephanus IV.* è Castro Tossinæ Vallis Sicilianæ in Aprutio, decimussextus intèr Pontifices Regni Neapolitani(*b*). Quos omnes idcircò fuisse constat à Romana urbe nedùm extradiæcesanos, sed etiàm extraprovinciales, imò & extranationales, Græcos, Syros, Calabros, Aprutinos, totocœlo tandèm extraneos. Cum autèm jàm non semel ostenderimus, quod etiàm Summus Pontificatus intèr beneficia ecclesiastica computatur (*c*); oportet alterum ex his duobus inferre, vel quod isti septem Summi Pontifices (prout, & alii ejusdem qualitatis, de quibus huc usque fuit, & inposterum sermo erit) vel inquam, quod isti Pontifices ad gehennales ignes in perpetuum sint damnati, eo quod Pontificale beneficium adepti sint, cum essent extranei, contrà jus divinum, naturale, & humanum, ut ex adverso supponunt Contradictores; vel oportet quod ipsimet memorati Pontifices, non obstante quacumque extraneitate, Romanum Pontificatum licitè potuerint adipisci.

3. Quod sint perpetuò damnati, sinè magnâ temeritate affirmare nemo, vel impudens, audebit: ergò fateri oportebit, quod iidem licitè Summum Pontificatum adepti sint: hocque posito, ità subinfertur: si clericis extraneis, & adeò à longè venientibus, quantum distant Aprutium, Calabria, Græcia, Syriaque ipsa, ab urbe Româ, liberum, & licitum est usque ad supremum Pontificalis beneficii apicem evolare; nescimus videre, quare, & ibi, atque alibi, per totum orbem, non sit eis licitum consequi beneficia Episcopalia, & Abbatialia, & parochialia, & canonicalia, & merè simplicia, & quæcumque tandèm beneficia dicto Summo Pontificatu sunt inferiora: cum notissimum sit in jure, quod cui licitum est plus, minùs etiàm licitum esse debet (*d*), ideoque argumentum ductum à majori ad minùs, validissimum, & multum efficax reputatur (*e*). Nec ulla est ratio, quare quis valeat apicem, & culmen beneficiorum ecclesiasticorum, qualis est Romanus Papatus acquirere, minora verò non valeat obtinere.

4. Sed alia, quæ concernunt hos ipsos Pontifices perpendamus, & primò de provectione Stephani IV. agamus. Defuncto Paulo Papa I. quatuor viri adipiscendæ Pontificali cathedræ se ingessere, tres Romani, nempè *Theophylactus* S. R. E. Archidiaconus, *Philippus* Abbas S. Viti de urbe, ac presbyter Cardinalis, & *Constantinus*, frater Totonis Ducis Nepesini, ipse quoque Romanus, quippè Romæ domum habebat, ubi sibi faventes milites congregavit (*f*): Et unus extraneus; nempè *Stephanus*, e Tossina Castro Vallis Sicilianæ in ulteriore Aprutio (*g*), qui ob similitudinem vocis loci patriæ, à pluribus censitus est fuisse Siculus (*h*), & ab initio canonicorum Regularium institutum sequutus est, deindè monachorum D. Benedicti regulam est professus, in cœnobio S. Chrysogoni, demumque presbyteri Cardinalis S. Cæciliæ honore præfulsit (*i*). Vix autem Theophilactus Pontificatum assumpsit, quod coactus est abdicare. Itidem Philippus, nondum penè tiarâ indutâ, quintò post die, se illâ exvere adactus est. Constantinus verò aliquantò diutiùs, nempè per 13. menses, se in Pontificatu confovit (*l*).

5. Sed cum hic ipse Constantinus, è laicali statu ad Pontificale decus pervenisset; Christophorus Primicerius, ac Sergius Sacellarius ejus filius, illi nactam dignitatem detrahere fategerunt: nàm callide postularunt facultatem ab illo (jàm sacris ordinibus insignito, & Episcopali quoque charactere perancto,) deponendi offi-

(a) *Vid. Alphons. Ciacon. Barthol. Platin. Anastas. Biblioth. Luitpran. Ticin. Albo. Floriac. & alios in his Pontif.*

(b) *Vid. Auctores citat. & Onuphr. Panvin. in Rom. Pontif.*

(c) *Mart. de jurisd. p. 2. c. 39. n. 1. Paris. de resign. l. 2. qu. 1. à nu. 5. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 47.*

(d) *Cap. cui licet. 53. de reg. jur. in 6. Authent. multo magis C. de sacros. Eccles. Barbos. Axiom 140. n. 4.*

(e) *Menoch. cons. 210 n. 11. Alex. cons. 8 n. 9 l. 5 Decian. con. 49 n. 55 l. 2 Barbos. tract. var. loc. 67. n. 1. & 3.*

(f) *Anast. Biblioth. in Steph. 4. PP. 96.*

(g) *Ciacon. in Stephan. 4.*

(h) *Anast. Luitprand. Panvin. in Steph. 4.*

(i) *Ciacon. loc. cit.*

(l) *Anastas. Luitprand. & Ciacon. in Steph. 4.*

officia, quibus in Romanâ Ecclesiâ perfungebantur, & ad quoddam monasterium proficiscendi, in finibus Longobardorum situm, ut ibi monachatum profiterentur: quâ obtentâ, Desiderium Longobardorum Regem adierunt, ipsumque adversùs Constantinum verbis efficacissimis concitarunt, ut eundem à Pontificali Sede deiiceret: prout & factum est, prolixo illo rerum successu, quem apud Anastasium Bibliothecarium legere est (a), subindeque in ejus locum evectus est ad Papale fastigium Stephanus IV. Quomodò autem, tribus indigenis à Pontificatu repulsis, nempe Theophilacto, Philippo, & Constantino; data fuerit hæc dignitas Stephano extraneo? Nemo non videt, id evenisse propter solam libertatem, quâ potitur Ecclesia, sua officia, & beneficia prò ejus libito porrigendi, tàm clericis extraneis, quàm indigenis.

6. Qui Stephanus tametsi tempore adepti Pontificatus esset Presbyter Romanæ Ecclesiæ, & Cardinalis S. Cæciliæ, adeoque indigena; tamen, cum ex Aprutio venisset, ac Romæ per plures gradus, canonici Regularis, monachi S. Chrysogoni, Cardinalis S. Cæciliæ, & Papatus, ascendisset; certè aliquando ibi fuit extraneus, vel quandò canonicatum, vel quandò monachatum, vel quandò Cardinalatum, vel quandò Pontificatum adeptus est, quæ sunt diversi ordinis beneficia, & sic argumentum, vel ex unâ, vel ex alia parte subsistit. Ad hæc Sergius, & Christophorus præfati, quorum unus possidebat in Romanâ Ecclesiâ beneficium Primiceriatus, & altèr Sacellariatus, licentiam à Constantino, Pontificatum exercente, poposcerunt utrumque beneficium deponendi, & monachale beneficium extrà Romanam curiam assumendi: hoc autèm agendo, quid sibi voluerunt, nisi factis apertissimis declarare, liberum esse clericis extraneis, & aditum, & ingressum ad ecclesiastica beneficia?

7. Nec officit quod Constantinus præfatus fuerit depositione mulctatus, & in monasterium detrusus, aliisque pœnis afflictus, quas recensent Historici (b), Nàm ut innuimus, ipse Romæ erat indigena, non extraneus, ideoque illius depositio ab extraneitatis vitio non processit. Et quatenùs etiam fuisset extraneus; non deficit, sed potius invalescit multò fortiùs argumentum; nàm si erat extraneus, quid est quod in processu suæ condemnationis nunquam vocatus fuit in culpam, quod esset extraneus? sed solummodo, quod cum adhuc esset laicus, Pontificatum consequi aggressus esset? Extraneum promoveri ad ecclesiastica beneficia, decantant Contradictores, esse crimen atrocissimum, ac tale, quod, & divino, & naturali, & humano jure interdicatur. Ad illa verò provehi laicos, est crimen longè levius, quippè illud nec divina, nec naturalis lex prohibet, sed solum jus positivum, in aliquibus canonibus explicatum (c): vel vetitum quia Romani Pontifices ità sanxerunt (d), quibus legibus cessantibus, nulla penitùs esset culpa, laicum ad Ecclesiæ præbendas, atque dignitates attolli.

8. Præsertim cum antèa plures laici ad Episcopalia beneficia provecti fuissent, de quibus ipse Constantinus, in Concilio Romano, in quo illiùs causa ventilata est, ait: *Et Sergius Archiepiscopus factus est. Et Stephanus Neapolitanæ civitatis, & iste laicus, repente Episcopus consecratus est* (e). Sed & hoc eodem octavo Christi sæculo, Tharasius ex mero laico thronum Constantinopolitanæ Ecclesiæ conscendit (f): & immediatè post ipsum, Nicephorus eandem nactus est dignitatem, de quo Cedrenus: *Nicephorus secretarius creatus Sanctissimus Patriarcha &c. Plato autem, & Theodorus Studiani Collegii præfectus, eam electionem improbaverunt, & discessionem fecerunt, probabili usi argumento, non debere scilicet subitò aliquem de laico Episcopum fieri; quos Imperator urbe ejecisset, nisi consilium ejus quidam infregissent. Sanè id neque novum, neque recens excogitatum fuit factum, cum multi etiam alii de laicis Episcopi creati Deo convenienter se in eo munere tractaverint* (g). Sic & Nectarius, ut quidam scribunt, Constantinopoli (h), & S. Joannes Eleemosynarius Alexandriæ (i), & S. Thomas Belzettus Cantuariæ (l), & S. Nicolaus Myræ (m), & S. Ambrosius Mediolani (n), & S. Severus Ravennæ (o), & alii alibi

ex

(a) *Anast. Biblioth. in Steph.* 4.

(b) *Anast. in Steph.* 4. *Card Baron an.* 768. *n.* 7. *& ann.* 769. *n.* 1. 3. *& 5.*

(c) *Cap. quid proderit* 7. *c. Statuimus.* 8. *dist.* 61.

(d) *S. Gregor. l.* 7. *ep.* 5. 114. 123. *Hadrian.* 1. *ep.* 1. *ad Tharasium.*

(e) *Concil. Brac.* 2. *an.* 563. *c.* 38. *can Concil. Rom. ad Gallos. c.* 12 *ap. Sirmon. to.* 1. *Conc. Gal. f.* 197.

(f) *Anastas. Biblioth. in Steph.* 4. & *bis in fin.*

(g) *Baron. ann.* 384. *num* 4.

(h) *Cedren. hist. comp. in Niceph. Imp. an.* 4. *fol.* 392.

(i) *Baron. ann.* 381. *num.* 61.

(l) *Ex ejus Vit. ap. Sur.* 23. *Januar.*

(m) *Ex ejus Vita & Baron. ann.* 1162. 23.

(n) *Ex ejus Vita & Card. Baron. ann.* 374. *num* 5. 6. 7.

(o) *S. Petr. Dam. in ejus vit.*

ex laicis Episcopali beneficio decorati, optimè, ac sanctissimè suo munere perfuncti sunt, nec reiicit Ecclesia prorsus laicos, sed postponit; ideoque tametsi laici eligi non valeant, possunt tamen legitimè postulari (*a*). Ut sic ergo loquendo, laicum beneficio Episcopali præfici, non est semper malum: & quando est malum, non est malum, quia malum, sed malum quia prohibitum; adeoque est crimen valde leujus omni crimine, quod nedum lege humanâ, sed etiam, sit juribus divino, & naturali prohibitum. Quare si Constantinus erat damnandus ob injustè adeptum Pontificale fastigium; non refundenda erat culpa in defectum clericatus, sed in vitium extraneitatis; vel saltèm principaliter in hoc, tamquam gravius, & enormius, ut ex adverso supponitur; secundario verò in illud, velut minoris momenti. Sed cum in hoc judicio, rigorosissimè acto, rebusque diligentissimè perscrutatis, semel atque iterùm ad trutinam vocato (*b*), nihil de extraneitate sit illi objectum; oportet quod vel Constantinus fuerit Romæ indigena, & non obstante indigenatu, prævaluerit super eum Stephanus IV. extraneus: vel quod si fortè fuit extraneus, nihilominùs ratio extraneitatis nullam intulerit ei culpam, sive defectum, propter quem non posset infulis Pontificalibus insigniri.

9. Similitèr unus ex clericis extraneis, qui Summum Pontificatum, intra hujus octavi sæculi curriculum tenuerunt, fuit *Zacharias*, quem tàm Luitprandus Ticinensis, quàm Anastasius Bibliothecarius, & alii, notâ Sanctitatis distinguunt (*c*) hic verò, Ciaconio teste, fuit *Polichronii Pontini filius, Siberenæ magnę Gręciæ, nunc Calabria dictæ, urbe natus, Canonicus Regularis, deindè monachus S. Benedicti, mox S.R.E. Presbyter Cardinalis, XV. Papa Regnicola* (*d*), qui proindè & Monachatus, & Canonicatus, & Cardinalatus, & Papatus beneficia, nihil prorsus metuit adipisci, in loco, à quo toto cœlo erat extraneus, absque eo quod hinc quidquam prejudicii sanctitas illius acceperit, cum imò valde ipsam reveriti fuerint pręcipui orbis monarchæ, inter quos Luitprandus, & Rachisius Longobardorum Reges (*e*), ac Pipinus, qui ejus auctoritate Francorum Regnum suscepit, Childerico inerte dejecto, & in monasterium detruso (*f*), atque alii mundi Poceres, & Magnates.

10. Quorum nulli postponendus est *Carlomannus*, ejusdem Pipini frater, qui patriâ relicta Romam venit, & à S. Zacharia Papa, tam clericatum (*g*), quàm coronam, & habitum monachalem suscepit (*h*), impetratâ quoque ab eo Ecclesiâ S. Silvestri in Monte Soracte, ubi monasterium construxit, sive ampliavit, ut ibi vitæ monasticæ operam daret: prout & fecit, donec aliquanto post indè discessit, & ad Cœnobium Montis Cassini se contulit, ibique regulariter vixit (*i*), succesivè autem in Galliam redivit, & Viennę mortuus est (*l*). Quare is extra patriam, beneficio Ecclesiæ Sancti Silvestri in Soracte monte ditatus, ubi monachatum profitendo se affixit, deindè Cœnobium Montis Cassini pergens, ubi se nova monachali affixione ligavit, demumque in Gallias revertens, in alio monasterio statutus est (*m*), vitâ, & professione monasticâ nunquam dimissâ; profectò non semel, sed pluries beneficium ecclesiasticum adeptus est in locis, à quibus erat extraneus; nedumque non peccasse censitus est contra legem Dei æternam, divinam, naturalem, & humanam, sed potiùs laudabilitèr se gessisse, & apud monachos D. Benedicti Beatorum albo conscriptus est.

11. Ad hæc S. Zacharias interpellatus fuit à præfato Pipino, cum consilio Episcoporum, Abbatum, atque Procerum Galliæ (*n*), per presbyterum suum, nomine Ardochanium (*o*), sive Ardobanium (*p*), ut eis mitteret *aliquanta capitula de sacerdotali ordine, & quæ ad animarum salutem pertinent* (*q*). Votis eorum annuit Pontifex, & inter transmissa capitula, sextodecimum sic effatur: *de clericis, qui proprias Ecclesias relinquunt, quid de eis agi debeat ex canone SS. Apostolorum c. 15 ità continetur: si quis presbyter, aut diaconus, aut quilibet de numero clericorum, relinquens propriam parochiam, pergat ad alienam, & omnino declinans præter Episcopi subconscientiam, in alienâ parochiâ commoretur, hunc ulteriùs ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo redire contempserit, in suâ* inquie-

(a) *Cap. osius 10. dist. 61.*

(b) *Card. Baron. ann. 968. n. 2. 7. 39 & in 969. nu. 1. 2. 3. Anastas. in Steph. 4. Ciacon. ibi*

(c) *Luitpran. & Anast. in S. Zachar. Baron. ann. 741. nu. 13*

(d) *Ciacon. vit. Pont. in Zacharia*

(e) *Anastas. Ciacon. & alii in Zachar.*

(f) *Marianus Scot. Chron. ann. 750. Sigeb. Gembl. Chron. eod. ann. Lamb. Scafnaburg. hist Germ. an 750. Siffrid. Presb. epit. l. 1. an. 750.*

(g) *Anast. in Zachar. Luitpr. ibid.*

(h) *Sigebert. Chron. ann 742.*

(i) *Marianus Scot. Chron. ann. 747. Sigebert. ann. 746. Regino Chron. eod an. Ciacon. in Zachar.*

(l) *Sigebert. Gembl. Chron. ann. 754. Eginhard. annal. ann. 755. Chesne. tom. 2 f. 235.*

(m) *Luitpran. Ticinen. de vit. Rom. Pont. in Stephan. 3. f. 99.*

(n) *Zachar. PP. ep. 7. ap. Binium to. 5. Conc. f. 482. vel epist. 9. apud Sirmond. to. 1. Concil. Gall. f. 562.*

(o) *Zachar. PP ep 8. ap. Binium loc. cit.*

(p) *Zachar. PP. ep. 10. ap. Sirmond loc. cit.*

(q) *Zachar. d. ep. 8. sive 10.*

inquietudine perseverans (a). Loquitur de clericis alibi se conferentibus, ut ibi permanerent: nàm de transeuntibus disponit cap. 19. quod recipiantur, nempe ad celebrandum, vel ministrandum, dummodò commendatitiis epistolis sint stipati.

12. Loquitur quoque de permansuris in alienâ Diœcesi, quatenùs *parochia*, nedùm significat Ecclesiam alicujus Diœcesis, apud quàm residet presbyter, animarum curam exercens; sed etiàm quandoque, ut hic, sumitur prò totâ Diœcesi, vel territorio, per quod auctoritas alicujus Antistitis dilatatur: & ità pluriès in sacris canonibus Parochia significat Diœcesim (b): prout, & è contrà *Diœcesis* quandoque ad significandam parochiam usurpatur (c). Prohibet ergò canon Apostolicus, à Zacharia capitulis memoratis insertus, ne quis ad aliam Diœcesim, ibi permansurus accedat, & beneficia ecclesiastica suscepturus, seu ut ibi possit *clericatuum officia exercere. Eum autèm, qui hoc facit canon segregat &c. cum tamen in aliâ civitate, ut laicum versari canon non prohibet &c. Quare nota, quod non solum commendatitiis literis clerico opus est, volenti in alia Diœcesi agere, & quæ sunt clerici exercere, sed etiàm dimissoriis literis Episcopi, qui eum fecit clericum* (d), inquit Balsamon, expendens canones Apostolicos, alioquin sinè illis extrà patriam ecclesiasticas præbendas nancisci prohibetur.

13. Tota autèm vis canonis Apostolici, & consequenter etiàm canonis Zachariæ, inhæret prohibitioni Episcopi, qui clericum ordinavit: nàm hic, Antistite suo contradicente, alibi extrà patriam demigrare, ac beneficia ecclesiastica suscipere prohibetur; ergò à lege contrariorum, à quibus optimum semper deducitur argumentum (e), & adeò validum, ut prò jure, in rebus, jus concernentibus, habeatur; & illud quod per id probatur, dicatur probari per textum juris (f), à lege inquam contrariorum arguendo; convincitur, quod si Episcopus, ordinarius clerici, consensum præbeat, optimè potest clericus ad alienam Diœcesim transire, & ibi officia, ac beneficia ecclesiastica obtinere. Lex ergò Zachariæ ad Pipinum, & Episcopos, Abbates, Proceresque Galliæ directa, sed simul etiàm ad totius Ecclesiæ instructionem dictata, quàm quoque cum sociis capitulis, in Synodo, per D. Bonifacium Moguntinum congregandâ, publicari mandavit (g), apertè præscribitur, posse quemlibet clericum extraneum beneficiis, & officiis ecclesiasticis munerari, dummodò nativus ejus Antistes assensum illi præbeat, vel saltèm dissensum non interponat.

10. His consimilia sunt ea, quæ *Hadrianus* Papa I. in aliis capitulis dictitavit, editis in gratiam Ingilramni Episcopi Mediomatricis, Romæ tunc degentis (h), sed citrà dubium, ad instructionem totius Ecclesiæ promulgatis: quæ idcircò Antistites illorum temporum sibi prò lege observanda proposuere (i). In quorum uno ità disponitur: *Nullus Episcopus alteriùs parochianum præsumat retinere, aut ordinare, absque ejus voluntate, vel judicare, quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ità & dijudicatio* (l), cui capitulo hoc quod subsequitur, in sententia Antonii Augustini conjungi debet (m). *Si quis Episcopus judicaverit, vel ordinaverit alteriùs parochianum, sinè consilio, & voluntate Episcopi sui, oportet eum non sinè increpatione in communi consilio admitti, ità ut ecclesiasticum ultrà non solvat canonem* (n). Hisce Hadriani capitulis notas apposuit Antonius Augustinus præfatus, Archiepiscopus Tarraconensis, qui ad sextumdecimum, per nos allegatum, illud cum aliis canonibus concordando, sit ait.

15. Nullus Episcopus alteriùs parochianum &c. *Hæc verba sunt Niceni* (*hæc eadem verba sunt cap. 14. Mogunt. Conc. sub Arnulfo, & lib. 7. c. 308. Capit. & in additis c. 149.*) *Concilii c. 26. attestatur Julius Papa ep. 2. c. 6., sed desiderantur hæc verba post verbum, judicare*, salva tamen in omnibus Apostolicâ auctoritate. *Extat quoque de eadem re cap. 16. Niceni Conc. Græcè, & Latinè; ex quo est dist. 71. c. 3. Burch. l. 1. c. 109. Juo. p. 5. c. 211. decreti. Nec dissimile est cap. 35. Græcis, Latinis 36. Apostolorum. Callistus PP. ep. 2. latius, ex qua sunt*

(a) *Cap. 16. Zachar. in ejus ep. 7. ap. Binik, vel 9. ap. Sirmond. loc. cit.*

(b) *Cap. Lugdunensis 9. qu. 2. Capitular. Carol Magn. l. 1. c. 22. Domin. Magri Vocab. Eccles. V. Parochia.*

(c) *Capit. Presbyter 12. qu. 4.*

(d) *Balsam. ad Canon. 15. Apost.*

(e) *Mascard. de pub. conclus. 1145. num. 3. Gratian. discept. for. c. 995. num. 2. Ricciul. de jur. pers. l. 2. cap. 23. num 5.*

(f) *Castillo consil. 19. n. 2. Rimenal cons. 110. n. 49 Barbos. tract. var. loc. 27 nu. 1.*

(g) *Zachar. PP. ep. 8. ap Binium tom. 5. f. 486. & 10. ap. Sirmond. to. 1. Conc. Gall. f. 569.*

(h) *Canon. Hadrian. ap. Bin. t. 5. Conc f. 565*

(i) *Sirmond. in notis ad Cap. Hadrian. to. 2. Conc. Gall. f. 681.*

(l) *Canon. Hadrian 26. ap Bin. loc. cit. vel 18. ap. Sirmond. tom. 2. Conc. Gall. f. 104.*

(m) *Ant. Aug. not in Can. 18. Hadrian. ap. Binium loc. cit.*

(n) *Canon. Hadrian. 28. vel 30. ubi supr.*

sunt tria capit. Gratiani 9. qu. 2. Bureh. l. 2. c. 39. & Juo. par. 6. c. 140. decreti, ex decretis Hadriani Papæ c. 15. Juo. par. 5. c. 100. & 101. & par. 14. c. 72. decreti, ex Callisti epist. Anselm. l. 6. c. 118. & epist. Xisti omnibus Episcopis c. 119. & cap. 120. &c. Addamus Siricium PP. in epist. 4. c. 6. & similem Innocentii ep. 2. c. 7. qui refert hanc fuisse Nicæni Concilii sententiam. Ex hoc cap. sumpsit Gratianus c. 2. dist. 71. Juo. 3. 5. 73. Panor. idem multis Conciliis proditum est, Antiocheno c. 13. & 21. ex quibus sunt 9. qu. 2. c. 6. & 7. &c. Sardicensi c. 15. Græcis, Latinis 18. 19. ap. Gratian. dist. 71. c. 1. &c. (a).

16. Hæc, & alia prolixo dictatu adjungit Antonius Augustinus, ostendens, hunc Hadriani canonem aliis Ecclesiæ canonibus cohærere; nec semèl, sed penè centies, & Romanos Pontifices, & sacra Concilia, in eandem concurrisse sententiam, non licere Episcopo alteriùs clericum, invito proprio Episcopo retinere, vel ordinare, salvâ tamen in omnibus Apostolica auctoritate. Quare in primis constat, liberum esse Summo Pontifici quemcumque, & undecumque clericum ordinare, ac retinere, nimirum, & sacris ordinibus insignire, & beneficii ecclesiastici collatione, suo clero inserere, & alibi etiam locare. Secundariò ex lege contrariorum habetur, quod etiàm cuilibet alteri Episcopo licitum, & liberum est alienum clericum, tàm ordinare, quàm retinere, dummodò nativus clerici Antistes suum ipsi ordinationi, ac retentioni præstet assensum: Hocque satis est ad nostrum intentum: Nàm ad Contradictores pertinebit in casibus practicis demonstrare, quod ordinarius clerici, in alienâ Diœcesi, beneficii alicujus porrectione retentis, eidem retentioni, sivè beneficii consecutioni resistat.

17. Aliqua nunc loquamur de *Stephano Papa II.* vel secundum alios III., qui Summi Pontificatus clavum tenuit currente hoc Seculo Christi Octavo: quique tametsi Romæ non fuerit extraneus, sed indigena; solida tamen nobis exhibet documenta, extraneorum causæ, quàm agimus suffraganta. *Fulradus*, vir intèr Gallos nobilissimus (*b*), ordine presbyter (*c*), officio Capellanus, & Consiliarius Regius (*d*), dignitate Archipresbyter Franciæ (*e*), atque Abbas celeberrimi cœnobii S.Dionysii, siti prope Parisios (*f*), missus primò Romam à Pipino Rege, ut de illius provectione cum Zacharia Papa tractaret (*g*), denuòque in Italiam remissus, ut Stephano Papæ II. adjutor esset, prò recuperandis terris Ecclesiæ, ab Aistulpho Longobardorum Rege retentis (*h*), suo tempore satis emicuit, eique à Theodulpho Episcopo inscribuntur versus, in quorum titulo vocatur Abbas S.Quintini (*i*). In suo testamento hic Fulradus asserit, quod contulit cœnobio S. Dionysii monasterium de Lebbraha, & Cellam S. Hyppoliti (*l*), quare cum hæc tot monasteria possederit, eorumque Abbatialia tenuerit beneficia, proculdubio beneficia ecclesiastica retinuit in locis, à quibus erat extraneus.

18. Præter autèm jàm dictas Abbatias, & monasteria, ipse Fulradus alia duo beneficia, diversis monachis concedi consueta, & Romę consistentia, peroptavit adipisci; eaque obtinuit à præfato Stephano Papa II. ut ex literis ad eum datis, quarum tenor est sequens &c. *Igitur quià petistis à nobis quatenùs hospitale, positum infrà Basilicam B. Petri, infrà Sepulchrum B. Leonis Papæ, quod tenuit Raschis monachus, juris ipsius Basilicæ B. Petri: necnon & domum positam juxtà monasterium B. Martini, cum inferioribus, & superioribus suis, cum meatu suo, & horticello, quàm tenuit Nazarius monachus juris Ven. Monasterii S. Stephani &c. vobis ad tempus emissa præceptione concedere deberemus; inclinati precibus vestris, per hujus præcepti seriem, suprascriptum Hospitale, & domum cum inferioribus, & superioribus suis, vel omnibus in integro pertinentibus à præsenti decimâ indictione diebus vitæ vestræ vobis concedimus detinendum &c.* (*m*).

19. Notum est, quod Hospitalia, ad vitam alicui collata, sunt Ecclesiastica beneficia (*n*); De domibus etiàm cum hortis, aliisque suis dependentiis, ad pia loca pertinentibus, non est dubium, quin si viro Ecclesiastico ad vitam conferantur, sint Ecclesiastica beneficia: Itaque Fulradus Gallus, præter beneficia Abbatialia S. Dio-

(a) *Anton. Aug. not. in Canon. 15. Hadrian. ap. Binium to. 5. Conc. fol. 575.*

(b) *Carmina de Fulrado ap. Duchesne hist. Franc fol. 648.*

(c) *Ejus Epitaph ex Alcuin. ap. Duchesne to. 2. f. 690. Steph. PP. ep. 3. ad Pipin.*

(d) *Annal. Franc. an. 771 Duchesne tom. 2. f. 13. & 28. Vit. Carol. M. ap. Duchesne to. 2. f. 50. & 70. Stephan. PP. ep. 3. ad Pipin. ap. Sirmon. to. 2. f. 20.*

(e) *Hadr. PP. I. ep. ad Tilpinum, ap. Sirmond. to. 2. Conc. Gall. fol. 73.*

(f) *Duchesne H. H. Franc tom. 2. fol. 344. & 690.*

(g) *Annal. Franc. an 759. ap Duchesne to. 2 f. 12. & 25.*

(h) *Steph. PP. 2. ep. 5. ap. Sirmond. tom. 2. Conc. Gall f. 24. Baron. ann. 755. n. 26. & ann. 756. n. 3. Annal Franc Faldens. ann. 756. & Fragment. Scriptor. de reb. Pipin. ap. Duchesne f. 534. & 209.*

(i) *Ap. Duchesne hist. Franc to. 2. f. 645.*

(l) *In Capitulis Carol. Calv. ap. Duchesne hist Franc. to. 2. f. 416.*

(m) *Steph. 2. ad Fulrad. ap Sirmon. tom. 2. Conc. Gall f. 28.*

(n) *Barbos. jur. univ. l. 3 c. 4. n. 65. cum aliis.*

S. Dionysii, S. Quintini, ac de Lebbraha, nec non Cellæ S. Hippolyti, ac Archipresbyteratum Franciæ, adhuc bina beneficia Romæ consecutus est, ubi omninò erat extraneus. De quibus Romanis beneficiis, unum vacabat, sive per obitum, sive aliter per dimissionem *Ratchis* monachi, à quo fuerat ante possessum. Hic autem Ratchis, facillimè potuit esse *Rachisius* Longobardorum Rex, qui Regno dimisso monachatum Romæ professus est (*a*), indè ad celebre cœnobium Montis Cassini se contulit, ubi adhuc est vinea, quam tantus vir, à sublimitate Regalis majestatis ad humilitatem monasticam inclinatus, propriis manibus excolebat, diciturque vinea Rachisii, qui passim *Ratchis* nominatur, tàm ab Anastasio Bibliothecario (*b*), quàm ab aliis Historicis (*c*). Et ità beneficium istud à Fulrado Gallo possessum, anteà retinebatur à Rachisio, natione Longobardo, & Romæ prorsus extraneo; adeoque cùm bis successivè duobus extraneis obtigerit, negari non potest viros extraneos beneficiorum esse capaces.

20. Nec omittenda est ponderatio privilegii, collati per eundem Stephanum Papam III. ipsi Fulrado Abbati, in quo plura continentur, & hoc signantèr, *Sancimus, ut nullo modò Concilium Episcoporum, & Laicorum, absque voluntate excellentissimi filii nostri Pipini Regis, vel suæ dilectionis, Deo amabilis vir, te audeat quoquo modo Episcopum consecrare* (*d*). Episcopus consecrari non poterat Fulradus, nisi in locis, a quibus erat extraneus, nam cum esset monachus, & Abbas S. Dionysii, titulatus, & cardinatus reperiebatur in illo Abbatiali beneficio, quod erat præcipuum inter plura ab illo possessa, & sic evadebat extraneus à quocumque beneficio Episcopali, alibi sito. Si autem opus fuit Apostolico privilegio, ut se tueri posset, nè fieret Episcopus in loco extraneo; necessariò præsupponitur, quod cessante hoc indulto, potuisset ad Episcopale provehi beneficium: alioquìn ad quid impetrare tamquam ex privilegio, id quod de jure conceditur (*e*). Ex tota ergò serie eorum, quæ de Stephano Papa III. attulimus, ac de Fulrado, & de Rachisio, satis elucescit, quod extraneis optimè patet aditus ad Ecclesiastica beneficia.

21. Successivè descendamus ad *Paulum* Papam I. qui quantùm ad se Romanus fuit, Stephanique præmemorati germanus frater, unico inter Pontifices exemplo; nec anteà etenìm, neque posteà, hic amplius evenit casus, ut duo fratres sibi *immediatè* in Summo Pontificatu succederent (*f*). Etsi autem Paulus Romæ fuerit indigena, non defuit tamen suis operibus, atque scriptis, extraneorum causæ prodesse, quippè multiplices eisdem suppetias præbuit, & præsidia: quorum entdistincta narratio. Carlomannus, Pipini frater, sæculo relicto, ut superiùs diximus, Romæ attonsus per manus Zachariæ Papæ (*g*), monachalem vitam professus est, exercuitque in monte Soracte, apud Ecclesiam S. Silvestri, ubi monasterium sibi construxit, sivè ampliavit, aliis quoque tribus, in eo vicinatu, præsidens monasteriis. In monte Soracte, aliquantò tempore, vitæ monasticę operam dedit (*h*), sed quià Galli per locum illum devertentes, frequentèr concurrebant, ut eum reverentiæ obsequiis colerent, & mundum cum suis pompis ab eo calcatum demirarentur; hocque agendo nihilominùs ejusdem pacem nimium perturbabant; ipse extemplo montem Cassinum adivit, ibique monachalem vitam professus est (*i*), ut ibidem, optatâ quiete sacrę solitudinis, prò qua regalia commoda, & palatinos strepitus reliquerat, sinè perturbatione animi frueretur.

22. Subindè tàm jussu proprii Abbatis montis Cassini, quàm suasu Aistulfi Regis, eum malignis artibus decipientis (*l*), in Gallias remeavit, ut obsisteret votis Stephani Papæ II. alias III. Pipinum adversùs Aistulfum ipsum Longobardorum Regem concitantis (*m*), quod ęgro animo fecisse Carlomannum, testatur Eginhardus his verbis: *invitus tamèn hoc fecisse putatur, quià nec ille Abbatis sui jussa contemnere, nec Abbas illius, præceptis Regis Longobardorum, qui ei hoc imperaverat, audebat resistere* (*n*). In Francia verò consistens, dùm Viennę cum Bertradâ Reginâ fratriâ suâ moraretur, languore correptus interiit, loculoque aureo inclusum ejus cadaver ad montem Cassinum remissum est (*o*). Dudum autèm antequam

(a) *Sigebert. in Chron. ann. 749.*

(b) *Anastas. in Zachar. PP.*

(c) *Fragm. vetr. scriptor. de gest. Carol. M. & de rebus Pipin. in Ital. ap. Andr. Duchesne t. 2. hist. Franc. f. 206 & 213.*

(d) *Privil. Stephan. PP. 2 ap Sirmon. to. 2. Conc. Gall f. 38.*

(e) *Fagnan. in Cap. Pastoralis n. 19. de appell. l. 2.*

(f) *Ciacon. Vit. Pont. in Paul. 1. PP. 95.*

(g) *Lamber. Scafnaburg. hist. Germ an. 747 Sigeber. Gembl. Chron. ann. 746. Anast. Bibl. in Zachar. Aimoin. l. 3 cap. 60.*

(h) *Regino in Chron. ann. 745. Herm Contract. Chron. ann. 746. Eginhar ann. 746. Aimoin. loc. cit.*

(i) *Regino loc. cit. Marian. Scot. hist. l. 1. & 6. ann. 747. Eginhar. l. cit.*

(l) *Luitpran. Ticinen. in Vit. Pont. in Steph. 3*

(m) *Regino. Chron. an. 751 Sigiber. Chron. ann. 752. Leo Ostiens. Chron Cassin. l. 1. c. 7.*

(n) *Eginhard. an. 753 Leo Ostien Chron. Cassinen. l. 1. c. 7. Eginhar. ann. 755.*

(o) *Leo Ostiens. l. cit. Eginhar. 755.*

quam moreretur, sivè ex quo à Soracte monte ad Cassinense monasterium se recepit, sivè alio tempore intermedio, idem Carlomannus monasterium prefatum S. Silvestri in monte Soracte, cum tribus aliis vicinis monasteriis, Zacharię Papę concessit, quamquàm & alitèr ipsa monasteria fuissent ad Sedem Apostolicam devoluta. Illa ergò monasteria Paulus Papa I. Pipino Regi donavit (*a*).

23. Sivè autèm hęc donatio fuerit collatio, quatenùs in jure, ut pluries diximus, donatio prò collatione suscipitur (*b*), ità ut Pipinus Rex monasteria illa in beneficium, seù in commendam liberè possideret (saltèm etenìm in commendam, si non in titulum, laici possunt, ex dispensatione Apostolicâ, possidere ecclesiastica beneficia) sivè ipsa donatio significaverit juspatronatus, ità ut Pipinus, tamquàm Patronus posset ad beneficia illa monasterialia, & respectivè Abbatialia, viros idoneos pręsentare; certum est, quod illa fuerunt viris extraneis destinata: nàm Pipinus, in Galliâ natus, absque ambiguitate, apud montem Soractem erat extraneus; qui si monasteria illa in personâ propriâ, uti sibi commendata, possidebat; certè beneficia ipsa à viro extraneo retinebantur; si ea jurepatronatus dispensanda susceperat; profectò tamquàm vir Gallus, non nisi Gallos viros, ordinariè saltèm loquendo, ad eadem nominabat, sicque Paulus Papa I. quatuor beneficia monasterialia, sivè Abbatialia, viris toto cœlo extraneis possidenda proposuit; non id acturus, nec Pipinus ea suscepturus, si vel per umbram somniassent, quod beneficia extraneis elargiri, sit piaculum humano, divino, & naturali jure prohibitum, uti venditant Adversarii.

24. Ipse Paulus Papa I. eidem Pipino Regi concessit Georgium Episcopum, & Petrum presbyserum, quos poscebat, ut apud se retineret, de quibus illi hæc perscripsit; *præcelsa Christianitas vestra, per easdem suas à nobis petiit syllabas, Georgium Episcopum, & Petrum presbyterum in vestro permanere servitio nos debere concedere. Et quidem præcellentissima vestra benignitas agnoscat nos jàm dudum de hoc vestræ obtemperasse voluntati per Andream quippè religiosissimum missum vestrum sicuti poposcitis in exaratis destinatis Apostolicis syllabis, eos vobis dignoscimur concessisse. Intimantes, ut sivè retinendos, sivè etiam absolvendos esse vestra fuisset voluntas, ità de eis peragere deberetis. Undè etiam, & nunc in vestro voluntatis arbitrio relaxamus, aut qualitèr vobis de eis placueris, tàm retinendos, quàm absolvendos faciatis, dum semel à nobis vobis concessi sunt, sed utinam ipsi placabiles in vestro possint esse servitio! Pro quo dirigite nobis, quid de episcopatu prædicti Georgii, & de Ecclesiâ, quę prænominato Petro commissa est, peragere debeamus &c.* (*c*).

25. Ex hujus epistolæ dictatu facillimè dignoscitur, Georgium, & Petrum, Episcopatum, & Parochiam, sivè aliam Ecclesiam intra fines Italiæ tenuisse, missos verò fuisse in Franciam ad petitionem Pipini, cujus arbitrio remisit Paulus eos apud se retinere; sic tamen ut illorum Ecclesiæ, aliis clericis idoneis pręberentur: cumque ipsi Georgius, & Petrus sinè titulo remanere non possent; satis hinc deprehenditur, eosdem debuisse aliis beneficiis ecclesiasticis in Galliâ provideri; nihil penitùs attento, quod ibi essent extranei, quippè extraneitas, nec tunc, nec unquam, prò vitio reputata est, Clericos à beneficiis ecclesiasticis repellente. Quæ si vitium, & quidem vitium tale fuisset, ac talis qualitatis, ut leges divinam naturalem, & humanam læderet, juxtà sensum Contradictorum; proculdubio, nec Paulus Papa indulsisset, nec Pipinus Rex indulgeri postulasset; nec Georgius Episcopus, neque Petrus presbyter, ut eorum personæ Regi indulgerentur, permisissent; nec hi tandèm beneficia, quæ in Italia, & forte in patriâ, legitimè possibebant, stultè dimisissent, ut alia illicitè susciperent in Galliâ, ubi erant extranei.

26. In eadem epistola Paulus Papa Pipino Regi gratias refert, quod operâ Desiderii Longobardorum Principis, hæc quæ subjungit, ad Romanæ Ecclesiæ utilitatem fecisset: *In embolim verò direxit nobis à Deo protecta excellentia vestra, pręfatum vos Desiderium admonuisse, Reges Neapolitanos, & Cajetanos constringere ob restituenda patrimonia protectori vestro B. Petro, illic Neapoli sita, & largiri electis*

(a) *Paul. PP. I. ep. 12. in Cod. Carolin. Sirm. to. 2. Conc. Gall. f. 61. num. 2.*

(b) *Cap. Quia diversitatem §. de concess. præb. & alibi.*

(c) *Paul. I. ep. 26. in Cod. Carol. ap. Duchesne to. 3. f. 741.*

solitè ad suscipiendam Episcopalem consecrationem ad hanc Apostolicam properandi Sedem. Quapropter maximas de hoc, & de omnibus excellentiæ vestræ referimus grates (a). Constat hinc, Ecclesiam Romanam in Neapolitano Regno patrimonia tunc temporis tenuisse, ac Episcopos illius regionis solitos fuisse Romæ Episcopalem consecrationem suscipere, quibus rebus, cum obstacula ponerent Reguli, sive Rectores Urbium Neapolis, & Cajetæ, vel fortè aliqui Principes Regii sanguinis Longobardorum, qui tum Neapoli, aut Cajetæ commorabantur; tàm Paulus Papa, quàm Pipinus Rex Francorum, & Desiderius, apud Longobardos magnâ præpollens actoritate, conjunctis viribus egerunt, ut à malè inceptis desisterent. Quam proficuè autem ad causam nostram faciat praxis illa, qua Episcopi Regni Neapolitani usque ab antiquis illis temporibus consecrationem à Sede Apostolicâ suscipiebant, satis elici potest ex his, quæ superiùs relata sunt, dum de D. Gregorio Magno sermo haberetur (b), undè nostrum illuc remittimus Anagnostem.

(a) Paul. 1. loc. cit. & in Embolim.

(b) Vid. hic supr. sec. 7. c. 14 à n. 22.

27. Alia namque ipsius Pauli Papæ I. epistola nobis discutienda remanet, in quâ de Marino Romano presbytero in Galliâ cardinando pertractat. Quis fuerit iste Marinus, nobis plenè non constat. Duos autem fuisse Marinos in Romanâ Ecclesiâ, circa hæc tempora, nempè sub Gregorio Papa III., non est dubium; alterum presbyterum S. Sabinæ, & alterum presbyterum SS. duodecim Apostolorum (c). Alius quoque Marinus presbyter S. Laurentii in Damaso subscriptus reperitur diplomati, quod idem Paulus in Concilio Romano edidit, favore Monasterii S. Stephani, à se in paternis ædibus erecti (d). Quis ex hiscè tribus Marinis, vel quis alius, ab istis diversus, fuerit ille Marinus, de quo impræsentiarum est sermo, res remaneat indecisa: sed sive fuerit unus, sive alter, hoc parum refert. Unum est, quod quidam Marinus, Pauli Papæ presbyter, Græco Imperatori, à quo Italia defecerat, intimè favens, cum Gregorio Cæsareo ministro quædam consilia, Sedi Apostolicæ contraria, ipsique Pipino perniciosa, molitus est. Paulus ergò Papa Regem Pipinum interpellavit, ut eundèm Marinum in Galliâ retineret, ibique illum faceret alicui beneficio Episcopali præfici. Cui proindè scripsit.

(c) Alph. Ciacon. Vit. Pont. in Greg. III.

(d) Bin. to. 5. Concil. f. 524. Ciacon. vit. Pontif. in Paul. I.

28. *Omninò compertum habet vestra Christianissima excellentia, qualitèr Marinus presbyter noster ibidem ad vos moratur, iniquâ operatione contrà Sanctam Dei Ecclesiam, fidemque orthodoxam, Deo sibi contrario, cum Georgio quodam Imperiali à secretis, consilia sedi nostræ contraria, & vestræ simili modo ingerere cupiens. Quod quidem, & idem Imperator vestræ, à Deo protectæ, excellentiæ, per suas innotuit literas. Undè quia defensorem fidei orthodoxæ, atque propugnatorem gregis sui, vel populi Christiani liberatorem Christianissimam bonitatem vestram B. Apostolus, & Princeps Apostolorum Petrus eligere, & confirmare dignatus est, idcircò adoptamus, atque deprecamur eximiam bonitatem vestram optimè Rex, & spiritualis compater, ut jubeas sanctissimo fratri nostro Vulchario Episcopo præcipere, quatènus ipse eundem Marinum presbyterum nostrâ vice Episcopum consecrare debeat in una Civitatum vestrarum, illis in partibus constituta, in qua prævìderit vestra sapientissima eximietas eum ordinare disponite, quatenùs perpetrati sceleris sui recordans, se iniquè egisse pœniteat: ne in eo, quod absit, antiquus humani generis hostis mentem illius vagantem inveniens, quasi in sublimè extollat, sævissimèque quodammodo valeat funditus disperdere.*

29. Indè pergit idem Pontifex Paulus, *sed magis, ut confidimus in vestram benignissimam excellentiam, atque à Deo præclaram cordis vestri dilatationem huic nostræ postulationi præclara vestra excellentia aurem accommodare dignetur, quatenùs & ille securus de hujusmodi rè persistat, & nos prò vestrâ immensâ lætitiâ, atque sospitatis gaudio indesinentèr Dominum Deum Cæli exorare jubeamus. Benè valete* (e). Vulcharium, in hac epistolâ memoratum, censemus esse Vulcharium, sive Vvilicarium Archiepiscopum Senonensem, cujus crebrò mentionem faciunt historiæ illius temporis, una cum Fulrado presbytero Abbate S. Dionysii (f): Unusque fuit ex Episcopis, è Galliâ ad Romanum Concilium missis, habitum anno

(e) Paul. I. ad Pipinum ep. 39. in Cod. Carolin. & ap. Duchesne to. 3 f. 756.

(f) Annal. Franc. ann. 771. & in Annal. Franc. eod. ann. apud Duchesne to. 2 f. 33. 38

anno 769. sub Stephano Papa III. in causâ Constantini Pseudopapæ, atque sacrarum Imaginum (a). Cui Vulchario committi mandat Paulus Pontifex curam præficiendi Marinum præfatum alicui beneficio Episcopali, in Galliâ consistenti; quatenùs, cum valdè potens esset auctoritas Archiepiscoporum in electione Antistitum, ad suas metropoles attinentium; facilè erat Vulchario Marinum in aliquâ Ecclesiâ illarum partium, fortè etiam tunc vacuâ, collocare: Vulchario inquam, viro magni nominis, ingentis existimationis Metropolitæ, ac Præsuli Ecclesiæ Senonensis, unius ex primariis totius Galliæ sedibus, cui tunc suffragabatur etiam ipsa metropolis Regni Gallici Lutetia Parisiorum, nunc Archiepiscopali emicans dignitate.

(a) Sirmon. to. 3. concil. Gall. in Conc. Rom. an. 769. f. 66.

30. Ex quibus primò patet, quod Paulus Papa I. usus est Apostolicâ suâ potestate in mandando, ut Marinus Italus, in Galliâ; & Romanus, intra fines metropolis Senonensis, vel alibi in Francici Regni amplâ extensione, de beneficio Episcopali provideretur. Secundò, quod presbytero Romano patuit aditus etiam usque in Franciâ ad ecclesiastica beneficia, nihil ei obsistente extraneitate, ac indigenatus defectu. Et tertiò, quod extraneos posse præfici beneficiis, nedùm non est Ecclesiæ, & bono publico perniciosum, sed imò est utile, proficuum, & opportunum: adeoque etiam *politicè* loquendo expedit, Ecclesiam hac libertate potiri: quâ fretus Pipinus Rex potuit facillimè, ex condicto cum Papa, Marinum illum cohibere, contrà res Gallicas maligna tentantem, & cum Constantinopolitano Imperatore præjudicialia ipsi Pipino Regi molientem. Hinc cernimus, quod Principes potestate potientes nominandi Clericos, beneficiis præficiendos, interdum benè utuntur præfatâ libertate favore extraneorum: & ut audivimus, in ipso Regno Valentiæ, tametsi munito amplissimo Sedis Apostolicæ privilegio, extraneos, etiam Hispanos, excludente; adhuc tamèn inibi quandoque Clerici extranei beneficiis, præsertim Episcopalibus munerantur, quia Hispani Reges, rebus benè ponderatis agnovère, sic pro bono publico expediens esse.

31. Vidimus temporibus nostris in Galliâ Italos; in Regno Neapolitano Hispanos; in Siculo, tàm Italos, quàm Hispanos; In Hungaria Italos itidem, & Germanos, & sic de aliis regionibus, quando ità placet iis, ad quos spectat, beneficiis Episcopalibus præfici, & multò faciliùs beneficiis minoris ordinis decorari, quia publico bono præstat quandoque extraneos illic inserere, vel ut Ecclesiæ universali in opportunitatibus præsto sint, vel ut Principum temporalium jura tueantur, vel ut, si quid ibi contra fidem, contra ecclesiasticam disciplinam, aut contra Principem, vel quietem publicam, intentatur, congrua præbeant adjumenta, & quandoque per speciem etiam cujusdam honoratæ relegationis, utile est posse Clericos, novitatum capaces, ne turbationes in locis excitent, posse inquã illos procul alibi collocare. Hacque ipsâ ratione jussus est à Paulo Papa I. Marinus presbyter Romanus in Episcopali Ecclesiâ locari apud Gallos, ut ibi positus consilia illa complere non posset, quæ jam favore Græcorum adversùs Ecclesiam Romanam, totiusque Italiæ statum, & Galliæ Regem, videbatur in sui cordis intimis confovère.

32. Itaque ex huc usque deductis in præsenti capitulo: ex gestis nempè, atque ex scriptis Romanorum Pontificum, eorumque, de quibus hic factus est sermo; tàm jure, quàm facto; patet, quod sæculo Christi octavo decurrente, Dei Ecclesia totâ, & totali potiebatur libertate admittendi ad ecclesiastica beneficia, tùm inferioris, tùm superioris ordinis, Clericos ubicumque natos, tàm indigenas, quàm extraneos. Quæ libertas, cum alioquìn sit ipsi Ecclesiæ connaturalis, hæcque nèc eâ unquam fuerit denudata, quinimò, & nèc ipsâ valeat ab ullâ humanâ potestate privari (nisi quatenùs alicubi per specialia indulta Apostolica, justis, gravibusque de causis fuit alitèr dispositum) sequitur, quod sicuti tunc, ità & nunc, eâdem libertate perfruatur: Undè legitimè hic veniat concludendum, quod liberum, & licitum est Ecclesiæ, in primisque Romano Pontifici, necnon & Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, beneficia ecclesiastica, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

CAPUT XIX.

In quo ex Conciliis, & presertim ex Concilio Romano, *sub Zacharia Papa, ex* Niceno II. *Generali VII.,* & *ex* Francofordiensi, *aliisque sacris canonibus, probatur, quod Ecclesia, currente* Octavo Christi saeculo, *integrâ libertate potiebatur, conferendi ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *In Concilio Romano sub Zacharia editus est canon, interdicens Episcopis ordinare, suscipere, & usurpare alienum Clericum.*

2 *A contrario sensu, cum sui Praesulis consensu, qui deesse non solet, permissum est ordinare, suscipere, & usurpare alienum Clericum.*

3 *Adfuerunt huic Concilio plures Episcopi Regni Neapolitani, qui suo facto faverunt admissioni extraneorum ad Ecclesiastica beneficia.*

4 *In Concilio Niceno* II. *generali conclusum est admittere ordinatos ab Hereticis, exemplo Anatolii Alexandrini, ordinati à Dioscoro heretico.*

5 *Non deerant Constantinopoli Clerici, Monachi, & Laici, ad Patriarchatum idonei, tamen hoc beneficium datum est Anatolio Alexandrino.*

6 *Interdixit quoque Synodus Clericis ministrare, sinè licentia sui Praesulis, ac Ordinarii loci. Parochia interdum significat Dioecesim.*

7 *Plura Concilia inhibent laicis ponere presbyteros in Ecclesiis, sinè assensu Episcopi: consonant alii canones, afficiuntque pro beneficiis.*

8 *Ministrare in Ecclesiis significat etiam ecclesiastica beneficia. Sensus Theodori Balsamonis refertur de canone hoc Niceno.*

9 *Vi Canonis Niceni* II. *clericis permissum est in alienâ dioecesi, beneficia nancisci, si eorum, & Episcopi localis concurrat assensus.*

10 *Praesuli Constantinopolitano, & Carthaginensi licitum fuit clericos alienos alibi locare. Cur id non liceat Papae?*

11 *Idem Concilium alium edidit canonem de monachis. Hi sunt totidem beneficiati, & cur? Eorum exemplo utuntur Contradictores.*

12 *Monasteria olim erant inter se independentia, nec monachis patebat migratio de uno ad aliud: nunc res alitèr est.*

13 *Tanta non est adstrictio clericorum cum suâ dioecesi, quanta est monachorum cum suo coenobio, tamen dictum Concilium permittit istis migrationem.*

14 *Expositio Balsamonis ad hunc canonem docet, monachos habuisse tamquam de regulâ S. Basilii, ut transire possent ad aliud coenobium,*

15 *Ita Petronax, Alcuinus, & alii Abbatias alibi nacti sunt. Si monachis licita est migratio; multò magis licita est Clericis.*

16 *Ipsum Concilium permittit clerico extra urbem Regiam posse in duabus Ecclesiis collocari, à quarum alterutrâ poterat esse extraneus.*

17 *Epitome illa canonum, quam Hadrianus PP. I. Carolo Magno consignavit, plura continet, ad rem nostram facientia: & quae?*

18 *Jubet ne Episcopus alienum clericum sibi vendicet, nisi concedente Episcopo ejus.*

Item

Item ut Episcopi vacui in alienâ Civitate ponantur &c.

19 *Episcopus vacuus aliam sumens Ecclesiam, ab eâ est extraneus. Quibus permittitur posse ab alio ordinari, permittitur etiam beneficia adipisci.*

20 *Seculo Christi octavo Ecclesia liberè præficiebat beneficiis, etiàm extraneos; qua libertate, nec exuta fuit, nec spoliari potuit.*

21 *In Concilio quoque Francofordiensi editus est canon, prohibens clericis in alienâ Ecclesiâ recipi, sine licentiâ sui Præsulis.*

22 *In eodem Concilio tractatum est de Elipando Toletano, &* Felice Urgellitano, *qui sentiebant, quod Christus quà homo est filius Dei adoptivus.*

23 *Felix iste erat Gallus, qui & suos errores docuit* Claudium Taurinensem *Hispanum: neuter horum carptus est, quod beneficia tenerent ubi erant extranei.*

24 *In quo paritèr Concilio Carolus Magnus Patres commonuit, ut in consortium suarum orationum reciperent Alcuinum, qui & similia à Papa poposcit.*

25 Alcuinus *Anglus quis, & qualis fuerit? Multò honore habitus est à Carolo Magno, qui eum, & favoribus, & redditibus cumulavit.*

26 *Habuit Alcuinus quinque Abbatias, in diversis diœcesibus Galliæ, voluitque monasterium Fuldense adire, sed ei obstitit Carolus, nè tanto viro privaretur.*

27 *Si vera esset opinio Contradictorum, oporteret damnare Alcuinum, Carolum Magnum, Leonem Papam III., ac Patres Concilii Francofurdiensis.*

1. SEDANTE in D. Petri Cathedrâ Zachariâ Papâ I. celebratum est *Concilium Romanum* in Basilicâ Vaticanâ, anno Christi 743. in quo plures canones editi fuerunt, unusque ex eis est sequens: *Interdicimus, ut nullus Episcoporum audeat, juxtà sanctorum canonum instituta, quemlibet clericum bigamum, aut qui viduam duxerit uxorem, ad sacros ordines promovere, aut alterius civitatis clericum, sinè dimissoriis sui Episcopi suscipere, vel ordinare, nequè eum usurpet, nisi Episcopus ejus precibus exoratus concedere voluerit, quià hoc Sancti Patres statuerunt. Si quis verò præsumpserit, canonicas damnationes sentiat* (a). Tria hic prohibentur, ordinare, suscipere, & usurpare alienum clericum. Ordinare, ideft ad sacros ordines promovere. Suscipere, ideft ordinatum ad celebrandum, sivè ministrandum admittere. Et usurpare, ideft proprio Clero inserere, quod in idem resonat, ac albo eorum adscribere, qui stipendia ecclesiastica, sivè præbendas, aut beneficia sacra, in propriâ Ecclesia suscipiunt: hæcque sinè consensu Episcopi, ad quem clericus pertinet.

2. Et à contrario sensu, à quo, ut pluries diximus, optima sumitur arguendi ratio (b), talitèr ut oppositum ejus, quod in canone prohibetur, sit idem ac jussio canonis, & veluti legis textus expressus (c), tria quoque in præsenti canone permittuntur, nempè ordinare, suscipere, & usurpare alienum clericum, semper, & quotiès Antistes nativus clerici assensum suis literis dimissorialibus impertiatur. Et stando hic in puris terminis admissionis ad ecclesiastica beneficia, non aliud in præsenti canone ad hunc effectum exigitur, quàm assensus Præsulis clerici extranei; ergò quotiès hic assensus non deest, optimè usurpari potest clericus extraneus, seù albo clericorum alienæ Ecclesiæ conscribi, & in eâ beneficiis ecclesiasticis munerari. Quo posito, habemus intentum, nec aliud in casibus practicis impedire poterit provectionem extraneorum ad ecclesiastica beneficia, nisi defectus assensus proprii Episcopi, quem nunquàm, vel penè nunquàm defuturum esse censemus, & quotiès non deest, contentum in canone locum habet.

3. Nec abs rè erit adnotare quod huic Concilio præfuit Zacharias Papa, qui tamquàm Calaber, à Romanâ Ecclesiâ prorsùs erat extraneus (d), & nihilominùs ibi usque adeò proficere potuit, ut ad ipsum supremum beneficium Apostolici Pontificatus valuerit promoveri. Paritèr intèr Episcopos huic Synodo subscriptos leguntur, Marcus Lucerinus, Pelagius Cosentinus, Anfredus Tarentinus, Cæsareus

(a) *Concil. Rom. ann. 743 ap. Bin. to. 5. conc. f. 496. & in multis.*

(b) *Cap. quamquam, & ibi DD. de Cens. l. 6 c. qualis dist. 25. Decius cons. 183. num. 1. & 2. Castr. cons. 175. nu. 3. lib. 1.*

(c) *Valenzu. consil. 112. n. 34. & cons. 122 n. 157. Barbos. tr. var. Loc. 27. n. 1.*

(d) *Anastas. Bibl. Luitpr. Ciacon. & alii in Zachar.*

sareus

sareus Beneventanus, Theodorus Capuanus (*a*). Qui Ecclesiis præsidentes, in Regno Neapolitano constitutis, suo facto docuerunt, se illorumque Ecclesias, sive Ecclesias illius Regni, in eo sensu tunc fuisse, in quo & usque nunc perseverantes fuerunt, nempè, quod ecclesiastica beneficia non tantùm clericis indigenis, sed etiàm extraneis liberè, & licitè valeant dispensari, dummodò Episcopus nativus, sivè ordinarius clerici extranei non dissentiat. Aliàs si suspicari potuissent, quod non obstante hoc assensu, extraneis clausus esset aditus ad beneficia, nunquàm præsentem canonem edidissent, nec ei edito subscripsissent. Quarè longè à sensu præfatorum Præsulum, & Ecclesiarum, quibus ipsi præerant, elongantur Contradictores nunc exclusionem extraneorum tali, ac tantò conatu, & tot dicteriis promoventes, adeoque à methodo per suos Antenatos observatâ enormitèr deviantes.

(a) *Concil. Rom. sub Zach. an. 743. in fine.*

4. Intrà hoc idem Octavi Seculi spatium, habitum est *Concilium Nicænum II.* Generale VII. ex Episcopis 367. collectum, in causâ Iconoclastarum, adversùs sacras Imagines in Oriente grassantium (*b*). In cujus Concilii Actione I. discussa est causa Basilii Ancyrani, Theodori Myrensis, & alteriùs Theodori Amoriensis Episcoporum, qui in Conciliabulo Constantinopolitano, sub Leone Isaurico Iconoclastâ, sacras Imagines cum aliis condemnaverant; nunc autèm facti pœnitentes, cantatâ palinodiâ, & ejuratâ hæresi, suis redintegrari sedibus postulabant, & benignè restituti sunt (*c*). Ventilata est etiàm quæstio, an admittendi essent illi, qui ab hereticis fuerant ordinati: lectâque ex historiâ Theodori Lectoris narratione Anatolii Alexandrini, qui fuerat à Dioscoro heretico, itidem Alexandrino, ad sedem Constantinopolitanam promotus, Tharasius Patriarcha Constantinopoleos ait: *Quid dicitis de Anatolio? nonne Primas Sanctæ Synodi fuit, & ecce à Dioscoro impio ordinatus est, ergò, & nos suscipiamus eos, qui ab hereticis ordinati sunt, quemadmodum & Anatolius receptus est* (*d*).

(b) *Cabassut. Bail. Binius, & alii ad conc. Nicæ. 2. Gral. 7.*

(c) *Petr. Annati ap- par. ad posit. Theol. l. 4. act. 8. f. 78.*

(d) *Conc. Nicæn. 2. act. 1. ut Bin. to 5. Concil. f. 546. F. & tom. 6. f. 23.*

5. Erat inquam Anatolius Alexandrinus, & uti talis, extraneus à magnâ Ecclesiâ Constantinopolitanâ, in quâ ob affluentiam clericorum, & monachorum, & in subsidium, laicorum, non poterat vir deesse, idoneus ad Patriarchales infulas promerendas; & tamèn, cunctis indigenis postpositis, delatum est Patriarchale beneficium ipsi Anatolio, prærogativâ indigenatus carenti, & ab illâ Ecclesiâ prorsùs extraneo. Nihilominùs ejus promotio in hac septimâ Synodo generali, nedum non est damnata, sed imò juxtà sensum verborum Tharasii potiùs fuit probata: non debuisset autèm sinè magnis execrationibus recenseri; si collatio beneficiorum facta extraneis, culpam involueret læsi divini, naturalis, & humani juris, quàm ei inurunt Contradictores: quomodò enim poterat Anatolius esse magìs extraneus, quàm fuisset? Africanus in Asia: Ægyptius in Thracia: Alexandrinus apud Constantinopolim, beneficium primi ordinis, Pontificalis Cathegoriæ, Patriarchale demùm possidere? Ubinam quis fuit magìs extraneus? Et tamèn hæc extraneitas nullum illi intulit præjudicium.

6. Habitæ sunt in hoc ipso Concilio aliæ actiones, usque ad septimam; itidemque plures editi sunt canones; sed in quâ actione nescitur (*e*). Horum autèm canonum decimus ità loquitur: *Quoniam quidam clericorum, parvipendentes canonicam constitutionem, relinquunt parochiam propriam, & ad aliàs parochias convolant, & maximè in hac, à Deo servandâ Regiâ urbe, se se apud Principes locant, in eorum oratoriis missas facientes; hos absque proprio Episcopo, & Constantinopolitano Antistite, non licèt suscipere in quàlibet domo, vel Ecclesiâ: Quod si hoc fecerit, & in eâ perseveraverit, deponatur* (*f*). Per *parochias*, ut alibi advertimus, significantur Diœceses (*g*), prohibeturque in hoc canone clericis, ne à propriâ ad alienam Diœcesim pergant, ibique suscipiantur administrandum in Ecclesiis, ac etiàm in Oratoriis. Invaluerat enim per ea tempora abusus, quod patroni Ecclesiarum, sivè laici, Oratoria possidentes, à se ipsis fundata, vel dotata, in eis sacra officia celebrare faciebant, à clericis undecumque accersitis.

(e) *Amati. loc. cit. not. 1. f. 80.*

(f) *Conc. Nic. 2. c. 10. Bin to. 5. f. 846.*

(g) *Cap. Lugdunensis 5. qu. 2.*

7. Quàm

7. Quàm abusionem hoc ipso currente Octavo Christi Sæculo expungere nixa sunt plura Concilia, & præsertim Svessionense (*a*), Leptinense (*b*), Vernense &c. (*c*). Eandem ergò generali lege configere sategit Concilium generale Nicænum II., nè in ullâ urbe, & præsertìm Constantinopoli, susciperentur clerici, sinè assensu utriusque Antistitis, nempè & ejus à quo clerici discedebant, & illius ad quem eos contingeret pervenire. De hoc canone loquens Cabasutius ait: *de clericorum excursionibus, extrà propriam Diœcesim, absque licentiâ proprii eorum Episcopi, statutum fuerat Nicæni I. Concilii canonibus 5. & 16. Itemque Sardicensibus can. 18. & 19. aut secundum Græcam editionem can. 15. & 16. & Antiochenæ Synodi can. 3. & insupèr Chalcedonensis can. 5. can. 13. can. 20. can. 23. prætereaque Laodiceno can. 41. relato dist. 5. de consec. c. non oportet 36. His accedat Apostolorum can. 13. & 15.* (*d*). Qui canones cum ex alibi relatis, nedùm loquantur de susceptione clericorum quoad solam ministrationem in ordine, sed etiàm quoad consecutionem beneficiorum; nulli dubium videtur, quin etiàm canon hic Nicænus ad significandam adeptionem quoque beneficiorum debeat dilatari.

(a) *Conc. Suession. an. 744 c. 5. ap. Sirmond. to. 2. & Bin. to. 5.*
(b) *Conc. Lept. c. 4. apud Sirmond. loc. cit.*
(c) *Conc. Vern. an. 755. c. 8. Sirmon. to. 2. Bin. to. 6.*
(d) *Cabasut not. Ecc. chad Conc. Nic. 2. c. 10*

8. Maximè cum in eo disertè decernatur, nè clerici extranei sinè assensu utriusque Præsulis suscipiantur ad ministrandum in *Oratoriis*, & *Ecclesiis*, quę sinè propriâ dote fundatæ certè non erant (*e*), adeoque clericis ibi ministrantibus debitus erat ususfructus ipsius dotis, quod idem est ac stipendia, sivè beneficia sacra adipisci. Perpendit præsentem canonem Theodorus Balsamon, atque ità super illo proloquitur: *diversi canones prohibent, clericos parochias, in quibus in Clerum relati sunt, relinquere, & ad aliàs transire. His ergò consequentèr præsens quoque canon decernit, nè ullus clericus absque proprio Episcopo, vel sinè ejus commendatoriâ, & dimissoriâ epistolâ, vel Constantinopolitani Patriarchæ decreto, usquam suscipiatur, vel ministret in quâvis Ecclesiâ, vel in magistratum, seu officiorum Oratorio; is autèm, qui præter hæc fecerit, & in proprium Clerum non redierit, post denunciationem deponatur: Hoc enim significat illud, vel cesset, vel deponatur* (*f*).

(e) *cap. nemo Ecclesiam de Cons. dist. 1. c. 1 cap. piæ, cum 2. seq. 16 qu. 7. Barb. Jur. Eccles. univ. l. 2. c. 2. n. 20.*
(f) *Balsam. ad. Can. 10. Conc. Nic. 2.*

9. Et post quædam alia subjungit: *Ex hoc autèm præsentis canonis contextu, nota quod soli Patriarchæ Constantinopolitano permissum est clericos alienos suscipere, etiàm sinè dimissoriis literis ejus, qui ipsos ordinavit, si modò literas commendatitias attulerint, quibus se ordinatos, & clericos esse probent* (*g*). Igitùr vi canonis hujus Concilii Nicæni II. sivè VII. Generalis, cunctis clericis permissum est posse ad alienas Diœceses migrare, ibique ad ministeria sacra suscipi, & ad regendas Ecclesias, atque Oratoria promoveri, sivè beneficia sacra nancisci, dummodò & eorum Ordinarii, à quo discedunt, & Episcopi loci, ad quem pergunt, accedat assensus. Et à correlativis procedendo (à quibus semper optimum deducitur argumentum (*h*), præsertìm cum utrobique par ratio (*i*) dignoscitur militare) sicuti clericis permissum est ità suscipi, & beneficia sacra nancisci, non obstante extraneitate; ità etiàm Episcopis permissum est alienos clericos suscipere, & ad ministeria, & beneficia ecclesiastica promovere, dummodò Episcopi nativi, sivè Ordinarii eorundem clericorum accedat assensus, quod satis est ad nostrum intentum.

(g) *Balsam. loc. cit.*
(h) *L. 3. C. ne liceat poten. l. fin. C. de indictâ vi tol. Bald. cons. 14. n. 2. l. 4.*
(i) *Farinac. prax p. 4. cons. 85 n. 74. Barb. trac. var. Loc. 29. n. 2.*

10. Sed quod universalitèr dicitur de omnibus Episcopis accedente præfato assensu, ex generali ratione; particularitèr verificari docet Balsamon de Patriarcha Constantinopolitano, auctoritativè, ac sinè assensu præfato, proptèr altioris sedis prærogativam, quàm alibi etàm dicit esse communem Archiepiscopo Carthaginensi (*l*), cujus paritèr arbitrio datum fuisse constat in Concilio Carthagine congregato, jus clericos undecumque sumendi, & non solùm in propriâ suâ Ecclesiâ cardinandi, sed etiàm in quibuslibet aliis Ecclesiis locandi, Primatui Carthaginensi subjectis (*m*). Si autèm Primati Carthaginensis Ecclesiæ, si Patriarchæ Constantinopolitano peculiare jus adfuit, proptèr suarum sedium prærogativam, clericos extraneos, etiàm sinè licentiâ proprii Antistitis, suscipiendi, & in quacum-

(l) *Balsam ad can. 59. conc. Carth.*
(m) *Conc. Cart. 3. c. 44. 45.*

que

que Dioecesi sui districtus collocandi; arguendo à minori ad majus, à quo certum est valere argumentum (*a*), cum Papa sit cunctis Praesulibus Superior, ejusque sedes ampliori facultate potiatur, quàm Carthaginensis, & Constantinopolitana quibus nedum praelatione consessus praevalet, sed etiàm superioritatis jurisdictione (*b*), necessariò inferendum est, quod ei quoquè praefulget, ac libera inest facultas, clericos extraneos undecumque sumendi, & in quacumque Ecclesiâ locandi, atque illos ibi beneficiis ecclesiasticis munerandi, nè minori facultate praeditus esse videatur primus Ecclesiae Praelatus, qualis est Papa, quàm sint alii Praesules subalterni, & illi subjecti.

11. Successivè Concilium Nicaenum II. de quo agimus, alium edidit canonem sub his terminis: *Non oportet monachum, vel monacham proprium relinquere monasterium, & ad aliud se conferre. Si hoc autem contigerit, ipsum ut hospitem accipi est necessarium: sed eum recipi sine mente monasterii ejus Praefecti, non convenit* (*c*). Diximus alibi, & nunc iterùm replicamus, quod monachatus est idem ac Ecclesiasticum beneficium, & quod monachi, quatenùs victum, ac vestitum, aliàque suo usui necessaria de bonis ecclesiasticis monasterii participant, sunt totidem beneficiati (*d*). Nihil relevante, quod ipsi bona illa ecclesiastica non administrent, nèc uti propria moderentur, vitâ eorum durante liberè perfruenda: nàm hoc non pertinet ad essentiam beneficii, quod definitur, esse jus Clerico competens percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis proptèr divinum officium (*e*), hocque etiam suo modo verificatur in monachis, necessaria suo usui de bonis monasterii participantibus; adeoque, & ipsi benè prò beneficiariis ecclesiasticis computantur. Qua inductione, sivè comparatione monachorum, cum Clericis beneficiatis optimè nos posse hic uti arbitramur, quippè illâ utuntur quoque Contradictores: tametsi alioquìn simus conscii, priores a posterioribus non una ex causâ differre.

12. Porrò tempore Concilii II. Nicaeni, & generalitèr olim, quaelibet monasteria, ex se corpus particulare faciebant, à quocumque alio Coenobio independens (*f*), ità ut monachi in aliquo monasterio professi, in illo peculiaritèr vivere deberent, & non ad aliud poterant monachale claustrum transire, sine facultate necessariâ. Successivè posteà monasteria inceperunt in quadam congregatione insimùl vivere, quoad regimèn, & regulam uniformitèr observandam, prout hodie passim fit in cunctis Christianitatis regionibus; nuncque monachi, sive Clerici sub regula viventes, de uno in aliud monasterium, ejusdem tamèn congregationis, sive ordinis, aut Religionis gradiuntur, ità ut ubi olim confinia propriae morae ad scepta sui peculiaris monasterii, ubi professionem regularem emiserant, se porrigebant, nunc ad ambitum cunctorum monasteriorum propriae Congregationis se extendant: Unaquaeque etenìm Religio monastica, vel Regularium habet suum territorium, per totum orbem diffusum, & compositum ex tot minoribus territoriis, quot sunt monasteria huc illuc ad illorum Regularem ordinem pertinentia: Intra quos fines de uno ad aliud Coenobium migrare possunt, & ibi spatiari; extrà verò Congregationem illam, sive ordinem, aut Religionem, transire non valent, nisi in casibus, & juxta modos à jure permissos, de quibus apud doctores (*g*).

13. Itaque magis erant, & adhuc respectivè sunt, adstricti monachi proprio monasterio (sive monasteriis suae Congregationis) in quo professionem emiserunt monachalem; quam Clerici essent, sintque adstricti propriae Dioecesi, quippè monachi expressâ pollicitatione, ac solemni voto se alligabant, & alligant famulatui divino, ibi precisè, in illo peculiari Coenobio, (& nunc in illius particularis ordinis Coenobiis) exercendo; quòd Clerici respectu propriae Dioecesis non faciunt, nèc unquam Clericos vovisse legitur permanentiam in designatâ Dioecesi; sed solum illam promittere censentur tunc, quandò in eadem Dioecesi beneficium aliquod residentiale suscipiunt. Ideoque Clericis beneficio residentiali carentibus, licentiam alio migrandi, & ad extraneam Dioecesim pergendi, ibique commorandi, negari licitè non debere, jam definitum est (*h*). Non obstante tamèn hac majori adstri-

ctio-

(a) *Auth. multo magis C. de Sacros. Eccl. DD. ap. Barbos. tract. var. Loc. 73. nu. 2.*

(b) *Bellarm contr. 3. l. 1. c. 18. tom. 1. Turrian ad Can. 39 Conc. Nicaen. Zecch de Rom. Pont haeres. 3. resp 17. Barbos Jur. Eccl. univ. l. 2. c. 6. nu. 24. 25.*

(c) Conc. Nicaen. 2. c. 21.

(d) *Thomassin. vet. & nov. Ecclesiae discipl. p. 1. l. 3. c. 13. n. 1. & par. 2. l. 3 num 1. Barbos. Jur. Eccles. univ l. 3. c. 4. nu 69.*

(e) Natal. ab. *Alex. Theo. l. 1. c. 6 Tolet instr Sacer l. 5. c. 77. Reginal. l. 29 sec. 2. nu. 78*

(f) *Thomassin. loc. cit. p. 1. l. 3. c. 14 nu. 8 9. 10 & c. & c. 25. nu. 6 & 8*

(g) Barbos. *Jur. Ecclesi. univ. l. 1. c. 42 n. 76 81 83 & seq cum aliis DD. ab eo citatis*

(h) S. Congr. ap Barbos. *Summ. Apost decis. V. Commendatitiae Collect. 188. nu. 4.*

ctione monachorum suo monasterio, Concilium Nicænum II. de quo loquimur, expresse dispofuit, eosdem posse transire ad aliud monasterium, ubicumque, & quantumcumque longè positum, nedùm ad effectum hospitalitatis recipiendæ, sed etiam ad effectum ibi inposterum regularitèr permanendi: dummodò consensus Rectoris monasterii à quo discedebant accederet, quod idem est ac alibi beneficium monachale adipisci.

14. Placeat audire Balsamonem ad hunc canonem, sic loquentem: *Postquam polliciti sunt aliqui, & Deo professi sunt manere in eo monasterio, in quo tonsi fuerunt, quomodo eis permittetur, ut suam professionem infirment, & in aliud Monasterium abeant? Statuis ergò canon, nè Monachus, nec Monacha ex suo monasterio inordinatè recedat, & in aliud monasterium se conferat, ut in eo collocetur. Si hoc autem propter pusillum, & abjectum animum sæpè fiat, is nè ab eo, qui præest, recipiatur, sinè scientiâ, ac notitiâ ejus, qui illius curam gerit monasterii Præfecti, scilicèt sinè dimissoriâ ejus epistolâ &c. Porrò magnus Basilius in suis exercitatoriis canonibus statuit, ut monachus, qui animo offenditur, recedat ab eo in quo tonsus est, monasterio; & hoc faciat postquam monasterii Præfecto, id & semel, & bis dixerit, & etiam monachis, nèc malum corrigitur* (a). Hæc Balsamon, indigitans, nedum potuisse, sed etiam tamquam ex regulâ Basilianâ habuisse Monachos facultatem de uno ad aliud monasterium pertranseundi, causâ justâ id poscente. Ità hoc Sæculo octavo currente, justâ de causâ *Petronax* civis Brixiensis, Abbatiale beneficium Montis Cassini à Gregorio Papa II. est adeptus (b). Ità S. Bonifacius Moguntinus, ità S. Columbanus, de uno ad aliud Monasterium perrexere. Ità Alcuinus à primo cœnobio ad aliud transivit, & quinque Abbatialia obtinuit beneficia. Ità alii, quos non est necesse hic individualitèt recensere, à monasteriis, in quibus professi erant vitam monachalem, ad alia cœnobia transierunt, quorum plenæ sunt historiæ antiquiores.

(a) *Balsam. ad can. 21. Conc. Nicæn. 2. General. 7.*

(b) *Leo Ostien. Chron. Cassin. l. 1. c. 4. Ciacon. in Gregor. 2. f. 242.*

15. Si autèm Concilium Nicænum liberum esse vult monachis, tametsi lege strictiori cum suo cœnobio alligatis, licentiâ sui Præsulis concurrente ad aliud monasterium, quantumcumque distans, transire, & ibi beneficium monachale suscipere, ac ex consequenti etiàm beneficium Abbatiale posse adipisci; multò magis liberum esse voluit clericis sæcularibus, nullâ, vel saltem non adeò strictâ, lege, cum sua Diœcesi alligatis, posse ad aliam Diœcesim pergere, & ibi, non obstante extraneitate, beneficia sacra nancisci. Argumentum etenim, nedum à pari, & à simili procedit, quod sufficeret ad conclusionem ritè inferendam (c), quatenùs de similibus idem est judicium (d); sed etiàm à majori ad minùs, à quo benè in arguendo procedi satis est notum (e), si enìm licitum est id, quod alias strictiorem prohibitionem habuisset; multò magis licere debet id, quod alioquìn nullam, vel saltèm non ità strictam continere noscitur prohibitionem. Loquimur de transitu monachorum, juxta disciplinam antiquam, de qua supra; nàm juxta recentem normam vitæ regularis, monachi, fratres mendicantes, & alii quilibet religiosi claustrales, quotidie de uno ad aliud migrant cœnobium: jamque non est de ratione illorum vitæ locum non mutare, sed potiùs est de ratione illorum professionis locum toties mutare, ac in regiones quoque dissitas transmeare, quotiès ad sui superioris nutum præcipiuntur abire.

(c) *Mascard. de prob. concl. 123. n. 4. Barbos. tract. var. loc. 101. a. 1.*

(d) *L. non possunt, & l. seq. ff. de legib. Farin. pract. crim. par. 1. lit. E. nu. 188.*

(e) *Plures leges apud Barbos. tract. var. loc. 67. num. 1.*

16. Omittimus alium canonem ejusdem Concilii Nicæni II. disponentem, quod extrà urbem Constantinopolitanam, posset clericus in duabus Ecclesiis collocari (f), & consequenter ibi stipendia clericalia, sivè beneficia ecclesiastica obtinere: quippè cum in eo canone nulla fiat restrictio ad Diœcesim, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus (g), tàm obtineri posse duo beneficia voluit Concilium intrà, quàm extrà eandem Diœcesim, eandemque fortè Provinciam: lex etenim generalitèr loquens, generalitèr est intelligenda (h). Et quià sic bina beneficia possidens, vel in primò, vel in secundò loco est extraneus, per ea quæ Synodus expresse statuit, etiàm tacitè definivit, clericis extraneis pate-

(f) *Conc. Nicæn. 2. c. 15. in fin.*

(g) *L. Præsul. ff. de off. Præs. l. 2. §. convenire ff. de Judic. c. Romanorum dist. 9. c. solitæ de major. & obed.*

(h) *L. de pretio ff. de publ. in rem, l. in fraudem ult. de testam. mil. c. solitæ § fin. de major. & obed.*

patere aditum ad ecclesiastica beneficia. Tacitum etenim, quod sequitur ab expresso, in jure reputatur expressum (*a*): Et ità non uno, sed multis modis habetur ex Concilio Niceno II. libertas, quâ potitur Ecclesia munerandi, nedùm clericos indigenas, verùm etiàm extraneos ecclesiasticis beneficiis. Sed jàm ad alia quoque Concilia præsentis temporis perscrutanda transeamus.

17. Intèr sanctiones *Conciliares* Octavi Sæculi computari posse censemus epitomem illam, sivè compendiosam canonum conscriptionem, quàm *Hadrianus Papa I.* anno Christi 773. Carolo Magno Francorum, & Longobardorum Regi, Romę existenti, in uno volumine consignavit, ad dispositionem Ecclesiarum Occidentalium; continetque summam canonum Apostolicorum, ac aliorum editorum in Conciliis *Ancyrano*, *Neocesariensi*, *Gangrensi*, *Antiocheno*, *Sardicensi*, atque in pluribus *Carthaginensibus*, & *Africanis*: qui canones, etsi adeò strictè recenseantur ab Hadriano, ut eis aliquid deesse videatur de illâ sensus plenitudine, quàm continent in suâ fonte; satis tamèn clarè, prò eo quod causam nostram concernit, alicubi proloquuntur. Dicitur enìm ibi ex canonibus Apostolorum: *nè clerici suam Ecclesiam relinquant, prætèr Episcopi licentiam* (*b*).

18. Paritèr ex Conciliis Africanis: *Nè quis Episcopus alienum clericum sibi vendicet, nisi concedente ejus Episcopo.* Deinde; *quod Carthaginensi Episcopo liceat ex qualibet Ecclesia ordinare Præpositos presbyteros, vel Episcopos ad alias Ecclesias* (*c*). Rursus ex Concilio Sardicensi: *Ut ordinatio alieni clerici sinè consensu proprii Episcopi, irrita sit.* Et mox: *Ut Episcopi, à suâ sede expulsi, non prohibeantur in alienâ civitate* (*d*). Exprimitque intersuisse huic Synodo Sardicensi Vincentium Capuanum, Januarium Beneventanum, & Calepodium Neapolitanum Episcopos pręcipuos Regni Neapolitani, tunc Legatorum Sedis Apostolicæ munere perfungentium. Qui canones, tametsi partìm de ordinatione, non de beneficiorum collatione loquantur, partìm de auctoritativâ Pręsulis Carthaginensis potestate, clericos de unâ ad aliam Ecclesiam transvehendi &c. partìm de Episcopis vacuis agant; attamèn satis aptè ad causam nostram faciunt, ut ex sequentibus elucescit.

19. Nàm si Episcopi vacui, quia destinati ad aliquam sedem, & in eâ non recepti, vel post receptionem injustè ab illâ depulsi, ad aliam Ecclesiam provehi permittuntur, causæ extraneorum proculdubio illud proficit, quia ipsi quantumlibet vel à primâ, vel à secundâ Ecclesia essent extranei, tamèn ibi beneficium Episcopale poterant retinere, & multo magis beneficiâ minoris ordinis. Paritèr, quia in sententiâ Contradictorum, antiquis illis temporibus idem erat ad ordines, & ad stipendia, sive beneficia Clericalia provehi; quoties permittitur Clericis posse cum licentiâ proprii Antistitis à nativâ Ecclesiâ discedere, & in aliâ ab alieno Episcopo sacris ordinibus insigniri; permittitur etiam posse in alienâ Ecclesiâ stipendiis, sive beneficiis ecclesiasticis munerari. Demum si ob principalitatem Sedis permittitur Episcopo Carthaginensi posse Clericos undecumque accersere, & ubilibet in qualibet Ecclesiâ suo primatui subditâ collocare; multò magis idipsum permissum esse intelligitur Pontifici Romano, quandoquidem illius Sedes prærogativis gaudet potioribus supèr omnes alias Ecclesias; ejusque auctoritas auctoritatem omnium aliorum Antistitum, nedùm adæquat, verum etiam longè transcendit.

20. Sed quia hæc argumenta latiùs alibi prosecuti sumus; jàm hic calamum temperamus; nèc ulteriùs pro eorum inculcandâ vì sermonem extendimus. Unum est, quod ex sacris Conciliis, atque Canonibus, in præsenti capitulo memoratis, abunde constat, quod currente octavo Christi sæculo, Ecclesiâ, non minus ac sæculis anterioribus, plenâ libertate utebatur, in dispensatione sacrorum beneficiorum, illis decorando, non modò Clericos indigenas, verùm etiàm extraneos, plùs vel minùs, juxta exigentiam rerum, temporum, & personarum: ità ut benemerentiæ Clericorum, atque utilitatis Ecclesiæ, ratio haberetur, non sanguinis, vel originis: cęteris tamèn paribus indigenæ semper extraneis præferrentur: de qua cætero-

rum

(a) *Menoch. de arbitr. cas. 276. n. 2. Barbos. tract. var. Axiom. 89. nu. 5.*

(b) *Can. Apost. 15 in Epit. Hadriani ap. Bin. to. 5. Conc. f. 555.*

(c) *Can. 20. & 21. ex Conc. Afric. in d. Epit. Hadrian. Bin. loc. citat. f. 561.*

(d) *Can. 19. & 21. Sard. in d. Epit. Hadrian. Bin. to. 5. f. 560.*

rum paritate Collatoris beneficii esset judicium dare. Cumque ab istâ libertate nunquam deciderit Ecclesia, imò & cum eâ, nèc fuerit subsequentèr exuta, nèc ab ullâ potuerit humanâ potestate spoliari, (quippè Ecclesia libera est, non ancilla; & libertatem à Deo, non ab hominibus est sortita) sequitur, quod sicuti Ecclesiæ liberum, & licitum erat octavo Christi sæculo, sic & nunc etiam liberum, & licitum est suas præbendas, & qualibet ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiri.

21. Addimus hic opportunè *Concilium Francofordiense*, anno Christi 794. celebratum, in quo talis editus fuit canon: *De Clericis, ut nequaquam de Ecclesia ad aliam Ecclesiam transmigrent, neque recipiantur, sinè conscientiâ Episcopi, & literis commendatitiis, de cujus Diœcesi fuerunt, ne fortè discordia exindè veniat in Ecclesiâ. Et ubi modò tales reperti fuerint, omnes ad eorum Ecclesias redeant, & nullus eos post hæc retinere audeat postquam Episcopus, aut Abbas suus eos recipere voluerit* (*a*). Cujus canonis verba, si attentè perpendantur, non de solâ admissione Clericorum extraneorum ad celebrationem, vel ministerium, sive ordinis exercitium, loqui dignoscuntur; sed de retentione quoque per insertionem in clero, & cardinationem per beneficii, ac muneris ecclesiastici collationem; quam non nisi tunc prohibitam esse decernit Concilium, quando Episcopus, vel Præsul Ordinarius Clerici dissentit, nàm si assensum præbeat, liberè, & licitè fieri posse concedit, & sic satis intentui nostro Conciliaris hæc sanctio [suf]fragatur.

22. Prӕter autem canonem, habemus ex hoc Synodo etiam historiam, ad rem nostram facientem. Convocata est ipsa Synodus ad condemnandum errorem Elipandi Archiepiscopi Toletani, & *Felicis Episcopi Vrgellitani*, sentientium Christum, quà homo est, esse filium Dei adoptivum, atque ità illum à filio Dei naturali, non tantum naturâ, sed etiàm supposito distinguebant, & Nestorianismum jamdiù sopitum rursus excitabant (*b*). Adversùs eos strenuè calamo depugnarunt Etherius Episcopus Uxamensis, & B. Presbyter Asturicensis (*c*). Ad ipsosque retundendos acta sunt Concilia Ratisponense (*d*), ac Romanum sub Leone III. (*e*), præter Francofordiense, de quo nunc loquimur. Et quidem Felix Romam ductus hæresim retractavit (*f*), sed ab Elipando ad errorem pristinum revocatus (*g*), in eo fortiùs se confovit, donec in Concilio Aquisgranensi resipuisse asseritur (*h*), sed ab aliis illum Lugduni incorrectum dicitur obiisse (*i*).

23. Felix hic fertur fuisse origine Gallus (*l*), & consequentèr Urgellis, ubi Episcopale beneficium tenuit illum fuisse oportet extraneum. Prӕter autèm heresim de adoptione Christi, etiàm sacras Imagines dicitur cum Iconomachis impugnasse (*m*): à quo & suos errores hausit *Claudius Taurinensis*; vir, Episcopus quidem Taurini, apud Pedemontanos, sed origine Hispanus (*n*), & nihilominùs nec Etherius Uxamensis Præsul, nec Beatus Presbyter Asturicensis Felicem redarguentes, neque Alcuinus illum suâ epistolâ ad meliorem frugem reducere satagens (*o*), neque Concilia Ratisponense, Francofordiense, ac Romanum, ipsiusmet Felicis causam totiès ventilantia; Nèc demùm alii, qui Claudio Taurinensi fortitèr obstiterunt, de extraneitatis vitio eosdem impugnarunt. Et tamèn cum Felix Gallus Episcopale beneficium Urgellis in Hispaniâ; & Claudius Hispanus, Taurini in Italiâ suscepissent; silendum de illis non fuisset tantum facinus, quod Contradictores jactitant, & humano, & naturali, & divino juribus obviare, sed quià tunc extraneitatis vitium ignotum erat, nec Felix, neque Claudius de illo carpti fuerunt; hujusmodique silentium valdè loquax est, ut ostendat, patuisse tunc extraneis clericis aditum ad ecclesiastica beneficia: nec extraneitatem tunc temporis ullam habuisse rationem vitii, vel defectus, quemadmodum, nec etiàm illam habet nunc, nisi in opinione Contradictorum, vel fortè in solis illorum verbis, nullatenùs verò in mente.

24. Et quià *Alcuini* mentionem fecimus, scire placeat, quod in eodem Concilio Francofordiensi, Rex Carolus magnus, Patres *commonuit etiàm, ut Alcuinum*

(a) *Concil. Francofor. ann. 794. c. 27. ap. Sirmond. to. 2. Conc. Gall. f. 195. Bin. to. 6. Concil. f. 163.*

(b) *Marian. Hispan. hist. l. 7. c. 8. Baron. an. 783. n. 5. & 794. n. 12. Bin. not. ad Conc. Francfor.*

(c) *Vid. in Biblioth. Patr. to. 8 f. 339.*

(d) *Conc. Ratisp. an. 792. Sirmon. to. 2. Conc. Gall f. 160*

(e) *Conc. Roman. an. 796. ap. Sirmon. tom. 2. Conc. Gall. f 224.*

(f) *Baron. ann. 792. num. 1.*

(g) *Bin. in not. ad Conc. Francford. V. Elipandum.*

(h) *Conc. Aquisgr. an. 799. Sirmon. to. 2. Conc. Gall. f 226.*

(i) *Marian. l. 7. c. 8.*

(l) *Biblioth. vet. Patr to. 8. ant. opera Etherii Uxamen f. 339.*

(m) *Concil. Senon. in Decr Fid. c. 24. Platin. in Hadrian. A Castro V. Imago Bin. loc. cit. Verb. Feliciana tom. 6. fol. 189.*

(n) *Vid Marian. & Bin. loc. cit.*

(o) *Vid. Sirmond. to. 2 Concil. Gall. Præf. ad Concil. Rom. ann. 799. fol. 224.*

num ipsa sancta Synodus in suo consortio, sivè in orationibus recipere dignaretur, eo quod esset vir in ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque Synodus, secundum admonitionem Domini Regis, consensit, & eum in eorum consortio, sivè in orationibus receperunt (*a*). Habuit in more Alcuinus orationes, & suffragia similia procurare; nàm etiàm in epistolâ ad Leonem Papam III. per eum scripta, hæc effatur: *Suscipiat obsecro sanctissima pietas vestra, Pater carissime, benigno animo nostræ parvitatis literulas, & me devotum vestræ dilectionis famulum agnosce. Semper sanctæ Romanæ Sedis beatissimos, quantum valui, Principes, & Pastores amavi, cupiens illorum sanctissimis intercessionibus intèr oves Christi numerari, quas Deus Christus post resurrectionis suæ gloriam Beato Petro principi Apostolorum pascendas commendavit &c. Undè ego ultimus sacratissimi ovilis vernaculus, & morbida peccatis ovicula, spè precipuè bonitatis vestræ animatus, antè sanctissimos paternitatis suæ pedes, animo prostratus, supplicitèr deposco, quatenùs dirissima peccatorum meorum vincula, per ecclesiasticam Apostolicæ auctoritatis potestatem solvere digneris, & æternæ pietatis precibus cursum vitæ meæ, qui restat, ad perpetuæ portas civitatis dirigere studeas &c.* (*b*).

25. Quis autem fuerit hic Alcuinus, necessarium est perscrutari. *Alcuinus*, qui & Albinus, vir fuit Anglus origine (*c*), ac patriâ Eboracensis (*d*), vel secundùm alios, apud Londinum natus (*e*). Alii eundem fuisse natione Scotum existimant (*f*), ac id prò certò affirmant Joannes Major, Hector Boethius, Georgius Buchananus, & alii (*g*). Præceptores habuit Venerabilem Bedam (*h*), necnon Egbertum Episcopum Eboracensem (*i*), cujus etiàm Ecclesiæ Diaconus fuit (*l*). Monachatum in cœnobio S. Petri Londini professus est (*m*). Aliquandiù quoque illum in monasterio Fuldensi moratum esse testatur Trithemius (*n*). Intèr egregios discipulos, quos edocuit, unus fuit S. Ludgerus Episcopus Monasteriensis, qui eum in Angliâ docentem audivit (*o*). Ex patriâ regione in Galliam se recepit, eo quod intellexerat, quod Carolus Magnus Rex libenti animo viros literatos amplectebatur (*p*), vel ut aliis placet, illuc se contulit, missus à suo Rege, ut negotia gravis momenti cum Carolo præfato tractaret (*q*). Qui tanti viri captus virtutibus, illum apud se retinuit, nedumque ut studiorum consortem habuit (*r*), sed etiàm ut præceptorem, & magistrum (*s*). Cui etiàm Legati sui munus, quod Romæ exequeretur commisit (*t*), & ut varia scriberet de divinis officiis injunxit (*u*). Quantâ fuerit doctrinâ Alcuinus, ex eo deducatur, quod Paulinus Patriarcha Aquilejensis illum nominat, in divinis rebus peritissimum, & præclarum (*x*). S. Odilo Cluniacensis se illiteratum respectivè ad illum fatetur (*y*). Et Amalarius Fortunatus eundem vocat *doctissimum totiùs religionis nostræ magistrum* (*z*). Quantâ floruerit sanctitate, inferatur ex eo, quod Gallicani Martyrologii tabulis reperitur adscriptus, ubi dicitur miraculis, & spiritu prophetico claruisse (*aa*). Obiit anno 804. & in monasterio Comariensi sepultus est (*bb*). Eum autèm dùm viveret in multis gravibus negotiis Carolus Magnus adhibuit, & nedùm honoribus cumulavit, sed & reditibus terrenis adauxit. De sæcularibus, & profanis hic non habemus sermonem, tantummodò ecclesiasticos memorabimus.

26. Habuit inquam Alcuinus in Galliâ quinque Abbatias, uberrimos ei fructificantes proventus, nempè Abbatiam S. Martini in civitate Turonensi, ubi & Diaconus fuit (*cc*): Comariensem in Diœcesi Tricassinâ: Ferrariensem in Diœcesi Senonensi: S. Judochi in Diœcesi Ambianensi, & aliam quandam (*dd*). Seniò demum confectus voluit ad Monasterium Fuldense in Germaniâ proficisci, & ibi vitam monasticam profiteri, sed Rex Carolus Magnus obstitit, nè illiùs servitiis privaretur (*ee*). Trithemius tamèn, ut mox innuimus, affirmat, illum aliquandiù in ipso Fuldensi monasterio moratum esse. Itàque Alcuinus vir doctissimus, nec minus pietate florens, natione Anglus, in Galliâ beneficia ecclesiastica suscepit, & quidem in tot Diœcesibus dispersa, sed & in Germaniâ monasticum beneficium, vel habuit, & fortè etiàm Abbatiale, in cœnobio Fuldensi, vel intantum non est illud adeptus, inquan-

(a) *Concil. Francoford. an. 794 c. 56.*
(b) *Alcuin. epist. 18. ad Leon. PP. ap. Duchesne Histor. Franc. to. 2 f. 682.*
(c) *Vinc. Bellovac. spec. Hist. l. 23 c. 172.*
(d) *Honor. Augustodun. de illus. Eccl. scrip. Conrad. Liostbenes in epitom. Biblio. Conrad. Gesnen. Anton. Possevin. in Appar. Sacr.*
(e) *Jo. Baleus Anglus Centur. 11 script. Britanniæ.*
(f) *Chronic. Turonens. majus ad an. 791*
(g) *Jo. Major. lib. 11. de gest. Scotor. c. 13. Hect. Boet. l. 10. hist. Scot. Georg. Buchanan l. 5. rer. Scotic.*
(h) *Vincen. Bellov. loc. cit. Anton. Possevin. ubi supr.*
(i) *Card. Baron. an. 778. nu. 13. 14.*
(l) *Honor. Augustod. de illust. Eccl. script.*
(m) *Possevin. loc. cit.*
(n) *Jo. Trithem. de vir. illustr. ord. S. Benedict. l. 2. c. 26.*
(o) *Vit. S. Ludgeri ap. Surium die 26 Martii*
(p) *Monac. Sangallens. de Eccl. Cur. Carol. M. c. 2 ap. Duchesne hist. Franc. to. 2 f. 108.*
(q) *Polydor. Virgilius hist. Angl. lib. 5. Ant. Baldassar. Compend. Ristretto &c. in Albino Flacco.*
(r) *Baron. an. 778. n. 5. Vinc. Bellov. spec. hist. l. 23. c. 173.*
(s) *S. Odilo Cluniac. in vit. S. Majoli. Chron. Turon. majus ad ann. 791. Trith. l. cit. Sigebert. in Chron. an. 790.*
(t) *Fragment. script. de rebus Caroli apud Duchesne loco citato Anast. Biblioth. in Hadrian. I.*
(u) *Baron. an. 778 n. 22*
(x) *Paulin. Aquilej. epist. ad Carol. M.*
(y) *S. Odilo Clun. l. cit.*
(z) *Amalarius de orig. Antiphon. c. 58.*
(aa) *Martyr. Gallican. Saussai die 19. Maii.*
(bb) *Vuillelm. Malmesbur. de gest. Regum Angl. l. 1. c. 4.*
(cc) *Xistus Senens. in Bibl. Sanc. l. 4. in Albin. Flac.*
(dd) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 2. nu. 75. que.*
(ee) *Idem loc. citat.*

quantum Rex illi obſtitit, non id reputans in eo peccaminoſum, ſed ſibi exiſtimans perniciosum tanto viro privari.

27. Quomodo autem hæc poſſint cum Contradictorum opinione conſiſtere, non videmus; nàm oportet, vel Alcuinum, virum pietate memorabilem, & Carolum magnum, in tabulis Eccleſiæ Gallicanæ intèr ſanctos relatum (a), æternę damnationis arguere, eo quod eorum altèr detulerit, & altèr acceperit tot beneficia, in tot diſsitis Diœceſibus, parvipenſo extraneitatis vitio, quod prætenditur enormiſſimum; vel omninò oportet, quod beneficia eccleſiaſtica clericis extraneis elargiri nullum ſit crimen, & multò minùs non adeò enorme ſit facinus, quale Contradictores illud exaggerant. Et ſanè ſi crimen fuiſſet; quâ audaciâ Alcuinus ſe in conſortium admitti, prò orationibus, & interceſſionibus participandis, cum Patribus Concilii Francofordienſis, & cum Leone Papâ III. popoſciſſet? Leoque ipſe, ac ipſi Patres, quâ conſcientiâ illum in eorum conſortium admiſiſſent, tot peccatis enormibus involutum, in ſenſu Contradictorum, quot beneficia extrà patriam retinebat? Ergò nè culpæ damnentur, & Leo, & Carolus, & Epiſcopi Concilii Francofordienſis, & Alcuinus; neceſſario concludendum eſt, nullum vitium ineſſe beneficiorum collationi, viro extraneo factę, liberumque, ac licitum eſſe Eccleſię, illiuſque miniſtris beneficia eccleſiaſtica, non modo clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

(a) *Andreæ Sauſai. Martyrol. Gallic. die 28 Januarii.*

CAPUT XX

In quo ex Sanctis Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui floruerunt Sæculo Chriſti octavo, *& preſertim ex* Sanctis Bonifacio Moguntino, Joanne Damaſceno, Germano Conſtantinopolitano. *Necnon ex epiſtolis* Eginhardi, *Ex* Paolo Diacono, *demùm & ex variis Hiſtoriis, probatur libertas Eccleſiæ in conferendo Eccleſiaſtica Beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.*

SUMMARIUM.

1 S. Bonifacius *Monachus in pluribus Monaſteriis, recuſavit Epiſcopatum Ultrajectenſem, & populis convertendis incubuit.*

2 *Renuit quoque Epiſcopatum in Anglia ſibi oblatum accipere, ſed accepit Moguntinum in Germania, quod non feciſſet, ſi ſe peccare credidiſſet.*

3 *In parte Germaniæ, ubi fides Chriſtiana vigebat, S. Bonifacius miſſus fuit tamquam Legatus Apoſtolicus; in parte verò Pagana, ut Prædicator.*

4 *Creabantur aliquando Epiſcopi ſinè ſede, & talis fuit S. Bonifacius, qui non niſi 26. annis poſt ſuam ordinationem, Epiſcopatum habuit.*

5 *Moguntia erat Chriſtiana, in qua jam ſederant 40. Epiſcopi: Clericis, Monachis, & in ſubſidium Laicis, abundabat, Epiſcopatus capacibus.*

6 *S. Bonifacius, ubi fidem adduxit, plures erexit Epiſcopatus, nec eorum unum ipſe ſuſcepit, ſed Moguntinum, ubi &* Lullum *ſucceſſorem habuit.*

9 *Scri-*

7 *Scribit S. Bonifacius Fulrado, ut apud Pipinum Regem agat, nè post suam mortem discipulis suis deessent congrua subsidia.*

8 *Vocat discipulos suos peregrinos quia ut plurimum erant Angli. Satagit verò, ut non eis subtraherentur adepta beneficia, licèt extraneis.*

9 *Epistola S. Lulli ad Papam de Enred, quem Presbyter Vvillefritbus in Moguntinam Diœcesim introduxerat, refertur.*

10 *Lullus primo increpuit, indè excommunicavit Enred, ob non exhibitam ei debitam subjectionem, propter extraneitatem verò non eum plexit.*

11 *Illustravit Ecclesiam Sæculo octavo* S. Joannes Damascenus, *Monachus Lauræ D. Sabæ, ac Presbyter Hierosolymitanus, cui adsuit Cosmas Majumensis.*

12 *Ipse S. Joannes Damascenus, &* Cosmas, *beneficia suscipientes in locis, à quibus erant extranei, causæ nostræ favent.*

13 *Vacanti Patriarchatui Antiocheno per 40. annos, datus est in Antistitem Stephanus Syrus, qui post biennium obiit.*

14 *Eo defuncto sedem illam implevit Theophilactus Edessenus, inde Theodorus, post quem per 200. annos deest series Patriarcharum Antiochiæ.*

15 *Hoc eodem Sæculo, ex octo Patriarchis Constantinopoleos, quinque fuerunt extranei, nempè* Cyrus *Amastridis insulæ Monachus &c.*

16 S. Germanus *Archiepiscopus Cyzicenus, translatus fuit ad Patriarchatum Constantinopolis, præsentibus Apocrysariis Romanæ Sedis.*

17 *Iste Sanctus fuit filius Justiniani Patricii, à Constantino Pogonato sublati, & vel primâ vice Cyzici, vel secundâ vice Constantinopoli, erat extraneus.*

18 *S. Germanum virum pium, & doctum, non supponendum est ignorasse, vel parvipendisse culpam, si quam in extraneitate novisset.*

19 *Successit* Constantinus *Monachus, indè Episcopus Syllei. Cui in sede Constantinopolis subrogatus est Nicetas genere Slavus.*

20 *Deindè factus est Patriarcha* Paulus Cyprius *extraneus. Cyprus enim proprium habebat Primatem Justinianopolitanum.*

21 Paulus Diaconus *Diaconale beneficium in Ecclesia Aquilejensi habuit, & Monachale in Cassinensi, tametsì ab eis esset extraneus.*

22 *Idem Paulus memorat* Thomam *Thessalonicensis*, Callistum *Aquilejensis*, Venantium *Fortunatum Pictaviensis Ecclesiarum Præsules, extraneos.*

23 Eginhardus *plures Abbatias tenuit in locis dissitis: Nec mundo vale dixisset, ut se laqueis in Monachali vitâ implicaret.*

24 *Qui in una ex suis epistolis dat Otmaro Clerico licentiam alio migrandi, ac Ordines, & beneficia à Jacobo Episcopo suscipiendi.*

25 *In aliâ Epistolâ, instat ut Gerbertus persistat in possessione beneficii, quod in alienâ Diœcesi fuerat assecutus.*

26 *Multipliciter igitur, tàm jure, quàm facto constat, quod Ecclesia tota octavo Sæculo libera fuit, in admissione extraneorum ad beneficia.*

1. PRÆSENS hoc sæculum Christi octavum *S. Vvinfridus*, alias dictus *Bonifacius*, & scriptis, & sanguine, & operibus illustravit. Ortus est in Angliâ (*a*), citòque in Monasterio Adescancastrensi regularem vitam professus est (*b*), à quo posteà discedens, ad Monasterium Nuiscellense perrexit (*c*). Presbyter factus, ad Frisios prædicatione Christo captivandos, se contulit, ubi parum proficiens, in Angliam redivit, & recusato Abbatis sui Monasterii munere, itèr Romam versus arripuit (*d*). Quem Gregorius Papa II. libentèr complexus est, illique commisit curam cunctis Germaniæ populis prædicandi (*e*): iis nempè, qui hoc subsidio opus habebant. Se contulit ergò in Thuringiam, indè in Frisiam, ubi Sancto Vvillibrordo Episcopo Trajectensi operam dedit, ejusque jàm senescentis, in Epi-

(a) *Othlon. Presb. in vit. S. Bonif. c. 1. ap. Sur. Suriù die 5 Junii & Vvilibal. Eistaten. &c. in ejus vit. ibidè. Belvac. l. 23. c. 157.*

(b) *Othlon loc. citat. n. 2. & Vvilibald. ibid.*

(c) *Othlon. num. 3 & Vvilibald. ibid.*

(d) *Othlon. n. 6. 7. 8.*

(e) *Ex Epist. Greg. 2. ad S. Bonifac. apud Sur. 5. Junii c. 9.*

Episcopatu successionem recusavit (*a*). Ab eo divertens Hassiæ, & Saxoniæ populis convertendis incubuit (*b*). Deindè Romam reversus est, & ibi Episcopale munus accepit, mutato Vvinfridi nomine in Bonifacium (*c*).

2. In Germaniam regressus prædicationi toto nisu se addixit, & centum millia Gentilium dicitur convertisse (*d*), ac post 26. annos à primo suo in Germaniam ingressu, & 22. à suscepto Episcopali ordine; beneficio Archiepiscopali apud Moguntiam honoratus est (*e*). Erat beatus hic vir doctus, paritèr atque sanctus, nèc tamèn quidquam metuit beneficium Episcopale Moguntinum accipere, quamquam velut natione Anglus, in Germaniâ esset extraneus: quia in eâ certitudine fuit, quod extraneitas nullum præjudicium consecutioni beneficiorum inferret. Quodque magis est, Sigebaldus Rex Anglorum, illum, ut Episcopatum acciperet in Angliâ, missis literis exoravit (*f*), sed nèc ibi Episcopale, nèc Abbatiale beneficium, uti diximus, acceptavit. Quis credat autem, quod S. Bonifacius, tantæ pietatis, ac doctrinæ vir, voluerit Episcopale beneficium in patriâ recusare, ubi poterat illud inculpabilitèr adipisci, & illud idem accipere in Germaniâ, ubi tamquam extraneus, in sententiâ Contradictorum, non illud poterat, sine enormi crimine prævaricationis legis Dei eternæ, ac jurium humani, & naturalis acquirere?

(a) *Otblon. loc. cit. n. 10 Baron. an. 719. n. 5.*
(b) *Otblon. loc. cit. n. 12. Baron. an. 722. n. 6.*
(c) *Otblon. loc. cit. n. 13. 14. Bar. an 723. n. 1.*
(d) *Baron. an. 739. n. 2*
(e) *Idem an. 745. n. 2*
(f) *Epl. 49 inter ep. S. Bonif. Bibl. Patr. to. 8 f. 85.*

3. Nèc quæratur effugium, dicendo, quod D. Bonifacius, uti missus ad prædicandum evangelium Germanis, necessario debebat esse extraneus, & ideò benè potuit ex hac ratione ibi Episcopale beneficium acquirere, quod alioquin non potuisset, tamquam extraneus adipisci. Nàm in oppositum est, quod S. Bonifacius, quando in Germaniam transmissus est, invenit eam, partìm Christianam, & partìm Paganam, nec tàm fuit illùc missus ad convertendos infideles, quàm ad corrigendos malos fideles, ideoque legitur, illum plus laborasse in viris ecclesiasticis corrigendis, quàm in Ethnicis fide imbuendis (*g*). Ideò quantum ad Germaniam, ut sic sumptam, illùc directus est, tamquàm Legatus Apostolicus, & de facto in suis epistolis se intitulabat Legatum Germanicum (*h*). Quantum ad Thuringiam verò, Saxoniam, & Frisiam &c. illùc profectus est, velut Prædicator. Et ità licèt in his provinciis, quas convertendas susceperat, potuisset, non obstante extraneitate, beneficium Episcopale suscipere; in aliis tamen, jàm Christianam fidem profitentibus, non potuisset; si extraneitas culpam læsionis divini, humani, & naturalis jurium involveret, prout supponunt Contradictores, quia inibi erant multi indigenæ Clerici, ac monachi, & in subsidium etiam laici, quibus munia illa, ac beneficia committi debuissent, ad exclusionem extraneorum.

(g) *Baron. an. 726. 48*
(h) *In ejus epist. & Vincent. Bellovac. spec. hist. l. 23. c. 157.*

4. Sed quicquid sit de his; nos advertimus, quod S. Bonifacius primâ vice missus est in Germaniam à Gregorio Papa II. anno 719., absque charactere Episcopali (*i*). Tùm Romam vocatus, anno 723, Episcopatus ordine auctus est, & in Germaniam remissus (*l*): tuncque nondum ullius sedis erat Episcopus. Creabantur enim aliquando Episcopi nulli sedi affixi, uti S. Sampsonem Episcopum fuisse legimus apud Surium (*m*). In Monasterio quoque S. Dionysii Parisiensis permanere solebat Episcopus, sede carens Episcopali, ut ex Apostolico privilegio, quod exscribit Sirmondus (*n*). Et alibi similia contigisse in decursu præsentis operis adnotabitur. *Ergo S. Gregorius II. S. Bonifacium præcisè Episcopum creavit: Gregorius III. Archiepiscopum, non autèm in aliquâ peculiari sede, & loco* (*o*). Tuncque S. Bonifacius dignitatem quidem Episcopalem possidebat, sed non beneficium Episcopale, nàm beneficium Episcopale non habuit, nisi 26. annis post suam primam missionem in Germaniam, in statu adhuc presbyterali, ac monachali, & 22. annis post secundam missionem in ordine Episcopali, nempe anno 745. in quo à Zacharia Papa sedes ei Moguntina fuit assignata (*p*).

(i) *Baron. an. 719. 5.*
(l) *Baron. an. 723. 1.*
(m) *Surius die 28. Julii.*
(n) *Sirmon. tom. 3. Conc Gall f 113.*
(o) *Andr. Victorel. annot. ad Ciacon. in Greg. 2 § Episcopus f. 247.*
(p) *Baron an. 745. n. 2. Victorel. loc. cit.*

5. Hoc autem est id, in quo sit difficultas: nam Moguntia non erat in parte Germaniæ, paganismo infectâ, sed in alia parte, jam dudum ante christianâ, & tam enixè christianâ, ut jam usque ad illam ætatem 40. Episcopos numeraret, qui sacerdotio apud illam perfuncti erant (*q*) Vacabat tunc sedes Moguntiæ propter depositio-

(q) *Vid Theatr vit. Hum. V. Episcopus in Archiepis. Mogunt f. 166.*

fitionem Gervilionis, qui occisorem sui patris propriâ manu interemit: (a) Junctaque fuerat usque ad illud tempus Ecclesia Moguntina cùm Vvormantiense (b), & Gervilio, ejusque antecessor Geroldus, utramque tenuerant (c), nec opus ibi fuit quod S. Bonifacius Evangelium prædicaret. Rursus in illâ Urbe numerosissima, prout & in Vvormatiense, eidem juncta, necnon & in utriusque diœcesi, permulti erant clerici, & monachi, & in subsidium laici indigenæ, beneficii Episcopalis capaces: quidquid sit ergo, an D. Bonifacius posset in Frisiâ, & Saxoniâ, seu in illis provinciis, ad quas fide instruendas missus fuerat, beneficium episcopale suscipere; certè tamen in Moguntinâ Ecclesiâ non licitè potuisset, quippe ibi Evangelium non introducebat, ibique infiniti erant indigenæ, beneficii ipsius capaces: ibi tandem ille prorsus erat extraneus.

(a) *Jo. Gualtlerus Chron. Chronic. Eccl. in Episcopis Mogunt n.16 f.749. & f.1390.*

(b) *Sigefrid. præb. epitom. l.1. an 727. int. script vet. Germ. tom. un. f.685. Conc. German. an. 743 ap. Bin. tom 5. Secar. hist. Mogunt. l.3. notat. 31.*

(c) *Jo. Gualter. loc. cit.*

6. Præterea S. Bonifacius, in illa Germaniæ parte, in quâ Evangelium disseminavit, plures Episcopatus erexit, monasteria fundavit, & alia pia loca excitavit (d) cumque posset unum ex ipsis Episcopatibus pro se licitè retinere, quatenus ibi prædicatoris fidei munere fungebatur, tametsi alioquin extraneus; mirum est, quod hos Episcopatus aliis detulerit, & ipse Moguntinum susceperit, quem propter allegatas rationes, non potuisset, uti extraneus, sine violatione legum divinæ, naturalis, & humanæ, in sensu Contradictorum, accipere. Idipsum dicendum est de *S. Lullo*, pariter Anglo, & D. Bonifacii discipulo, quem ipse prius suæ cathedralis constituit Archidiaconum, quemadmodum eum vocat Theophylacias Apostolicæ Sedis Diaconus, (e) & proximus morti sibi fecit constituere successorem (f). Certè cum viri Moguntiæ non deessent Archidiaconatus, & Archiepiscopatus capaces, nec S. Bonifacius utrumque deferre Lullo, nec S. Lullus utrumque à S. Bonifacio potuisset accipere, si provectio extraneorum ad Ecclesiastica beneficia, sine gravi culpâ esse non posset. Cum autem nefas omnino sit effutire, quod sancti illi viri voluerint Episcopalia, & Archidiaconalia beneficia cum peccato suscipere, hoc unicum superest concludendum, quod ipsi erant, prout & alii fuerunt, & sunt, in eâ persuasione, quod extraneitas nihil obsit ad beneficia Ecclesiastica suscipienda.

(d) *Vid Chron. German. l 7. ap German. script. tom 2. f.49. Baron. an. 739. 1.*

(e) *Epist. 147. inter epistolas S. Bon f.10.8. Bibl Pat. f 136.*

(f) *Baron an. 755. n. 30 Jo Gualter. loc. cit. f.1393.*

7. Hucusque ex gestis S. Bonifacii, necnon & Sancti Lulli ejus discipuli, & successoris: nunc ex eorum scriptis aliqua subjungemus. Scripsit idem S. Bonifacius Fulrado Abbati S. Germani, de quo superius locuti sumus, epistolam, in quâ eum sic affatur: *depreeor meo verbo gloriosum, & amabilem Regem nostrum Pipinum salutaverit, & illi magnas gratias referas de omnibus pietatis operibus, quæ mecum fecit, & ut illi referas, quod mihi, & amicis meis similitèr videtur, ut vitam istam temporalem, & cursum dierum meorum per istas infirmitates citò debeam finire. Proptereà depreeor celsitudinem Regis nostri, prò nomine Christi filii Dei, ut mihi nunc viventi indicare, & mandare dignetur circa discipulos meos, qualem mercedem posteà de illis facere voluerit: sunt enim penè omnes peregrini: quidam presbyteri, per multa loca ad ministerium Ecclesiæ, & populorum constituti. Quidam sunt Monachi, per cellulas nostras, & infantes ad legendas literas ordinati sunt. De his omnibus sollicitus sum, ut post obitum meum non disperdantur, sed habeant mercedis vestræ consilium, & patrocinium celsitudis vestræ &c.* (g)

(g) *Bonif. epl. 92. in to. 8. Bibl. vet. Patr. f. 106.*

8. Infuderat sese in Germaniam S. Bonifacius cum numerosâ seriè Clericorum, & Monachorum, qui utplurimum ex Angliæ patrio solo ad illum se contulerant (h), eosque ille idcircò nuncupat *peregrinos*. Anxius autèm, nè post suam mortem disperderentur, Fulradi patrocinium implorat, ut apud Regem Pipinum agat, pro congruò adiutorio illis præbendo: quod adiutorium (si consentaneum esse debebat presbyteris, & monachis) non potuit esse aliud quàm ecclesiastica beneficia, vel sæcularia, vel monachalia, & præsertim Ecclesiæ Parochiales illis commissæ, ac Cællę in quibus sanctus eos respectivè collocaverat. Sategit ergò D. Bonifacius, ut sequacibus suis, tametsi Anglis, & in Galliâ, atque Germaniâ, ptorsùs extraneis, non subtraherentur adepta, sed potiùs alia præberentur ibidem ecclesiastica beneficia. Supposuit igitur, beneficia ipsa posse licitè viris extraneis dispensari: alioquin non postulat-

(h) *Jo. Gualterius Chron. Chron. in S. Bonif. Mogunt f.1390. p.2.*

stulasset illis concedi, quod sinè culpâ, neque tribui, neque suscipi potuisset.

9. *Lullus* quoque, vir sanctissimus, in epistolâ ad Summum Pontificem conqueritur de quodam presbytero, nomine Enred, dicens, *caritati vestræ reticere non audemus, quod in parochiam nostram, contrà jus canonicum, à Villefritho presbytero quidam adductus est presbyter, in alia ordinatus parochia, non consentiente antecessore meo S. Bonifacio Archiepiscopo, neque mè successore ejus, qui & institutionis vestræ decreta contemnens, & in parochiâ nostrâ constitutus, nostrum sprevit magisterium. Cognitâ enim canonum auctoritate decrevistis, ut omnes presbyteri, qui in parochiâ sunt, sub potestate Episcopi esse debeant, & ut nullus eorum præsumat in ejus parochiâ, aut baptizare, aut missas celebrare, sinè jussione Episcopi, & ut omnes presbyteri ad Concilium Episcopi conveniant, quæ omnia facere contempsit prædictus ille presbyter, nomine Enred; & ideò secundum quod definistis increpationis à me sententiam sortitus est. Sed cum nec ità emendatus pœnitere de præteritis voluit, novissimè secundum canonicam institutionem vestram excommunicatus est à me, & exindè a supradicto Villefritho susceptus est, ac defensus* (a).

10. Parochia hic Diœcesim Significat. Enred verò, & vitio extraneitatis laborabat, legem divinam, ac naturalem, atque humanam, secundum Contradictores lædente, & non exhibebat Ordinario loci debitam subjectionem, contrà solam legem humanam. Quidquid autèm sit, an in hoc peccaret etiàm contrà aliud jus; certè S. Lullus in suâ epistolâ satis clarè peccatum Enred adscribit soli prævaricationi juris canonici, & Pontificii, verbis illis, *contrà jus canonicum*: &, *institutionis vestræ decreta contemnens*, idest Papæ. Idem nihilominùs Sanctus Lullus, tacito graviori crimine extraneitatis, ut supponitur; ad leviùs crimen non exhibitæ subjectionis, totus se vertit, & illum increpationis primò ictu percellit, deindè excommunicationis telo transverberat. Certè insanire dicendum esset, non justitiam reddere judicem, qui reum proptèr leviora crimina plectit, & enormia facinora parvipendit. Supposuit ergò Lullus, extraneitatem nullum reatum in Enred presbytero produxisse: quod & verbis epistolæ manifestat, dicens, presbyterum illum in culpa esse, non quià ordinatus in alia parochia, seù Diœcesi; sed quià intrà Diœcesim Lulli, sinè suo consensu, ad curam animarum regendam, ac sacramenta ministranda se ingesserat. Igitur à contrario sensu, si Lulli interfuisset assensus, Enred, tametsi extraneus, optimè ad Ecclesiam, quam regendam invaserat, accessisset, atque ità, tùm ex factis, tùm ex dictis, & S. Bonifacii, & S. Lulli, stratur amplè viris extraneis accessus ad ecclesiastica beneficia.

11. Illustratum quoquè fuit hoc Sæculum Christi Octavum vitâ, & doctrinâ *S. Joannis Damasceni*, qui floruit anno Christi 731. (b), dictusque fuit ab orthodoxis *Chryforas* ob aureum ejus eloquium, & ab illius Adversariis cognominatus est *Mansur*, sivè Manseron ad contemptum (c). Vir fuit eloquentissimus, & sanctissimus, ac prò defensione sacrarum Imaginum constantissimus, proptèr quod asperrimas vexationes, & à Leone Isaurico, & à Constantino Copronymo Imperatoribus Iconomachis perpessus est (d), usque ad manus abscissionem, quàm Beatissima Virgo integram ei restituit (e). Natus est ipse Damasci in Syriâ, urbe metropoli, subjectâ Patriarchę Antiocheno, in quâ laicus vixit, cuidam Principi Saracenorum officia sui famulatus impendens (f), donec relicto Sæculo, ad Lauram D. Sabæ se contulit, unà cum Cosmâ, secùm coeducato, ibique vitæ monachali operam dedit (g). Successu temporis ipse ab Episcopo Hierosolymitano sacro presbyteratus ordine auctus fuit, quo & insignitus est Cosmas, consecratus etiàm Episcopus Majumensium (h). Joannes autèm plura edidit opera, in quibus datâ opportunitate, auctoritatibus utitur S. Joannis Chrysostomi, Ambrosii, Anastasii Synaitæ &c. quos constat beneficia Episcopalia tenuisse, in locis, à quibus erant extranei (i), nèc tamèn indè illos coarguit.

12. Erat inquam Joannes patriâ Damascenus, & uti talis ad Patriarchatum pertinens Antiochenum: Idipsum erat & de Cosma, *qui eandem cum ipso educatio-*

(a) *Lullus ep. 100. in ep. S. Bonif. Magunt. loc. cit.*

(b) *Bellarm. de scriptor. Eccl. in S. Jo: Damascen.*

(c) *Paul. Diacon. in Miscel. l. 22. f. 689. Suid. in S. Jo: Damasc. Annati Method. ad posit. Theol. lib. 4. art. 39. fol. 470.*

(d) *Baron. ann. 634. n. 2. ann. 728. 3. 754. 12.*

(e) *Martyrol. Rom. 6. Maij.*

(f) *Baron. ann. 728. n. 5. 6. & seq.*

(g) *Idem loc. citat. n. 10. & Vit. S. Jo: Damasc. ante ejus opera.*

(h) *Vit S. Jo. Damascen. loc. cit. fol. 9.*

(i) *Jo: Hierosolym. in Vit. S. Jo: Damasc. ante ejus opera.*

tionem, ac disciplinam habuerat (a), & tamèn uterque patriâ relictâ, monachatum professus est in Laurâ S. Sabæ, ubipropterea monachale beneficium susceperunt (b). Subindè Joannes presbyterale officium in Ecclesiâ Hierosolymitanâ consecutus est, & consequentèr stipendia presbyteralia promeruit, quatenùs olim idem fuisse Contradictores affirmant ad ordines, & ad stipendia, sivè beneficia ecclesiastica promoveri. *Cosmas* ulteriùs beneficium Episcopale Ecclesiæ Majumensis adeptus est. Tàm Joannes ergò, quàm Cosmas beneficium monachale, presbyterale, & respectivè Episcopale, suscipientes in locis, à quibus erant, & patriâ, & provinciâ, & patriarchatu extranei: necnon Episcopus Hierosolymitanus, ad præsbyteralem, ac Episcopalem ordines, illos assumens; Abbas tandem, ac omnes monachi Lauræ illos in suum consortium, ab initio accipientes; demùm Joannes Patriarcha Hierusalem, Joannis Damasceni vitam scribens, & nedùm illum de extraneitate non carpens, sed potiùs effusis laudibus celebrans; hi omnes inquàm, vel operæ pretium erit dicere quod graviter peccaverint(nec quisquam hoc audebit impudentèr asserere) vel quod omnes proprio facto probaverint, licitè admitti extraneos ad ecclesiastica beneficia.

(a) *Thomassin. vet. et nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 13. nu 1. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. num. 69.*
(b) *Vid. hic sup. c. 38.*

13. Hæc erat disciplina vigens in Patriarchatu *Hierosolymitano*, Sæculo Christi Octavo currente: Et cum eandem fuisse dixerimus in Patriarchatu Occidentali, sivè in *Romano* Pontificatu (c); videamus nunc qualis fuerit in cæteris primariis Patriarchatibus. Præter ea quæ innuimus de Joanne, & Cosmâ Damascenis, ad Patriarchatum pertinentibus *Antiochenum*, cum sedes hæc Theopolitana, per 40. annos vacasset, immissus ei fuit extraneus in Antistitem; nempè Stephanus, ex Syria quidem monachus, sed non Antiochenus. Rem narrant ipsissimis verbis Zonaras, & Cedrenus: *Isamus Arabum Princeps moritur. Hic cum sanctissima Antiochiæ Ecclesia per* 40. *annos Patriarchâ caruisset, Arabibus constitui aliquem vetantibus; cum haberet charum sibi Syrum quemdam monachum, nomine Stephanum pium hominem, sed rusticum, Antiochensibus significavit; si quidem cupiant sibi Patriarcham concedi, ut id muneris huic Stephano committant. Ii divinitùs hoc fieri rati, Stephanum Theopolis throni Patriarcham elegerunt* (d), qui cum per biennium illi sedi præfuisset, citò defunctus est (e).

(c) *S. Jo: Damascen. Orat. 2. de Imag. in fin. fol. 467.*

14. Mortuo Stephano, alter vir extraneus in ejus locum successit: ait enim Cedrenus, *quarto anno* (nempè Copronymi) *Maroamus in Arabes imperium cepit. Hic Christianorum, qui per Orientem sunt cohortationibus persuasus, concessit, ut Theophylactus Edessenus Presbyter Antiochiæ designaretur Patriarcha, mortuo tum Stephano, eumque publico edicto jussit ad Arabibus in honore haberi* (f). Septennio præfuit illi Ecclesiæ Theophylactus, eoque defuncto, Patriarchatum cępit quidam Theodorus (g), post quem, per ducentos annos & ultrà, Patriarcharum illius sedis nobis series non innotuit. Beneficium ergò Patriarchale magnæ sedis Antiochenæ, currente hoc Sæculo, extranei tenuerunt: imò & eâ lege permissa est ab Arabibus ejusdem beneficii concessio, ut Stephano Syro, & Theophylacto Edesseno extraneis, successivo ordine conferretur: nèc Antiocheni hos promovère recusarunt, quemadmodum debuissent, si admissio extraneorum esset juribus divino, naturali, & humano contraria, (sicut non blasphemassent, non mæchati essent, non furtum fecissent, non similia peccata perpetrassent, etiam Rege Arabum suadente, quia hæc præfatis juribus prohibentur), sed potiùs avidè, ac libentissimè, in eorum electione communibus suffragiis consenserunt.

(d) *Jo: Zonar. tom. 3. Annal. in Copronym. f. 102. Cedren. an. 540. Copron. 2. f. 378.*
(e) *Baron. ann 744. num. 2.*
(f) *Cedren. loc. cit. f 379. Zonar. loc. citat. Thomass p. 1. l. 2. c. 17. num. 7.*
(g) *Baron. ann. 751. num. 18.*

15. Idipsum factum est in Patriarchatu *Constantinopolitano*. Siquidem octo Antistites, in decursu octavi Sæculi, habuit Ecclesia Constantinopoleos, ex quibus quinque saltèm fuerunt extranei, nempè *Cyrus, Germanus, Constantinus, Nicętas, & Paulus*: de tribus aliis, nimirùm Joanne, Anastasio, ac Tharasio, extraneos fuisse nobis non constat. Et sanè oculis effossis Callinico Patriarchę, jussu Justiniani Rhinotmeti Imperatoris, Cæsar *Patriarcham Constantinopolis constituit Cyrum, qui in Amastridis insulâ monachus fuerat, quod hic sibi recupe-*

cuperationem Imperii prædixisset (*a*). Auctor Miscellæ hunc vocatum esse etiam Protocyrum indicat (*b*): Marianus Scotus illum ex quodam Monasterio Ponti susceptum fuisse innuit, ad quod etiam, depositus à Philippico Imperatore posteà remissus est (*c*). Nec monachum tantùm, sed & inclusum fuisse ferunt (*d*) antiquiores Historici; adeoque Constantinopoli erat prorsus extraneus, quando Patriarchale beneficium illius sedis accepit: & remissus posteà in suum Monasterium, ut ibi Abbatis officio persungeretur (*e*), postquam jam fuerat Ecclesiæ Constantinopoleos desponsatus, jam & Patriarchale, & Abbatiale beneficium recepisse dignoscitur in locis, & in tempore, in quo indè erat extraneus.

16. Depositum Cyrum excepit Joannes, Monothelitarum Coriphęus (*f*), quem Gregorius Papa II. fecit è Patriarchali solio deturbari (*g*). Tumque subrogatus est ei *S. Germanus*, ex Metropoli Cyzicena illuc translatus (*h*), factaque est illius translatio totâ solemnitate, quam describit Auctor Miscellę, hisce verbis: *Eodem anno translatus à Cyzico urbe Metropoli Germanus Constantinopolim, in quo & commonitorium translationis, quod subinfertur pronunciatum est, continens ità: Electione, & approbatione religiosissimorum Presbyterorum, & Diaconorum, totius venerabilis Cleri, sacrique Senatus, & amici Christi populi hujus regiæ Urbis, divina gratia, quæ semper infirma curat, & ea, quæ non sunt adimplet, transtulit Germanum sanctissimum præsulem Cyzicensium metropoleos in Episcopum hujus à Deo conservandæ, ac Imperatoriæ civitatis. Facta est præsens translatio in præsentiâ Michaelis sanctissimi Presbyteri, & Apocrysarii Apostolicæ sedis, & reliquorum Sacerdotum, ac Præsulum sub Arthemio Imperatore* (*i*).

17. Si dicatur S. Germanum non fuisse Constantinopoli extraneum, sed indigenam, quippè qui filius fuerat Justiniani Patricii, à Constantino Pogonato morte sublati, qui & ipsum Germanum, vivacius se gerentem, fecerat evirare (*l*); in promptu responsio est, primò quod erat extraneus, non indigena Constantinopoli, ex eo quod, cùm Ecclesię Cyzicenę se vinculis connubialibus alligavit, illic incepit prorsùs esse indigena, & in omnibus locis aliis extraneus, adeoque quidquid esset de origine, certè S. Germanus, tempore translationis, non erat indigena Constantinopoli, sed extraneus, vel si erat indigena Constantinopoli, saltèm erat extraneus Cyzici; & ità, si argumentum, ex ejus actis deductum, non afficit respectu beneficii Patriarchalis, per illum secundò loco acquisiti; afficit saltèm respectu beneficii Archiepiscopalis, quod primò loco adeptus est, apud Cyzicum. Undè cum vel Cyzici, vel Constantinopoli necessariò esset extraneus, patet quod, vel primâ, vel secundâ vice, beneficium Ecclesiasticum, & quidem altioris ordinis, amplexus est, in loco, à quo erat prorsus extraneus.

18. Quanta fuerit Germani doctrina, ejus opera patefaciunt (*m*): Quanta sanctitas, series illius vitę declarat (*n*), necnon & spiritus prophetię, quo dotatus mirabilitèr fuit (*o*), factis prænunciata complentibus, quemadmodùm cum pravitatem Constantini Copronymi prędixit (*p*), cum sanctitatem Stephani Martyris prævidit (*q*), cum pœnam Anastasii ejus contemptoris præannunciavit (*r*). Quanti demùm meriti fuerit in Ecclesiâ, est hic superfluum inculcare (*s*), satis est enìm, quod Concilium Nicænum II. Generale VII. illum effusis laudibus celebravit (*t*). Quod ergò tàm sapiens, ac celebris Pater culpam extraneitatis in susceptione sacrarum prębendarum ignorasset, si hæc à parte rei unquàm fuisset; supponi non debet. Quod illam sciens, talis, ac tàm sanctus vir, parvipenderit, & eâ neglectâ, adhuc Patriarchale, vel Archiepiscopale beneficium ausus fuerit adipisci; affirmari sine injuriâ illius sanctitatis non potest. Quid ergò aliud concludendum restat, nisi quod ideò S. Germanus beneficium ecclesiasticum accepit, etsi vel primâ, vel secundâ, vel utrâque vice, esset extraneus, quià nullum in extraneitate latitare vitium agnovit?

19. Germano *Anastasius*, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Syncellus (*u*), & Anastasio *Constantinus* successit, qui fuerat monachus, & indè Episcopus Syllæi (*x*), eum-

(a) *Cedren. an. 1 Justinian. 2 reversi ad Imperium f. 367. a 29.*

(b) *Miscell. lib. 20. in Justinian. 2. f. 637.*

(c) *Marian. Scot. Chron. l. 3. ann 712. f. 432. Ciacon in Jo: 7. fol. 236.*

(d) *Miscell. loc. cit. Glyc. Annal. n. 4 f. 390 Zonar. Annal. to. 3. in Justinian. 2 f. 10n 3.*

(e) *Marian. Scot. loc. cit.*

(f) *Card. Baron. an. 712, 712.*

(g) *Card. Baron. an. 714. 3. 2.*

(h) *Cedren: hist. comp. in Artem. Imp. f 369. Baron. an: 714. 4. 2.*

(i) *Paul. Diacon. in Miscell. l. 20 f. 640.*

(l) *Cedren. hist. comp. in Constante Pogonati fratre an: 17. f: 859: 25. Baron: an: 714. 4. 2*

(m) *Biblioth. Veter. Patr tom. 8.*

(n) *Vid. Zonaram in Leon Isaur. Niceph. in Chron. Cedren. comp hist. Miscelan. ann. 14. Leonis Isaur.*

(o) *Baron. ann. 719. n. 20.*

(p) *Baron an 714 5. 2.*

(q) *Baron. an. 728. 2.*

(r) *Baron. an. 726. 6. 7. 727 5. 7 730. 1. 6.*

(s) *Baron. an. 787. 47*

(t) *Baron. an. 730. 1.*

(u) *Cedren. ann. 13. Copronym. f. 481. Misc. lib. 22. f 703.*

(x) *Zonar. Annal. to. 3. in Copron f. 102. 3*

eumque in Conciliabulo, apud Fanum Deiparę in Blachernis habito, Copronymus, consenso suggestu hoc præconizavit eloquio: *Constantinus oecumenicus Patriarcha multos vivat annos* (*a*). Hic autèm Constantinus proculdubiò, vel Syllæi, vel Constantinopoli erat extraneus, & sic, vel primâ, vel secundâ vice, beneficium Episcopale, & Patriarchale, nihil attentâ extraneitate, suscepit. Illo defuncto, *in ejus locum Imperator Patriarcham designat Nicetam eunuchum genere Slavum*, inquit Cedrenus, eum inferiùs vocans *Nicetam è Slavo* (*b*), indicatque illum, ex ea Illyrii parte prodiisse, quam incolunt Slavi, vulgo Schiavoni. Fuit autèm Nicetas *Principe apud Copronymum loco; & cum nihil aliud sciret, quam edere, ac bibere, Patriarcha creatus est*. Aliàs nugas de illo apud Glycam legere est (*c*). Certè autèm hic à suo beneficio patriarchali tantùm fuit extraneus, quantùm distat Slavorum Regio ab eâ, in quâ sita est urbs regia Constantinopoleos; Nèc ullus unquam hunc virum, neque Constantinum prefatum, de vitio extraneitatis redarguit, sicut carptus fuit de illiteratura Nicætas, & alii fortè de aliis vitiis. Intèr quę certè non omittendum fuisset crimèn ipsius extraneitatis, uti primarium, & super alia enorme, in sententiâ Contradictorum, tamquàm legem divinam, humanam, & naturalem cunculcans.

(a) *Cedren. comp. histor in Copron. ann. 25, f. 353. 29. & f. 385. 35.*

(b) *Glyc. Annal. p. 4, fol. 397.*

(c) *Cedren. loc. cit. in Leon. 4. Porfirogen. an. 5. f. 385. 36.*

20. Post quatuordecim annos Nicetæ obeunti *subrogatur venerabilis Paulus Anagnosta Cyprius* (*d*), qui paulò post *infirmatus thronum reliquit, & descendens ad monasterium Flori, monasticum suscepit habitum, Imperio ignorante &c. Colendus vir erat, & suprà mensuram misericors, ac omni reverentiâ dignus &c.* (*e*). Certè tamquàm Cyprius *Paulus* nullo modo ad Ecclesiam Constantinopolitanam spectabat; Cyprus Insula enim ab initio ad Patriarchatum Antiochiæ pertinebat (*f*). Successiveque habuit proprium Exarchum, sive Primatem secundi ordinis, Præsulem Novæ Justinianopoleos, dictæ priùs Constantia, sive Salamina, nulli Patriarchæ subiectum (*g*). Quare Paulus, tùm à Cœnobio Flori, tùm à patriarchatu Constantinopolitano, erat & patriâ, & provinciâ, & natione prorsus extraneus; nihilominùs verò ibi beneficium ecclesiasticum sumere non formidavit. Cumque intrà uniùs sæculi periodum, ex octo Patriarchis Byzantii, quinque fuerint extranei, & tàm in hoc, quàm in Antiocheno, & in Hierosolymitano patriarchatibus, atque in Romanâ sede, Clerici extranei, usque ad Patriarchatum, & Papatum fuerint admissi; negari non potest, quin via illis aperta esset usque ad Patriarchale, atque Pontificale beneficia, & multo magìs ad prębendas minoris ordinis.

(d) *Miscell. lib. 23. fol. 740 &c.*

(e) *Thomass. nov. & vet. Eccl. disciplin p. 1, l. 2. c. 18. n. 1. c. 19. n. 4. c. 28. n. 18. 20.*

(f) *Idem p. 1. l. 1. c. 18. nu. 18 20. c. 28. nu. 18. c. 33 nu. 14.*

(g) *Paul. Diacon. de gest. Longob. l. 4. c. 39.*

21. Nunc ad Scriptores ecclesiasticos hujus ætatis intuitum volvamus, quorum unus est *Paulus Diaconus*, Vvarnefridus, à Patris nomine, nuncupatus, qui genere Longobardus (*h*), Aquilejensis Patriarchii Diaconus fuit, & Desiderii Longobardorum Regis Cancellarius, cum quo etiam, jussu Caroli Magni, in Galliam ductus est (*i*), ubi accusatus, quod Carolo pararet insidias, Rex doctrinam ejus reveritus, nè morti eundem traderet, in Diomedis insulam deportavit, quæ & Tremetus vocitatur: undè Beneventum pergens, ibi aliquantò tempore moratus est, posteà ad Monasterium Cassinense perrexit, in quo regulam monachalem professus est (*l*), obiitque gravis ætate (*m*), cum pluribus ingenii sui operibus rem literariam decorasset (*n*). Ità celebris hic Longobardus intèr Italos, & diaconale beneficium in Ecclesia Aquilejensi, & monachale in Cassinensi obtinuit, à quibus erat extraneus: beneficium inquam, quippè ut sæpè ostendimus; tàm in Theologorum (*o*), quàm in Canonistarum sententiâ (*p*), Monachi sunt totidem beneficiati. Diaconatusque, (antiquis illis temporibus, in quibus, juxta sensum Contradictorum, Ordo non erat à stipendiis clericalibus separatus) beneficium ecclesiasticum Paulo detulit nempè reditus, Diaconali officio respondentes.

(h) *Trith. de script. Eccl. in Paul Diac.*

(i) *Leo Ostiens. Chron Cassin. l. 1. c. 17.*

(l) *Bellarm. de script. Eccl in Paul. Diac.*

(m) *Thomassin. vet. & nov. Eccles. disciplin. p. 1. l. 3. c. 13. n. 1.*

(n) *Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 69 cum aliis.*

(o) *Miscel. l. 32.*

(p) *Paul Diacon, de gest. Long. l. 4. c. 24.*

22. Qui paritèr Paulus Diaconus in historiâ Miscellæ plures memorat extraneos, in diversis Ecclesiis collocatos, ut ex marginalibus notis hujuscè nostrę elucubrationis agnoscitur, quibus addimus *Thomam* Alexandrinum Thessalonicensis civitatis Archiepiscopum factum, cujus clara circà hæc tempora fama fuit (*q*): In historiâ quoque, quàm de gestis Longobardorum conscivit, Joannem Abbatem recen-

(q) *Idem l. 6. c. 45.*

recenset post Severum in Patriarchatu Aquilejensi locatum (*a*), & Callistum Archidiaconum Tarvisinum, post Serenum eodem Patriarchali beneficio insignitum (*b*), sed & condignè celebrat *Venantium Fortunatum*, doctrinâ, & sanctitate celeberrimum, narrans, quod in loco Duplavilis ortus est, non longè à Cenada, vel Tarvisio; educatus fuit Ravennæ, moxque patriâ relictâ, in Gallias perrexit, ubi Pictavis primò presbyter, deindè Episcopus evasit (*c*). Debuisset ipse Paulus non suscipere beneficia; debuisset hos, & alios, quos memorat improbare, de susceptis beneficiis, in locis, à quibus erant extranei, si extraneitas in vitio fuisset eosdem à beneficiis ecclesiasticis repellente, quod cum non fecerit; certe tacitâ sermocinatione conclusit, se nihil vitii in eadem extraneitate agnovisse.

23. Inter Scriptores quoque ecclesiasticos præsentis Sæculi numeratur *Eginhardus*, Caroli magni Cancellarius, & gener: floruit enim anno 780. (*d*), & Auctor insignis ab Historicis nominatur (*e*). Uxorem habuit Immam, ejusdem Imperatoris Caroli filiam, anteà Græcorum Regi sponsalibus destinatam (*f*), quâ defunctâ, vitæ clericali se addixit, monachatum professus in cœnobio Salingenstatensi Moguntinæ Diœcesis, ubi & Abbas fuit (*g*), sed & prò eo quod ex illius epistolis conjici potest, videtur etiàm tàm S. Bavonis, quàm Blandinio monasteriis præfuisse (*h*), & Abbatiam quoque S. Servatii habuisse (*i*): quarè cum plures hasce Abbatias tenuerit, sivè beneficia Abbatialia possederit, in locis intèr se dissitis, & à quibus omnibus, vel saltèm ab aliquibus eorum erat extraneus; profectò suis gestis docuit, in eâ se versatum esse sententiâ, quod clericis extraneis optimè pateret iter ad ecclesiastica beneficia, alioquin ipse non valè dixisset mundo, ut se laqueis intricatioribus implicaret, læsi juris divini, naturalis, & humani, uti supponunt Contradictores, per susceptionem beneficiorum Abbatialium in locis, à quibus erat extraneus.

24. Facta notavimus: Doctrinam nunc Eginhardi ipsius audiamus. In epistolâ ad Jacobum quendam Episcopum scribit: *Iste clericus nomine Otmarus detulit mihi literas sanctitatis vestræ, in quibus me rogastis, ut eidem clerico licentiam darem vobiscum manendi, qui in hac regione, & natus, & nutritus est. Et ego qualitatem causæ considerans decrevi, assensum præbere petitioni vestræ, eo videlicèt modò, ut idem clericus cum suis fratribus, & matre sicut rogastis, licentiam habeant vobiscum manendi, & censum suum annis singulis ad S. Servatium, sicut eis à fratribus nostris constitutum est. De ordinatione verò ejusdem clerici, in vestrâ sit potestate, ut indè faciatis quidquid vobis optimum esse videbitur, quia vos, & mores, & conversationem illiùs cognoscitis, & scitis utrum ad aliquem ordinem sacrum suscipiendum idoneus sit* (*l*). En Enginhardus concedit Otmaro clerico, ad suam jurisdictionem pertinenti, licentiam alio migrandi, & ordines, ac ex consequenti etiàm beneficia ecclesiastica suscipiendi, in Diœcesi Jacobi Episcopi, à quâ Otmarus ipse erat extraneus, tamquàm pertinens ad Abbatiam S. Servatii, nulliùs tunc Diœcesis, & subditus Eginhardi, velut dicti loci Abbatis, & sui ordinarii.

25. Rursùs in aliâ epistolâ ad quosdam fratres directâ, ità illos alloquitur: *Scio vos non laterè, quod bonæ memoriæ Vuolfgarius Episcopus, me petente, beneficiavit homini nostro Geberto in pago Dubargavve, in loco qui dicitur Asgbath de ratione S. Kiliani, mansos tres, & mancipia 12. sed quià in hoc diutiùs manere non potuit, nisi dùm ille in corpore vixit, precor benignitatem vestram, ut memoratum Gebertum illud beneficium habere permittatis, sicut modò habuit, usque dùm in hac sede Episcopus fuerit ordinatus: & intèr me, & illum convenerit, quid de ipso beneficio fieri debeat in futurum.* Fortè Vuolfgarius iste Episcopus, fuit Vuolfarius Archiepiscopus Remensis, qui sub fine octavi, & initio noni Sæculi vixit, non enim alium similis nominis Episcopum per hæc tempora invenimus. Utcumque sit hic videmus, Gerbertum beneficium, vel in commendam, vel alitèr, prò more illorum temporum, possedisse in alienâ Diœcesi, & Eginhardum instare, ut in ejusdem beneficii possessione pacificè continuaret? supposuit ergò licere

(a) *Idem l. 2. cap. 13. Sigebert. de illust. Eccles. script. in Fortunat.*
(b) *Bellarm. de scripʈ. Eccl. in Eginbardo.*
(c) *Baron. ann. 528.*
(d) *Vid. tom. 1. Vetr. scrip German. in princip. ubi de Eginbardo agit.*
(e) *Tritbem: de Scrip. Eccl. in Eginbard.*
(f) *Eginbard. ep. 12. ap. Duchesne to: 2. hist. Franc. f. 697.*
(g) *Eginbard. epist. 9 loc: cit.*
(h) *Eginbard. epist. 5 ap: Duchesne loc: cit.*
(i) *Eginbard. ep: 6: ap: Duchesne hist: Franc. to: 2. f. 696.*
(l) *Conc. Remens. 2. ann. 813. & Noviom. ann. 814. Sirmond. t. 2. Concil. Gall.*

cere clericis extraneis beneficia in alienis Diœcesibus adipisci.

26. Jàm itaque multiplicibus rationibus, & juris, & facti, probatum restat, quod Ecclesia, toto currente Octavo Christi Sæculo, plenâ, & plenissimâ libertate potita est, conferendi ecclesiastica beneficia, tàm clericis extraneis, quàm indigenis. Cumque ex tunc hujusmodi libertatem amittere non meruerit, imò & nec potuerit eam perdere, velut sibi coevam, & inseparabilem à se ipsâ, nisi ubi aliud Apostolica privilegia, justis de causis alicubi concessa, deposcunt; sequitur quod Ecclesia nunc eâdem libertate frui debet, quâ dicto tempore potiebatur, adeoque liberum esse ipsi Ecclesiæ, illiusque ministris, & præcipuè Summo Pontifici ipsius Capiti, necnon & Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa nominatoribus, beneficia ipsa, non modò clericis indigenis, verum etiàm extraneis elargiri.

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI IX.

CAPUT XXI.

In quo ex pluribus Conciliis, per idem Sæculum celebratis, & prefertìm ex Conciliis Altinensi, Aquisgranensi, Meldensi, Moguntiacensi, Cabilonensi, Vvormaciensi, Svessionensi, Bellovacensi, Valentino, ac Tullensi, *probatur libertas Ecclesiæ, in conferendo ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Paulinus Aquilejensis congregavit* Concilium Altinense, *proptèr mortem illatam Joanni Gradensi: de qua Concilium scripsit Carolo Magno.*

2 *Joannes Dux Venetorum, & Nicephorus Imperator optabant, ut Vliuolensi Ecclesiæ Græcus quidam præficeretur in Præsulem à Joanne Gradensi.*

3 *Ex facti serie patet, quod Principes, tàm Latini, quàm Græci, erant in voto, quod liceret beneficia viris etiàm extraneis impertiri.*

4 *Interfuit* Concilio Aquisgranensi *sub Ludovico Pio* Amalarius Fortunatus, *qui plura beneficia tenuit in diversis regionibus.*

5 *Norma vivendi, tàm Episcopis, quàm Subditis, in hoc Concilio concinnata est, operâ Amalarii, plures canones exhibens faventes extraneis.*

6 *Ex lege igitur contrariorum non prohibetur Clericis alibi beneficia suscipere, si accedat proprii Episcopi assensus.*

7 *Similia decrevit* Concilium Aquisgranense II. *quià multi Clerici concurrebant ad Palatium Regium, ut beneficia adipiscerentur.*

8 *His paritèr consentanea sancivit* Concilium Meldense, *cujus canones referuntur.*

9 *Solebant Clerici sinè dimissoriis proprii Antistitis Magnates adire, prò beneficiis.* Ordinare *interdùm significat beneficia concedere.*

10 *Ordinare beneficia significat quamlibet eorum dispositionem. Et ex Concilio Meldensi non obstat Clericis extraneitas, nè possint alibi beneficia suscipere.*

11 Jus Regium esse videtur, quod Princeps possit undecumquè accersere Clericos, quibus beneficia, à se dependentia largiatur, dummodò dignos.

12 Concilium Moguntiacense interdicit Episcopis alienum Clericum retinere, aut ordinare, & admittere ad aliquod officium in Ecclesia.

13 Ab officio ad beneficium valet argumentum. Non absolutè prohibetur retineri alienus Clericus, sed si desit assensus sui Præsulis.

14 Silva Hispanus ad Sedem Narbonensem à quibusdam electus, eo tempore, quo coelectus est Theodardus, in Concilio Nemausensi depositus fuit.

15 Ex Concilio Cabilonensi 11. dantur causæ, ob quas potest Episcopus Sacerdotem dimittere, & Sacerdos alibi beneficium procurare.

16 Ad quem spectet advertere, an clerici extranei habeant causam discedendi à sua Diœcesi, & sint stipati probatione morum bonorum?

17 In Concilio, vel congressu Vvormaciensi datum est privilegium monasterio S. Remigii, ut Abbas de gremio eligeretur.

18 Abbas Solemniacensis privilegium prò suo monasterio poposcit à Patribus Concilii Suessionensis III. Cœnobium hoc D. Eligius construxit.

19 S. Eligius redimebat captivos extraneos. Asceterium puellarum Parisiis, & monasterium Solemniacense prò viris, in Diœcesi Lemovicensi erexit.

20 Sequitur privilegium monasterii Solemniacensis, ut Abbas ex illius gremio eligi posset, quo indulto cessante, potuisset eligi extraneus.

21 Monachi Solemniacenses, non se tutos censentes privilegio Concilii, & Regis, aliud indultum à Marino Papa I. deposcerunt.

22 In quo indulto Papa decernit, ut obeunte Abbate, nullus illi cœnobio præficiatur, nisi quem monachi ejusdem loci ex se ipsis elegerint.

23 Simile privilegium concessit Concilium Cabilonense monasterio Tornutiensi, & Synodus Tricassina monasterio Floriacensi; quæ Joannes VIII. Papa confirmavit.

24 Stultum fuisset memoratis monasteriis, tamquàm ex privilegio concedere electionem de gremio, si hæc de jure fuisset, ad extraneorum exclusionem.

25 In Concilio Bellovacensi tractatum est de electione Archiepiscopi Remensis, de Ebbone, Fulcone, Nothone, & electus est Hincmarus.

26 Hincmarus erat extraneus ab Ecclesia Remensi, prout erat & Ebbo ejus Antecessor, qui ut ad relictam sedem rediret, nihil intentatum reliquit.

27 Ebbo, Hincmarus, Lotharius, Carolus Crassus, Ludovicus Pius, Episcopi, ac Sergius Papa, suis gestis faverunt extraneis.

28 Concilium Valentinum III. dat optionem electoribus Episcoporum, ut nisi mittatur aliquis è Palatio Principis, eligant unum de Clero Ecclesiæ.

29 Idem statuit Concilium Tullense, adversùs Venilonem Senonensem congregatum, solum ergò cæteris paribus præferendi sunt indigenæ extraneis.

30 Nullum additum fuit verbum canoni Tullensi, ut supponitur in contrarium: & quis esset verus sensus ipsius canonis.

31 Nunquam dari poterat casus, quod in totâ Civitate; & Diœcesi nullus esset Clericus sæcularis, vel regularis, nequè laicus, Episcopalis officii capax.

32 In eodem Concilio Tullensi damnatus est Anscharius, quod prius beneficium Episcopale Januacense invasisset, indè occupasset Lingonicum.

33 Ibidem judicati sunt Atto de Virdunensi Episcopatu suscepto, & Tortoldus de Bojacensi: neutri verò objecta fuit extraneitatis culpa.

NO.

1. NONUM Christi Sæculum, sub ipsis pene initiis funestatum fuit morte Joannis Patriarchę Gradensis, ei enormissimè illatâ: propter quam Paulinus Patriarcha Aquilejensis *Concilium Altinense*, in Altini Oppido congregavit, ut præsidium Caroli Magni Imperatoris, Regisque Francorum Synodalitèr invocaret, pro tanto crimine ulciscendo (*a*). Cui Patrum nomine, in Concilio confidentium, scriptum est: *Egrediatur quapropter, si placèt, una de hac rè, per universam Regni vestri late diffusam monarchiam, decretalis sententiæ ultio, quæ nulla unquam possit inimica veritatis, & adversatrix justitiæ, qualibet, urgente refragationis instinctu, Oblivio abolere. Valdè enim hujus sceleris truculenta præstigia, ob incuriam disciplinæ, per cunctas mundi Ecclesias prævaluere partes. Unde vestri est censurâ Magisterii resecanda hæc noxialis morbi modis omnibus pestis, & potentissimâ, dociliique funditus manu, extirpanda &c.* (*b*).

(a) *Baron. ann. 802. n. 7. Coriolan. sum. concil. in Conc. Altinens. ann. 802.*

(p) *Epist. synodalis ap. Binium to. 6. Conc. fol. 206.*

2. Causa tàm nefariæ cædis hæc fuit. Vacanti beneficio Episcopali Ecclesiæ Ulivolensis, ad Joannem Patriarcham Gradensem spectabat novum Præsulem consecrare. Jàm diù autem Gradensis urbs suberat dominio Venetorum, qui & pro tuendis juribus Patriarchatus Gradensis, adversus Patriarchatum Aquilejensem in Regum Longobardorum dominio constitutum, solertiam suam non semèl interposuerant (*c*). Hinc Joannes Dux Venetorum, & Nicephorus Constantinopolitanus Imperator, votis consonis fategerunt, ut eidem Ulivolensi Ecclesiæ præficeretur Christophorus quidam, natione Græcus: Joannes verò Patriarcha Gradensis, solitus Joanni Duci libentèr obsistere, cujus etiàm, & filii ejus Mauritii, consueverat mores, & privatis, & publicis declamationibus improbare (*d*); Joannes inquàm Patriarcha, cui & quidam, Tribunatum tunc temporis apud Venetos exercentes, adhærebant, alium optabat Ulivolensibus infulis decorare, Ducisque jussionem, qui Christophori mandabat ordinationem, parvipendit, & nedùm illum non ordinavit, sed & adversùs ipsum ecclesiasticas censuras intorsit. Quarè Joannes Dux, præcipiti furore concitatus, arma movit in Gradum, & Patriarcham, sibi alioquin prefatis de causis odiosum, è supercilio Turris præcipitavit ad imum, ac alitèr sævitiam suam in alios quoque exercuit Sacerdotes,

(c) *Baron. ann. 630. nu. 15. & 16. & 772. num. 5.*

(d) *Sabellic. l. 9. ar. 8*

3. Obsistebant inquam Tribuni Venetiarum votis Joannis Ducis, sed gentem Venetam ejusdem Ducis consilia secutam esse, indicio est, quod Fortunatus nepos Patriarchæ occisi, in locum patrui suffectus (*e*), nunquàm quievit, donec Pipinum Italiæ Regem ad Bellum Venetis inferendum induxit (*f*). Ultionem autèm adversùs totam gentem illam non concitasset Fortunatus, si Veneti non Duci, sed Tribunis, quos diximus, adhæsissent. Utcumque sit, Joannes Dux impiissimam sævitiam exercuit, & in hoc execrabilis fuit: sed quoad reliqua, hic videmus duos magnos Principes, scilicèt Nicephorum Imperatorem, & Joannem Ducem Venetorum, toto nisu Christophorum ad Ecclesiæ Ulivolensis Episcopale beneficium promoventes, Græcum in Ecclesiâ latinâ, extradiœcesanum, extraprovincialem, extranationalem, virum tandem omnibus titulis extraneum: undè discere nobis datur, quod Principes, tàm Latini, quàm Græci, Nono Christi Sæculo viventes, in eâ persuasione fuerunt, quod clericis extraneis pateret ubicumque acccessus ad ecclesiastica beneficia: alioquin Christophorum in sede Ulivolensi locare non fategissent. Nec illum ad eam habilitare potuissent, in præjudicium indigenarum, contrà jura supposita, divinum, naturale, & humanum, solos indigenas admittentia. Joannes quoque Patriarcha Gradensis recusavit consecrare Christophorum, non tamèn quià extraneum, sed quià optatum à Joanne Duce, cujus desideria, ut innuimus, ipse Gradensis erat solitus impugnare.

(e) *Binius not in Concil. Altinens. to. 6. Concil Baron. loc cit. ann. 802 num. 7.*

(f) *Baron. & Binius & Sabellic. loc. cit.*

(a) *Sabel. ubi supr.*

4. Successivè habitum est *Concilium Aquisgranense I.* Provinciale, sollicitudine, vel petitione Ludovici Pii Imperatoris congregatum, anno 816., ut in eo consciscèretur aliqua regula, *per quàm & Prælati recto tramite incedere, & sub-*

ditis normam vivendi absque ignorantiæ obstaculo salubritèr nossent præbere (a). In hac institutionis formâ colligendâ præcipuam navavit operam *Amalarius* Metensis Diaconus (b), quem ejusdem urbis Episcopum fuisse legitur (c), & anteà monachum Luxoviensem, ac posteà Archiepiscopum Trevirensem, atque Cardinalem S.Romanæ Ecclesiæ (d), qui proindè tamquàm talis, beneficium monachale in Burgundiæ finibus possedit, Diaconale, & Episcopale in Galliâ, Archiepiscopale in Germaniâ, & Cardinalitium in Italiâ; adeoque ter saltèm, sivè tria obtinuit beneficia, in locis, à quibus erat, & urbe, & provinciâ, atque natione prorsùs extraneus. In Concilio inquàm Aquisgranensi, ex doctrinâ Patrum, & Conciliorum, ac ex constitutionibus ecclesiasticis, conserta est norma tenenda in rebus, ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus, quæ esset veluti Manuale, Directorium, & Breviarium, cunctis obvium, commodum, & expeditum.

5. In illius autèm normæ serie, prò eo quod aptè ad rem nostram pertinet, hæc capitula continentur: *Quicumque temerè, ac periculosè, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoscentes ecclesiasticam regulam, discedunt ab Ecclesiâ, presbyteri, atque Diaconi, vel quicumque sub regulâ prorsùs existunt, hi nequaquam debent in aliam Ecclesiam recipi &c. Si quis autèm ad alium pertinentem audactèr invadere, & in suâ Ecclesiâ ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discesserit, is qui regulæ mancipatur, ordinatio hujuscemodi irrita comprobetur* (e). Pariter: *Alienum clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi fortè ex placito charitatis, id intèr dantem accipientemque conveniat* (f). Item: *Clericum alienum nullus sibi præripiat Episcopus, præter ejus arbitrium, cujus fuerit clericus* (g). Demum: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, & omninò quilibet ex Clero, parochiam propriam deserens, ad aliam properavit, dein omninò demigrans, in alia parochia per multa tempora nititur immorari, ulterius ibidem non ministret; maximè si vocanti suo Episcopo, & regredi ad propriam parochiam commonenti, obedire contempserit* (h).

6. Sermo est hic, non solum de promotione ad ordines, & ministratione in iis jàm receptis; sed etiam de insertione in alieno Clero, proùt consideranti vim verborum satis potest esse perspicuum, & quatenus etiam de solâ provectione ad ordines in hisce canonibus esset sermo; adhuc satis esset ad intentum nostrum; quippè in sensu Contradictorum, antiquis temporibus, idem erat ad ordines provehi, & stipendiis, sive beneficiis ecclesiasticis, munerari. Ergo ex Concilio Aquisgranense, canonibus inhærente, jàm dudum anteà in Ecclesiâ promulgatis, illicitum est Clericis in alienâ Diœcesi ordinibus, & stipendiis ecclesiasticis insigniri: non semper tamèn, sed tunc solummodo, quando proprii Episcopi deest assensus. Igitur si proprii Episcopi assensus adsit, id optime licitum erit, ex regulâ argumenti, à contrariò sensu deducti, quod uti pluries ostendimus, validum est, & efficax, ac quodammodo textuale (i). Quare Clerici alieni à recipiendis ecclesiasticis beneficiis repelli non poterunt, nisi in eo unico casu, quo eis desit proprii Antistitis assensus, qui nunquam negari debet Clericis, beneficio residentiali carentibus.

7. Similem definitionem edidit *Concilium Aquisgranense II.* convocatum Anno Christi 836. (l) Quod Eginhardus vocat *Magnum Episcoporum Conventum* (m). In eo etenim sequens canon emersit, *similitèr est postulandum de Presbyteris, qui hinc indè de diversis parochiis venientes, & in palatio morantur, ut sine proprii Episcopi consensu ibi locum consistendi non habeant, nèc recipiantur, quia fieri potest, ut intrà parochiam metu perpetrati criminis, nè id palam, juxta canonum sanctiones, ulciscatur, palatinas ædes frequentent, aìt certè, licèt non sit ordinatus, ipse tamèn absque literis ordinatum sè attestetur* (n). Prætèr canonicatus, & præbendas Regiæ Capellæ, Princeps de pluribus Abbatiis, & Episcopatibus disponebat, quibus præficiebantur crebrò Clerici, ab Aulâ missi; Clerici proindè plurimi ad Regiam urbem, & palatium Regium concurrebant, ut fortunam tentarent. Concilium

(a) Conc. Aquisgran. ann. 816 in præfat. ap. Bin. to. 6. & Sirmond. to 2. Conc. Gall. f. 330.
(b) Sirmond. in not. ad dictum Concilium to. 2 f. 683.
(c) Honor. Augustodun. de scriptor. Eccl. in Amalar. Possevin. Appar. to. 2. in Amalario.
(d) Jo: Gualt. Chron. Ecclesiast. in Archiep. Trevir. n. 63. f. 1482.
(e) Concil. Aquisgr. an. 816. c. 45. ex Conc. Nicæn. c. 16. c. si quis vero 7. q. 1.
(f) Concil. Aquisgr. c. 80. ex S. Leone ep. 84 c. 9. Cap. alienum 19. quæst. 2.
(g) Concil. Aquisgr. c. 91. ex Conc. Africano cap. 21.
(h) Concil. Aquisgr. c. 71. ex Conc. Antioc. c. 3. cap. si quis presbyter 7. qu. 1.
(i) DD. ap. Barbos. Trac. var. Loc. 27. n. 3.
(l) Conc. Aquisgr. 2. ap. Sirmon. to. 2. Conc. Gall. f. 574.
(m) Eginhard in Chron. Sirmond. in not. ad dict. conc. f. 688.
(n) Conc. Aquisgr. 2. an. 836. c. 23.

cilium verò mandat eos non recipi, seù in aulâ locum consistendi non habere, *sine proprii Episcopi consensu*: ergò accedente proprii Episcopi consensu, eis locum consistendi permitti posse concedit, & sic Clericis, tali consensu ditatis, optimè patere debebat accessus ad ecclesiastica beneficia.

8. Nèc dissimilia sunt ea, quæ *Concilium Meldense* anno 845. celebratum hisce constitutionibus definivit, *Canonicos, qui in parochiis tonsurantur, interdùm etiam & ordinantur, sine auctoritate, dignitas regalis in suum periculum non dignetur recipere; præsertìm cum eos salubritèr, & auctoritativè possint habere. Quapropter eum quilibet Canonicorum ad Regiam venerit majestatem, & suo se voluerit mancipare servitio, consensu Episcopi, ad cujus Diœcesim pertinere dignoscetur, eum recipiat* (a). Et alibi: *Qui eum senioribus suis de aliis provinciis ad nostras parochias veniunt sine formatâ, ministrare non permittantur &c. Clerici vero si hujusmodi hominibus ad ordinandum offeruntur, instrui debent, ut ad Episcopos, ex quorum parochiis sumpti sunt eos remittant; & aut ibi ordinentur, aut literas canonicas ab Episcopo, ex cujus Diœcesi sunt perferant, sicut canonum docet auctoritas* (b).

(a) *Concil. Meldens. an. 845. c. 58. Bin. to. 7. Sirmond. to. 3.*

(b) *Conc. Meldens. cap. 51.*

9. Sermo est hic de præfatis Clericis, qui aliundè venientes, ad aulam regiam properabant, vel adibant magnates, Dominosve sæculares, qui hic nuncupantur *Seniores*, ut apud ipsos, aut per ipsos beneficium aliquod, vel Ecclesiam, ab eorum pendentem dispensatione, obtinerent (is etenìm tunc inoleverat usus, ut Clerici, ex unâ ad aliam regionem pergerent, & ab Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac nobilibus laicis reciperentur, uti legere est in Concilio Parisiensi VI. loquente de clericis ex Germaniâ, & Galliâ, qui in Italiâ recipiebantur ab Episcopis Abbatibus, Comitibus, & nobilibus laicis, & aliquandò etiàm sollicitabantur (c). Interdicit ergò Concilium Meldense, nè clerici alieni talitèr venientes, sinè consensu eorum Antistitis suscipiantur ab aliquo: Adnotando quod verba illa *ordinantur*, & *ad ordinandum*, non tàm promotionem ad ordines significant, quàm etiàm provectionem ad ecclesiastica beneficia: *ordinare* etenìm in jure significat etiàm aliquem de beneficiis ecclesiasticis providere (d).

(c) *Concil. Parif. 6. ann. 829. c. 36.*

(d) *Cap. super eo 15 de off. & potest. Jud. deleg.*

10. Latamque significationem habet verbum ipsum *ordinare*, quotiès ad præfata beneficia refertur: quippè nedum eorum collationem significat, sed etiam quamlibet eorumdem dispositionem, vel provisionem (e). Itaquè Concilium Meldense prohibet receptionem clericorum extraneorum, tàm ad effectum illos promovendi ad ordines, quàm ad effectum ipsos munerandi sacris præbendis, nisi concurrente assensu proprii illorum Antistitis. Ergò quotiès hujusmodi assensus concurrat, ad utrumque effectum recipi posse disponit, & ità non eis obsistit extraneitas, sed dissensus proprii Antistitis, quin possint extrà nativum solum ecclesiastica consequi beneficia. Qui assensus deesse non potest Clericis carentibus, beneficio residentiali, quià illis (ut alibi ostendimus) non potest à proprio Antistite legitimè denegari facultas abeundi, & alibi beneficia ecclesiastica conquirendi, atque suis meritis, ac virtute obtinendi apud exteras gentes, quod fortè in patria aliquam ob causam non eis conceditur adipisci.

(e) *Barbos. sup. dicto cap. super eo n. 7.*

11 Nec omittenda est animadversio super illis verbis prò Jure quodam Regio illorum temporum pronuntiatis, *præsertìm cum eos salubritèr, & auctoritativè possit habere* (f). Significat etenìm Concilium, quod Regalis prerogativa hoc eâ ætate præseferebat, ut Rex posset suâ auctoritate clericos ritè promotos, & idoneos undecumque accersere, & illos ubilibet in beneficiis à se dependentibus collocare. Quâ prærogativâ si tempore Concilii Meldensis Reges potiebantur; eccur etiàm non eâ nunc potiri dicemus? Quis eos illâ spoliavit? Quandonam, cur, & quomodo ab illâ cecidere? Si autèm hac prærogativâ potiuntur Reges, beneficiorum fundatores, vel patroni; eccur non illâ perfruentur Episcopi, qui sunt ordinarii collatores beneficiorum suę Diœcesis? Et cur non illâ multò magis fruetur Summus Pontifex, qui est omnium beneficiorum supremus dispensator, & moderator (g), & in eis habet plenitudinem potestatis, quemadmodum unâ voce Canoni-

(f) *Concil. Meldens. cap. 58.*

(g) *C. licet de præb. in 6. Garc. de benefic. d. 5. c. 1. n. 1.*

stæ omnes exclamant (*a*). Itaque, & Papæ, quoad cuncta beneficia; & Regibus, quoad ea, quæ ab illorum dispositione dependent; & Episcopis, atque aliis, tàm Collatoribus beneficiorum, quàm ad illa Nominatoribus, congruâ semper proportione servatâ, integra, & totalis libertas inest, & inesse debet, ut semper fuit, & inerat Sæculo Nono, accersendi clericos undecumque (dignos tamèn, & idoneos) eisque beneficia, ad ipsorum dispensationem pertinentia, dilargiendi.

(a) *Fagnan. in cap. quanto de transl. Episcopi nu. 42 43. 81. 88. l. 1. Barbos. Juris: Eccl. Univ. l. 3. c. 2. n. 98.*

12. Hoc eodem Nono Christi Sæculo congregatum est *Concilium Moguntiacense*, anno 888. in quo plures editi sunt canones, ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes, in quorum uno decernitur: *Nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare &c. Si quis Episcopus judicaverit, vel ordinaverit alterius parochianum, sinè consensu, & voluntate sui Episcopi, oportet non sinè increpatione in communi Concilio admitti, itàut ecclesiasticum ultrà non solvat canonem* (*b*). Retinere, & ordinare hic, vel naturalitèr significant, vel saltèm, ex modò loquendi, extenduntur ad significandam insertionem alieni clerici in proprio Clero: is etenim ità insertus proculdubiò retinetur, & sivè ordinibus sacris, sivè præbendis ecclesiasticis auctus, dicitur ab Episcopo illum suscipiente ordinatus. Et quocumque modò verba illa *retinere*, & *ordinare* sumantur, proculdubiò significant admissionem ad aliquod officium in ecclesiâ, à quâ sic admissus origine fit extraneus. Crebro utimur canonibus, & documentis, de susceptione alienorum clericorum loquentibus, quià cupientes ostendere de Sæculo in Sæculum, quod Ecclesiæ disciplina constans, & nunquàm intermissa, fuit præficiendi ecclesiasticis beneficiis etiàm clericos extraneos, non possumus uti, nisi documentis, quæ in decursu ipsius Sæculi occurrunt. Sæpè autèm obvii habentur canones de susceptione alienorum clericorum agentes.

(b) *Concil. Mogunt. ann. 888. c. 14. 15. Bin. tom. 7. Conc.*

13. Ab officio verò ad beneficium optimè valet argumentum (*c*), & quidquid dicitur de officio, dicitur etiàm de beneficio. Namque Concilium, de quo loquimur, & alia mox recensita, cùm non prohibeant admissionem clerici extranei ad officia ecclesiastica absolute, & simplicitèr, sed solummodò conditionatè, idest si desit voluntas, & consensus proprii Episcopi; fit ex hoc, quod etiàm admissio ad beneficia ecclesiastica non prohibetur absolute, sed conditionatè, ideft tunc solùm quando eorum proprii Præsulis assensus deest; ergò quotiès consensus adest proprii Antistitis, optimè patet aditus extraneis ad ecclesiastica beneficia. Nec iste assensus unquam deest clericis, beneficio residentiali carentibus: quippè, ut ostendimus, simplicibus clericis, & nullo residentiæ vinculo arctatis, negare Præsul non potest, licentiam à nativâ Diœcesi abscedendi, & se ad aliam transferendi (*d*).

(c) *Barbos. tract. par. Loc. 77. n. 1.*

14. Sinchronum factum habemus in *Concilio Nemausensi*, anni 886., totum hoc justificans. Vacante sede Narbonensi, per obitum Sigebodi, locatus est in illâ Theodardus, de quo in Martyrologio Gallicano asseritur, quod *fuit sanctitatis exemplum, eloquentiæ stupor, & doctrinæ miraculum* (*e*). Simul autèm, & quorundam factione, illimet cathedræ immissus est Silva clericus Hispanus, qui se potioribus rationibus stipatum reputans, incepit Narbonensis Archipræsulis munus obire, & Episcopos etiàm illius Provinciæ consecrare. Theodardus ergò Romam pergens, ad Archiepiscopale Pallium suscipiendum, literas à Stephano Papa VI. prò Silvæ dejectione impetravit. Congregata est igitùr Synodus Nemausensis, in quâ intortum est Papale anathema contrà Silvam, hicque tandem degradatus est, in frusta conscissis ejus Episcopalibus indumentis; baculisque Episcoporum Concilii super caput ejus confractis. Quarè autèm hoc? *Quià se extrà Metropolitani sui consensum ordinari fecerat* (*f*). Non dixit, quià erat extraneus, quæ causa tamèn non debuisset omitti, si ratio culpæ fuisset, præsertim cum defectus dicti assensus non sit nisi juri canonico oppositus; extraneitas, verò non solùm juri canonico, sed etiàm divino, & naturali opponitur, ut à Contradictoribus autumatur. Nec certè Concilium, prò justificatione sui facti rationem tenuiorem allegasset,

(d) *Campanil. divers. Jur. canon. Rubric. 9. c. 6 n 4. Barbos. de off. Episc. p 2. alleg. 21 n. 5. & Sum. Apost. dec. V. Commendatitiæ Collect. 188 n. 4.*

(e) *Andr. Saussai Martyrol. Gall. die 3. Maii f. 255.*

(f) *Concil. Nemaus. ann. 886. Sirmond. t. 3. Conc. Galliæ.*

supressâ potiore. Et quià ex ratione; & rè non nominatâ tunc, quando prudentèr nominari debebat, valet argumentum (a), constat quod Silvæ nihil obstitisset extraneitas, si adfuisset proprii Prælati consensus: quo concurrente optimè potest clericus extraneus, etiàm usque ab beneficia Archiepiscopalia elevari.

(a) Barbos. tract. var. Loc. 76.

15. Concilium Cabilonense II. Cabilone in Gallia celebratum est anno Christi 813. tempore Leonis Papæ III, & Caroli Magni Imperatoris, In eo intèr 67. capitula, sacram disciplinam concernentia, unum est editum, quod causæ nostræ suffragatur, & se habet, ut sequitur: *Presbyter proprio loco dimisso, ad alium migrans, nequaquam recipiatur, nisi suæ migrationis causam dixerit, & se vixisse innocentèr in Parochiâ, in quâ ordinatus est, sub testibus probaverit, literis etiàm, in quibus sint nomina Episcopi, & civitatum plumbo impressa, quibus cognitis, & talibus inventis, quibus fides adhiberi possit, recipiatur* (b). Interdicit ergo Concilium, nè Presbyter extraneus alibi suscipiatur, nisi de probitate suorum morum, & de justâ suæ migrationis causâ docuerit per literas testimoniales proprii Episcopi, atque testium; Igitur supponit Concilium dari posse legitimas causas, ob quas liceat Episcopo sacerdotem de suâ Ecclesia dimittere, & sacerdoti liceat à suâ Ecclesiâ discedere: quibus extantibus, & etiàm si consensus Episcopi nativi desit, dummodò ejusdem, & testium de bonis moribus testificatio concurrat, canon præcipit, Presbyterum extraneum nedùm posse in aliena Ecclesia recipi, sed etiam præcisè admitti debere: non quidem nudè, sed stipendiariè, *non enim illud patimur omninò fieri, ut dicatur quià licentia erit ordinare quidem, non tamèn emolumenta præbere*, inquit Imperator Justinianus Epiphanio Patriarchæ Constantinopolitano (c).

(b) Concil. Cabilon. 2. cap. 41.

(c) Justin. in Authent collat. 1. in fin. col. 33.

16. Ergò Clericum præfatis testificationibus constipatum, etsi extraneum, debere in alia Ecclesia recipi mandat Concilium, & ibi consequentèr stipendia Clericalia adipisci, quod idem est, ac beneficiis Ecclesiasticis adornari. Ad Papam igitùr, ad Episcopos, omnesque alios, tùm Ordinarios, tùm Delegatos beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores, spectabit in actibus practicis, & hìc, & nunc, cum disposuerint beneficia extraneis concedere, propriam potestatem dimetiri, & suscipientium capacitatem perspicere, quanta, & qualis sit; talisque an existat, ob quam Clerici mereantur beneficiis insigniri: quâ cognitâ capacitate, spectabit ad eosdem attentius indagare, sciscitari, atque recognoscere, an extranei illi justam causam habuerint ab Ecclesiis suæ originis discedendi, habeantque proprii Episcopi, & testium fidem, morum suorum probitatem comprobantium: iisque concurrentibus, nedùm poterunt, sed etiam debebunt, juxtà hujus Concilli placitum, in aliena Ecclesia beneficiis ecclesiasticis, quorum digni sint, insigniri.

17. Concilium, seù Congressus Vvormaciensis, habitus est tempore Ludovici I. Imperatoris, cognomento Pii, cum interventu plurimorum Episcoporum, & Metropolitanorum, in quo fuit Monasterio S. Remigii Senonensis collatum privilegium, Episcoporum subscriptione firmatum, ac Imperatoris diplomate roboratum (d), præscribens, ut electio Abbatis, quæ pridèm undelibet, prò arbitrio electorum fiebat, inposterùm ageretur à monachis ejusdem cœnobii, & ex gremio ipsius monasterii, verbis sub hoc tenore conceptis: *Episcopus, qui prò tempore, auctore Deo, præfuerit, Abbatem de eodem monasterio, eum videlicet, quem omnis congregatio sibi ordinandum poposcerit, & sinceritas morum, & bonorum actuum probitas commendaverit, si intèr eos talis inveniri quiverit, ordinandum procuret; quod si alis inter eos minimè inveniri poterit, de eadem Parochia, vel Diœcesi Senonica, consentientibus sanctis Coepiscopis ejusdem Diœcesis, & circumpositis venerabilibus Abbatibus, ei præficiendum, atque ordinandum provideat* (e). Ex quibus ostenditur, quod si tempore illo, quo adhuc per totam Ecclesiam vigebat jus electionum, & tàm Episcopalia, quàm Abbatialia beneficia debebant per canonicam electionem conferri, opus fuit privilegio speciali, ab Episcopis, & Metropolitanis plurium Provinciarum edito, & Cæsaris diplomate roboratò, ut

(d) Annales Fuldʃ apud Pithæum.

(e) Labbè to. 7. Conc. fol. 683.

non

est anno 866.) cùm nihilominus hoc cœnobium inceperat in commendam clericis sæcularibus, laicisve concedi. Ne id verò inposterum fieret, sed Abbas ex proprio gremio numerosi illius monasterii seligeretur, præsens privilegium obtentum est (*a*). Et quià neque hoc modo tutos se esse censuerunt monachi ejusdem cœnobii, nisi Regio Caroli Crassi Imperatoris consensui, Synodalique Diplomati, Apostolicum quoque accederet privilegium; id impetrarunt à Marino Papâ I. ut innuimus, qui in suo indulto hæc Pontificali auctoritate disponit: *Igitur juxtà petitionem vestram, hujusmodi privilegium, præsentis auctoritatis nostræ decreto, eidem venerabili monasterio vestris, futurisque temporibus indulgemus, concedimus, atque confirmamus &c. Damus etiàm licentiam proptèr persecutionem Infidelium, Christianitatem devastantium, munitionem ibi fieri &c.* (*b*).

22. *Constituimus aliâ auctoritate B. Petri, ut nullus Regum, nemo Antistitum, vel Abbatum, seù quilibet suâ præditus dignitate, de iis quæ in prælibatis præceptis continentur, vel in futuro ab eis, vel à quibuslibet de proprio fuerint his specialibus usibus jure collata, sub cujuslibet causæ occasione, sivè specie, quicquam minuere, vel auferre, vel aliis quasi piis causis, prò suæ avaritiæ excusatione præsumat concedere, sed cuncta, quæ usibus monachorum, vel Ecclesiæ oblata sunt, vel offerri contigerit, perenni tempore, absque ullâ inquietudine ipsis, quibus concessa sunt, profutura permaneant &c. Placuit huic paginæ inseri, ut obeunte Abbate prædicti cœnobii, nullus ibi quacumque subreptionis ambitione Abbatem statuere præsumat, nisi quem ejusdem loci monachi, secundum authenticam, & regularem institutionem, ex se ipsis elegerint ordinandum* (*c*). Quid ex hisce inferatur hic successivè sequentibus numeris enitescet.

23. Concilium aliud, sive congressus in urbe *Cabilonensi* habitus est, anno Christi 876. tempore Joannis Papæ VIII. & Caroli II. Imperatoris cognomento Calvi, in quo favore monasterii, & monachorum Tornutiensium decretum est: *Abbates verò ex se ipsis sicut à piissimo Rege Carolo, usque nunc licentiam habuerunt, ità & in anteà, ut perpetualitèr eligant, inviolabilitèr decernimus* (*d*): eamque sanctionem Joannes Papa prædictus in Synodo Trecensi laudavit; consimile privilegium, favore monasterii Floriacensis, Diœcesis Aurelianensis, in *synodo Tricassinâ* emanavit, ut *à propriis Abbatibus, à monachis ex eodem cœnobio regularitèr electis gubernetur* (*e*), quod idem Joannes Papa suo Diplomate roboravit, his verbis: *Quamvis privilegia mortuorum meruerint Episcoporum, ad reprimendam quorumlibet illicitam cupiditatem, ut supèr Abbate regulari, ex eis eligendo, etiam nostræ auctoritatis privilegia consequantur* (*f*). Alia hujusmodi indultorum segmina alibi per nos referentur, quę utpotè ejusdem qualitatis nunc omittimus; notamusque hic recurrere argumentum, paulò superius consertum, quod scilicèt, si opus fuit monasterio Tornutiensi, Floriacensi, aliisque consimilibus, privilegia Apostolica, Regalia, vel Episcopalia impetrare, ut eligibilitas in Abbates illorum, ad solos cœnobitas de ipsorum gremio restringeretur; sequitur, quod nèc de jure Divino, neque naturali, neque positivo erat, nec est, ut ex solo illorum gremio eligi debeant Abbates, beneficium Abbatiale inibi possidentes.

24. Sanè privilegia, ideò privilegia dicuntur, quià privatæ sunt leges, ab ordinariæ, & generalis legis tramite recedentes (*g*), de quibus Cicero: *Majores nostri in privatos homines leges ferri noluerunt, id enim est privilegium* (*h*); & meliùs S. Isidorus, *Privilegia sunt leges privatorum, quasi privatæ leges: nàm privilegium indè dictum est, quod in privato feratur* (*i*): hocque sivè collegium sit, sivè aliqua specialis persona (*l*), cum specialitèr eis confertur, generali legi derogatur (*m*). Inutile ergò, & stultum fuisset monasteriis S. Remigii, Tornutiensi, Floriacensi, & aliis conferre, velut ex privilegio illam potestatem, quæ ipsis de jure Divino, naturali, & humano, sinè alio privilegio competebat (*n*). Cùm autem nèc inutile, neque inofficiosum dicendum sit fuisse privilegium, à Papa, ab Imperatore, & ab Episcopis in Concilio concessum, favore dictorum cœnobiorum; concludere oportet, electio-

(a) *Thomassin. vet. et nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 32. n. 5.*

(b) *Privil. Pap. Marin. ap. Sirmond. loc. cit.*

(c) *Ibidem.*

(d) *Concil. Cabilon. ann. 876.*

(e) *Concil. Tricassin. ann. 878. ap. Sirmond. to. 3. conc. Gall. f. 483.*

(f) *Thomassin. vet. et nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 33. n. 5.*

(g) *Cap. in his 30. de privil. Barbos. in cap. sanè 9. nu. 10 eod. tit. Bonac. to. 2. disp. 1. q. 3. pun. 1. n. 1.*

(h) *Cicer. 3. de legib.*

(i) *Isidor. Etymol. l. 5. cap. 18.*

(l) *Glos. in c. privilegia dist. 3. ex c. petisti 17. qu. 7.*

(m) *c. ult. circ. fin. 25. quæst. 1.*

(n) *Leg. 1. C. de Thesauris l. 10. dicto cap. ult. n. 5 qu. 1. Barbos. in c. 30. n. 2. de privil.*

electiones Abbatum de jure communi potuisse fieri ex viris undelibet acceptis, sivè indigenis, sivè extraneis: sivè dè gremio, sivè extrà gremium Ecclesiæ. Attamèn quià optabatur ut electio Abbatum, qui dictis monasteriis preessent, fieret ex eorum gremio, licèt aliàs de jure etiam monachi extranei possent eligi (*a*), opus fuit speciali diplomate, derogatorio juris communis, quod respectu dictorum monasteriorum, eligibilitatem Abbatis ad solos monachos de gremio coarctaret: salvâ in reliquis Ecclesiis, & cœnobiis, (tali privilegio non munitis) libertate, Præsulem, sivè ex proprio, sivè ex alieno corpore desumendi. Quod si verum fuit dè tempore, in quo Ecclesiis per viam electionis præficiebantur Antistites; quid dicendum nunc dè Ecclesiis, quibus jàm (formâ electionis cassatâ) Prælatus, vel rector datur liberè, vel à Papa, vel ab Episcopis, aùt ab aliis ordinariis, vel delegatis beneficiorum collatoribus, sivè ad ea nominatoribus? Nunquid his minorem libertatem competere credendum est nunc, cum jàm forma canonicæ electionis interiit, quàm competeret Clero, & populo, sivè aliis electoribus, quando electionis viguit observantia? Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur (*b*), jureque illius uti debet, qui in jus succedit alterius (*c*).

25. Concilium *Bellovacense*, Bellovaci in Galliâ celebratum est, anno Christi 845. tempore Sergii Papæ II., & Lotharii I. Imperatoris, in quo Carolus Calvus, adhuc Neustrię, sivè Normandiæ Rex, ei à Ludovico Pio assignatæ (*d*), Episcopis ibi convocatis *intèr alia negotia Ecclesiæ, & Regni dè Ecclesiæ Remensis desolatione agere cæpit, quam Fulcus presbytèr diù usurpaverat, & post eum Nothonus successor; quarè Episcopi, & Clerus, & populus Hincmarum monachum S. Dionysii in Franciâ, ob præclara scientiæ, & virtutum merita eligunt, & eidem Ecclesię præficiunt, cujus electionem Carolus gratissimam habuit* (*e*). Vacabat Archiepiscopatus Remensis, quià decenniò ante Ebbo Archiepiscopus illo spontè se abdicaverat, in Conventu Episcoporum, apud Theodonis Villam habito (*f*), qui *Trans Rhenum natus, ac Ludovici Pii condiscipulus, ut Flodoardus scripsit, ortâ simultate intèr Ludovicum, & Lotharium filium, hujus partibus favit, ac penè exautborandi Cæsaris signifer fuit, accepto in perfidiæ præmium D. Vedasti monasterio* Diœcesis Attrebatensis (*g*), qui & posteà etiam Abbatiâ S. Columbani in Italia muneratus est (*h*). Itaque Imperator Ebbonem in Concilio Metensi accusavit, quod ab eo fuisset falsis criminibus impetitus, & Regno dejectus, armisque ablatis, nèc confessus, nèc convictus, fuisset ab Ecclesiæ aditu eliminatus (*i*). Cæsare tandem ad suam dignitatem restituto, Ebbo Archiepiscopatum dimisit, ut innuimus, & custodię mancipatus est (*l*), interimque sedem illam Fulco, & eo defuncto, Nothonus malis artibus occuparunt (*m*).

26. Concilium, inquam, Bellovacense, cum clero, & populo Remensi ad insulas illius urbis Hincmarum monachum provexère, qui citrà dubium ab Ecclesia Remensi erat extraneus; nàm si candem habuit patriam, ac Hincmarus Laudunensis ejus nepos, prout eum habuisse credendum est, cum ipse illi improperet, quod ex Bononię territorio nativus esset (*n*), oportet, quod & Hincmarus quoque Remensis natalem solum habuerit in territorio Bononię, quę urbs est Gallię Belgicę, in Picardię ora constituta (*o*). Vel patriâ ex monachatu deductâ, teste Celotio, *Hincmarus Senonensis erat provinciæ, non Belgicæ secundæ, cujus metropolitanus Remensis est* (*p*), quippè monachalem vitam agebat in monasterio S. Dionysii propè Parisios, intrà limites tunc provincię Senonensis, erecto (*q*). Ebbo quoque, qui in Episcopatu ei præcesserat, à Remensi Ecclesiâ erat extraneus, uti trans Rhenum ortus, sicut & ab Ecclesiis etiam S. Vedasti Attrebatensis, & S. Columbani Bobiensis, quorum Abbatias suscepit, atque sinè dubio, tàm à primâ, quàm à secundis erat extraneus. In prima autèm nedum licitè fuerat ordinatus Antistes, sed & post eam sic ut suprà depositam, illam recuperare sategit, Lothario Imperatore suffragante, qui à Sergio Papâ diploma obtinuit, ut causa Ebbonis refricaretur, prò repetitione sedis Remensis adversùs Hincmarum, de qua in Concilio Parisiensi actum

(a) Cap. Monasterii cap. constitutis 47. de elect.

(b) Barbos. in c. Ecclesi. 3 a 4. ut lit. pend. l. 2. cum aliis DD. ab eo alleg.

(c) Cap. is qui in ius. de reg. jur. in 6. l. si ap. vetus ff. de contraben. empt. Ricc. dec. part 5. collect. 1634. Barbos. Axiom. 133. n. 9.

(d) Vit. Ludovici ap. Pithaeum f. 271. Paul. Emil. & Aimoin. in Ludovic. Pio.

(e) Bail. sum. concil. in conc. Bellov. an. 845 tom. 2.

(f) Bail. to. 2. in convent. ad Toeodon. Vill. fol. 317.

(g) Bail. to. 2. in conc. Metens. fol. 318.

(h) Flodoard. hist. Remens. l. 2. c. 20. in fin.

(i) Thegan. de gest. Ludovici n. 44. ap. Pithæum f. 124 et Chro. Camerac. l. 1. c. 47.

(l) Thegan. ubi supr. num 49.

(m) Flodoard. histor. Remens. l. 3. c. 1. Sirm. to. 3. Bin. to. 6. in Conc. Bellovac.

(n) Hincm. Remens. opusc. 55. capitum c. 1. in fin.

(o) Philip. Ferrar. Lexic. Geographic. V. Bononia.

(p) Colot. hist. Gotesc. l. 4. c. 22 v. d. hic infr. c. 23. n. 22.

( ) Christian. Lup. ad conc. Rom. an. 1059.

actum est (*a*). *Lotharius*, ut habetur ex Flodoardo, *contrà Carolum fratrem suum odia, & dissidia prò Regno persequens, Hincmarum Caroli fidelissimum, post ordinationem ipsius, à Papa Sergio diplomata obtinuit, ut causa, & lis depositionis Ebbonis iterùm renovaretur: Quibus Papa ad Carolum scribebat, ut Gunibaldum Episcopum Rotomagensem cùm Hincmaro, & aliis Episcopis sui Regni, quos ipse Gunibaldus eligeret, ad synodum Trevirensem, ad Legatos suos mitteret, & ibi rationes, & scripta depositionis Ebbonis discuterentur* (*b*).

27. Igitùr & Ebbo, & Hincmarus, ille trans Rhenum, iste in provinciâ Senonensi, vel Bononiæ, progeniti, Episcopatum Remensem accipientes, à quo erant extranei; & Lotharius Imperator Ebboni, & Carolus Calvus Rex Hincmaro suffragantes, prò eodem Episcopatu retinendo; & Ludovicus Pius Ebbonem ipsum, ab initio ad illas infulas promovendo (*c*), & Lotharius agens, ut ad eundem Ebbonem Abbatiæ S. Vedasti, & S. Columbani pervenirent, à quibus itèm erat extraneus; Et Episcopi ditionis Caroli Calvi, atque clerus, & populus amplæ urbis Remensis, Hincmarum, loco Ebbonis, eligentes in Antistitem; & Sergius tandèm Papa, diploma concedens prò revisione abdicationis Ebbonis; omnes inquàm hi eam sententiam suis operibus comprobarunt, quàm nos hisce scriptis tuemur, ac nobiscum unâ voce conclamant, liberum esse omnibus, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, ecclesiastica beneficia, non modo clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

28. Concilium *Valentinum III.* Valentiæ in Delphinatu celebratum est anno Christi 855. tempore Leonis Papæ IV. & Ludovici II. Imperatoris, convenientibus in eo 13., vel secundum alios 14. Episcopis, intèr quos Archiepiscopi Lugdunensis, Viennensis, & Arelatensis (*d*), in quo post deliberationes adversùs errores Gotescalchi monachi captas, intèr alia, disciplinam ecclesiasticam concernentia, decretum est, petendam à Principe liberam electionem Episcoporum, quià inquiebant Patres, *Indiscussi, & inexaminati, scientiæque literarum penè ignari, minusque Apostolicæ præceptioni adpropinquantes, peccatis nostris agentibus, per civitates Episcopi ordinantur, quâ occasione maximè vigor ecclesiasticus deperiit* (*e*). Subindèque determinarunt, ut cum alicui Ecclesiæ præficiendus esset Episcopus, *in Clero, vel in Diœcesi certè ipsâ, vel, si opus sit, in viciniâ ipsius probata, & officio digna persona quæratur, vel eligatur, quæ inventa consensu totiùs cleri, & populi, ad honorem Dei, civitati ipsi præficiatur, & si à servitio pii Principis nostri aliquis clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Episcopus, timore casto solicitè examinetur &c.* (*f*), Quem canonem ità reddit Hincmarus: *aut in Clero, aut in populo, aut in Diœcesi certè ipsâ, vel si opus sit, in viciniâ ipsius* (*g*). Ex quibus verbis apparet, dari per Concilium optionem per adverbia illa, *vel*, & *aut*, quæ sunt disiunctiva (*h*), quod si non mitteretur clericus extraneus è Palatio, prò arbitrio electorum, deputandus ad Episcopatum deligeretur, sivè ex Clero, sivè ex populo, sivè ex Diœcesi, sivè extrà Diœcesim, dummodò ex viciniâ, ut subditis esset cognitus, & gratus: sicque à merâ eorum voluntate penderet extraneum indigenæ, & proselytum viro locali præferre: vel ad summum non absolutè, sed solùm cæteris paribus, deberet civis advenæ anteferri.

29. Concilium *Tullense*, apud Saponarias, suburbio Tullensis urbis, in Galliâ celebratum est anno Christi 859. tempore Nicolai Papæ I. & Ludovici II. Imperatoris, cui interfuerunt Episcopi duodecim provinciarum, ob quod ab ipsis generale Concilium fuit communitèr appellatum (*i*). Causa eorum confessus fuit *Venilonis* Archiepiscopi Senonensis proditio adversùs Carolum Calvum facta, ex quâ tàm enormem infamiam contraxit, ut ab eo proditores *Venilones* appellarentur. Dati autèm ei sunt judices, coram quibus suorum redderet rationem gestorum (*l*), & successivè confirmatum, inter alia, est decretum, quadriennio antè in Concilio Valentino promulgatum super electione Episcoporum, proùt numero præcedenti retulimus (*m*). Vi cujus roboratur ratio, per nos ibi conserta, quod

(a) *Conc. Paris. anno 847. Bail. to. 2. Concil. fol. 320.*

(b) *Ex Flodoard. hist. Remens. lib. 3. c. 2. Bail. Sum. Conc. t. 2. loc. cit.*

(c) *Thegan. in Vit. Ludov. Pii n. 44. apud Pithæum f. 225.*

(d) *Card. Baron. ann. 855. n. 1. & 2.*

(e) *Concil. Valent. c. 7.*

(f) *Concil. Valent. loc. cit.*

(g) *Hincm. Remens. de prædest. c. 36.*

(h) *Barbos. tract. var. diction. 46 nu. 1. & diction. 415. n. 3.*

(i) *Card. Baron. ann. 859. n. 17.*

(l) *Bail. to. 2. in Conc. Tullens. f. 325.*

(m) *Vid. Bail. loc. cit. Sirmond. to. 3. in not. ad Conc. ad Saponar. fol. 682. Bin. to. 6. in not. ad Conc. Tullen. f. 648.*

nisi mitteretur clericus aliquis de palatio Principis Episcopatum habiturus, liberum esset electoribus Episcopos, vel extrà, vel in Diœcesi sumere, nec aliud onus ipsis electoribus inesset, nisi ad summum extraneis indigenas, cæteris paribus, præferendi: quod & nos fatemur, & pluriès fassi sumus, & nunc iterum confitemur: sed nihil indè præjudicatur libertati Ecclesiæ in conferendo beneficia, tùm clericis extraneis, tùm indigenis, cum ad collatores, & nominatores spectet, non ad alios, judicare, an in actu exercito, & in casibus practicis, inter indigenas, & extraneos cætera sint paria, vel non.

30. Neque certè alius potuit esse sensus utriusque Concilii, Valentini, & Tullensis, si memorati canonis verba seriò perpendantur; nàm (præterquàmquod àperit ingressum ad beneficia Episcopalia clericis extraneis, e palatio Regio transmissis) cum disponat, quod eligi possit Episcopus, nedùm de Clero, sed etiàm de populo, si ejus verba fuerunt præceptiva, non arbitraria; Concilium improvidè, & injustè sanxit, præferendum esse laicum urbanum presbytero Diœcesano, definivit namque eligendum esse primùm de Clero urbano, & deinde de populo urbano, hìcque deficiente viro idoneo, quærendum esse ait in Clero Diœcesano; & hìc itidèm eo non invento, expiscandum esse extrà Diœcesim. Quæratur, inquit canon apud Hincmarum, *aut in Clero, aut in populo, aut in Diœcesi certè ipsâ, vel si opus est in viciniâ* (a). Nèc divinando supponatur, verba illa *in populo,* ab initio fortè in canone non expressa, è transcriptorum calamo, vel è Typographorum prælo excidisse, proùt gratiosè putat, sivè putari posse insinuat quidam de Contradictoribus (non, ut reor, in suo verò sensu, sed ut ad opportunitatem suæ causæ textum accommodet,) nàm hujusmodi figmenti nulla apparet verosimilitudo, nullum enitet fundamentum. Et quemadmodùm non est credibile, Hincmarum, Virum doctissimum æquè, ac ardentem, & perspicacem verborum scrutatorem, simulque utriusque Concilii synchronum, dictionem prò dictione apposuisse; sic credibile non est, cunctis suorum voluminum exemplaribus verba, à textu Concilii dissona, insiliisse; sicque gràtis alteratio ista confingitur.

(a) Hincm. Remens. loc. cit.

31. Itidèm cum canon dicat, eligendum esse Episcopum, vel ex Clero, vel ex populo; si hæc verba fuerunt præceptiva, & non arbitraria, ad quid posteà superaddere, *vel si opus est, in vicinia?* Nunquàm poterat succedere iste casus, quod neque in toto Clero Urbano, neque in Diœcesano, neque in populo civitatis, neque Diœcesis, esset aliquis clericus, vel laicus, capax Episcopalis officii, adeoùt oporteret ad vicinas Diœceses, & ad clericos extradiœcesanos recurrere: nisi fingamus casum prò aliquâ miserâ civitate Episcopali, quæ nedùm in se ipsa esset exigua, sed etiàm Diœcesi careret, vel eam haberet angustissimam, quod non est probabile fuisse à Concilii Patribus cogitatum: qui utpotè Galli, & in Galliâ Synodum celebrantes, ubi Episcopales civitates sunt amplæ, & amplissimis Diœcesibus circumcinctæ, non est cur credamus decretum suum ad casum illum aereum adaptasse. Igitùr utrumque Concilium Valentinum, & Tullense, per adverbia illa *vel,* & *aut,* adjectis aliis vocibus, vel si opus est, *in vicinia,* nihil aliud intenderunt, nisi ut inesset electoribus libertas Episcopos, sivè ex Clero, sivè ex populo deligendi, sivè ex indigenis, sivè ex advenis, ubicumque illis vir magis idoneus obviaret. Vel ad summum utrumque Concilium, non absolutè locutum est, ut innuimus, sed comparativè, scilicet, ut cæteris paribus, clericus laico, & indigena extraneo præferretur; quod nos non impugnamus, sed ultrò concedimus: firmâ remanente veritate, quod cessante comparatione, vi Conciliorum, Valentini, & Tullensis, non modò clerici indigenæ, verùm etiàm extranei possunt à collatoribus beneficiorum, sivè ad ea nominatoribus, beneficiis ecclesiasticis insigniri.

32. In eodem Concilio Tullensi apud Saponarias actum est de *Anscarlo* subdiacono, qui Ecclesiam Lingoniensem, vivente adhùc Isaco ejusdem urbis Episcopo, invaserat, & jàm pridèm pari modo Januacensem occupaverat (b), adactus-

(b) Conc. Tullens. ad Saponarias an. 859. c. 5

ctusque est, ut coercitioni canonicæ subjaceret, mitiùs tamèn cum illo processum est, uti sui facinoris pœnitente, & solemni pollicitatione jurante, se non ampliùs consimilia facturum. Ponderamus autèm, quod Anscario nulla opposita est extraneitas, sed sola invasio alienæ sedis, Antistite vivente repletæ, quod omnia jura execrabantur, & præcedentes Synodi Arvernensis (*a*), & Aurelianensis V. (*b*), in ipsâ Galliâ celebratæ, interdixerant; & tamèn reticenda non erat extraneitas Anscarii à Lingoniensi, vel Januacensi Ecclesiâ; si debuisset à Patribus intèr illicitę illius provectionis vitia computari. Quinimò ipse Anscarius coram Synodo proùt suprà jurans, expresse spopondit: *Deinceps verò nèc in eundem Antistitem, nèc in alium quemlibet, nèc in illâ, nèc in aliâ Ecclesiâ hujusmodi præsumptionem facere tentabo* (*c*). Ut quid autèm Concilium in Anscarii jurejurando exegit, nè præter in propriam, in aliam quoque foret Ecclesiam talia inposterum tentaturus? Si de jure divino, naturali, & humano est, uti Contradictores exaggerant, exclusio extraneorum ubilibet ab ecclesiasticis beneficiis; sufficiebat adigere Anscarium ad jurandum, nè talia faceret in propriâ Ecclesiâ, in quâ erat subdiaconus: nàm ab aliis, tamquàm extraneus, fuisset etiàm sinè tali Sacramento rejectus. Argumentum ergò hinc desumitur, quod Episcopi duodecim Provinciarum, Tulli ad Saponarias Conciliariter congregati, senserunt, posse nedùm clericum indigenam, verùm etiàm extraneum, beneficia sacra nancisci, & ideò objurgandum quidem esse Anscharium ob occupatam sedem, Pastore repletam, & jurejurando vinciendum, nè ampliùs talia faceret, neque in suâ nativâ Ecclesiâ, neque in aliis, ad quas posset inposterum aspirare; Non verò redarguendum esse super extraneitate, tamquàm super negotio, de quo in culpam non poterat, ratione postulante, vocari.

(a) *Conc. I. Arvern. an. 541. ap. Burchard. l. 1 c. 186.*
(b) *Concil. Aurel. 5. cap. 32.*
(c) *Conc. Tullens. c. 5*

33. In ipsomet Concilio Tullensi mota est quæstio de *Attone* monacho S. Germani Altisiodorensis, qui Episcopatum Virdunensem acceperat (*d*), atque de *Tortoldo* Diacono Senonensi, qui Episcopatum Bojacensem invaserat (*e*), & Attoni objectus est discessus à proprio monasterio, sinè sui superioris auctoritate; Tortoldo verò improperata est invasio sedis Bojacensis per pollicitationes, & minas, neutro proptèr extraneitatem objurgato: quod non fuisset omissum, si Patres magni illius Concilii ad culpę titulum, esse extraneum, pertraxissent. Præsertìm cum Tortoldus esset extraneus, tamquàm clericus Regiæ Capellæ Caroli Calvi Regis, qui vocat eum clericum suum (*f*). Et Atto quoque à Virdunensi Episcopali beneficio esset extraneus, uti jàm professus monachatum in cœnobio S. Germani Altisiodorensis (*g*). Porrò nunquàm licuit clerico, Ecclesiæ affixo, sinè licentiâ sui Antistitis; neque monacho, religionem intrà cœnobium professo, sinè licentiâ sui superioris, ad aliam Ecclesiam transmigrare, obsistentibus canonibus Concilii Antiocheni (*h*), Arelatensis I. & II. (*i*), Epaonensis (*l*), Turonensis (*m*), Cabilonensis II. (*n*), & aliis. Neque unquàm licitum fuit præhensationibus, minis, & turbarum violentiis Ecclesias adipisci, & ideò Concilium Tullense, ob utramque hujusmodi prævaricationem, & Tortoldum, & Attonem in culpam vocavit; neutri verò extraneitatis vitium objectavit, quià ab omni specie criminis alienum esse cognovit, quod vir extraneus legitimis, & canonicis modis, ad Ecclesias alibi consistentes, ascenderet.

(d) *Concil. Tullen. c. 9*
(e) *Conc. Tullens. c. 44*
(f) *Libel Carol. Calv. in Conc. Tullens. nu. 18. Sirmond. to. 3 concil. Gall. f. 144.*
(g) *Conc. Tullens. c. 9.*
(h) *Concil. Antioch. cap 3.*
(i) *Conc. Arel. 1. ann. 314. c. 23. & Arel. 2. an 330. c. 13.*
(l) *Conc. Epaon. c 5.*
(m) *Conc. Turon. ann. 482. c. 9 9.*
(n) *Concil. Cabilon. an. 813. c. 43.*

CAPUT XXII.

In quo ex Epistolis, & Decretis, aliisque gestis, & dictis Summorum Pontificum, ac præsertim Paschalis I. Nicolai I. Joannis *VIII.* Marini I. Stephani *VI.* Hadriani II. Formosi, &c. *ostenditur libertas, quâ* Sæculo Christi Nono *potiebatur, & nunc quoquè potiri debet Ecclesia, conferendi Sacras Prębendas, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Qui Summum Pontificatum valent assequi, non sunt repellendi à minoribus beneficiis. Exemplis quando non sit judicandum, sed juribuc?*

2 *An* Marinus PP. I. *anteà fuerit Episcopus, ambiguum est; videtur non fuisse. Tamen tamquam Galesinus Romæ extraneuc fuit.*

3 *Rex Bulgarorum, Basilius Imperator, & Nicolaus Papa I. in negotio Marini Papæ favent extraneorum provectioni ad beneficia.*

4 *Stephanus VI. Papa negat Imperatori, quod Marinus fuerit alibi Episcopus, & probat Episcopum posse de unâ ad aliam Sedem transferri.*

5 *S. Petrus de Antiochenâ Sede se transtulit ad Romanam. Marinum quoque justâ de causâ translatum fuisse dubium non est.*

6 Formosus, *à Bulgaris in Archiepiscopum postulatuc, à Joanne PP. VIII. depositione percussus, sub Marino Papa redintegratus, tandem factus est Papa.*

7 *Ignominiæ multæ factæ sunt cadaveri Formosi, teste Luitprando: à quo Papa incertum est: alii eas reputant commenticias.*

8 *Formosus liberè declamabat contrà Joannem PP.VIII. qui cum Photio, non ut vir, sed ut fœmina se gessic, undè originem duxic nota fabula Papissæ.*

9 *Sensus Cardinalis Baronii de Papissâ, ob facilitatem Joannis PP.VIII. Onuphrius Panvinus fabulam hanc refert ad Joannem XII.*

10 *Opprobria Cadaveri Formosi illata, non indè prodierunt, quod esset extraneus, sed quod jurasset non redire post depositionem ad Clericalem statum.*

11 *Ordinatio Clericorum facta ab Episcopo deposito valida est, tales erant ordinationes Formosi, tales tamen ordinationec tunc censebantur invalidæ.*

12 *Auxiliuc Presbyter defensor Formosi Papæ probat, posse Præsulem de unâ ad aliam Sedem transire, & quando? Hisque consonant canones Ecclesiæ.*

13 *Acta contra Formosum, prius Theodorus Papa II. deindè Joanne PP.IX. condemnavit, in Concilio Romano, & Ravennate.*

14 *Ex tota serie rerum Formosi, probata remanet libertas Ecclesiæ præficiendi beneficiis Ecclesiasticis etiam Clericoc extraneoc.*

15 Romanus *Papa, patriâ Galesinus, nepos Marini PP. I. ex verbis, & factis ostendit, patere aditum Clericis extraneis ad beneficia.*

16 Paschalis *Papa I. Monasterium S. Praxedis de Urbe cœnobitis Græcis concessit. Idipsum facere potuerunt alibi beneficiorum Distributorec.*

17 Pa-

17 *Paschali Papæ multa crimina objecta fuerunt, nihil verò de collatione beneficiorum viris extraneis.*

18 *S. Nicolaus PP. I. decrevit licere Summo Pontifici de quibuslibet Diœcesibus Clericos accipere, quod & Gregorius VII. sanxit.*

19 *Sicut potest hoc facere Papa invito Episcopo Clerici transferendi, sic id facere possunt etiam Episcopi, si eorum, quorum interest, accedat assensus.*

20 *Idem Papa privilegium electionis canonicæ concedit Trasulpho Abbati, ac Monasterio Corbejensi, ad petitionem Caroli Calvi Regis.*

21 *Aliud privilegium fuit à Concilio Parisiensi eidem cœnobio concessum, quod non arctabat electionem Abbatis ad Monachos de gremio, sed opus fuit indulto Apostolico.*

22 *Monasterio quoque* S. Carilesi *Nicolaus Papa indultum contulit, prò Abbate de illius gremio eligendo, & liberâ electione Canonicâ.*

23 *Restrictionem eligibilitatis ad solos Monachos de gremio, solus Papa poterat concedere, & juri Canonico derogare.*

24 *Monasteriis privilegio munitis electionis de gremio, non poterat aliundè Abbas intrudi. Hinc Joannes PP. VIII. excommunicavit Episcopum Veronensem.*

25 Joannes *Papa VIII. in epistola ad Vulgarium Monachum, talia profert, quæ admissioni extraneorum suffragantur.*

26 *In aliâ epistolâ favet Clerico Ecclesiæ Romanæ, habenti Abbatiam S. Auxentii in Gallia, qui ab una ex his erat extraneus.*

27 *Ipse Joannes VIII. Compertum extraneum beneficio Episcopali apud Vercellenses auxit, & Josephum Astensi Episcopatu insignivit.*

28 F rotarium *Burdigalensem Joannes PP. VIII. transferens ad Sedem Bituricensem, scribit necessarium esse quandoque Canones temperare.*

29 *Quamvis canones interdicant Episcopo de unâ ad aliam Ecclesiam transire, tamen pro temporum opportunitate sunt temperandi.*

30 *Jubet Joannes VIII. Romano Archiepiscopo Ravennæ, ut* Luponem *Ecclesiæ Sarsinati præficiat, quæ pluribus politur nobilibus prærogativis.*

31 Hadrianus *PP. II. transtulit* Actardum *Nannetensem ad aliam Ecclesiam, & professus est, se in hoc exempla sequi S. Gregorii PP. I.*

32 *Turonensem ad Sedem illum transtulit. Papa, & Rex, & Episcopi Concilii Tricassini, ac Duziaceni, hæc in rè faverunt extraneis.*

1. PRIMUM, ac præcipuum beneficium, quod in Ecclesia Dei reperiatur, est Summus Pontificatus (*a*), cujus natura est, ut cæteris beneficiis norma sit, & exemplar; quemadmodum Romana Ecclesia est aliarum forma, speculum, & prototypus, earundem imitationi propositus (*b*); quare ratio in adeptione Summi Pontificatus observata lex esse debet methodi, in cæterorum beneficiorum distributione observandæ, ne à capite discordent membra, nec devient filiales Ecclesiæ à Romanâ, quæ aliarum omnium est mater (*c*). Romanus autem Pontificatus, tametsi hoc nono Christi sæculo Romanis prò majori parte obtigerit; ad tres tamen extraneos quoque pervenit, nempè ad *Marinum I.* Galesinum, ad *Formosum* Portuensem, & ad *Romanum* Faliscum (*d*). Hæc tria exempla sufficere debent ad libertatem Ecclesiæ demonstrandam, de qua tractamus; nam quamvis non sit exemplis judicandum, sed legibus (*e*), tamen quando exempla concordant juribus, ut in casu nostro; optimè secundum illa est judicandum; nec arcendi sunt extranei ab inferioribus beneficiis, quando illis patet accessus ad usque supremum, nempè ad Summum Pontificatum.

2. Et quantum ad *Marinum*, prætèr ea, quæ suprà cap. præcedenti num. 21. recensuimus, aliqui censent, illum fuisse Episcopum (*f*), sed res ambigua videtur ex episto-

(a) *Mart. de jurisd. p. 2. c. 39. n. 1. Sylva de benef. p. 1. q. 2. n. 8. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 47.*

(b) *c. enim vero dist. 19. c. quis dist. 11. c. 1. 2. dist. 12. c. omnes dist. 22.*

(c) *c. 1. & 2. dist. 12. c. dudum 3. q. 6.*

(d) *Ciacon. & alii in Vit. Pontif.*

(e) *L. sed licet ff. de off. Præsid. l. nemo. C. de sent. & interloc. cap. 1. de postul. Præl.*

(f) *Bin. Vit. Marin. 1. t. 7. conc. Baron. an. 882. n. 12.*

epistolâ Stephani Papæ IV. ad Basilium Imperatorem (*a*); Certum verò est, quod Michael Bulgarorum Rex Marinum ipsum, tunc Diaconum, ut crearetur Bulgariæ Archiepiscopus à Nicolao I. Pontifice postulavit, qui votis Regis non annuens, loco Marini, quendam Silvestrum Bulgaris transmisit, ut eum sibi eligerent in Archiepiscopum (*b*). Itaque cum Marinus, tàm in literis præfati Nicolai, quàm in actis Concilii Constantinopolitani Generalis VIII. Diaconus appelletur (*c*); Et in epistolis Joannis Papæ VIII. dicatur sedis Apostolicæ Arcarius (*d*), vel S. R. E. Archidiaconus, prout & in Annalibus Fuldensibus nuncupatur (*e*); cumque Formosus, qui mediatè successit Marino, dicatur primus fuisse, qui ex Episcopo alienæ civitatis Romanum Pontificatum adeptus est, eo quod anteà Papæ, tametsi aliquando essent origine extranei, Clero tamen Romano erant per Diaconatum, vel per Presbyteratum inserti (*f*); omninò dicendum videtur, quod Marinus, quando ad Papatum evectus est, Diaconatus officio in Romana Ecclesia persungeretur. Quia tamen ipse ortum duxit ab Oppido Galesii, apud Faliscos in Etruria (*g*), citrà difficultatem est, quod vel quando Diaconale, vel quando Pontificale beneficium Romæ assecutus est, ab illa Ecclesia erat extraneus.

(a) *Steph. 6. ep. 1. ap. Bin. loc. cit. f. 30.*

(b) *Guillelm. Biblioth. in Hadrian. 2. post Anastas. Biblioth. Baron. ann. 869. nu 9 2.*

(c) *Card. Baron. ann. 866. num 2. Ciacon. in Marin. I.*

(d) *Jo: PP. 8. ep. 294. Bin. loc. cit. in Marin. PP. 1.*

(e) *Annales Fuldens.*

(f) *Honuphr. Panvin. annotat. ad Platin. in Vit. Marini PP. 1.*

(g) *Binius, Ciaconius Panvin. in Marin. loc. citat.*

3. *Michael* quoque Bulgarorum Rex, *Marinum* postulans in Archiepiscopum, cum totâ sua gente, ac *Nicolaus* Papa I. illis loco Marini *Silvestrum* transmittens, certè ostenderunt, licitè posse beneficia etiam Archiepiscopalia consequi Clericos, nedùm extradiœcesanos, sed etiam extraprovinciales, & extranationales, Etruscos tandem in Bulgariâ. Non sine verò divino judicio fuit, quod Marinus ante Romanum Pontificatum, vel alium Episcopatum tenuerit, vel tenuisse creditus sit, quippe post contractam in sè iram *Basilii* Imperatoris, proptèr depositionem Photii, Cæsareâ tunc protectione gaudentis, Basilius pratèr carcerem, & injurias ei illatas Constantinopoli, Romam etiam literas misit adversus Marinum ipsum, felle potiùs, quam atramento conscriptas, quibus illum carpebat (*h*), & intèr cætera declamabat, *Marinum non esse Pontificem: eo quod alteriùs Ecclesiæ Episcopus jàm ordinatus fuisset* (*i*). Quod si veritati innitebatur, jàm hinc pro nobis optimum effluit argumentum: quippè Marinus ex Cardinali Diacono Romanæ Ecclesiæ, adeptus Episcopale beneficium alterius Ecclesiæ, nedùm in primâ, sed etiam in secundâ erat extraneus, & tamèn in utrâque ecclesiasticum promeruit beneficium.

(h) *Card. Baron. ann. 880. n. 10. & ann. 885. num. 12.*

(i) *Binius in vit. Marini 1. to. 7. Conc. f. 125*

4. Sed aurea sunt verba, quibus *Stephanus Papa VI.*, Marini successor, Basilio Imperatori, supèr hoc negotio respondit: *quicumque dicunt Marinum fuisse anteà Episcopum, & proindè non potuisse ad aliam sedem transferri, ostendant illi id apertè. Sciò dilectè, & omni honore dignè Imperator, quod licèt illi impedimento fuisset, quod obiicitur de canone, cum tamèn id nunquam fuerit, multitudo tamèn Sanctorum Patrum, & illorum auctoritas, & judicium potuit illum constituere in primo gradu. Et divina providentia, prænoscens Ecclesiæ Dei utilitatem, in sede Principis Apostolorum Petri illum collocavit. Quid vero magnus ille Gregorius cognomento Theologus, nonne Nazianzo translatus est? & Meletiùs Sebaste Antiochiam: & Dositheus Seleuciâ Tarsum Ciliciæ: & Reverentius Archiphenicæ Tyrum: Joannes Gordoliâ Proconesum: Theodorus Apameâ Selymbriam: Alexander Cappadociâ Hierapolim! & multi alii diversis in locis translati sunt è suis sedibus ad alienas* (*l*). Negat ergo Stephanus, vel Marinum fuisse alterius sedis Antistitem, vel Antistitem alteriùs sedis non potuisse ad aliam transferri, justa causâ, & auctoritate accedentibus. Nàm uti scripsit Pelagius Papa II. Benigno Archiepiscopo, *Non benè intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant, causâ necessitatis, vel utilitatis fieri posse, quotiès communis utilitas, aùt necessitas persuaserit* (*m*). Id minùs omnibus poterat à Basilio Augusto impugnari, cum Cæsares Orientales munus hujusmodi translationum faciendarum, ex se sibi ultro usurpassent, de quibus Balsamon ad Concilium Antiochenum, *nota ex præsenti canone, quod cum Synodali decreto permittitur vacanti Episcopo in vacante Ecclesiâ celebrare, & in ipso ejus throno sedere. Sæpè enim audivi, quod Imperatorio quoque mandato ad id opus est* (*n*).

(l) *Steph. 6. epist. 1. Bin. to. 7. Conc. f. 130*

(m) *Pelag. 2. epist. 2. cap. Scias 33. 7. qu. 1.*

(n) *Theod. Balsam. ad c. 16. Antiochen. Conc.*

5. Quid

5. Quid plura? nonne primus Pontifex, & Episcopus, quem Dei habuit Ecclesia, & Sacrosancta religio Christiana, Petrus Apostolus, utilitatis causâ, de Antiochenâ sede ad Romanam sè transtulit (*a*)? quomodò ergò carpi potuit in Marino, si fuisset Episcopus, id fecisse, quod supremus Episcoporum coryphęus prius impleverat? Justam autem causam utilitatis adfuisse in migratione Marini, de proprio Episcopatu ad Romanum, omninò supponitur, & prò certò habendum est, donec probetur oppositum. Nèc nostrum est post 830. annos definire de circumstantiis, quæ illius translationis tùnc utilitatem causarunt. Igitùr & *Marinus* Galesinæ, sive Faliscensis Ecclesiæ filius diaconatum, & deindè Pontificatum in Romanâ Ecclesia suscipiens, à qua erat extraneus, & *Bulgari* peroptantes, ut ipse Marinus eis in Antistitem traderetur, & *clerus Romanæ Ecclesiæ* eundem sibi in Pontificem præficientes, & *Stephanus* Papa VI. Marini provectionem ad Papatum velut justam, & legitimam sustinens coram Imperatore Basilio, atque adversùs latratus Photii, de illâ temerè blaterantis; hi omnes in eo sensu fuerunt, ut licita prorsùs esset Clerici extranei ad beneficia promotio: hincque omninò, & optimè comprobatur libertas Ecclesiæ in concedendo Clericis aliunde progenitis ecclesiastica beneficia, sicque licitum, & liberum esse Ecclesię prębendas, & beneficia, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

(a) *C. Sacrosancta 2. dist. 22. & c. Mutationes 34. 7. qu. 1.*

6. Idipsum satis clarum fit ex historiâ *Formosi Papæ*, qui novennio post Marinum, nempè anno Christi 891. ad Summi Pontificatus apicem est evectus: Formosus, inquam, anteà Canonicus regularis, inde Portuensis Antistes (*b*), qui à Nicolao Papa I. ad Bulgaros missus, apùd illam gentem fidem Catholicam prædicavit pariter, & promovit (*c*): Undè ab eorum Rege in Archiepiscopum suæ regionis est instantissimè postulatus (*d*). Indè ad Ludovicum Imperatorem, posteà ad Carolum Calvum Gallorum Regem, Legatus Sedis Apostolicæ transmissus est (*e*). Sed cum successu temporum acta Joannis VIII. vehementiùs improbaret, in ejus indignationem tandèm impegit (*f*). Qui Formosum in Galliam evasum, & ad urbem vocatum, nèc redeuntem, anathemate innodavit (*g*), ac postquàm demum Romam redivit, omni eum Ecclesiasticâ dignitate nudavit, & ad laicalem statum redegit (*h*), captumque in Gallias secum duxit, ubi in Synodo Trecensi sententiam suam confirmari fategit (*i*). Mortuo Joanne VIII. à Marino Pontifice Formosus honoribus, dignitati, ac suæ sedi restitutus est (*l*). Et post Stephani VI. obitum ad Summum Pontificatum provectus, turbidâ tamèn electione, cum teste Luitprando (*m*), alii Romanorum Sergio diacono, alii Formoso, vota contulerint. Hujus tamèn factione prævalente, ipse & Apostolatum nactus est, & per quinquennium retinuit, Vir religiosus, divinarumque scripturarum, & disciplinarum scientiâ instructus, uti eum idem Luitprandus appellat (*n*), & Sanctitatis, ac doctrinæ famâ coruscans, uti eum commendavit Hincmarus (*o*). Invalescebat autem eâ ætate pravus abusus, quo Pontifices aliqui prędecessorum suorum acta irrita facere, & memoriam obscurare gestiebant, hocque, ut inquit Platina, *nihil potest esse pejus, & angustioris animi. Qui enim his artibus utuntur, nullâ virtute muniti, eo de loco abradere benemerentes conantur, quem ipsi ob ignaviam, & malitiam attingere non possunt: neminem siquidèm unquàm invenies alienæ famæ invidere, nisi qui omnibus probris contaminatus, desperat suum apud posteros celebre nomen aliquandò futurum: ij sunt, qui fraude, malitiâ, dolo, maledicentiâ, de humano genere benemeritos mordent, lacerant, accusant, corrodunt, tamquàm ignavi canes, & inutiles, nèc feris sese objicientes ob timiditatem, sed vinctas, & caveis inclusas mordentes* (*p*).

(b) *Bin. to. 7. Concil. Ciacon. Panvin. Platin. Joannet. Forest. in Marin. 1. seù Martin. 2.*
(c) *Anastas. in Nicol. PP. 1. Baron. ann. 867. nu. 1.*
(d) *Anastas. & Baron loc. cit.*
(e) *Card. Baron ann. 873. n. 2. & 875. n. 7.*
(f) *Aimoin. l. 5. c. 33. Baron. ann. 876. nu. 22. Bin. loc. cit. in Formoso*
(g) *Joannet. Platin. & Bin. in Formoso.*
(h) *Idem qui supr.*
(i) *Aimoin l. 5. c. 37 Baron. ann. 878. nu. 14. & 16.*
(l) Binius, & *Ciacon. in Marin. & Formos. Baron. ann. 883. nu. 1. Platin Joannet. Forest. in Formoso.*
(m) *Luitpr. hist. l. 1. c. 7. Baron. ann. 891. n. 1 Ciacon & Bin. in Formoso.*
(n) *Luitprand. loc. cit. Ciacon. in Formoso.*
(o) *Flodoard. histor. Remens. c. 20. Bin. to. 7 in Formoso.*
(p) *Platin. in PP. Romano.*

7. Et ità defuncto Formoso, Sergius ejus æmulus, atque ab eo Anagninis Infulis decoratus, Pontificatum assumpsit (*q*), pulso Bonifacio Sedis Apostolicæ invasore (*r*). Vix tiarâ susceptâ Sergius hęc, quę memorat pręfatus Luitprandus adversùs memoriam, & cadaver Formosi sacrilegâ temeritate intentavit: *Formoso defuncto, atque Arnulpho in propria reverso is, qui post mortem Formosi Papa constitutus est*, nempè Bonifacius expellitur, *Sergiusque Papa per Adelbertum consitui-*

(q) *Platin. in Steph. 6. Ciacon. & alii, ibid.*
(r) *Luitprand. lib. 1. c. 8. Baron. ann. 897. n. 1*

stituitur. Quo constituto, ut impius, doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum è sepulchro extrahi, atque in sede Pontificatus, sacerdotalibus vestimentis indutum collocari præcepit, cui & ait: Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tyberim jactari præcepit, cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos, iterùm ordinavit. Quod quam malè egeris, Pater Sanctissime, animadvertere poteris: quoniàm & hi, qui à Judâ, Domini nostri Jesu Christi proditore, antè proditionem salutem, seù benedictionem Apostolicam perceperunt, eâ post proditionem, propriique corporis susceptionem minimè sunt privati, nisi quos improba fortè defœdarant flagitia. Benedictio siquidem, quę ministris Christi impenditur, non per eum, qui videtur Sacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. Quantæ autèm auctoritatis, quantæ religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dùm à piscatoribus postmodùm est inventus, atque ad Beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quędam Imagines hunc in loculo positum venerabilitèr salutarunt (a). Sunt tamèn, qui censent hæc, quę de corpore Formosi exhumato, ac præfatis contumeliis affecto recensentur, esse commenticia, & fabulosa (b), sed alii ea contendunt esse verissima, dispari nihilominùs eloquio, cum aliqui ex eis id imputent Stephano VII., aliqui Sergio III. nisi concilientur dicendo, quod Stephanus hæc egit, sed instinctu Sergii, tunc Cardinalis Romanæ Ecclesiæ (c), vel quod Sergius ex post adhæsit his, quæ Stephanus anteà fecerat. Utcumque sit, hoc unum est, quod ignominię cadaveri Formosi Papæ fuerunt, vel ab uno, vel ab altero succedentium sibi Pontificum irrogatæ, si veræ sunt.

(a) *Luitpran. l. 3. c. 8. Baul. ad Concilia. Roman. ann. 879.*
(b) *Panvin annot. ad Platin. in Vit. Formosi Victorel. in addition. ad Ciacon. in Vit. Steph. 7. sive 6. Ciacon. in Formoso.*
(c) *Binius to. 7. Conc. in Vit. Stephan. 7. Card Baron. ann. 897. n. 2. 3.*

8. Accusabatur autèm Formosus eo tempore, quo à Joanne Papa VIII. Anathemate percussus est, depositus, & ad laicalem statum redactus, quod contrà Papæ vitam conspirasset, *vel quod ejus conjurationis conscius, & auctor fuisset, quâ Joannes captus, & in vincula conjectus est* (d), item quod Caroli Calvi, ejusque Regni ruinam procurasset: quod Romam Saracenis tradere fategisset, aliaque facinora perpetrasset, tàm dirâ severitate plectenda. Sed verior causa fuit nimium libera ejusdem declamatio adversùs facilitatem Joannis, qui Photii, & Basilii artibus circumventus, tàm timidè, tantâque levitate se gesserat, ut ipsum Photium à Nicolao, & Hadriano Pontificibus destitutum, fæminili quadam inertiâ, throno Constantinopolitano denuò indidisset, *indignum facinus Romano Pontifice, penes quem plùs valeret, & majoris esset ponderis gratia Imperatoris, quàm sanctissimorum Prædecessorum, scriptis obfirmata, & juramentis stabilita, de Photio nunquàm recipiendo sententia* (e). Undè Joannes non pontificali fortitudine præditus visus, est fuisse in hoc negotio, neque illâ magnanimitate, quæ virum cordatum decet, sed fæmineâ levitate, quæ locum dedisse censetur notissimæ illi fabulæ de Joannâ Papissâ, quàm primò excogitasse creditur Marianus Scotus, tametsi in ejus antiquis manuscriptis, de hoc nil prorsùs legatur (f): recensuerunt autèm illam Martinus Polonus (g), Platina (h), Fulgosus, & Sabellicus (i), necnon Magdeburgenses (l), Bibliander (m), & alii: temerarium commentum *incertis, & obscuris auctoribus* ortum, de quo inquit Joannettus, sit satis, quod *gravissimi rerum Scriptores, quemadmodùm Regino, Otto Frisingensis, & Urspergensis, qui omnes illis penè temporibus claruerunt, nullam omninò hujus figmenti faciunt mentionem* (n), quod si verùm fuisset, oporteret, quod tunc neque viri barbam, neque fæminæ mammas, neque mulieres prægnantes haberent uterum intumentem, ex quibus illorum sexus posset agnosci.

(d) *Platin. in Formos. Baul. loc. cit.*
(e) *Baron. ann. 879. f. 550. tom. 9.*
(f) *Bellarm. de Pontif. l. 3. c. 24.*
(g) *Martin. Polon. ann 1320.*
(h) *Platin. in Jo. 8. Pap. 106.*
(i) *Fulgos. & Sabellic. Vid etiam Menoch Traten. erud. censur. 9. cap. 58.*
(l) *Magdeburg. cent. 9 cap 20.*
(m) *Theodor. Bibliand in Chron.*
(n) *Joannet. Vit. Pont in Jo. 8. c. 100.*

9. Non nisi ergò ex nimia facilitate Joannis Papæ VIII. hæc potuit fabula prosilire, de qua ità Cardinalis Baronius: *Hine puto factum (si quæ tamèn veritatis, vel saltèm speciei mendacii apertissimi esse potuit,) quod ob nimiam Joannis animi facilitatem, & mollitudinem, abjectâ penitùs omni virilitate, fractus animo,*

animo,

mo, sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus, & Hadrianus, sed Papissa fuerit contumeliæ loco dictus, utpotè quod, qui resistere nesciret Eunucho, quique vinceretur à Semiviro, non vir, sed esset fœmina potiùs nuncupandus: & sic nomen contumeliæ transierit posteris rerum insciis in veritatis opinionem, atque ità à compluribus decantatum fuerit Joannem VIII. Papam, fuisse fœminam, sicque jactata vulgò invenerit eo modo locum fabula (*a*). Nisi malis ridiculam illam Papissæ inventionem eam originem habuisse, quàm ei dat Onuphrius Panvinius, *quoniàm omnia insignia mendacia ab aliquâ veritate originem habent, hanc fabulam ex Joannis XII. viri impuri vitâ manasse crediderim. Nàm Joannes per vim, Alberici Romani Principis potentiâ, adhùc penè adolescens, Papa factus est, aliquot concubinas, ut Luitprandus Ticinensis, illorum temporum scriptor lib. 6. & 7. tradit, habait: in hæc præcipuè erant Joanna, Rayneria, & Stephania. Ex Joanne ergò Papa, & ejus itèm scorto Joanna, à cujus fortè arbitrio, tamquàm Papæ, omnia Romæ pendebant, Joannis fœminæ Papæ fabula manavit, quæ processu temporis aucta, in historiæ auctoritatem, imperiti alicujus scriptoris operâ, paulatim irrepsit* (*b*).

(a) *Card. Baron. ann. 879. f. 550. n. 9.*

(b) *Panvin. annotat. ad Platin. in Joann. 8.*

10. Utcumquè res ista se haberet, unum est, quod Formosus censuris, & depositione, à Joanne Papa VIII. mulctatus, successivè fuerat, uti diximus, à Marino, Joannis successore, ad ecclesiasticam communionem, & Episcopalem dignitatem integrè restitutus: nec opprobria, & contumeliæ illius cadaveri illatæ, jussu Stephani Papæ VII. sive Sergii III. indè prodierunt, quod velut advena Romæ, & Portuensi sedi alligatus, Cathedram Apostolicam ascendisset, sed *hinc odium ortum est*, inquit idem Palatina, *quo etiàm in mortuum Stephanus sæviebat, quod ei anteà impedimento fuisset, quo minùs optatâ sede potiretur* (*c*). Certè ob extraneitatem non potuit Stephanus in Formosi cineres desævire, quippè & ipse de Anagninâ Ecclesiâ pervolaverat ad Romanam (*d*), nè cum aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur, ut ait Apostolus (*e*), nec fortè primus erat Formosus, qui ex alienâ Sede ad Apostolicam transiisset, quoniàm Marini Papæ exemplum præcesserat, de quo Paulò superiùs egimus. Incusabatur tamèn Formosus à Stephano de duobus; primò quod ad laicalem statum redactus, ausus fuisset clericos promovere; 2. quod Episcopus Portuensis existens, ad Divi Petri Cathedram transmigrasset. Sed quoàd primum, redintegratio ejusdem ad communionem ecclesiasticam, & dignitatem Episcopalem, objectionem totam evertit (*f*), nisi fortè subsistat ex eo, quod Formosus coràm Joanne VIII. jurejurando spoponderat, nunquàm à laicali statu ad Sacerdotalem redire (*g*), in quo tamèn potuit excusari, quod metu cadente in constantem virum jurasset. Et quatenùs etiàm id spontè fecisset, suffragabatur ei auctoritas Marini Pontificis, qui proculdubio juramentum illud potuit relaxare, seù illi dispensare (*h*).

(c) *Platin. in Steph. 6. PP. 115.*

(d) *Platin. Joannet. Forest. & alii in Stephan. 6. seù 7. Sigebert. Chron. ann. 902.*

(e) *1. Corinth. 9. 27.*

(f) *Bin. to. 7. Concil. in Vit. Marini.*

(g) *Platina, Forest. & Binius in Formoso.*

(h) *Binius to. 7. Conc. in Marin. 1. & Formoso Platin. in d. Formoso*

11. Et quantùm ad nullitatem ordinationis clericorum à Formoso factæ, in hoc errabat toto Cœlo Stephanus VII., sivè Sergius III., sivè quisquis erat, qui eandem proponebat: quandoquidem ordinationes factæ ab Episcopo deposito, proculdubiò sunt validæ, etiàm si non licitæ: potestas enìm ordines conferendi, in charactere Episcopali radicatur, quâ per depositionem non denudatur Antistes, etsi ejus exercitio privetur. Character siquidem indelebiliter est impressus in animâ, nec ullâ humanâ potestate obliterabilis. Sed fortè indulgeri potuit errori hominum præfatorum, quià nondùm illuxerant distinctiones illæ saluberrimæ ordinis, & jurisdictionis, ac ordinationis licitæ, & validæ, quas subsequentibus temporibus profundiores Theologi sunt speculati (*i*). Joannes Morinus vir admodùm literatus, examinatâ totâ serie actorum Stephani contrà Formosum, necnon Sergii Papæ III., qui sententiæ Stephani adhæsit, contendit his non defuisse causas, in specie saltèm validè notabiles, ob quas poterat illis esse persuasum, ordinationes à Formoso factas fuisse nullas, & sic clericos ab eo promotos, fuisse iterùm consecrandos (*l*), quippè tùnc communitèr censebatur ordinationes ab Episcopo depo-

(i) *Bail. sum. Conc. to. 2. in Conc. Raven. an. 904.*

(l) *Jo: Morin. præf. ad lib. Auxilii.*

depoſito factas, & ad laicalem ſtatum redacto, eſſe prorsùs invalidas, & tales de facto præcedenti Sęculo,ſub Stephano Papa IV. in Concilio Romano irritæ declaratæ fuerant ordinationes,à Conſtantino Sedis Apoſtolicæ invaſore peractæ (*a*), uti tales paritèr in Concilio Sveſſionenſi fuerunt impugnatæ, quæ ab Ebbone Remenſi, poſt ejus depoſitionem fuerant factitatæ (*b*). Idemque Sæculo ſubſequenti judicium factum eſt in Concilio Romano, de promotis à Leone, in Apoſtolica Sede intruſo, coactique per hæc verba dejectioni ſuæ ſubſcribere, *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit* (*c*). Sed de his non eſt inſtituti noſtri diutiùs pertractare: Ea aliis ventilanda ſinamus, & de ſecundâ objectione agamus, quâ fuit Formoſus Pontifex impetitus; quod ſcilicèt non potuerit ad Romanam Cathedram de ſede Portuenſi migrare.

12. Aliquam nobis ingerit difficultatem, ſi fortè redintegratio Formoſi ad honorem, & ſedem Epiſcopalem, à Marino Papa indulta, ad ſolum Epiſcopatum Portuenſem fuerit coarctata: quià ſic non potuiſſet Formoſus ad majorem ſedem aſcendere. Verùm cum in hiſtoriis illius temporis nulla legatur hujuſmodi reſtrictionis facta indicatio; probabilius cenſemus redintegrationem fuiſſe liberam, & ad Pontificalis ordinis quoſcumque gradus extenſam. Porrò Auxilius presbyter Romanus, Sacerdotio à Formoſo Papâ inſignitus, duos libros ad ejus defenſionem conſcripſit, in quorum uno objectionem iſtam diſpeſcuit, lautè probans, quod quotiès certa imminet neceſſitas, vel utilitas, poteſt Epiſcopus de una ad aliam ſedem tranſire (*d*), congruitque id, quod pridem Stephanus Papa VI. in ſimili causâ prò translatione Marini Papæ, ad Baſilium Cæſarem ſcripſit, uti fuit à nobis paulò ſuperiùs recenſitum. Conſonant demùm canones Apoſtoli (*e*), aliæque regulæ eccleſiaſticæ, mutationem Epiſcoporum admittentes, ſi rationabilis cauſæ occurrant, quæ ad neceſſitatem, vel utilitatem reducuntur: *Neceſſitas* tùnc intervenit, ſi in vacanti Eccleſiâ nullus adſit idoneus, *& ex hac ſolâ causâ canones permittunt Epiſcopum eligi ex alienâ Eccleſiâ*, inquit Chriſtianus Lupus (*f*), cujus verba tamquàm gemmam ingentis pretii Contradictores ſuis ſcriptis innectunt. Sed errat ille, ac ipſi quoquè cum eo errant, nàm canones præter motivum *neceſſitatis*, etiàm *utilitatis* cauſam admittunt (*g*), *utilitas* dicitur in canonibus Apoſtolicis, tùnc occurrere, *cum quis poſſit, ibidem conſtitutus, plus lucri facere, & in causâ religionis aliquid profectus proſpicere* (*h*). Alio modò exemplificatur à Sancto Leone Papa IX. ad Epiſcopum Portuenſem, *ſi prò rebus ipſius Eccleſiæ, quæ tibi notæ erant præ aliis, ſivè prò conſiliis dandis, ſivè etiàm prò mediatione Romanæ Eccleſiæ, & Imperatorum, quorum tu ſæpè mediator fuiſti &c.* (*i*). Ità non unus, ſed plures dantur gradus, & motiva utilitatis, ob quàm licitum eſt viro extraneo ad aliam Eccleſiam tranſmigrare.

13. Porrò contumelias, & condemnationem,à Stephano Papa VII. memoriæ, & cadaveri Formoſi Pontificis irrogatas, primò Theodorus Papa II (*l*), deindè Joannes Papa IX. condemnavit, ejuſque acta combuſſit, in Concilio Romano ſuper hoc habito, ubi ſic Pontifex eſt locutus: *Violatores, ſeù corruptores ſacri tumuli ejuſdem domini Formoſi Papæ, qui ſub fœdere conſpirationis ad capiendum Theſaurum, corpus illud trahentes, in fluvium Tyberim jactare non timuerunt, Divinâ auctoritate, ſynodalique noſtro conſultu, niſi reſipuerint, ſint à Sanctâ Dei Eccleſiæ liminibus ſeparati* (*m*). Et iterùm in Concilio, apud Ravennam celebrato, idem Pontifex, ait Sigebertus, *ad confirmandam Formoſi ordinationem, quem Stephanus Papa depoſuerat, Synodum 74. Epiſcoporum, præſentibus Francorum Archiepiſcopis, & Rege, apùd Ravennam ſtatuit, & coram eis combuſta eſt Synodus, quàm Stephanus in damnationem Formoſi fecerat* (*n*). Verum eſt, quod in præfatâ Romanâ Synodo hanc, quæ ſequitur, declarationem adiecit: *Quià neceſſitatis causâ de Portuenſi Eccleſiâ Formoſus, prò vitæ merito, ad Apoſtolicam Sedem provectus eſt, ſtatuimus, & omninò decernimus, ut in exemplum nullus aſſumat, præſertìm cum ſacri canones id penitùs interdicant, & præſumentes tantâ feriant ultione, ut etiàm in fine laicam eis prohibeant*

(a) *Concil. Roman. ann. 796.*
(b) *Conc. Sveſſionen. ann. 853.*
(c) *Concil. Roman. ann. 964.*
(d) C. *Scias. c. Mutationes 7. qu. 1.*
(e) *Canon. Apoſt. 14.*
(f) *Chriſtian. Lupus in Conc. Sutr.*
(g) *D. cap. Mutationes, & c. Scias 7. qu. 1.*
(h) *Canon. Apoſt. 14.*
(i) *S. Leo 9. epiſt. 6.*
(l) *Platin. in Theodor. PP. 2.*
(m) *Concil. Roman. ann. 904.*
(n) *Sigebert. in Chronogr. ann. 903.*

beant communionem (*a*), quo loco censet Thomassinus perspicere Pontificem ad canones Sardicenses (*b*), qui translationes rè vera interdicunt, non omnes tamèn, sed solum factas sinè causâ necessitatis, vel utilitatis, quarum alterutrâ concurrente, (ab eo dijudicandâ, ad quem pertinet beneficia, sivè Episcopalia, sivè inferioris ordinis elargiri,) absque controversiâ licitum est transmigrationes admittere, seù, quod in idèm resonat, Clericos extraneos beneficiis ecclesiasticis insignire, talitèr tamèn, ut ubi interdùm occurrit vox *necessitatis*, utilitas quoque possit intelligi: solet enim aliquando necessarium vocari, quod solum utile est, vel expediens (*c*).

14. Igitùr totam recapitulando congeriem actorum in causâ Formosi, adest nobis *Rex Bulgarorum*, cum populo, & optimatibus suis, postulantes Formosum de Portuensi sede ad eorum Metropolim transportari. Adest *Clerus Romanus* eundem de suâ Ecclesiâ provehens ad Romanam; & provectum, in ipsius possessione defendens. Adsunt *Theodorus II*, & *Joannes IX.* Pontifices. Adsunt *duo Episcoporum Concilia*, Formosi promotionem ad Romanam Sedem, prò legitimâ pronuntiantia. Adest *Auxilius* presbyter per integrum volumen, & rationibus, & factis, justitiam dictæ translationis evulgans; cum tamèn Formosus, tàm Romæ, quàm apùd Bulgaros esset extraneus. Et *Theodorus* ergò, ac Joannes IX. Pontifices, & *Rex Bulgarorum*, & Episcopi *duorum Conciliorum*, & *Clerus Romanus*, & *Auxilius* presbyter, & tota *Bulgarorum natio*, uniformi sermocinatione succlamant, potuisse *Formosum* licitè beneficia Episcopalia adipisci in locis, à quibus erat extraneus. Et quià quod de Formoso, & de beneficiis Episcopalibus dicitur, locum habet etiam in aliis Clericis, & quoad alia beneficia ordinis inferioris, & necessitas, vel utilitas, ob quam facta est dicta translatio, potest æquè in aliis Clericis concurrere, & an concurrat; necnè pertinet ad collatores beneficiorum dijudicare; sequitur, quod ex hujusmodi successu rerum Formosi, remanet perabundè probata libertas Ecclesię in concedendo ecclesiastica beneficia etiàm viris extraneis.

15. Quoad *Romanum*, qui Stephano VII. in Pontificatu successit, idem dicendum est ac de aliis Papis extraneis, qui cadente sęculo Christi nono D. Petri Cathedrę insiderunt, fuit enìm & ipse alienigena, nempè Faliscus patriâ, sive Gallesinus propè Faliscos, & natione Etruscus, nepos ex fratre Marini Papæ I (*d*). Et quamvis ex vitę brevitate, quâ quintum Pontificatus mensem non complevit, pauca de illo historię memorent; hoc tamèn recensere non ommittunt, quod *acta Stephani, contrà Formosum habita, planè improbavit* (*e*). Quarè non minùs jure, quo electio Formosi extranei in Summum Pontificem justam, & legitimam declaravit; quam facto, quo cum ipse paritèr esset extraneus, Summum Pontificatum adeptus est; clarè patefecit apertum esse aditum cunctis extraneis ad Summum Pontificatum. Si autèm cunctis Clericis extraneis apertus est aditus ad usque Summum Pontificatum, qui uti dicebamus, est majus, & excellentius beneficium, quod in totâ Dei Ecclesiâ fuerit à Christo domino constitutum; nemo certè sanę mentis ità desipiet, ut audeat affirmare, non posse consequi minoris ordinis beneficia, sive canonicalia, sive parochialia, sive Abbatialia, sive Episcopalia, & multo magis mere simplicia, extraneos ipsos, quibus ad summum beneficiorum, sive ad Romanum Pontificatum liberùm, & licitùm est pervenire. Sed ad alios Papas noni sęculi descendamus, qui tametsi origine Romani, jura tamèn, & facta pro debito admittendi ad beneficia etiam Clericos extraneos ediderunt.

16. Et in primis *Paschalis* Papa I. in tabulis ecclesiasticis intèr Cęlites numeratus (*f*), quem S. Theodorus Studita plurimis laudibus est prosecutus (*g*), eique literas, atque Nuntios semèl, bis, & tertio transmisit (*h*), heroicis actionibus exercendis intentus, multa fecit ęterno nomine digna: & præsertim in monasterio S. Praxedis de urbe *sanctam Gręcorum congregationem aggregans, quę die, noctuque grecæ modulationis psalmodię laudes omnipotenti Deo, sanctisque illius ibidem quiescentibus sedulò persolveret, introduxit* (*i*). Quod agendo, & nedùm tot beneficia monachalia conferendo viris extraneis, quot ibi Gręcos accivit; sed etiàm

(a) *Concil. Roman. ann 904.*

(b) *Thomassin. vet. & nov. Eccles. discipl. p. 2. l. 2. cap. 63. nu. 14. § Sed.*

(c) *Fagnan. in c. tuæ fraternitati nu. 18. de Sponsal. & in cap. qui presbyterium n. 27. de pænit. & remiss.*

(d) *Binius to. 7. Concil. in Romano Ciacon. Vit. Pont. in Romano.*

(e) *Binius loc. cit.*

(f) *Martyr. Roman. die 14. Maii.*

(g) *Card. Baron. an. 817 n. 35. & 819 in fin.*

(h) *Baron. ann 817. n. 20. 818. n. 1. 9.*

(i) *Anastas. Biblioth. in Paschal. I.*

beneficium Abbatiale ipsius cœnobii Archimandritę Gręco elargiendo, vel peccavit, & multiplicia peccata commisit, quod nemo, nisi demens, effutiet; vel suo facto docuit, pietatis, religionis, ac honestatis plenum esse, viros quoque extraneos facere sacrarum præbendarum capaces. Hocque si licitè fecit Paschalis in Ecclesiâ Romanâ, non est cur, & alii Episcopi non idipsum facere potuerint in suis Diœcesibus, & cur alii quoque beneficiorum ordinarii, vel delegati collatores, aut ad illa nominatores, beneficia ipsa, à se dependentia, non potuerit aliis viris extraneis impertiri.

17. Qui paritèr Paschalis, in unâ ex suis epistolis, ad Petronacem Archiepiscopum Ravennatensem directâ, quâ confirmat privilegia, ab Imperatoribus, ac Pontificibus illi Ecclesiæ concessa, decernit, *nè ex alio Episcopatu, ditione, aut civitate ibidem venientes, & commorantes Deo amabiles clericos præsumere in subjacentibus nobis Ecclesiis, sinè præceptionem nostram, sacerdotalem agere ministerium, magis autèm, & omnes advenarum religiosissimos clericos mites, uti nè actiones vestram sanctitatem obaudire, ac desinire, & nec secundùm divinarum legum, & sacratissimarum regularum tenore effectum in eis inferre (a)*, Barbarus, ac valdè incomptus est hic sermo, illius Sæculi consonans ruditati, & fortè, vel litera prò litera, vel ibi syllaba prò syllaba irrepsit; nihilominus exindè satis constat, quod clerici aliundè venientes, in Ecclesiis Ravennæ positis consistebant, nec repelli jubentur. Demùm Paschalis de aliis criminibus accusatus, coram plurimis Episcopis se purgavit (b), nec omisissent accusatores illum in culpam vocare de admissione extraneorum ad beneficia, si hæc ullam in se malitiam habuisset, nedùm tantam, quantam Contradictores exaggerant.

(a) *Paschal. 1. epist. 1. apud Bin. to. 6. Conc. f. 196.*

(b) *Baron. ann. 823. nu. 3.*

18. Paritèr *Nicolaus* Papa I. Sancti denominatione insignitus, de quo Regino in Chronico, *post B. Gregorium usque in præsens nullus Præsul, in Romanâ Urbe Pontificali honore sublimatus, illi videtur æquiparandus. Regibus, ac tyrannis imperavit, eisque, ac si Dominus orbis terrarum, auctoritate præfuit. Episcopis, & sacerdotibus religiosis, ac domini mandata observantibus, humilis, blandus, pius, mansuetus apparuit; irreligiosis, & a rectâ tramitè exorbitantibus, terribilis, atque austeritate plenus extitit, ut meritò credatur alter Helias, Deo suscitante, nostris in temporibus resurrexisse, etsi non corpore, tamen spiritu, & virtute. Huic sanctissimę memorię vitę &c. (c)* Sanctus inquam Nicolaus Papa I. inter cætera decreta, Gratiani volumini inserta, hoc edidit: *Per principalem Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli potestatem, jus habemus, non solum monachos, verum etiam quoslibet clericos de quacumque diœcesi, cum necesse fuerit, ad nos convocare, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus invitare (d).* De hac eadem Sedis Apostolicæ prærogativâ, celebre est dictum Gregorii PP. VII., *quod de omni Ecclesiâ quemcumque voluerit clericum valeat ordinare*, idest quod libera sit *Papæ auctoritas ad transferendos in Ecclesiam Romanam quoscumque aliarum provinciarum clericos (e).*

(c) *Regino in Chron. ann. 868.*

(d) *Cap. Per principalem 123. caus. 2. qu. 1 Bin. in Rescripis. Nicol. 1. tit. 4. nu. 4. to. 7. Concil.*

(e) *Thomassin vet. & nov Eccl. discipl. p. 2. l. 6. c. 43. n. 3.*

19. Si autèm Summus Pontifex potest clericos alienos in Romanam Ecclesiam transferre, proculdubiò potest quoq; clericis extraneis Romana beneficia conferre. Nec solus Papa, sed etiàm alii Episcopi possunt idipsum, sub congruâ proportione, perficere. Ideoque Glossa, dictum decretum Nicolai Papę perpendens, in verbo *potestatem* ait: *Hoc idem potest Episcopus 2. qu. 7. cum pastoris. Extrà de Cler. non resid. de cætero (f)*, hac tamèn differentiâ, quod Papa auctoritativè, & etiàm repugnante alieno Episcopo, illius clericum, tametsi beneficio residentiali præditum, & literis tàm testimonialibus, quàm dimissorialibus destitutum, ad se trahere; Episcopus verò accipere non valet alienum clericum, sinè literis testimonialibus proprii Episcopi, & sinè dimissorialibus quoque, si sit clericus beneficio residentiali insignitus. Quarè juxtà decretum S. Nicolai PP. I. & Summus Pontifex absolutè potest, & alii paritèr Episcopi possunt conditionatè, nempè concurrente assensu Episcopi, cui alienus clericus subest, illum suscipere, suoque Clero inserere, ac illi quodlibet beneficium, sivè simplex, sivè residentiale conferre.

(f) *Glos. in cap. Per principali 123. V. potestatem 1.*

20. Ipse quoquè D. Pontifex Nicolaus, interpellatus à Carolo Calvo Impera-

tore,

tore, tunc Rege Francorum, ut Trasulfo Abbati, ac celebri *cœnobio Corbejæ*, Diœcesis Ambianensis, indultum largiretur electionis canonicæ, ex monachis de gremio ipsius monasterii inposterum faciendæ, atque à Benedicto Papa III. Nicolai prædecessore postulatæ, benignè privilegium concessit, in quo statuit: *Abbatem verò fratres ipsius monasterii de se ipsis eligendi semper habeant potestatem, & eam personam eligant, quæ monachi propositum, & habitu, & moribus profiteatur, non canonicum, aut laicum: quoniam monachico ordini præficere vel laicum, vel canonicum, non est servare ordinis professionem, sed evertere: quod unusquisque præpositus, cujus est ordinis, ejus quoque erit & propagator: nec benè disponet aliquandò cujuscunque militiæ vitam, cujus non fuerit ipse, qui disponit æmulator. Sed neque Rex, neque potestas aliqua ullam monasterio Corbejensi præponat personam, quàm non fratres ipsius elegerint monasterii. Debent enim mundi Principes honorem præstare Deo, quem sibi volunt præstari à Deo! videlicèt ut quemadmodum cupiunt à Deo sibi collatum regni honorem conservari, sic Ecclesiæ Christi suam non dedignentur servare legem* (*a*):

21. Notabile vero est *primò*, quod interventor pro hujusmodi privilegio impetrando, nomine Caroli Calvi Regis, & Trasulfi Abbatis Corbejensis, fuit *Odo* anteà ejusdem monasterii Abbas, & posteà Episcopus Bellovacensis (*b*), qui & priùs Abbatiale beneficium Corbejense in diœcesi Ambianensi, & posteriùs Episcopale obtinens in Ecclesiâ Bellovacensi, proculdubiò beneficium tenuit, vel primâ, vel secundâ vice in loco, à quo erat extraneus, *secundò* notabile est, quod 17. annis anteà, nempè anno 846. Radbertus Abbas Corbejensis consimile privilegium imploravit à Concilio Parisiensi, & obtinuit, in quo statutum est, *ut ipsum Monasterium, secundùm antiquum morem, jàm indè à principio custoditum, electionis gratiam, & rerum suarum dispensationis libertatem haberet &c.* (*c*). Sed de electione de gremio nullum verbum ibi est factum; subindeque hæc petita est à Benedicto PP.III. & à Nicolao Papa I. inscriptis concessa, ipso Rege illam poscente: unde apparet, quod neque Rex, neque Concilium præfatum censuerunt se tali esse præditos facultate, ut ad solos monachos indigenas, sive de gremio cœnobii Corbejensis, possent electionem Abbatis coarctare; adeoque necesse esse dictam restrictionem dispositionis hujusce beneficii Abbatialis, ab Apostolicâ Sede impetrare.

(a) *Nicol. 1. PP. ep. 24. ap. Binium tom. 6. Concil. & 16 ap. Sirmond. in tom. 3. Concil. Gall. f. 217.*

(b) *In d. privil. post initium.*

(c) *Concil. Paris. anno 846. apud Sirmond. tom. 3. Conc. f. 58.*

22. Successive *Nicolaus* ipse Papa I. consimile privilegium largitus est Abbati, & Abbatiæ, sive monasterio *S. Carilefi* diœcesis Cenomanensis, ad instantiam præfati Caroli Regis, universis Galliarum Episcopis, ac Principibus directum, in quo signantèr expressum legitur. *Dignatus est ad nos pius princeps* Carolus Calvus, *& missum dirigere suum, idest venerabilem Odonem Bellovacensem Episcopum, & literas suæ dignationis destinare, quibus postulavit, ut libertatem illi Monasterio, & ab Episcopis, & à Regibus Francorum concessam, nostrâ firmaremus auctoritate, & futuris mansuram temporibus roboraremus. Considerantes itaque piam esse postulationem, & servorum Dei quieti pernecessariam &c. decernimus Apostolatus nostri auctoritate, ut Monasterium S. Carilefi Confessoris, intra Gallias situm, in pago Cenomanico, super fluvium Anisola, ut rerum suarum habeat liberam in omnibus, secundum Ecclesiæ ipsius utilitatem, & servorum Dei compendia, dispensationem &c. Abbatem verò de se eligendi fratres cœnobii S. Carilefi semper habeant potestatem: neque in ejus electione Episcopi Cenomanici respiciant constitutionem, aut dispositionem, sed quemcumque dignum vitâ, moribus, atque doctrinâ prospexerint pastorali officio, & sibi utilem, & aptum dispensatorem esse, ipsum eligant, regisque ad notitiam deferant &c.* (*d*).

(d) *Nicol. PP. 1. ep. 62. ap. Binium tom 6. Conc. & 32. apud Sirmond. to. 3. Conc. Gall.*

23. Duo prospicit præsens hoc privilegium, nempè & libertatem *exemptionis*, nè scilicèt Episcopali, vel Regiâ potestate Abbatiale beneficium præfati monasterii dispensaretur, sed electione monachorum: & *electionis de gremio*, ut videlicèt non nisi aliquis professus regulam monachalem in eodem cœnobio Abbatiale ipsum posset consequi beneficium. Primùm concesserant etiam Rex, & Episcopi, quippè hi

pote-

poterant cedere juri ſi quod habebant, vel reſpectivè ſibi aſſumpſerant, vel alio modo uſurpaverant, diſponendi de rebus, ad monaſterium ipſum pertinentibus, eive Abbatem pro eorum arbitrio præficiendi. Aſt ſecundum concedere non poterant, quià eorum non ſuberat auctoritati, electionem Abbatis ad ſolos monachos de gremio coarctandi, cum de jure poſſet undecumquè accerſiri, modò idoneus,& ejuſdem regulæ monachalis profeſſor. Oportuit ergò implorare Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, ut Papa, cui competit ſuper jure diſpenſare, & ſanctiones canonum temperare (*a*); Jus commune ſuper hoc relaxaret, atque electionem viri, Abbatiali beneficio inibi decorandi, ad ſolos ipſius cœnobii monachos coarctaret.

24. Ab initio monachi, & monaſteria ſuberant Epiſcopis, & ubi præfata privilegia deerant, Epiſcoporum erat Abbates monaſteriis præficere (*b*), ſed in illis monaſteriis, quibus auctoritate Apoſtolicâ erat indultum, ut Abbatem ex ſe ipſis eligerent, non poterant Diœceſani manum opponere; quod ſi facere auſi eſſent cenſuræ adverſus illos relaxabantur, & ità *Joannes PP. VIII.* excommunicatione innodavit Adelardum Epiſcopum Veronenſem, eo quod monaſterium Nonantulanum ordinare, ſivè de illo diſponere, aggreſſus eſſet, contrà ipſius Joannis, ſuorumque Prædeceſſorum indulta, decernentia, *de propriâ ſemper congregatione Abbatem fieri* (*c*). Si autèm & monaſteria, & Concilia, & Reges, & Abbates, & Epiſcopi ſuperius memorati, agnoverunt, non niſi privilegio Apoſtolico ſubſiſtere poſſe contractionem electionis Abbatum ad monachos de gremio cœnobii; ſequitur, quod de jure non eſt, ut beneficia Abbatialia ſolis viris de gremio conferantur qui ſint veluti indigenæ monaſterii; ſed etiàm, quod concedi valeant extraneis. Privilegium enìm eſt juris communis relaxatio, & lex quædam privata (*d*), perperamque velut privilegium poſcitur, quod de jure communi cunctis competit (*e*). Quod autèm de beneficiis Abbatialibus dicitur, locum habet ex identitate rationis etiàm in beneficiis Epiſcopalibus, & parochialibus, & canonicalibus, & alterius cujuſcumque generis, ac multò magis in merè ſimplicibus: Quâ paritate beneficiorum monaſterialium, & Abbatialium non ſemèl utuntur in ſuis ſcriptis quoquè Contradictores, ad impugnandos extraneos.

25. Et quoniam ad *Joannem VIII.* tranſitum fecimus, bonum erit audire unam ex illius epiſtolis, brevem, ſed valdè pro intentione noſtrâ efficacem: ſcribit etenim Vulgario monacho hoc modo: *Trecis poſiti per noſmetipſos cognovimus, qualitèr Vvalpertus Epiſcopus devotus filius noſter, tè à proprio Epiſcopo, atque Abbate per dimiſſoriam acquiſivit, tuâ potius interveniente petitione. Quapropter convenit ſibi ex die illo, & deincepi tamquam proprio obedire, eumque ut proprium paſtorem ſequi non prætermittas; quia, quod non optamus, ſi aliter feceris, vinculum excommunicationis ſuper tè rationabilitèr extendemus* (*f*). Vide quomodò potuerunt proprius Epiſcopus, necnon Abbas, quorum Vulgarius monachus fuerat origine, & profeſſione ſubjectus, illum dimittere, & Vvalperto Epiſcopo conſignare, ut eum ſuo inſereret Clero, & ibi conſequentèr ſtipendia clericalia, ſivè beneficia Eccleſiaſtica poſſet adipiſci, tametſi à diœceſi Vvalperti, & origine, & profeſſione eſſet extraneus.

26. Sequitur alia epiſtola ejuſdem Joannis, in quâ diſpoſuit: *præcipimus, atque præſenti decreto ſancimus, ut de Abbatia S. Auxentii, quam divę memorię Carolus Imperator fideli ſuo, & filio Eccleſię noſtrę ante jure beneficiario tribuit, nullus de ipſis rebus aliquid injuſtè auferre preſumat: nec prędicto Epiſcopo, & monachis ipſius loci aliquam in diſtrahendo illicitè inferre moleſtiam &c.* (*g*) En hic clericus Italus, ſivè aliàs ad Romanam Eccleſiam pertinens (à Papa etenim dicitur *filius Eccleſiæ noſtræ*) qui Abbatiale beneficium S. Auxentii in Galliâ poſſidebat, tam juſtè, ac licitè, ut Papa procedendum cenſuerit ad cenſuras, ſi quis illum infeſtare tentaſſet. Quod ſi malueris cogitare clericum illum non fuiſſe Italum, ſed natione Gallum (cum rè vera tamèn lectio epiſtolæ reſiſtat, in qua dicitur filius Eccleſiæ Romanæ) adhùc tamèn argumentum ſubſiſtit, imò & fortiùs invaleſcit: nàm hic clericus habuiſſet duo

(a) *Fagnan. in Cap. Cum ad monaſterium nu. 78. de ſtatu monac. l. 3. & in cap. Henricus n. 15. de Cler. pugnant. in duel. l. 5. Barboſ. jur. Eccleſ. Univ. l. 1. c. 2. nu. 95. cum aliis ab eo allegat.*

(b) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. par. 1. l. 2. c. 93. nu. 19. & l. 3. c. 32. n. 6 & par. 2. l. 1. cap. 36. nu. 11.*

(c) *Jo: PP. 8. ep. 47. & 48. ap. Bin. tom. 7. Conc. f. 21.*

(d) *Hoſtienſ. in Sum. de privil. § 1. Gonzal. ad reg. 8. Canc. gloſ. 15 à nu. 5. Barboſ. in cap. ſan. 9. n. 10. de reſcrip. lib. 5.*

(e) *L. 1. C. de theſaur. cap. ult. 25. qu. 1.*

(f) *Jo: 8. epiſt. 138. ap. Bin. to. 7. Concil. & ep. 49. ap. Sirmond. t. 3. Conc. Gall. f. 490.*

(g) *Jo: 8. ep. 143. Bin. tom. 7. Concil.*

duo beneficia, in locis disparatis, à quorum saltem uno fuisset extraneus: nempè beneficium clericatus, vel Cardinalatus, vel alterius nominis in Ecclesiâ Romanâ, cujus dicitur filius; & beneficium Abbatiale in loco, ubi sita est Abbatia S. Auxentii.

27. Ipse *Joannes VIII.* in mandatis dedit Ansperto Archiepiscopo Mediolanensi, ut Conspertum Diaconum in Vercellensem Episcopum consecraret (*a*), ad cujus rei facilitatem etiàm assensum Carlomanni Regis, qui Regno Italico præerat, impetravit (*b*). Anspertus verò Archiepiscopus jussioni Pontificiæ resistens, Consperto postposito, Josephum quendam presbyterum Vercellensibus Antistitem consecravit. Quarè Joannes adversùs Archiepiscopum gladium excommunicationis exemit, Josephum ad statum, in quo erat anteà, redegit, & Conspertum Romæ consecratione Episcopali perfusum, Vercellas transmisit, ut ibi officio Antistitis fungeretur (*c*): Successu temporis Archiepiscopus, & Josephus, eorum, quę malè fecerant pœnitentes, in Pontificis gratiam redierunt, & Joseph Astensi Ecclesię in Episcopum est præfectus (*d*). Tàm autèm *Conspertus*, ex serie epistolarum Joannis extraneus fuisse dignoscitur Vercellis, quàm Joseph: & tamèn uterque beneficium Episcopale inibi gestiit adipisci. Ac quo ad *Josephum*, cùm non obtento Vercellensi Episcopatu, Astensem consecutus est; profectò beneficium Episcopale accepit in loco, à quo erat extraneus. Joannesque VIII. illum in possessione dicti Astensis Episcopatus tuendo (*e*); Clericum extraneum tuitus est, ut ibi beneficium ecclesiasticum possideret, ubi prorsùs erat extraneus.

(a) *Jo:8 ep. 222. 223 Bin. to. 7. Conc.*

(b) *Joan. 8 epist. 171 & 187.*

(c) *Jo. 8. ep 222. 223 & 231.*

(d) *Jo:8. ep. 260.*

(e) *Jo:8. ep. 260.*

28. Aliud optimum documentum, ex Joannis Papæ VIII. literis educimus, agentibus de Frotario Archiepiscopo Burdigalensi, quem dicunt acta Concilii Pontigonensis, à Burdigala ad Pictavos, indeque ad Bituricensem Ecclesiam transitasse (*f*). Desolaverant Normanni Provinciam Burdigalensem, & quamquàm nec ibi Christianitas esset extincta, nec Episcopale officium esset inutile; tamen placuit Regi Francorum, ut Papa Frotarium à Burdigalensi, ad Bituricensem sedem transferret, proùt & fecit (*g*), ac Episcopis ad Bituricensem metropolim pertinentibus scripsit: *Necessariâ rerum dispositione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, & retro Præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum, prò instaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri temperemus. Ecce enim nè de civitate ad civitatem Episcopi transmigrent sancti canones providè sanciunt. Sed si hujusmodi sanctiones sinè ullâ discretione, vel dispensatione ducimus observandas, nullam compassionem fratribus exhibemus, quos Gentilium gladios passos, causa fidei Christianæ servandæ videmus egentes &c.*

(f) *Conc. Pontig. an. 876 ses. 2. ap. Sirmon. to. 3. Conc. Gall. f. 435.*

(g) *Jo:8. ep. 12. & 37 ap. Bin. to. 7. Conc.*

29. Subinde prosequitur Joannes: *Prioribus itaque manentibus regulis inconvulsis, quæ ubi nec rerum, nec temporum urget necessitas, jure convenit observari, vacante sede Frotarium fratrem, & Coepiscopum nostrum in sede Bituricensi præficiendum ordinavimus Sacerdotem; ità ut in eâ incardinatus, & quodammodò auctoritatis Apostolicæ privilegio radicatus, cætera metropolitana Bituricensis Ecclesiæ, ac Diœceseos jura, tamquàm Deo contemplante obtineat, dispenset, & ordinet, omni post hæc querimoniâ invidorum prorsùs ablatâ* (*h*). Proh quam egregiè Joannes Papa hìc decernit, non semper esse rigorem canonum attendendum, sed eos esse juxtà temporum, locorum, & personarum circumstantias, temperandos, & proùt necessitas, vel utilitas Ecclesiæ deposcit, salubritèr relaxandos; quarè tametsi canones, transitionem Antistitum de uno ad aliud Episcopale beneficium interdicant; attamen Joannes, justis causis coucurrentibus, Frotarium de Burdigalensi ad Bituricensem Cathedram transferendum duxit, qui proculdubiò in hac postremâ erat extraneus, alias extraneus fuisset à primâ, ut indè agnoscas, quod Sæculo Nono differentia hæc indigenæ, vel extranei erat in rebus ecclesiasticis inaudita, nec ullo vinculo arctata erat Ecclesia, quin posset liberè sua beneficia utrisque conferre, proùt illorum benemerentiæ, atque servitii ecclesiastici ratio deposcebat.

(h) *Jo:8 ep. 14. apud Bin to. 7. Conc. & 10. ap. Sirmond. to. 3. Conc. Gall. f. 448.*

30. Con-

30. Concludamus gesta Joannis Papæ VIII. epistolâ, quàm scripsit Romano Archiepiscopo Ravennati, sub his terminis: *relatione quorundam comperimus, quod eum, quem vobis ordinandum Episcopum S. Sarsennati Ecclesiæ Luponem, videlicèt venerabilem presbyterum, mandavimus, postposito nostræ voluntatis jussionis mandato consecrare postponatis, sed alium prò eo cupiatis nihilominus ordinare &c. Undè more paterno, dilectionem vestram bis nostris Apostolicis monemus, hortamur, atque jubemus apicibus, ut vestræ promissionis memores, præfatum Luponem presbyterum, sicut vobis commisimus, continuo, & præsentialitèr jàm dictæ Ecclesiæ Antistitem ordinetis* (a). Hic Lupus citrà dubium extraneus fuit ab Ecclesiâ Sarsinatensi, cui nunc exiguitas nostra præest: Ecclesiæ satis antiquæ, quàm tres Sancti Episcopi decorant, nempè *S. Vicinius* Ligur, qui tempore Diocletiani vixit, & *S. Rufinus*, ac *S. Apollinaris*: Cujus quoque sedis Episcopus *Stephanus* subscriptus legitur Actioni 4. Concilii generalis Constantinopolitani III. statim post Theodorum Archiepiscopum Ravennatem. Sarsinæ namquè Antistes honore Protothroni antiquitùs fruebatur intèr Comprovinciales Episcopos metropolis Ravennatis. Ipsa tandem Ecclesia Sarsinatensis jàm 63. Episcopos numerat, qui sibi ordinatim usque ad hæc tempora successerunt: pluribusque potitur prærogativis, tàm temporalem, quàm spiritualem jurisdictionem concernentibus, ei à Summis Pontificibus, Imperatoribusque Romanorum, concessis, quas non est hic locus fusiùs explicandi (b).

31. Tandèm intèr Pontifices noni Sæculo *Hadrianus* Papa II. Episcopis Concilii Tricassini, qui ei scripserant pro Actardo Nannetensi, tribulationibus valdè affecto à Barbaris (c), qui ejus Ecclesiam desolationibus repleverant, rescripsit, *secuti prædecessorum Patrum instituta, & Apostolicæ Sedis exempla Pontificum, præcipuèque B. Papæ Gregorii, qui circà hujusmodi, quæ nos nunc ergà præfatum Antistitem, Deo favente, statuimus, sepè statuisse dignoscitur, decernimus hunc santissimum crebrò jàm dictum fratrem nostrum, & Coepiscopum Actardum Ecclesiæ, quæ fortè suo fuerit viduata Rectore penitùs incardinari &c.* (d). Indè scripsit ad Herardum Archiepiscopum Turonensem, ut ipsi Actardo conferret monasterium illùd, quod olim in diœcesi suâ tenuisse dignoscebatur (e). Successivè mortuò Herardo, cùm primò vacans Ecclesia fuerit Turonica; Hadrianus Actardum ad illam transtulit, Clero, & populo Turonensibus in id consensum præbentibus (f). Hanc translationem probarunt communitèr Galli, Hincmarus tamèn Remensis illam improbavit, censens Actardum non debuisse derelinquere Nannetensem Ecclesiam, ut ibi curam haberet pauci illius ovilis, quod supererat, Christianos fovendo, fideles adjuvando, Paganos monitis, & prædicationibus ad Christianæ fidei professionem alliciendo (g), nil tamèn de indigenatus, vel extraneitatis titulis obloquendo, qui sanè non omisisset objurgare Actardum, quod beneficia consequi appeteret, ubi erat extraneus, si extraneitas culpæ turpitudinem involuisset.

32. Profectò Hadrianus Actardum de Nannetica ad primò vacaturam sedem transferendum decrevit, & cum fortè antè omnes obire contigerit Herardum Turonis Præsulem, Papa ipsum Actardum ad Metropolim transtulit Turonensem; relicto ei quoque jure Nannetensis Ecclesiæ, pro tali, qualis præfatæ vastitati superstes erat, ut ex epistolâ ejusdem Hadriani Papæ II. patet, ad Concilium Duziacense directâ (h), cujus Concilii Patres unà cum ipso Hincmaro ad Hadrianum scripserant, se quamvis posse censerent illam translationem ad effectum perducere; satiùs tamèn cogitasse, ut auctoritate Apostolicâ compleretur (i). Erat Actardus baptismo, tonsurâ, & ordinatione indigena in Ecclesiâ Turonensi (l), & tamèn beneficium Episcopale in Ecclesiâ Nannetensi suscepit, nèc quoniam per Episcopalis beneficii susceptionem factus erat indigena in ea Ecclesiâ, & jàm à Turonensi dici posset extraneus; abstinuit à beneficio Abbatiali, & successivè ab Archiepiscopali in ipsâ diœcesi Turonensi suscipiendo, qui & Episcopatum alibi suscepisset, si fortè contigisset alterius Præsulem tunc primò ad Cælites evolare: sicque non semel, sed bis, & tertiò beneficia suscepit in locis, à quibus erat extraneus, facta illius authorizante

Papâ,

(a) *Jo. 8. ep. 154. Bin. to. 7. Conc.*

(b) *Vid. nostram relat. Stat. Eccl. Sarsin. impres. Romæ an. 1704.*

(c) *Baron. ann. 868. nu. 18.*

(d) *Hadrian. PP. 2. ep. 11. & ep. 2. ap. Sirm to. 2. Conc. Gall.*

(e) *Hadrian. 2. ep. 5. ap. Sirmond & ep. 14. ap. Bin to. 6. Conc.*

(f) *Hadrian. 2. ep. 30 ap. Bin. to. 6. Concil & 28 ap. Sirmond. tom. 3. Conc. Gall.*

(g) *Thomassin. vet & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 63. nu. 9 & c.*

(h) *Concil. Duziac. ann. 871. ap. Sirm. to. 3. Conc. f. 397.*

(i) *Thomassin. loc. cit. num. 11.*

(l) *Thomassin. loc. cit.*

Papâ, promovente Rege, laudantibus Episcopis, & toto pene orbe probante, hisque omnibus unâ voce conclamantibus, justis ex causis licitum esse Clericos extraneos ad beneficia ecclesiastica promovere. Itàque non unum, sed plurimos habemus Pontifices, quà gestis, quà scriptis, nuncque uno, nunc alio, & nunc utroque modo, per totum noni sæculi cursum, docentes, liberum, & licitum esse Ecclesię, in primisque Summo Pontifici, nèc non Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quam delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa nominatoribus, beneficia ecclesiastica, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

CAPUT XXIII

In quo ex Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis, qui Nono Christi Sæculo *floruerunt, & præsertìm ex* Frothario *Tullensi: ex* Lupo *Ferrariensi: ex* S. Eulogio *Cordubensi, & ex* Hincmaro *Remensi: nècnon ex variis eventibus illorum temporum, probatur libertas Ecclesiæ in conferendo Ecclesiastica Beneficia, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis.*

SUMMARIUM.

1 Frotharius *monachus extraneus ab Ecclesiâ Tullensi, in eâ beneficium Episcopale suscepit. Scribit* Hilduino *duorum cœnobiorum Præsuli.*

2 *In eâ epistolâ Frotharius loquitur de beneficio Diœcesis Tullensis, quod contulerat viro Hispano, & nùnc offert pensionem illius uxori.*

3 *Clerici Hispani olim habebant Uxores. Non sunt deterioris conditionis clerici Hispani, quam laici ejusdem nationis, pro adipiscendis beneficiis.*

4 *In epistolâ ad Juditham Augustam dicit, quod ex duobus electis Senonensibus, utrumque refutaveras Imperator, qui licentiam dederat electionis faciendę.*

5 *Nicolaus PP. I. videns, quod animum crebrò extranei eligebantur, ut penè in nullum indigenam electio caderet, id improbat.*

6 *Sequitur epistola Nicolaì PP. ad Carolum Calvum, addens non esse probabile, quod in Metropoli Senonensi nullus esset ad Episcopatum idoneus.*

7 *Idipsum Papa scribit* Egiloni, *declarans nihil proficere assensum Comprovincialium Episcoporum, ad excludendos cunctos indigenas.*

8 *Egilone defuncto, duobus de gremio à Cesare reprobatis, Senonenses extraneum elegerunt, nempè Ansegisum Bellovacensem.*

9 *Textus refertur epistolę Senonensium ad Episcopos Comprovinciales, de electione Ansegisi, deficiente ex propriâ Ecclesia electione.*

10 *Floruit ad hæc tempora* Lupus Ferrariensis: *Ecclesia S. Judochi à pluribus Imperatoribus data, & adempta est diversis viris.*

11 *Epistola ejusdem Lupi Ferrariensis àd Carolum Calvum pro recuperandâ præsatâ Ecclesiâ: memoratque indigentiam suorum fratrum.*

12 *Ex Carolo Magno, Ludovico Pio, Alcuino, & Lupo Ferrariensi, multiplex probatio emergit libertatis, de qua agimus.*

13 *Fragmina plurium epistolarum Lupi Ferrariensis afferuntur, ad diversos, quæ causæ extraneorum valdè proficiunt.*
14 *Ex epistolis Lupi præfati constat, quod suo tempore, tàm de jure, quàm de facto, erat, ut clerici extranei quoquè beneficiis præficerentur.*
15 *De Monacho, pluries ab uno ad aliud cœnobium transgresso, ac de quo deceptus sinistrè priùs locutus fuerat, testatur esse dignum Præsulatu.*
16 *Monachatus est beneficium, curritque analogia intèr clericos, & monachos, quoad effectum, de quo hìc agitur.*
17 S. Eulogius *Cordubensis, electus Archiepiscopus Toleti, tametsi extraneus, illarum partium Episcopis ejus electioni suffragantibus.*
18 *Verba historica S. Eulogi referuntur, de pluribus martyribus, ab eo scripta, qui extrà patriam beneficia fuerant assecuti.*
19 *Prosequitur sermo ejusdem S. Eulogii de aliis ejusdem qualitatis SS. Martyribus.*
20 *Tàm subtilitèr S. Eulogio describente patriam præfatorum Martyrum, & beneficia per eos retenta; quid indè inferatur?*
21 *Sine injuriâ S. Eulogii, & Martyrum, quos ipse memorat, negari non potest clericis extraneis accessus ad beneficia.*
22 Hincmarus *Remensis & factis, & scriptis, profuit admissioni extraneorum. Parochia interdum significat* Diœcesim, & Diœcesis Provinciam.
23 *Ex verbis Hincmari constat, esse non de præcepto, sed de consilio electionem indigenæ: monet Regem, ut liberam sinat electionem.*
24 *Rege insistente ut consecraretur Odoacerà Bellovacensibus electus, Hincmarus obstitit, & libertatem Ecclesiæ Regi scribens tutatus est.*
25 *Sequitur textus epistolæ Hincmari ad Regem: Episcopi comprovinciales refutatis quatuor indigenis, Odonem extraneum præfecerunt.*
26 *Hincmarus se fecit Remensi Clero aggregare, & Vulfadum Longoniensem, ac Ebbonem Gratianopolitanum, ut extraneos exclusit.*
27 *Ficta, & dolosa fuit insertio Hincmari intèr Clericos Remenses paulò ante suam electionem: nec ista fuit observantia canonum, sed eorum ludificatio.*
28 *Assensus sui Prælati non fecit Hincmarum de extraneo indigenam, sed eum absolvit à pœnis, quas incurrisset, si invito ipso Præsule discessisset.*
29 *In Concilio Ephesino accusatus est Nestorius, quod extraneorum Clericorum operà uteretur. Concilia vetant ordinationem alieni Clerici.*
30 *Dicitur* Cessio, *seù* missio *licentia data Clerico eundi ad aliam Diœcesim, ibique permanendi, quæ prodest ad beneficia consequenda.*
31 *Clericis, beneficio residentiali carentibus, non potest Episcopus negare facultatem alibi eundi, & beneficia suscipiendi: quid operetur dicta facultas?*
32 *Hincmari simulata aggregatio ad Clerum Remensem nil profuit, nec potuisset etiam fieri in præjudicium nativorum.*
33 *Paritèr Hincmarus improbavit Vulfadum Lingoniensem, & Ebbonem Gratianopolitanum, non quod esset extranei, sed quod illegitimè promoti.*
34 Vvilebertus *Catalaunensis examinatus de patriâ, ordinibus, professione, nihil tamèn el objectum est, quod esset extraprovincialis.*
35 *Sequitur series ejusdem examinis. Vvilebertus erat Turonensis: extraneitas tamèn nihil ei obfuit pro Episcopatu assequendo.*
36 *Igitur post beneficia in pluribus diœcesibus obtenta, etiam Episcopale extrà patriam, & ex eventibus Vvileberti deducitur libertas Ecclesiæ in præficiendo beneficiis, non tàm indigenas, quàm extraneos.*

IN-

1. INTER Patres, vel Scriptores ecclesiasticos, qui nono Christi seculo floruerunt emicavit *Frotharius Episcopus Tullensis* 29. in ordine Præsul illius Ecclesiæ, qui Drogoni Metensi de sè scribens, *Est preterea alia vestre dominationis Cella, sita in Vvarengiisi villâ, quam etiam monachi sine meâ licentiâ inhabitare noscuntur, sed quia intèr eos mè constat adolevisse, in cœnobio videlicèt Gorzensi, hæc utcumque mea parvitas tolerat* (*a*); Ostendit se professione fuisse monachum cœnobii Gorzensis, & consequenter ad sedem Tullensem, dùm ab illâ esset extraneus perveniſſe: Adeoque suo facto causę extraneorum optimè favet. Sed pręter facta, illius quoque scripta attendamus. Epistolam dedit præ cęteris notabilem ad *Hilduinum*, tunc magni nominis Abbatem S. Dionysii prope Parisios, Ludovici Pii, & posteà etiam Caroli Calvi Imperatorum, Archicapellanum, duarum Abbatiarum prelaturâ conspicuum (*b*), quem Eugenius Papa II. in pretio habuit, eique reliquias S. Sebastiani, Svessioni in Basilicâ S. Medardi collocandas, concessit (*c*). Qui demùm ab altero saltèm duorum locorum, in quibus Abbatialia beneficia possidebat, proculdubiò erat extraneus.

(a) *Frothar. Tull. ep. 10. ap. Duchesne histor. Franc. to. 2. f. 716.*

(b) *Flodoard. histor. Rem. l. 3. c. 1. & c. 24.*

(c) *Sigebert. Chronogr. an. 825.*

2. Ad hunc inquam Hilduinum Frotharius Tullensis scripsit, *Dominus Imperator suggestione meâ quandam villam Basilicæ S. Apri reddidit, quam Pipinus Avut ipsius eidem donavit. Hanc verò per beneficium nostrum quidam Hispanus, nomine Joseph, hactenus tenuit, eamque dùm adhuc viveret desertam fecit, & ad nihilum deduxit, & ipsius loci servientes opprimendo destruxit. Ipse autèm nunc de hac visâ migravit, & residua est illi conjux ipsius, cum filio parvulo, qui sunt ex familia Domini Imperatoris: sed & ipsi causa charitatis, & dilectionis, vel per eleemosynam Domini de eodem beneficio decem mansos, & vineam, quadraginta modios vini ferè valentem, dare volui; reliquos verò viginti mansos, ad opus fratrum prædictæ Ecclesiæ restituere curavi. Prædicta autèm mulier datum meum despexit, & nunc ad Palatium veniens, totum ipsum beneficium furtim, & absque nostrâ nititur pręripere voluntate: vestra verò prudentia id agere nunc secundum pristinæ pietatis consuetudinem dignetur, ut prędictę res in possessione S. Apri permaneant, & ipsorum fratrum usibus debita victualia prębeant &c.* (*d*).

(d) *Frothar. Tullens. ep. 14 loc. cit.*

3. Erant fratres S. Apri, monachi cœnobii, à nomine illius sancti nuncupati, quod propè Tullum erectum est (*e*), ad eos pertinebat beneficium, de quo Frotharius effatur, illudque usque tunc possederat *Joseph Hispanus*; qui si erat Clericus, uxori alligatus, quatenùs antiquis illis temporibus Clericis Hispanis mos fuit uxores habendi, ex prava introductione inhonesti Regis Vitizæ, quæ posteà sublata est tempore Alphonsi VII. itidem Regis (*f*); jam videmus hic Clericum Hispanum in Galliâ, vel Belgio *beneficium* ecclesiasticum possidere, à Frothario Episcopo ipsi collatum, scribente *per beneficium nostrum*, & illius uxori annuam, & quidem amplam, *pensionem* à Frothario ipso eidem delatam, nihil attento indigenatus, vel extraneitatis effectu. Si verò Joseph non erat Clericus, sed laicus, crescit vis rationis: nàm quemadmodùm fas fuit beneficium, de rebus Ecclesiæ compositum, in commendam vel aliter, quod judicare modo est difficile, laico toto cœlo extraneo dilargiri; sic imò & multò fortiùs Clerico extraneo concedi potuit: argumentum etenim deductum ab eo, quod multò fortiùs se habet, validum est, & in jure usitatissimum (*g*): nec quisquam, nisi delirando asserere audebit, quod deterioris conditionis esset, vel sit Clericus Hispanus, quam laicus illius nationis, prò adipiscendo in Galliâ Ecclesiasticum beneficium.

(e) *Saussai. in Martyrol Gallic. die 15. Octobris.*

(f) *Forest. in Vitiza. Rè 32. & Alphons. 7. Rè. 60. Hispan. fol. 26. & 73.*

(g) *Curtius Jun. cōs. 194. n. 24. vol. 3. Cephal cons. 332. n. 19. vol. 3. Barbos. tract. var. Loc. 75.*

4. Ipse idem Frotharius in aliâ epistolâ, quam Judithæ Imperatrici, uxori Ludovici Pii scripsit, nomine Ecclesiæ Senonensis, hæc habet: *Notum vobis esse credimus, quod nobis indignissimis à Domino Imperatore concessum fuerit, ut ex nobis ipsis electionem faciendi haberemus licentiam, sed cùm illum, quem scitis elegissemus, & à serenitate Domini Imperatoris non plenè fuisset receptus, permissum est nobis iterum, ut alium si potuissemus ex nobis huic officio congruum inveniremus. Sed cùm esset in-*

nonicæ Ecclesiæ Clerici libertatem electionis ex se ipsis faciendæ, non habuerunt, nisi ex speciali indulto Caroli Calvi tunc Regis (*a*), unde patet, eandem non sibi debitam de jure fuisse, quippè *frustra precibus impetratur, quod à jure communi competit* (*b*), & cùm libertatem ipsam impetrassent, ac bis duos successivè diversos ex eorum gremio selegissent, Carolus utrumque refutavit: nèc quidquam eis profuit Judithæ Imperatricis præsidium implorare, literis ut suprà calamo Frotharii exaratis, qui & eorum nomine aliam epistolam scripsit consimilis dictaturæ Eginhardo Imperatoris familiari, consanguineo, & apud illum uberi existimatione pollenti (*c*), nàm hiscè omnibus non obstantibus, beneficium Archiepiscopale Senonensis metropoleos nulli ex præfatis electis de gremio contigit, sed *Ansegiso* Bellovacensi, Abbati S. Michaelis Laubiensis in Hannonia (*d*). Qui non debuisset ullo modo in Præsulem eligi, nèc potuisset Rex, pro eo quod ad ipsum spectabat, eidem Ansegiso extraneo favere, aut illius promotionem patrocinari, seù quomodolibèt habilem eum reddere, ut eligeretur, tametsi extraneus, in præjudicium indigenarum, ad quos, ut supponunt Contradictores, limitata sit provectio ad ecclesiastica beneficia.

(a) *Frothar. Tullens. epist. 16. & 17. ap. Duchesne to. 2.*
(b) *Leg 1. C. de Thesauris lib. 10.*
(c) *Frothar. ep. 16.*
(d) *Trithem. l. 3. c. 56 Theatr. vit. hum. V. Episcopus in Archiepisc. Senonen. nu. 51.*

9. En verba Cleri Senonensis ad Comprovinciales Episcopos illius metropolis. *Cum decreto electionis nostræ, manibus singulorum nostrorum roborato, ad paternitatem vestram accedentes, Ansegisum presbyterum Remorum diœceseos, Ecclesiæ autem Bellovacensium, atque Abbatem monasterii S. Michaelis, quem per licentiam vestram Patres venerandi, Domino etiam Christianissimo Rege Carolo annuente, secundum decreta Cælestini Papæ, ex propria Ecclesia deficiente electione, pari consensu elegimus* (*e*). Deficiebat electio ex propria Ecclesia, non quia ibi deessent Clerici idonei, cùm teste Nicolao PP. I. in illa Ecclesiâ amplâ non posset talis deficientia contingere, & jam duo de Clero ipso electi fuissent; sed quia Imperator illos excludebat. Ansegisus verò in Ecclesiis Senonensi, Bellovacensi, & S. Michaelis beneficia presbyterale, Abbatiale, & Archiepiscopale capessens, certè non semel, sed pluriès beneficiis ecclesiasticis potitus est, in locis, à quibus erat extraneus, & patriâ, & diœcesi, & provinciâ: ut hinc videas quantâ libertate tunc potuerint extranei nedum beneficiis præfici, verum etiam indigenis, prò eligentium arbitratu, præferri.

(e) *Cler. Senon. epist. ap. Sirmon. to. 3. Conc. Gall f. 294.*

10. Magno quoque nomine per hæc tempora resonavit *Lupus Ferrariensis*, cœnobii Bethlemitici, sivè Ferrariæ, Diœcesis Senonensis, Abbas (*f*), cujus patriam dicitur fuisse Moguntiam. Ipse se necessitudine conjunctum affirmat cum Hilmerado, designato Episcopo Ambianensi (*g*), & neptem habuisse, Hildegario nuptui datam apud Parisios (*h*). Illum fuisse Episcopum legimus (*i*), sed de his utcumque res se habeat, certe ipse fuit famâ, & eruditione clarissimus, Ecclesiæ Gallicanæ ad Benedictum Papam III. Legatus (*l*), aliis tandem meritis, & benemerentiæ titulis cumulatus, floruit autèm anno Christi 850. Hic prò Ecclesiâ S. Judochi monasterio suo incorporandâ eximiè decertavit (*m*). Illam porrò Ecclesiam, quàm ipse vocat monasterium (*n*), ad ostium Cantii, inter Stapulam, & Montrolium urbes positam (*o*), Carolus magnus Imperator Alcuino, seù Albino Anglo concesserat, viro doctissimo, de quo suprà, & quem Cæsar apud se, vel præceptoris, vel studiorum comitis loco habuit (*p*), cum onore, ut ex ejusdem Ecclesiæ bonis, eleemosynam, & subsidia peregrinis, & advenis exhiberet. Hanc eandem Ecclesiam Ludovicus Pius Imperator, Caroli filius, sub eodem onere monachis, & monasterio Ferrariensi Diœcesis Senonensis contribuit. Ast Lotharius paritèr Imperator, monachis sublatam, cuidam Rhuodingo tradidit, & rursùs Carolus Calvus, itidem Imperator, Rhuodingo adeptam Odulpho Comiti dedit (*q*). Lupus ergò, Abbatiæ Ferrariensis clavum tenens, apud Carolum ipsum prò præfatæ Ecclesiæ recuperatione orans institit, hæcque illi intercætera scripsit.

(f) *Papir. Masson. præf. ad ep. Lupi Ferrar. in to. 3. Bibl. Patr. & ap. Duchesne to. 2. fol. 720. & Lup Ferrarien. ep. 29. & 41.*
(g) *Lup. Ferrariens. epist. 79.*
(h) *Idem ep. 119.*
(i) *Possev. Apparat to. 2. in Lup. Ferrarien. Card. Baron. ann. 538. num. 7.*
(l) *Lup. Ferrar. ep. 65 & 103. Baron. ann. 555. n. 13.*
(m) *Lup. Ferrar. ep. 21. 42. 45. 61. 71. 85.*
(n) *Lup. Ferrar. epistol. 13.*
(o) *Papir. Masson. loc. cit.*
(p) *Baron. ann. 775. n. 14. 15.*
(q) *Lup. Ferrar. ep. 21. 42. 43. 44. 45. 55. 71*

11. *Plùs minusve quadriennium est, ex quo septuaginta duo monachi, quos ad eorum votum, electionemque mihi commisistis, quique indesinentèr, nobis in diver-*

sa

sa occupatis, prò salute, ac prosperitate vestrâ excubant, propter abstractas facultates, patiuntur incredibilem vestimentorum, leguminum, & piscium indigentiam: & publica hospitalitas peregrinis, juxtà constitutionem priorum Regum exhibenda, intermissa est: famuli monasterii squallore torquentur, & frigore, nec possunt subvenire miseris &c. Intercedente gloriosa matre vestra, Serenissimus Pater vester Ludovicus Augustus, ad remedium animæ suæ, ac salutem posteritatis, supplementum hoc cœnobio nostro contulerat: nec tamèn cum id haberemus, noxiâ diffluebamus abundantiâ, ut in delitias intemperantèr solveremur; quia quæ regula concedit, integris facultatibus monasterii, vix poterant procurari: Nunc autèm longè pauciora consecuti, abstinemus inviti, algemus coacti: pueros, senes, atque infirmos proptèr inopiam non fovemus. In tantâ calamitate Patri, ac Matri vestræ quotidianas preces, & annuum officium persolvimus, quasi quod illi contulerunt possideamus &c. Instaurate illorum eleemosynam, ingenti periculo hactenùs intermissam, nec obliviscamini vestri &c. Consensu bonorum omnium justum est quod poscimus, possibile Regali potentiæ, necessarium nobis, utile non tàm nobis, quàm vobis; nos enim ex hoc beneficio temporalem consequemur usum, vos autèm, accedentibus aliis bonis, præmium sempiternum (*a*).

(a) *Lup. Ferr. ep. 46*

12. Tantâ efficaciâ Lupus apud Principem, monasterii cui præerat, causam egit, Cæsarem nonsemel adeundo, & literis pulsando, virosque Aulicos, & magis intimos, ac Regni Optimates, precibus, & obtestationibus fatigando, ut tandèm sui voti compos effectus sit (*b*). Ex hac autèm unicâ rerum narratione, multiceps argumentum, nobis favens emergit. Nàm primò Carolus magnus Imperator, rerum ecclesiasticarum peritissimus (*c*), Ecclesiam, & bona S. Judochi, in pago Pontino provinciæ Remensis in Picardiâ, Alcuino Anglo, Anglorumque Legato (*d*), concessit. Secundò Alcuinus ipse, doctrinâ paritèr celeberrimus, in Galliâ prorsùs extraneus; Ecclesiam ipsam suscepit. Tertiò Ludovicus Imperator, cognomento Pius, intercedente Judithâ ejus conjuge, monasterio præfato Ferrariensi, provinciæ, & Diœcesis Senononsis, quod in se proculdubiò rationem extraneitatis præferebat, Ecclesiam memoratam contribuit. Quartò Lupus Ferrariensis sępè dictam Ecclesiam cum ejus bonis repetiit, & cum esset extraneus, utpote patriâ, uti diximus Moguntinus, Abbatialia beneficia, tàm in monasterio Bethlemitico, sivè Ferrariensi, quàm in monasterio S. Judochi accipere non dubitavit. Quintò *consensus omnium bonorum* justum esse dixit, quod Ecclesia S. Judochi Ferrariensibus monachis redderetur. Quintuplex ergò adest nobis votum Patrum, Imperatorum, Doctorum, omniumque Bonorum, affirmantium liberum esse Dispensatoribus Ecclesiarum, sivè beneficiorum ecclesiasticorum, hæc eadem etiam viris extraneis elargiri.

(b) *Lup. Ferrar. ep. 62. & 83. Baron. ann. 846. à n. 9. ad 16.*
(c) *Baron. an. 878. à n. 15. ad 20.*
(d) *Baron. loc. cit.*

13. Ipsum Lupum aliquandò etiâm cœnobio S. Amandi præfuisse satis liquet ex eo quod, libentèr illius curam se deponere profitetur (*e*), memorat quoque S. Aldricum, & de ipso dicit *Aldricus Cæsaris jussu, & mirabili bonorum annisu nobis cum esset Abbas ablatus, & Ecclesiæ Senonicæ Pontifex factus est* (*f*). Scribens paritèr Marcuvardo Abbati Prumiensi hæc effatur: *ut quoniam de loco nostro sitis, à quo vos corpore duntaxat ecclesiastica utilitas abduxerit &c.* (*g*), ostendens his verbis, quod Marcuardus cum anteà cœnnobii Ferrariensis Senonicæ Diœceseos in Galliâ esset alumnus, Abbatiale beneficium in monasterio Prumiensi, Diœcesis Trevirensis acceperat in Germaniâ. In epistolâ ad quendam Ludovicum virum clarissimum, hæc habet, *fama versatur inter nos, clericos Palatii diversorum cœnobiorum sibi dominium optare* (*h*). In aliâ quàm scribit nomine Guenilonis Episcopi, & Gherardi Comitis, ad Amulum Archiepiscopum Lugdunensem ait, *vestræ prudentiæ Dominus noster*, Rex, *nobis jussit suggerere, non esse novitium, aut temerarium, quod ex Palatio honorabilioribus maximè Ecclesiis procurat Antistites &c. Godelsadum etiàm, quem ex Palatio suo, more prædecessorum Regum majorum suorum, ut ante monstratum esse, Cabilonensi præficit Ecclesiæ, flagitat idem*

(e) *Lup. Ferr. ep. 38*
(f) *Lup. Ferr. ep. 39.*
(g) *Lup. Ferr. ep. 55.*
(h) *Lup. Ferr. ep. 25*

Rex,

Rex, in hac quadragesimâ non gravemini ordinare (*a*). (a) *Lup.Ferr.ep.81.*

14. Hæc autem omnia nonne luce meridianâ clarius ostendunt, & potuisse, & in usu fuisse, & tàm ut de jure, quàm ut de facto, Lupi Ferrariensis tempore, viguisse hanc disciplinam, ut clerici extranei modò Abbatialia, modò Episcopalia, modò majoris, modò minoris dignitatis beneficia consequerentur? *Quis hos viros canones ignorasse dicat, nisi priùs ipse desipiat* (*b*). (b) *Lup.Ferr.ep.99.* Sed super omnes pretiosa est epistola ejusdem Lupi, quâ respondet Gherardo Comiti, ab eo suscitanti, quid sentiret de vitâ, moribus, & meritis cujusdam, qui ejusdem fuerat monachus, tuncque de illo, ad aliquod beneficium Episcopale promovendo, agebatur; Gherardo has diligentias adhibente, vel nomine Regis, vel cleri, & populi alicujus Ecclesiæ, quæ in monachum illum suum intuitum intendisset. Lupus ergò sincerè affirmat, eundem monachum de suo ad aliud cœnobium pertransisse, inde ad alias Diœceses migrasse, habitâ tamèn migrandi legitimâ facultate: inesse illi merita, & virtutes, quibus preesse possit, & prodesse, undè si eligi contingat in Antistitem alicujus Ecclesiæ (à quâ necessario fuisset extraneus, tamquàm qui de cœnobio ad cœnobium, & ad Diœcesi ad Diœcesim transitaverat) electionem censet futuram esse proficuam.

15. En ejus verba: *quod diligentèr serutamini, noveritis monachum, & discipulum meum non nunquam à nostro monasterio aufugisse, sed ad petitionem beatæ memoriæ Marcuuardi Abbatis ex Prumiâ haud perperam à nobis eum honestè directum, & eum illo aliquandiù conversatum, quorundam invidiosorum vitasse insidias, & indè discendi studio, & quietis amore in urbe Lugdunensium constitisse: reverentissimis autèm viris Remigio memoratæ urbis metropolitano, & H. Gratianopolitano instantèr postulantibus, & conversationem memorati fratris laudantibus, quanquam olim meam verbis habuisset licentiam, etiàm regulares literas accepisse, quæ prolatę, quid de eo sentiam fideli relatione fatebuntur. Literas etiàm eum ecclesiasticas habere à venerabili fratre nostro G. certi sinè scio, nec impedire aliquid, si Deus eum vocat, quo justè ejus infirmari possit electio. Benè apud nos conversatus est, quo plurimùm indiget Ecclesia. Idoneus est ad docendum. Regalibus, & Pontificalibus fultus est epistolis, progenitorum nobilitate ornatur. In secundò proposito judicio prædictorum Antistitum, intèr quos degit, devotè perducat. Quid restat nisi, ut quod Sanctis Præsulibus Deus inspiraverit, fiat? Quid autèm mirum si aliquandò asperiùs aliquid super eo locutus sum? Illud culpa fuit inimicorum ejus, impudentèr falsa vulgantium. Istud, quod nunc literis alligo, meum est judicium, constantèr prima visa, & posteà comperta narrantis* (*c*). (c) *Lup.Ferr.ep.122*

16. Non semel diximus, quod monachi sunt totidem beneficiati (*d*), habent enim de fructibus bonorum Ecclesiæ portionem, eorum victui, vestitui, & congruo usui necessariam; & quamvis hoc beneficium non detur eis in titulum, datur tamèn ad vitam perpetuò possidendum: hinc qui hujus est capax, ad alterum quoquè idoneus reputatur, certeque intèr monachos, & beneficiarios talis intercedit proportio, ut ab uno eorum ad aliud ritè possit argumentum deduci, quod à simuli ad simile repetitur, jamque paulò suprà à Nicolao PP. I. audivimus, eandem regulam tenendam esse de clericis, ac de monachis (*e*), & certè à monasticis officiis, & beneficiis, ad cætera Ecclesiæ beneficia crebrò in eorum scriptis argumentum ducunt Contradictores. Quarè monachus ille priùs beneficio monachali donatus in cœnobio Ferrariensi apud Gallos, deindè transvectus ad aliud percipiendum in monasterio Prumiensi apud Germanos: posteà ad Clerum Lugdunensis Ecclesiæ traductus, ubi vel habebat, vel habere poterat ecclesiasticum beneficium, (ut enìm ibi consisteret, regulares, sivè dimissorias literas obtinuerat) demùm pronunciatus habilis, & sufficiens, qui ad aliquod beneficium Episcopale suscipiendum eligeretur; profectò multiformitèr Lupi Ferrariensis ore conclamat, ritè, & rectè sè potuisse beneficiis ecclesiasticis insigniri semèl bis, & tertiò in locis, à quibus erat extraneus: adeòque Ecclesiam hâc libertate potiri, beneficia ecclesiastica, non modò

(d) *Thomassin vet. & nov. Eccles. discipl. p. 1. l. 3. c. 13. nu. 1. Barbos. jur. Eccles. Univ. l. 3. c. 4. n. 66.*

(e) *Barbos. tract. var. Loc. 101. cum aliis ab eo cit. Vid. in hoc cap. supr. nu. 5.*

modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiendi.

17. Gloriosus fuit in terris doctrinâ, & virtutibus multis hoc eodem Nono Sæculo *S. Eulogius Cordubensis*, qui tyrannidem exercentibus Arabibus in Hispaniâ, Cordubæ senatorio genere natus, in eâ Ecclesiâ clericatum, subindèque Diaconatum, & Presbyteratum fortitus est, ac magisterii munus prò cæteris edocendis (a). Romam quandoquè pergere designavit (b): posteà in Galliam profectus est, suamque manu propriâ peregrinationem conscripsit (c). In Hispaniam demùm reversus, *post divæ memoriæ Vvistremiri Toletanæ sedis Episcopi, in eandem sedem ab omnibus comprovincialibus, & consinitimis Episcopis electus, & dignus est habitus, & prò relatu omnium comprobatus. Sed dispositio divina, quæ eum sibi ad martyrium reservabat, quibusdam repagulis obviavit. Cumque jàm ipsa communis electio eum sibi consecrari in episcopio adclamaret, rerum obviantium adversitate impediti, alium sibi eo vivente interdixerunt eligere. Qui licèt argutè frustraretur ab ordine, tamèn non est privatus ejusdem ordinis munere. Siquidem Episcopatum celestem adeptus est, dùm per martyrii gloriam Christo conjunctus est* (d). Itaquè S. Eulogius, Cordubæ ortus in Hispanicâ Bætica, ad beneficium Archiepiscopale urbis Toleti in Hispaniâ Tarraconensi promotus est, à quo erat per 150. milliaria, sivè per 50. leucas extraneus (e), cunctis comprovincialibus, & confinitimis Episcopis, adeoque totâ penè Hispanicâ Ecclesiâ, illius electioni suffragantibus, & per consequens inclamantibus, ritè, & rectè posse clericum extraneum ad ecclesiastica provehi beneficia.

(a) *Alvar. Cordub. in Vit. S. Eulog. cap. 2. & 3. ap. Sur. to. 2. die 11 Martii.*
(b) *Idem c. 3.*
(c) *S. Eulog. epist. ad Vvistrem. ad Episcop. Pampilon. in t. 9. Bibl. Patr. f. 693.*
(d) *Alvar. Cordub. loc. cit. cap. 10.*
(e) *Philipp. Ferrar. Lexic. Geogr. V. Corduba, & V. Toletum.*

18. Sed percurramus historiam martyrum Cordubensium, quàm ipse D. Eulogius scripsit (f), & videamus, an facta dictis concordent, consonentque illius gestis ea, quæ calamo lineavit. Porrò de quibusdam ex præfatis martyribus ità loquitur. E quibus *Petrus Sacerdos urbe Astegitanâ progenitus, & S. Vvalabonsus Diaconus ab Elephensi civitate exortus &c. Cordubam studio meditandi adeuntes, liberalibus disciplinis traditi sunt. Sed Deo fautore, scientiâ, & doctrinâ scripturarum pollentes, sub Frugello Abbate monasterio sanctæ, & gloriosæ Virginis Mariæ præficiuntur, quod in vico Cateelara, non longè ab urbe, à parte occidentali præclaro ancillarum Dei proposito enitescit. Sanctus quoquè Sabinianus, vico Froniano montanæ Cordubensis, jàm plenæ juventutis monachus ortus: & Vvistremundus ex Astigiâ adolescens strenuus, è cœnobio S. Zoili Armilarensi, quo dudum sub regulâ, vel Abbate se dederunt: unus à tempore longè in castris Domini militans: Vvistremundus verò nupèr in idem cœnobium conferens, ad Martyrium ambo discurrunt* (g).

(f) *Baron. ann. 850 num. 1.*
(g) *S. Eulog. Cordub. Memoriæ Sanctor. l. 2. c. 1. in Bibl. vet. Patrũ to. 9. p. 2. f. 659.*

19. Prosequitur de *S. Gumesindo*, & inquit, eum fuisse patriâ Toletanum, qui Cordubam pergens, ibi Clericatum, Diaconatum, & Presbyteratum accepit, & cuidam Ecclesiæ Campaniæ Cordubensis præfectus est (h), nempè sitæ in planitiæ agri illius Urbis, qui nunc dicitur Campienna (i). Addit de *S. Leovigildo*, quod Eliberi progenitus monachatum professus erat in cœnobio SS. Justi, & Pastoris, posito in inferiori montana Cordubensi, loco, qui dicitur Eraga (l), notat & de *SS. Rogellio, & Servio-Deo*, quod primus itidem monachus, & Eliberi progenitus è vico qui dicitur Parapanda, secundus ex Orientis partibus, Cordubam moraturi pervenerant (m). Pergit, & memorat Sanctum *Fandilam*, dicens, quod ex Urbe Accitana, nunc Guadix in Regno Granatæ, progenitus, Cordubam discendi gratiâ se contulit, subindeque in Monasterio Fabanensi monachatui operam dedit, à quo posteà ad monasterium S. Salvatoris Pinnæ Mellariæ perrexit (n); subjungit de *S. Felice* monacho, quod ex Oppido Complutensi progenitus, natione Getulus, ex Africâ, in Asturias progressus, ibi monasticæ professioni totus incubuit (o).

(h) *Idem l. 2. c. 9.*
(i) *Ambros. Morales in Scholiis ad d. cap. 9. num. 2.*
(l) *S. Eulog. ubi sup. l. 2. c. 11. n. 2.*
(m) *Idem cap. 13.*
(n) *S. Eulog. Memorial. Sanctor l. 3. c. 7. & ibi Ambros. Morales in Scholiis.*
(o) *S. Eulog. loc. cit. l. 3. c. 8. & ibi Morales.*

20. Hoc modo Sanctorum hujusmodi Martyrum, & patriam, & professionem S. Eulogius calamo discurrente distinguit, ut appareat eos, è diversis Urbibus, & provinciis prodeuntes, beneficia monachalia, parochialia, & præfectu-

ras

ras Ecclesiasticas tenuisse, Getulos, Orientales, Africanos, in Hispaniâ, extraprovinciales in provinciâ Cordubensi; extradiœcesanos demùm in illius Urbis, & Diœcesis Ecclesiis, ac Monasteriis. Quis credat autèm S. Eulogium hæc memorantem, sibi persuasisse, quod gloriæ sanctorum illorum Martyrum detraheret, ipsorum extraneitatem adeò subtili calamo describendo? Non enim eos commendasse videbitur, in sensu Contradictorum, neque uti viros sanctos encomiis celebrasse, sed potiùs improbasse, ac velut viros impios inclamasse, quod cum essent Cordubæ extranei, parvipenso indigenatus defectu, contra jus divinum, naturale, & humanum ibi ausi sint beneficia sacra adipisci.

21. Nè ergò Sanctos istos Martyres in totidem viros impios vertamus; nè Sanctum Eulogium ex encomiaste in detractorem configuremus ipsorum Sanctorum Martyrum; ne tandem eundem Sanctum Eulogium, intèr Cœlites per totam Ecclesiam veneratum, non virum Sanctum, sed nebulonem fuisse dicamus, qui adversus præfata jura, beneficium Archiepiscopale in Metropoli Toletanâ suscepit, à quâ erat extraneus; oportet necessariâ locutione concludere, quod currente nono Christi sæculo, in Hispaniâ, & in universâ Christianitate florebat hæc persuasio, Sanctam Dei Ecclesiam integrâ libertate potiri, suas præbendas quibuslibet impertiendi, undecumqne natis eas tradendi; meritumque, non nativum aerem, idoneos facere clericos, quibus beneficia ecclesiastica conferantur. A qua libertate cum nunquàm deciderit Ecclesia, & nec imò cadere potuerit, uti sibi connaturali, & coævâ; restat ut etiàm nunc, non minùs ac tùnc, eâdem perfruatur, adeoquè verissimum, & ineluctabile sit, quod liberum, & licitum est Ecclesiæ beneficia sua, tùm clericis extraneis, tùm indigenis, elargiri.

22. Hæc ipsa tempora, quæ percurrimus, celebria fuerunt, tàm doctrinâ, quàm gestis *Hincmari* Remensis, qui fuit natione Gallus, provinciæ ecclesiasticæ Senonensis, vel Belgicæ, professione monachus cœnobii S. Dionysii (*a*), nècnon Abbas monasterii S. Germani diœcesis Parisiensis (*b*), ac Archiepiscopus Remensium, vir magni nominis, eâ doctrinâ perecelebris, quâ Gallos omnes Episcopos suę etatis facilè superavit (*c*), floruit autèm anno Christi 845. Hic Ecclesiam Remensem, quæ per Ebbonis exauctorationem vacabat, adeptus est, proùt superiùs aliâ occasione locuti sumus (*d*), licèt ipse, tamquam Monachus S. Dionysii, & Abbas S. Germani, à provinciâ Senonensi prodiret, remotus ab urbe Remorum, quę metropolis est provincię Belgicæ secundę, sicque ab alterutrâ ex his Ecclesiis, & provinciis, esset extraneus. Quam ejus promotionem ad Episcopale decus, ritè, & rectè factam fuisse in Concilio Svessionensi II. doctum est, & Patres Concilii Tricassini Nicolao I. Pontifici contestati sunt (*e*), eique favisse Regem, Episcopos Provinciales, & Clerum, atque Populum Remensem, ipsamet Concilia demonstrant (*f*). Quod autèm Hincmarus proprii facti executione docuit, suę quoquè doctrinę thémate comprobavit, nàm dans formam, in Antistitis electione servandam, hęc electoribus aliquandò pręscripsit, in epistolâ ad Clerum, & plebem Bellovacensem: *De Ecclesiâ vestrâ, sive sit in civitate, sive in monasteriis, his disciplinis institutum, & ità Apostolicę formæ convenientem, dè diaconibus, vel presbyteris, eligatis vobis, auctore, & fautore Domino, consecrandum Episcopum &c. Et si, quod absit, de civitatis, ac parochiæ vestrę civiumordinandus Episcopus, Clericis, nullus dignus, vel idoneus summo Sacerdotio, quod evenire non credimus, poterit inveniri, tùnc alter de altera diœceseos nostrę Ecclesiâ &c. eligere procurate &c. si etiàm de alterius diœcesi Archiepiscopi, vel parochiâ Episcopi quemquam vobis notum, proficuum, & utilem eligere malueritis, necesse vobis erit cum beneplacito illius Episcopi, cujus intererit, & literis canonicis petitum obtinere* (*g*). Notetur, quod territorium Episcopalis jurisdictionis, dictum communitèr *Diœcesis*, olìm vocabatur Parochia, & diœcesis tunc significabat *provinciam*, seù territorium Archiepiscopalis jurisdictionis (*h*).

23. Ex Hincmari ergò doctrinâ suadentur, & commonentur electores, ut ali-

(a) *Card. Baron. ann. 845. n. 13. vid. hic suprà c. 21 n. 26.*
(b) *Natal. ab Alex. histor. sæc. 9. in Hincmar Remens.*
(c) *Baron. ann. 867. n. 42 & an. 882. n. 2.*
(d) *Vid. hic supr. sæc. 9. c. 20. n. 26.*
(e) *Conc. Trecens. an. 867. & Svessionen. 2. anno 853. c. 3. Sirmond. to. 3. Conc. Gall fol. 84. & 353.*
(f) *Vid. dict. Concil. Suession & Trecens.*
(g) *Hincm. Remens. Formul. 4. ap. Sirmond. to. 2. Conc. Gall. f. 642.*
(h) *Glos. in c. 3. V. parochia. de temp. ordin in 6.*

30. Concludamus gesta Joannis Papæ VIII. epistolâ, quàm scripsit Romano Archiepiscopo Ravennati, sub his terminis: *relatione quorundam comperimus, quod eum, quem vobis ordinandum Episcopum S. Sarsennati Ecclesiæ Luponem, videlicèt venerabilem presbyterum, mandavimus, postposito nostræ voluntatis jussionis mandato consecrare postponatis, sed alium prò eo cupiatis nihilominus ordinare &c. Undè more paterno, dilectionem vestram his nostris Apostolicis monemus, hortamur, atque jubemus apicibus, ut vestræ promissionis memores, præfatum Luponem presbyterum, sicut vobis commisimus, continuo, & præsentialitèr jàm dictæ Ecclesiæ Antistitem ordinetis* (a). Hic Lupus citrà dubium extraneus fuit ab Ecclesiâ Sarsinatensi, cui nunc exiguitas nostra præest: Ecclesiæ satis antiquæ, quàm tres Sancti Episcopi decorant, nempè *S. Vicinius* Ligur, qui tempore Diocletiani vixit, & *S. Rufinus*, ac *S. Apollinaris*: Cujus quoque sedis Episcopus *Stephanus* subscriptus legitur Actioni 4. Concilii generalis Constantinopolitani III. statim post Theodorum Archiepiscopum Ravennatem. Sarsinæ namquè Antistes honore Protothroni antiquitùs fruebatur intèr Comprovinciales Episcopos metropolis Ravennatis. Ipsa tandem Ecclesia Sarsinatensis jàm 63. Episcopos numerat, qui sibi ordinatìm usque ad hæc tempora successerunt: pluribusque potitur prærogativis, tàm temporalem, quàm spiritualem jurisdictionem concernentibus, ei à Summis Pontificibus, Imperatoribusque Romanorum, concessis, quas non est hic locus fusiùs explicandi (b).

31. Tandèm intèr Pontifices noni Sæculo *Hadrianus* Papa II. Episcopis Concilii Tricassini, qui ei scripserant pro Actardo Nannetensi, tribulationibus valdè affecto à Barbaris (c), qui ejus Ecclesiam desolationibus repleverant, rescripsit, *secuti prædecessorum Patrum instituta, & Apostolicæ Sedis exempla Pontificum, præcipuèque B. Papæ Gregorii, qui circà hujusmodi, quæ nos nunc ergà præfatum Antistitem, Deo favente, statuimus, sepè statuisse dignoscitur, decernimus hunc santissimum crebrò jàm dictum fratrem nostrum, & Coepiscopum Actardum Ecclesiæ, quæ fortè suo fuerit viduata Rectore penitùs incardinari &c.* (d). Indè scripsit ad Herardum Archiepiscopum Turonensem, ut ipsi Actardo conferret monasterium illùd, quod olim in diœcesi suâ tenuisse dignoscebatur (e). Successivè mortuò Herardo, cùm primò vacans Ecclesia fuerit Turonica; Hadrianus Actardum ad illam transtulit, Clero, & populo Turonensibus in id consensum præbentibus (f). Hanc translationem probarunt communitèr Galli, Hincmarus tamèn Remensis illam improbavit, censens Actardum non debuisse derelinquere Nannetensem Ecclesiam, ut ibi curam haberet pauci illius ovilis, quod superererat, Christianos fovendo, fideles adjuvando, Paganos muniendo, & prædicationibus ad Christianæ fidei professionem alliciendo (g), nil tamèn de indigenatus, vel extraneitatis titulis obloquendo, qui sanè non omisisset objurgare Actardum, quod beneficia consequi appeteret, ubi erat extraneus, si extraneitas culpæ turpitudinem involuisset.

32. Profectò Hadrianus Actardum de Nannetica ad primò vacaturam sedem transferendum decrevit, & cum fortè antè omnes obire contigerit Herardum Turonis Præsulem, Papa ipsum Actardum ad Metropolim transtulit Turonensem; relicto ei quoque jure Nannetensis Ecclesiæ, pro tali, qualis præfatę vastitati superstes erat, ut ex epistolâ ejusdem Hadriani Papę II. patet, ad Concilium Duziacense directâ (h), cujus Concilii Patres unà cum ipso Hincmaro ad Hadrianum scripserant, se quamvis posse censerent illam translationem ad effectum perducere; satiùs tamèn cogitasse, ut auctoritate Apostolicâ compleretur (i). Erat Actardus baptismo, tonsurâ, & ordinatione indigena in Ecclesiâ Turonensi (l), & tamèn beneficium Episcopale in Ecclesiâ Nannetensi suscepit, nèc quoniam per Episcopalis beneficii susceptionem factus erat indigena in ea Ecclesiâ, & jàm à Turonensi dici posset extraneus; abstinuit à beneficio Abbatiali, & successivè ab Archiepiscopali in ipsâ diœcesi Turonensi suscipiendo, qui & Episcopatum alibi suscepisset, si fortè contigisset alterius Præsulem tunc primò ad Cælites evolare: sicque non semel, sed bis, & tertiò beneficia suscepit in locis, à quibus erat extraneus, facta illius authorizante

Papâ,

(a) *Jo. 8. ep. 154. Bin. to. 7. Conc.*

(b) *Vid. nostram relat. Stat. Eccl. Sarsin. impres. Romæ an. 1704.*

(c) *Baron. ann. 868. nu. 13.*

(d) *Hadrian. PP. 2. ep. 11. & ep. 2. ap. Sirm to. 3. Conc. Gall.*

(e) *Hadrian. 2. ep. 5. ap. Sirmond & ep. 14. ap. Bin. to. 6. Conc.*

(f) *Hadrian. 2. ep. 30 ap. Bin. to. 6. Concil & 28. ap. Sirmond. tom. 3. Conc. Gall.*

(g) *Thomassin. vet & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 63. nu. 9 & c.*

(h) *Concil. Duziac. ann. 871. ap. Sirm. to. 3. Conc. f. 397.*

(i) *Thomassin loc. cit. num. 11.*

(l) *Thomassin. loc. cit.*

Papâ, promovente Rege, laudantibus Episcopis, & toto pene orbe probante, hisque omnibus unâ voce conclamantibus, justis ex causis licitum esse Clericos extraneos ad beneficia ecclesiastica promovere. Itàque non unum, sed plurimos habemus Pontifices, quà gestis, quà scriptis, nuncque uno, nunc alio, & nunc utroque modo, per totum noni sæculi cursum, docentes, liberum, & licitum esse Ecclesię, in primisque Summo Pontifici, nèc non Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quam delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa nominatoribus, beneficia ecclesiastica, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

CAPUT XXIII

In quo ex Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis, qui Nono Christi Sæculo *floruerunt, & præsertìm ex* Frothario *Tullensi: ex* Lupo *Ferrariensi: ex* S. Eulogio *Cordubensi, & ex* Hincmaro *Remensi: nècnon ex variis eventibus illorum temporum, probatur libertas Ecclesiæ in conferendo Ecclesiastica Beneficia, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis.*

SUMMARIUM.

1 Frotharius *monachus extraneus ab Ecclesiâ Tullensi, in eâ beneficium Episcopale suscepit. Scribit* Hilduino *duorum cœnobiorum Præsuli.*
2 *In eâ epistolâ Frotharius loquitur de beneficio Diœcesis Tullensis, quod contulerat viro Hispano, & nùnc offert pensionem illius uxori.*
3 *Clerici Hispani olim habebant Uxores. Non sunt deterioris conditionis clerici Hispani, quam laici ejusdem nationis, pro adipiscendis beneficiis.*
4 *In epistolâ ad Judithan Augustam dicit, quod ex duobus electis Senonensibus, utrumque refutaverat Imperator, qui licentiam dederat electionis faciendę.*
5 *Nicolaus PP. I. videns, quod animum crebrò extranei eligebantur, ut penè in nullum indigenam electio caderet, id improbat.*
6 *Sequitur epistola Nicolai PP. ad Carolum Calvum, addens non esse probabile, quod in Metropoli Senonensi nullus esset ad Episcopatum idoneus.*
7 *Idipsum Papa scribit* Egiloni, *declarans nihil proficere assensum Comprovincialium Episcoporum, ad excludendos cunctos indigenas.*
8 *Egilone defuncto, duobus de gremio à Cęsare reprobatis, Senonenses extraneum elegerunt, nempè Ansegisum Bellovacensem.*
9 *Textus refertur epistolę Senonensium ad Episcopos Comprovinciales, de electione Ansegisi, deficiente ex propriâ Ecclesia electione.*
10 *Floruit ad hæc tempora* Lupus Ferrariensis: *Ecclesia S. Judochi à pluribus Imperatoribus data, & adempta est diversis viris.*
11 *Epistola ejusdem Lupi Ferrariensis ad Carolum Calvum pro recuperandâ præfatâ Ecclesiâ: memoratque indigentiam suorum fratrum.*
12 *Ex Carolo Magno, Ludovico Pio, Alcuino, & Lupo Ferrariensi, multiplex probatio emergit libertatis, de qua agimus.*

13 *Fragmina plurium epistolarum Lupi Ferrariensis afferuntur, ad diversos, quæ causæ extraneorum valdè proficiunt.*
14 *Ex epistolis Lupi præfati constat, quod suo tempore, tàm de jure, quàm de facto, erat, ut clerici extranei quoquè beneficiis præficerentur.*
15 *De Monacho, pluries ab uno ad aliud cœnobium transgresso, ac de quo deceptus sinistrè priùs locutus fuerat, testatur esse dignum Præsulatu.*
16 *Monachatus est beneficium, curritque analogia intèr clericos, & monachos, quoad effectum, de quo hìc agitur.*
17 S. Eulogius *Cordubensis, electus Archiepiscopus Toleti, tametsi extraneus, illarum partium Episcopis ejus electioni suffragantibus.*
18 *Verba historica S. Eulogi referuntur, de pluribus martyribus, ab eo scripta, qui extrà patriam beneficia fuerant assecuti.*
19 *Prosequitur sermo ejusdem S. Eulogii de aliis ejusdem qualitatis SS. Martyribus.*
20 *Tàm subtilitèr S. Eulogio describente patriam præfatorum Martyrum, & beneficia per eos retenta; quid indè inferatur?*
21 *Sine injuriâ S. Eulogii, & Martyrum, quos ipse memorat, negari non potest clericis extraneis accessus ad beneficia.*
22 Hincmarus *Remensis & factis, & scriptis, profuit admissioni extraneorum. Parochia interdum significat* Diœcesim, & Diœcesis Provinciam.
23 *Ex verbis Hincmari constat, esse non de præcepto, sed de consilio electionem indigenæ: monet Regem, ut liberam sinat electionem.*
24 *Rege insistente ut consecraretur Odoacerâ Bellovacensibus electus, Hincmarus obstitit, & libertatem Ecclesiæ Regi scribens tutatus est.*
25 *Sequitur textus epistolæ Hincmari ad Regem: Episcopi comprovinciales refutatis quatuor indigenis, Odonem extraneum præfecerunt.*
26 *Hincmarus sesecit Remensi Clero aggregare, & Vulfadum Longoniensem, ac Ebbonem Gratianopolitanum, ut extraneos exclusit.*
27 *Ficta, & dolosa fuit insertio Hincmari intèr Clericos Remenses paulò ante suam electionem: nec ista fuit observantia canonum, sed eorum ludificatio.*
28 *Assensus sui Prælati non fecit Hincmarum de extraneo indigenam, sed eum absolvit à pœnis, quas incurrisset, si invito ipso Præsule discessisset.*
29 *In Concilio Ephesino accusatus est Nestorius, quod extraneorum Clericorum operâ uteretur. Concilia vetant ordinationem alieni Clerici.*
30 *Dicitur* Cessio, *seù* missio *licentia data Clerico eundi ad aliam Diœcesim, ibique permanendi, quæ prodest ad beneficia consequenda.*
31 *Clericis, beneficio residentiali carentibus, non potest Episcopus negare facultatem alibi eundi, & beneficia suscipiendi: quid operetur dicta facultas?*
32 *Hincmari simulata aggregatio ad Clerum Remensem nil profuit, nec potuisset etiam fieri in præjudicium nativorum.*
33 *Paritèr Hincmarus improbavit Vulsadum Lingoniensem, & Ebbonem Gratianopolitanum, non quod essent extranei, sed quod illegitimè promoti.*
34 Vvilebertus *Catalaunensis examinatus de patriâ, ordinibus, professione, nihil tamèn ei objectum est, quod esset extraprovincialis.*
35 *Sequitur series ejusdem examinis. Vvilebertus erat Turonensis: extraneitas tamèn nihil ei obfuit pro Episcopatu assequendo.*
36 *Igitur post beneficia in pluribus diœcesibus obtenta, etiam Episcopale extrà patriam, & ex eventibus Vvileberti deducitur libertas Ecclesiæ in præficiendo beneficiis, non tàm indigenas, quàm extraneos.*

IN-

1. INTER Patres, vel Scriptores ecclesiasticos, qui nono Christi seculo floruerunt emicavit *Frotharius Episcopus Tullensis* 29. in ordine Præsul illius Ecclesiæ, qui Drogoni Metensi de sè scribens, *Est prętereà alia vestrę dominationis Cella, sita in Vvarengissi villâ, quam etiam monachi sine meâ licentiâ inhabitare noscuntur, sed quia intèr eos mè constat adolevisse, in cœnobio videlicèt Gorzensi, hæc utcumque mea parvitas tolerat* (*a*); Ostendit se professione fuisse monachum cœnobii Gorzensis, & consequentèr ad sedem Tullensem, dùm ab illâ esset extraneus pervenisse: Adeoque suo facto causę extraneorum optimè favet. Sed pretèr facta, illius quoque scripta attendamus. Epistolam dedit præ cęteris notabilem ad *Hilduinum*, tunc magni nominis Abbatem S. Dionysii prope Parisios, Ludovici Pii, & posteà etiam Caroli Calvi Imperatorum, Archicapellanum, duarum Abbatiarum prelaturâ conspicuum (*b*), quem Eugenius Papa II. in pretio habuit, eique reliquias S. Sebastiani, Svessioni in Basilicâ S. Medardi collocandas, concessit (*c*). Qui demùm ab altero saltèm duorum locorum, in quibus Abbatialia beneficia possidebat, proculdubiò erat extraneus.

(a) *Frothar. Tull. ep. 10. ap. Duchesne histor. Franc. to. 2. f. 716.*

(b) *Flodoard. histor. Rem. l. 3. c. 1. & c. 24.*

(c) *Sigebert. Chronogr. an. 835.*

2. Ad hunc inquam Hilduinum Frotharius Tullensis scripsit, *Dominus Imperator suggestione meâ quandam villam Basilicæ S. Apri reddidit, quam Pipinus Avus ipsius eidem donavit. Hanc verò per beneficium nostrum quidam Hispanus, nomine Joseph, hactenus tenuit, eamque dùm adhuc viveret desertam fecit, & ad nihilum deduxit, & ipsius loci servientes opprimendo destruxit. Ipse autèm nunc de hac vitâ migravit, & residua est illi conjux ipsius, cum filio parvulo, qui sunt ex familia Domini Imperatoris: sed & ipsi causa charitatis, & dilectionis, vel per eleemosynam Domini de eodem beneficio decem mansos, & vineam, quadraginta modios vini ferè valentem, dare volui; reliquos verò viginti mansos, ad opus fratrum prædictæ Ecclesiæ restituere curavi. Prædicta autèm mulier datum meum despexit, & nunc ad Palatium veniens, totum ipsum beneficium furtim, & absque nostrâ nititur prçripere voluntate: vestra verò prudentia id agere nunc secundum pristinæ pietatis consuetudinem dignetur, ut prędictę res in possessione S. Apri permaneant, & ipsorum fratrum usibus debita victualia prębeant &c.* (*d*).

(d) *Frothar. Tullens. ep. 14. loc. cit.*

3. Erant fratres S. Apri, monachi cœnobii, à nomine illius sancti nuncupati, quod propè Tullum erectum est (*e*), ad eos pertinebat beneficium, de quo Frotharius effatur, illudque usque tunc possederat *Joseph Hispanus*; qui si erat Clericus, uxori alligatus, quatenùs antiquis illis temporibus Clericis Hispanis mos fuit uxores habendi, ex prava introductione inhonesti Regis Vitizæ, quæ posteà sublata est tempore Alphonsi VII. itidem Regis (*f*); jam videmus hic Clericum Hispanum in Galliâ, vel Belgio *beneficium* ecclesiasticum possidere, à Frothario Episcopo ipsi collatum, scribente *per beneficium nostrum*, & illius uxori annuam, & quidem amplam, *pensionem* à Frothario ipso eidem delatam, nihil attento indigenatus, vel extraneitatis effectu. Si verò Joseph non erat Clericus, sed laicus, crescit vis rationis: nàm quemadmodùm fas fuit beneficium, de rebus Ecclesiæ compositum, in commendam vel aliter, quod judicare modo est difficile, laico toto cœlo extraneo dilargiri; sic imò & multò fortiùs Clerico extraneo concedi potuit: argumentum etenim deductum ab eo, quod multò fortiùs se habet, validum est, & in jure usitatissimum (*g*): nèc quisquam, nisi delirando asserere audebit, quod deterioris cònditionis esset, vel sit Clericus Hispanus, quam laicus illius nationis, prò adipiscendo in Galliâ Ecclesiasticum beneficium.

(e) *Saussai. in Martyrol. Gallic. die 15. Octobris.*

(f) *Forest. in Vitiza. Rè 32. & Alphons. 7. Rè. 60. Hispan. fol. 26. & 73.*

(g) *Curtius Jun. cons. 194. n. 14. vol. 3. Cephal cons. 332. n. 59. vol. 3. Barbos. tract. var. Loc. 75.*

4. Ipse idem Frotharius in aliâ epistolâ, quam Judithæ Imperatrici, uxori Ludovici Pii scripsit, nomine Ecclesiæ Senonensis, hæc habet: *Notum vobis esse credimus, quod nobis indignissimis à Domino Imperatore concessum fuerit, ut ex nobis ipsis electionem faciendi haberemus licentiam, sed cùm illum, quem scitis elegissemus, & à serenitate Domini Imperatoris non plenè fuisset receptus, permissum est nobis iterum, ut alium si potuissemus ex nobis huic officio congruum inveniremus. Sed cùm esset inventus*

ventus, ut credimus, in Dei, & vestro servitio habilis, nescimus ob quam causam à missis Dominicis, non est plenâ benevolentiâ susceptus. Undè vestram oramus benignitatem, ut ex hoc nobis in adjutorium esse dignemini, quatenùs causa suspendatur, donèc ipsum, de quo dicimus, ad præsentiam Domini Imperatoris, & vestram nos ipsi deducamus, & qualitèr jusseritis discutiatur, & probetur si nobis prodesse valeat, & in servitio vestro aptus esse possit, an minùs (a).

(a) *Frothar. Tullens. ep.17. loc.cit.*

5. Vacabat tunc beneficium Archiepiscopale Senonense per obitum *Egilonis*, qui ex monacho, & Abbate cœnobii S. Salvatoris Prumiensis, Diœcesis Treveriensis, consensu etiam Episcoporum Provinciæ Senonensis, ad Ecclesiam illam pervenerat (*b*), nihil attento indigenatus defectu, quem alias fuisse parvipensum Nicolaus I. Pontifex improbavit, non quià ritè, & rectè etiam Clerici extranei non possent ad beneficia Episcopalia promoveri, sed quia in illis partibus jam adeò frequentèr extranei eligebantur, ut penè nullus ex indigenis, sivè de gremio, eligi videretur. Quarè Nicolaus ipse Carolo Calvo tunc Regi scripsit: *Multum contristans, quià idèm Vener. vir, Egilo, non de ipsâ Ecclesiâ, sed de quodam monasterio fuisse perhibetur: denique cum erga Monachos eadem profectò regula, quæ circa Clericos, qui provehendi sunt, conservanda sit; indecorum est, quin potiùs illicitum est in aliena stipendia quemquam obrepere, & ex transverso venientem, in castra, intèr quæ non militavit, ducatum arripere: beatissimæ Apostolicæ sedis Præsule Cælestino præcipiente, atque dicente, tunc altèr de alterâ eligatur Ecclesiâ si de civitatis ipsius Clericis cui Episcopus est ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri.*

(b) *Tritbem. de vir. Monach. S. Bened. l.4. cap.71.*

6. Subindè addit: *primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesiâ, in quâ suam per omnia transegit ætatem: in aliena stipendia minimè altèr obrepat, nèc aliis debitam altèr audeat vindicare mercedem. In quibus verbis perspicacitas dilectionis vestræ prudentèr attendat, quoniam aut de Ecclesiæ Senonensis Clericis, qui ordinaretur nullus dignus inventus est, quod evenisse non credimus, maximè cùm sit Metropolis, & clericorum numerositate non careat: aut certè his jure minimè reprobatis, aliundè, qui eis irregularitèr præponeretur, electus est, qui aliorum fructus laborum comederet adinventus &c. Cùm ergò familiarius in regionibus vestris sit hec temeritas, & sacrorum supèr hoc canonum violatio dilatata, necesse est nostram sollicitudinem pro hac amputandâ specialius impendere diligentiam &c. Periculosum est enim, talitèr omnes Ecclesiæ ministros spernere, & eis improvisum, & non optatum præponere. Quod quia crebrò præsumptum esse nonnullis querimoniis ex hoc gementium didicimus, vos meritò diligentes, ut ad tantam transgressionem neminem impellatis, exposcimus* (c).

(c) *Nicol. I. epist. 54. ap. Sirmond. to.3. Conc. Gall. f.273.*

7. Hæc Nicolaus Papa Carolo Calvo Regi, qui & penè totidem verbis idipsum in suis ad Egilonem literis replicavit, adjungens, nihil prodesse, quod illius electionem Episcopi Senonicæ metropolis suffraganei comprobassent; cùm in hoc nimium frequentèr in illis partibus electiones Præsulum à sacris canonibus deviarent: *Quid*, inquit, *suffragatur consensus Episcoporum, ubi non prò regulis paternis, sed contra regulas adunatur*. Tum illi Archiepiscopalis pallii usum concedit (*d*). Totus est ergò hic Nicolaus, ut improbet, non electionem extraneorum ut sic, sed exuberantem illius frequentiam, & indigenarum usquequaque contemptum, ostendens talia dictasse, non ut ad solos indigenas electio coarctaretur, sed ut, aureâ mediocritate servatâ, tàm indigenæ, quàm extranei, pro temporum, locorum, & personarum qualitate, admitterentur, & extraneis præferrentur indigenæ, non absolutè, sed cęteris paribus, tunc scilicèt, cùm prudentia, mixta justitiæ doceret, potiùs indigenam, quam extraneum esse beneficio aliquo vacuo munerandum: & quod hic fuerit Papæ sensus, patet tùm ex ipsius tenore Epistolæ, tùm quia alioquìn Egilonis electionem non approbasset; nèc ei Pallium metropoliticum concessisset.

(d) *Nicol. I. ep.55. apud Sirmond. loc. cit. fol.274.*

8. Tametsi autem talia, tantoque spiritu Nicolaus Papa decreverit, nihilominùs cùm primò contigit ipsius sedis Senonensis, per obitum Egilonis, vacatio, Senonicę

nonicæ Ecclesiæ Clerici libertatem electionis ex se ipsis faciendæ, non habuerunt, nisi ex speciali indulto Caroli Calvi tunc Regis (*a*), unde patet, eandem non sibi debitam de jure fuisse, quippè *frustra precibus impetratur, quod à jure communi competit* (*b*), & cùm libertatem ipsam impetrassent, ac bis duos successivè diversos ex eorum gremio selegissent, Carolus utrumque refutavit: nèc quidquam eis profuit Judithæ Imperatricis præsidium implorare, literis ut suprà calamo Frotharii exaratis, qui & eorum nomine aliam epistolam scripsit consimilis dictaturæ Eginhardo Imperatoris familiari, consanguineo, & apud illum uberi existimatione pollenti (*c*), nàm hiscè omnibus non obstantibus, beneficium Archiepiscopale Senonensis metropoleos nulli ex præfatis electis de gremio contigit, sed *Ansegiso* Bellovacensi, Abbati S. Michaelis Laubiensis in Hannonia (*d*). Qui non debuisset ullo modo in Præsulem eligi, nèc potuisset Rex, pro eo quod ad ipsum spectabat, eidem Ansegiso extraneo favere, aut illius promotionem patrocinari, seù quomodolibèt habilem eum reddere, ut eligeretur, tametsi extraneus, in præjudicium indigenarum, ad quos, ut supponunt Contradictores, limitata sit provectio ad ecclesiastica beneficia.

9. En verba Cleri Senonensis ad Comprovinciales Episcopos illius metropolis. *Cum decreto electionis nostræ, manibus singulorum nostrorum roborato, ad paternitatem vestram accedentes, Ansegisum presbyterum Remorum diœcesios, Ecclesiæ autem Bellovacensium, atque Abbatem monasterii S. Michaelis, quem per licentiam vestram Patres venerandi, Domino etiam Christianissimo Rege Carolo annuente, secundum decreta Cœlestini Papæ, ex propria Ecclesia deficiente electione, pari consensu elegimus* (*e*). Deficiebat electio ex propria Ecclesia, non quia ibi deessent Clerici idonei, cùm teste Nicolao PP. I. in illa Ecclesiâ ampla non posset talis deficientia contingere, & jam duo de Clero ipso electi fuissent; sed quia Imperator illos excludebat. Ansegisus verò in Ecclesiis Senonensi, Bellovacensi, & S. Michaelis beneficia presbyterale, Abbatiale, & Archiepiscopale capessens, certè non semel, sed pluriès beneficiis ecclesiasticis potitus est, in locis, à quibus erat extraneus, & patriâ, & diœcesi, & provinciâ; ut hinc videas quantâ libertate tunc potuerint extranei nedum beneficiis præfici, verum etiam indigenis, pro eligentium arbitratu, præferri.

10. Magno quoque nomine per hæc tempora resonavit *Lupus Ferrariensis*, cœnobii Bethlemitici, sivè Ferrariæ, Diœcesis Senonensis, Abbas (*f*), cujus patriam dicitur fuisse Moguntiam. Ipse se necessitudine conjunctum affirmat cum Hilmerado, designato Episcopo Ambianensi (*g*), & neptem habuisse, Hildegario nuptui datam apud Parisios (*h*). Illum fuisse Episcopum legimus (*i*), sed de his utcumque res se habeat, certè ipse fuit famâ, & eruditione clarissimus, Ecclesiæ Gallicanæ ad Benedictum Papam III. Legatus (*l*), aliis tandem meritis, & benemerentiæ titulis cumulatus, floruit autèm anno Christi 850. Hic prò Ecclesiâ S. Judochi monasterio suo incorporandâ eximiè decertavit (*m*). Illam porrò Ecclesiam, quàm ipse vocat monasterium (*n*), ad ostium Cantii, inter Stapulam, & Montrolium urbes positam (*o*), Carolus magnus Imperator Alcuino, seù Albino Anglo concesserat, viro doctissimo, de quo supra, & quem Cæsar apud se, vel præceptoris, vel studiorum comitis loco habuit (*p*), cum onore, ut ex ejusdem Ecclesiæ bonis, eleemosynam, & subsidia peregrinis, & advenis exhiberet. Hanc eandem Ecclesiam Ludovicus Pius Imperator, Caroli filius, sub eodem onere monachis, & monasterio Ferrariensi Diœcesis Senonensis contribuit. Ast Lotharius paritèr Imperator, monachis sublatam, cuidam Rhuodingo tradidit, & rursùs Carolus Calvus, itidem Imperator, Rhuodingo adeptam Odulpho Comiti dedit (*q*). Lupus ergò, Abbatiæ Ferrariensis clavum tenens, apud Carolum ipsum prò præfatæ Ecclesiæ recuperatione orans institit, hæcque illi inter cætera scripsit.

11. *Plùs minusve quadriennium est, ex quo septuaginta duo monachi, quos ad eorum votum, electionemque mihi commisistis, quique indesinentèr, nobis in diver-*

sa

(a) *Frothar. Tullens. epist. 16. & 17. ap. Duchesne to. 2.*
(b) *Leg. 1. C. de Thesauris lib. 10.*
(c) *Frothar. ep. 16.*
(d) *Tritheim. l. 5. c. 56 Theatr. vet. hum. V. Episcopus in Archiepisc. Senonen. nu. 51.*
(e) *Cler. Senon. epist. ap. Sirmon. to. 3. Conc. Gall. f. 294.*
(f) *Papir. Masson. praef. ad ep. Lupi Ferrar. in to. 3. Bibl. Patr. & ap. Duchesne to. 2. fol. 720. & Lup. Ferrarien. ep. 29. & 41.*
(g) *Lup. Ferrariens. epist. 79.*
(h) *Idem ep. 119.*
(i) *Possev. Apparat. to. 2 in Lup. Ferrarien. Card. Baron. ann. 838. num. 7.*
(l) *Lup. Ferrar. ep. 65 & 103. Baron. ann. 855. n. 13.*
(m) *Lup. Ferrar. ep. 11. 42. 45. 61. 71. 88.*
(n) *Lup. Ferrar. epistol. 11.*
(o) *Papir. Masson. loc. cit.*
(p) *Baron. ann. 778. n. 14. 15.*
(q) *Lup. Ferrar. ep. 11. 42. 43. 44. 45. 55. 71*

sa occupatis, prò salute, ac prosperitate vestrâ excubant, proptèr abstractas facultates, patiuntur incredibilem vestimentorum, leguminum, & piscium indigentiam: & publica hospitalitas peregrinis, juxtà constitutionem priorum Regum exhibenda, intermissa est: famuli monasterii squallore torquentur, & frigore, nec possunt subvenire miseris &c. Intercedente gloriosa matre vestra, Serenissimus Pater vester Ludovicus Augustus, ad remedium animæ suæ, ac salutem posteritatis, supplementum hoc cœnobio nostro contulerat: nec tamèn cum id haberemus, noxiâ diffluebamus abundantiâ, ut in delitias intemperantèr solveremur; quià quæ regula concedit, integris facultatibus monasterii, vix poterant procurari: Nunc autèm longè pauciora consecuti, abstinemus inviti, algemus coacti: pueros, senes, atque infirmos proptèr inopiam non fovemus. In tantâ calamitate Patri, ac Matri vestræ quotidianas preces, & annuum officium persolvimus, quasi quod illi contulerunt possideamus &c. Instaurate illorum eleemosynam, ingenti periculo hactenùs intermissam, nec obliviscamini vestri &c. Consensu bonorum omnium justum est quod poscimus, possibile Regali potentiæ, necessarium nobis, utile non tàm nobis, quàm vobis; nos enim ex hoc beneficio temporalem consequemur usum, vos autèm, accedentibus aliis bonis, præmium sempiternum (*a*).

(a) *Lup. Ferr. ep. 46*

12. Tantâ efficaciâ Lupus apud Principem, monasterii cui præerat, causam egit, Cæsarem nonsemel adeundo, & literis pulsando, virosque Aulicos, & magis intimos, ac Regni Optimates, precibus, & obtestationibus fatigando, ut tandèm sui voti compos effectus sit (*b*). Ex hac autèm unicâ rerum narratione, multiceps argumentum, nobis favens emergit. Nàm primò Carolus magnus Imperator, rerum ecclesiasticarum peritissimus (*c*), Ecclesiam, & bona S. Judochi, in pago Pontino provinciæ Remensis in Picardiâ, Alcuino Anglo, Anglorumque Legato (*d*), concessit. Secundò Alcuinus ipse, doctrinâ paritèr celeberrimus, in Galliâ prorsùs extraneus; Ecclesiam ipsam suscepit. Tertiò Ludovicus Imperator, cognomento Pius, intercedente Judithâ ejus conjuge, monasterio præfato Ferrariensi, provinciæ, & Diœcesis Senononsis, quod in se proculdubiò rationem extraneitatis præferebat, Ecclesiam memoratam contribuit. Quartò Lupus Ferrariensis sępè dictam Ecclesiam cum ejus bonis repetiit, & cum esset extraneus, utpote patriâ, uti diximus Moguntinus, Abbatialia beneficia, tàm in monasterio Bethlemitico, sivè Ferrariensi, quàm in monasterio S. Judochi accipere non dubitavit. Quintò *consensus omnium bonorum* justum esse dixit, quod Ecclesia S. Judochi Ferrariensibus monachis redderetur. Quintuplex ergò adest nobis votum Patrum, Imperatorum, Doctorum, omniumque Bonorum, affirmantium liberum esse Dispensatoribus Ecclesiarum, sivè beneficiorum ecclesiasticorum, hæc eadem etiam viris extraneis elargiri.

(b) *Lup. Ferrar. ep. 62. & ep. 88. Baron. ann. 846. à n. 9. ad 16.*
(c) *Baron. an. 878. à n. 15. ad 20.*
(d) *Baron. loc. cit.*

13. Ipsum Lupum aliquandò etiâm cœnobio S. Amandi præfuisse satis liquet ex eo quod, libentèr illius curam se deponere profitetur (*e*), memorat quoque S. Aldricum, & de ipso dicit *Aldricus Cæsaris jussu, & mirabili bonorum annisu nobis cum esset Abbas ablatus, & Ecclesiæ Senonicæ Pontifex factus est* (*f*). Scribens paritèr Marcuvardo Abbati Prumiensi hæc effatur: *ut quoniam de loco nostro sitis, à quo vos corpore duntaxat ecclesiastica utilitas abduxerit &c.* (*g*), ostendens his verbis, quod Marcuardus cum anteà cœnnobii Ferrariensis Senonicæ Diœceseos in Galliâ esset alumnus, Abbatiale beneficium in monasterio Prumiensi, Diœcesis Trevirensis acceperat in Germaniâ. In epistolâ ad quendam Ludovicum virum clarissimum, hæc habet, *fama versatur inter nos, clericos Palatii diversorum cœnobiorum sibi dominium optare* (*h*). In aliâ quàm scribit nomine Guenilonis Episcopi, & Gherardi Comitis, ad Amulum Archiepiscopum Lugdunensem ait, *vestræ prudentiæ Dominus noster*, Rex, *nobis jussit suggerere, non esse novitium, aut temerarium, quod ex Palatio honorabilioribus maximè Ecclesiis procurat Antistites &c. Godelsadum etiàm, quem ex Palatio suo, more prædecessorum Regum majorum suorum, ut ante monstratum esse, Cabilonensi præficit Ecclesiæ, flagitat idem*

(e) *Lup. Ferr. ep. 38*
(f) *Lup. Ferr. ep. 19.*
(g) *Lup. Ferr. ep. 55.*
(h) *Lup. Ferr. ep. 35*

Rex,

Rex, in hac quadragesimâ non gravemini ordinare (*a*). (a) *Lup.Ferr.ep.81.*

14. Hæc autem omnia nonne luce meridianâ clarius ostendunt, & potuisse, & in usu fuisse, & tàm ut de jure, quàm ut de facto, Lupi Ferrariensis tempore, viguisse hanc disciplinam, ut clerici extranei modò Abbatialia, modò Episcopalia, modò majoris, modò minoris dignitatis beneficia consequerentur? *Quis hos viros canones ignorasse dicat, nisi priùs ipse desipiat* (*b*). Sed super omnes pretiosa est epistola ejusdem Lupi, quâ respondet Gherardo Comiti, ab eo fascitanti, quid sentiret de vitâ, moribus, & meritis cujusdam, qui ejusdem fuerat monachus, tuncque de illo, ad aliquod beneficium Episcopale promovendo, agebatur; Gherardo has diligentias adhibente, vel nomine Regis, vel cleri, & populi alicujus Ecclesiæ, quæ in monachum illum suum intuitum intendisset. Lupus ergò sincerè affirmat, eundem monachum de suo ad aliud cœnobium pertransisse, inde ad alias Diœceses migrasse, habitâ tamèn migrandi legitimâ facultate: inesse illi merita, & virtutes, quibus præesse possit, & prodesse, undè si eligi contingat in Antistitem alicujus Ecclesiæ (à quâ necessario fuisset extraneus, tamquàm qui de cœnobio ad cœnobium, & ad Diœcesi ad Diœcesim transitaverat) electionem censet futuram esse proficuam. (b) *Lup.Ferr.ep.19.*

15. En ejus verba: *quod diligentèr scrutamini, noveritis monachum, & discipulum meum non nunquam à nostro monasterio aufugisse, sed ad petitionem beatæ memoriæ Marcuuardi Abbatis ex Prumiâ haud perperam à nobis eum honestè directum, & cum illo aliquandiù conversatum, quorundam invidiosorum vitasse insidias, & indè discendi studio, & quietis amore in urbe Lugdunensium constitisse: reverentissimis autèm viris Remigio memoratæ urbis metropolitano, & H. Gratianopolitano instantèr postulantibus, & conversationem memorati fratris laudantibus, quanquam olim meam verbis habuisset licentiam, etiàm regulares literas accepisse, quæ prolatæ, quid de eo sentiam fide i relatione fatebuntur. Literas etiàm eum ecclesiasticas habere à venerabili fratre nostro G. certi sinè sci, nec impedire aliquid, si Deus eum vocat, quo justè ejus infirmari possit electio. Benè apud nos conversatus est, quo plurimùm indiget Ecclesia. Idoneus est ad docendum. Regalibus, & Pontificalibus fultus est epistolis, progenitorum nobilitate ornatur. In secundò proposito judicio prædictorum Antistitum, intèr quos degit, devotè perducat. Quid restat nisi, ut quod Sanctis Præsulibus Deus inspiraverit, fiat? Quid autèm mirum si aliquandò asperiùs aliquid super eo locutus sum? Illud culpa fuit inimicorum ejus, impudentèr falsa vulgantium. Istud, quod nunc literis alligo, meum est judicium, constantèr prima visa, & posteà comperta narrantis* (*c*). (c) *Lup.Ferr.ep.120*

16. Non semel diximus, quod monachi sunt totidem beneficiati (*d*), habent enim de fructibus bonorum Ecclesiæ portionem, eorum victui, vestitui, & congruo usui necessariam; & quamvis hoc beneficium non detur eis in titulum, datur tamèn ad vitam perpetuò possidendum: hinc qui hujus est capax, ad alterum quoquè idoneus reputatur, certeque intèr monachos, & beneficiarios talis intercedit proportio, ut ab uno eorum ad aliud ritè possit argumentum deduci, quod à simuli ad simile repetitur, jamque paulò suprà à Nicolao PP. I. audivimus, eandem regulam tenendam esse de clericis, ac de monachis (*e*), & certè à monasticis officiis, & beneficiis, ad cætera Ecclesiæ beneficia crebrò in eorum scriptis argumentum ducunt Contradictores. Quarè monachus ille priùs beneficio monachali donatus in cœnobio Ferrariensi apud Gallos, deindè transvectus ad aliud percipiendum in monasterio Prumiensi apud Germanos: postcà ad Clerum Lugdunensis Ecclesiæ traductus, ubi vel habebat, vel habere poterat ecclesiasticum beneficium, (ut enim ibi consisteret, regulares, sivè dimissorias literas obtinuerat) demùm pronunciatus habilis, & sufficiens, qui ad aliquod beneficium Episcopale suscipiendum eligeretur; profectò multiformitèr Lupi Ferrariensis ore conclamat, ritè, & rectè sè potuisse beneficiis ecclesiasticis insigniri semèl bis, & tertiò in locis, à quibus erat extraneus: adeòque Ecclesiam hâc libertate potiri, beneficia ecclesiastica, non modò

(d) *Thomassin vet. & novo Eccles. discipl p. 1. l. 3. c. 13. nu. 1. Barbos. jur. Eccles. Univ. l. 3. c. 4. n. 66.*

(e) *Barbos. tract. var. Loc. 101. cum aliis ab eo cit. Vid. in hoc cap supr. nu. 5.*

modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiendi.

17. Gloriosus fuit in terris doctrinâ, & virtutibus multis hoc eodem Nono Sæculo *S. Eulogius Cordubensis*, qui tyrannidem exercentibus Arabibus in Hispaniâ, Cordubæ senatorio genere natus, in eâ Ecclesiâ clericatum, subindèque Diaconatum, & Presbyteratum sortitus est, ac magisterii munus prò cæteris edocendis (*a*). Romam quandoquè pergere designavit (*b*): posteà in Galliam profectus est, suamque manu propriâ peregrinationem conscripsit (*c*). In Hispaniam demùm reversus, *post divæ memoriæ Vvistremiri Toletanæ sedis Episcopi, in eandem sedem ab omnibus comprovincialibus, & confinitimis Episcopis electus, & dignus est habitus, & prò relatu omnium comprobatus. Sed dispositio divina, quæ eum sibi ad martyrium reservabat, quibusdam repagulis obviavit. Cumque jàm ipsa communis electio eum sibi consecrari in episcopio adclamaret, rerum obviantium adversitate impediti, alium sibi eo vivente interdixerunt eligere. Qui licèt arguisè frustraretur ab ordine, tamèn non est privatus ejusdem ordinis munere. Siquidem Episcopatum cœlestem adeptus est, dùm per martyrii gloriam Christo conjunctus est* (*d*). Itaquè S. Eulogius, Cordubæ ortus in Hispaniâ Bætica, ad beneficium Archiepiscopale urbis Toleti in Hispaniâ Tarraconensi promotus est, à quo erat per 150. milliaria, sivè per 50. leucas extraneus (*e*), cunctis comprovincialibus, & confinitimis Episcopis, adeoque totâ penè Hispanicâ Ecclesiâ, illius electioni suffragantibus, & per consequens inclamantibus, ritè, & rectè posse clericum extraneum ad ecclesiastica provehi beneficia.

(a) *Alvar. Cordub. in Vit. S. Eulog. cap. 2. & 3. ap. Sur. to. 2. die 13 Martii.*
(b) *Idem c. 3.*
(c) *S. Eulog. epist. ad Vvistrem. ad Episcopũ Pampilon. in t. 9. Bibl. Patr. f. 693.*
(d) *Alvar. Cordub. loc. cit. cap. 10.*
(e) *Philipp. Ferrar. Lexic. Geogr. V. Cardube, & V. Toletum.*

18. Sed percurramus historiam martyrum Cordubensium, quàm ipse D. Eulogius scripsit (*f*), & videamus, an facta dictis concordent, consonentque illius gestis ea, quæ calamo lineavit. Porrò de quibusdam ex præfatis martyribus ità loquitur. E quibus *Petrus Sacerdos urbe Astegitanâ progenitus, & S. Vvalabonsus Diaconus ab Elephensi civitate exortus &c. Cordubam studio meditandi adeuntes, liberalibus disciplinis traditi sunt. Sed Deo fautore, scientiâ, & doctrinâ scripturarum pollentes, sub Frugello Abbate monasterio sanctæ, & gloriosæ Virginis Mariæ præficiuntur, quod in vico Cateclara, non longè ab urbe, à parte occidentali præclaro ancillarum Dei proposito enitescit. Sanctus quoquè Sabinianus, vico Froniano montanæ Cordubensis, jàm plenæ juventutis monachus ortus: & Vvistremundus ex Astigiâ adolescens strenuus, è cœnobio S. Zoili Armilarensi, quo dudum sub regulâ, vel Abbate se dederunt: unus à tempore longè in castris Domini militans: Vvistremundus verò nupèr in idem cœnobium conferens, ad Martyrium ambo discurrunt* (*g*).

(f) *Baron. ann. 850 num. 1.*
(g) *S. Eulog. Cordub. Memoriæ Sanctor. l. 2. c. 1. in Bibl. vet. Patrũ to. 9. p. 1. f. 659.*

19. Prosequitur de *S. Gumesindo*, & inquit, eum fuisse patriâ Toletanum, qui Cordubam pergens, ibi Clericatum, Diaconatum, & Presbyteratum accepit, & cuidam Ecclesiæ Campaniæ Cordubensis præfectus est (*h*), nempè sitæ in planitiæ agri illius Urbis, qui nunc dicitur Campienna (*i*). Addit de *S. Leovigildo*, quod Eliberi progenitus monachatum professus erat in cœnobio SS. Justi, & Pastoris, posito in inferiori montana Cordubensi, loco, qui dicitur Eraga (*l*), notat & de *SS. Rogellio*, & *Servio-Deo*, quod primus itidem monachus, & Eliberi progenitus è vico qui dicitur Parapanda, secundus ex Orientis partibus, Cordubam moraturi pervenerant (*m*). Pergit, & memorat Sanctum *Fandilam*, dicens, quod ex Urbe Accitana, nunc Guadix in Regno Granatæ, progenitus, Cordubam discendi gratiâ se contulit, subindeque in Monasterio Fabanensi monachatui operam dedit, à quo posteà ad monasterium S. Salvatoris Pinnæ Mellariæ perrexit (*n*); subjungit de *S. Felice* monacho, quod ex Oppido Complutensi progenitus, natione Getulus, ex Africâ, in Asturias progressus, ibi monasticæ professioni totus incubuit (*o*).

(h) *Idem l. 2. c. 9.*
(i) *Ambros. Morales in Scholiis ad d. cap. 9. num. 2.*
(l) *S. Eulog. ubi sup. l. 2. c. 11. n. 2.*
(m) *Idem cap. 13.*
(n) *S. Eulog. Memorial. Sanctor. l. 3. c. 7. & ibi Ambros. Morales in Scholiis.*
(o) *S. Eulog. loc. cit. l. 3. c. 8. & ibi Morales.*

20. Hoc modo Sanctorum hujusmodi Martyrum, & patriam, & professionem S. Eulogius calamo discurrente distinguit, ut appareat eos, è diversis Urbibus, & provinciis prodeuntes, beneficia monachalia, parochialia, & præfectu-

ras

ras Ecclesiasticas tenuisse, Getulos, Orientales, Africanos, in Hispaniâ, extraprovinciales in provinciâ Cordubensi; extradioecesanos demùm in illius Urbis, & Dioecesis Ecclesiis, ac Monasteriis. Quis credat autèm S. Eulogium hæc memorantem, sibi persuasisse, quod gloriæ sanctorum illornm Martyrum detraheret, ipsorum extraneitatem adeò subtili calamo describendo? Non enim eos commendasse videbitur, in sensu Contradictorum, neque uti viros sanctos encomiis celebrasse, sed potiùs improbasse, ac velut viros impios inclamasse, quod cum essent Cordubæ extranei, parvipenso indigenatus defectu, contra jus divinum, naturale, & humanum ibi ausi sint beneficia sacra adipisci.

21. Nè ergò Sanctos istos Martyres in totidem viros impios vertamus; nè Sanctum Eulogium ex encomiaste in detractorem configuremus ipsorum Sanctorum Martyrum; ne tandem eundem Sanctum Eulogium, intèr Coelites per totam Ecclesiam veneratum, non virum Sanctum, sed nebulonem fuisse dicamus, qui adversùs præfata jura, beneficium Archiepiscopale in Metropoli Toletanâ suscepit, à quâ erat extraneus; oportet necessariâ locutione concludere, quod currente nono Christi sæculo, in Hispaniâ, & in universâ Christianitate florebat hæc persuasio, Sanctam Dei Ecclesiam integrâ libertate potiri, suas præbendas quibuslibet impertiendi, nudecumque natis eas tradendi; meritumque, non nativum aerem, idoneos facere clericos, quibus beneficia ecclesiastica conferantur. A quâ libertate cum nunquàm deciderit Ecclesia, & nec imò cadere potuerit, uti sibi connaturali, & coevâ; restat ut etiàm nunc, non minùs ac tùnc, eâdem perfruatur, adeoquè verissimum, & ineluctabile sit, quod liberum, & licitum est Ecclesiæ beneficia sua, tùm clericis extraneis, tùm indigenis, elargiri.

22. Hæc ipsa tempora, quæ percurrimus, celebria fuerunt, tàm doctrinâ, quàm gestis *Hincmari* Remensis, qui fuit natione Gallus, provinciæ ecclesiasticæ Senonensis, vel Belgicæ, professione monachus coenobii S. Dionysii (*a*), nècnon Abbas monasterii S. Germani dioecesis Parisiensis (*b*), ac Archiepiscopus Remensium, vir magni nominis, eâ doctrinâ percelebris, quâ Gallos omnes Episcopos suę etatis facilè superavit (*c*), floruit autèm anno Christi 845. Hic Ecclesiam Remensem, quæ per Ebbonis exauctorationem vacabat, adeptus est, proùt superiùs aliâ occasione locuti sumus (*d*), licèt ipse, tamquam Monachus S. Dionysii, & Abbas S. Germani, à provinciâ Senonensi prodiret, remotus ab urbe Remorum, quę metropolis est provincię Belgicæ secundę, sicque ab alterutrâ ex his Ecclesiis, & provinciis, esset extraneus. Quam ejus promotionem ad Episcopale decus, ritè, & rectè factam fuisse in Concilio Svessionensi II. doctum est, & Patres Concilii Trecassini Nicolao I. Pontifici contestati sunt (*e*), eique favisse Regem, Episcopos Provinciales, & Clerum, atque Populum Remensem, ipsamet Concilia demonstrant (*f*). Quod autèm Hincmarus proprii facti executione docuit, suę quoquè doctrinę themate comprobavit, nàm dans formam, in Antistitis electione servandam, hęc electoribus aliquandò pręscripsit, in epistolâ ad Clerum, & plebem Bellovacensem: *De Ecclesiâ vestrâ, sive sit in civitate, sive in monasteriis, his disciplinis institutum, & itâ Apostolicę formæ convenientem, dè diaconibus, vel presbyteris, eligatis vobis, auctore, & fautore Domino, consecrandum Episcopum &c. Et si, quod absit, de civitatis, ac parochiæ vestrę civium ordinandus Episcopus, Clericis, nullus dignus, vel idoneus summo Sacerdotio, quod evenire non credimus, poteris inveniri, tùnc alter de altera dioecesos nostrę Ecclesiâ &c. eligere procurate &c. si etiàm de alterius dioecesi Archiepiscopi, vel parochiâ Episcopi quemquam vobis notum, proficuum, & utilem eligere malveritis, necesse vobis erit cum beneplacito illius Episcopi, cujus intererit, & literis canonicis petitum obtinere* (*g*). Notetur, quod territorium Episcopalis jurisdictionis, dictum communitèr *Dioecesis*, olìm vocabatur Parochia, & dioecesis tunc significabat *provinciam*, seù territorium Archiepiscopalis jurisdictionis (*h*).

23. Ex Hincmari ergò doctrinâ suadentur, & commonentur electores, ut ali-

(a) *Card. Baron. ann. 845. n. 13 vid. hic suprà c. 21 n. 26.*

(b) *Natal. ab Alex. histor sæc 9. in Hincmar Remens.*

(c) *Baron. ann. 867. n. 42 & an. 882. n. 2.*

(d) *Vid. hic supr. sæc. 9. c. 20. n. 26.*

(e) *Conc. Trecens. an. 867. & Suessionen. 2. ann. 853 c. 3. Sirmond. to. 3. Conc. Gall fol. 84. & 353.*

(f) *Vid. dict. Concil. Suession & Trecens.*

(g) *Hincm. Remens. Formul. 4. ap. Sirmond. to. 2. Conc. Gall. f. 641.*

(h) *Glos. in c. 1. V. parochia. de temp. ordin in 6.*

quem indigenam, sivè diœcesanum diaconum, vel presbyterum, de Clero sæculari, vel regulari, ad beneficium Episcopale eligant; sin minùs eligant aliquem de eadem provinciâ, sed tamèn si *mallent* ex aliquâ externâ diœcesi, vel provinciâ virum alterum bene cognitum sibi præficere, quamquàm in sua diœcesi, vel provinciâ incredibile esset, quod idoneus ad Episcopale munus deesset (a), poterant prò eorum libito, sivè, si *mallent*, quod totale arbitrium resonat (b), extraneum promovere, modò eligendus esset illis notus, utilis, ac proficuus, & Præsulis illius, cui vir idem eligendus suberat, assensio non deesset. Ità non de præcepto, sed de mero consilio, tunc etiàm erat, ut eligeretur indigena. De facto Bellovacenses, de quibus sermo est ex Hincmaro, elegerunt sibi in Antistitem *Framoldum*, quem quià insipientem, & improbum; Episcopi Comprovinciales reprobarunt: & *Odonem* extraneum illis in Antistitem deputarunt, implorantes Ludovici III. Franciæ Regis auctoritatem, ut eis liberum esset undecumque Episcopum deligere. Sic enìm de hac re Hincmarus scripsit ad Regem: Bellovacenses &c. *Framoldum quendam elegerunt, & rejecto illo proptèr insipientiam, & improbitatem, Odo ex vicinâ paræciâ ibidem cum decreto canonico fuis electus &c., sicut sacræ leges, & regulæ præcipiunt, Archiepiscopis, & Episcopis conlimitanearum diœceseon electionem concedere dignemini, ut undecumquè, secundùm formam regularem electionis Episcopi, talem eligant, qui & Sanctæ Ecclesiæ utilis, & Regno proficuus, & vobis fidelis, & devotus cooperator existat* (c).

(a) *Nicol. I. PP. ep. 34 ad Carol. Calv. ap. Sirmond. to. 3 Concil. Gall. f. 373.*

(b) *Vid. Barbos. tract. var. dictio. 436. n. 1.*

(c) *Hincmar. Rem. ep. ad Ludov. III. c. 1. in opusc. Hincmar. f. 601. & in to. 16. Bibl. Patr. fol. 603.*

24\. Obsistebant hujusmodi Odonis electioni Bellovacenses, & auditâ reprobatione Framoldi, alios in ejus locum successivè delegerunt, *Rodulphum*, *Honoratum*, & *Odoacrum*, quos omnes, Comprovinciales Episcopi repulerunt, eo quod per electionem Framoldi insipientis, & improbi, Bellovacenses ipsi ab eligendi jure decidissent, & electio jàm esset ad Comprovinciales Episcopos devoluta. Regi ergò insistenti, ut Odoacer uniformibus votis electus, consecraretur, Hincmarus obstitit, ipsum commonendo, ut ab hujusmodi consilio desisteret, nè censuris una cum Odoacro ipso involueretur (d), nec cogitaret, ipsi licere potestatem Antistitum coarctare, itàut nullus, nisi quem vellet Rex pręfici posset Ecclesiis, quippè divinæ, ac humanæ leges Ecclesiæ libertati favebant, solusque Infernus contrariam opinionem suadens, Regium animum decipiebat. Sciret quod Bellovacenses, per primam viri indigni electionem, ab eligendi jure deciderant, jàmque ad Comprovinciales Episcopos jure devoluto, ad eos pertinere per canonicam electionem novum Antistitem Bellovacensi Ecclesiæ præficere: *si quod*, ait, *à quibusdam dicitur, ut audivi, quandò petisam apud vos electionem conceditis, illum debent Episcopi, & Clerus, ac plebs eligere, quem vos vultis, & quem jubetis (quæ non est divinæ legis electio, sed humanæ potestatis extorsio) si ità est, ut dici à quibusdam audivi, ille malignus spiritus, qui per serpentem primos parentes nostros in Paradiso decepit, & indè eos ejecit, per tales adulatores in aures vestras hæc sibilat; quià hoc in scripturis tàm veteris; quàm novi testamenti non continetur, neque in Catholicorum dictis, vel sacris canonibus, nec etiàm in legibus à Christianis Imperatoribus, & Regibus promulgatis, hoc scriptum, vel decretum invenitur, sed talia dicta Infernus evomuit* (e).

(d) *Hincm. Remens. loc. cit. c. 8.*

(e) *Hincmar. Remens. loc. cit. c. 3.*

25\. Et post quędam interjecta, prosequitur. *Quod scripsistis, vota omnium, qui commorantur in Bellovacensi Ecclesiâ in Odoacrum concordari, non est mirum si stulti, & improbi, ac cupiditate cæcati totiès talitèr agunt, non correcti de relectione pravæ suæ electionis in Framoldum, & reprobato Rodulpho, & à se electo Honorato, sacro Episcopali ordini adhùc fidei doctrinâ incongruo, perdiderunt electionem, sicut ostensum est illis in Synodo, & per sacras regulas, non alteriùs, sed Episcoporum esse electionem, quàm non præire, sed subsequi, & non se ab ea debuere excidere: & nunc contrà regulas, & leges sinè visitatione præsumpserunt electionem* (f). Itàque, & Framoldo, & Rodulpho, & Honorato, & Odoacre repulsis, licèt indigenis, & in quos Bellovacensium vota convenerant, ab Episcopis

(f) *Idem loc. cit. c. 6*

pis Comprovincialibus fuit Bellovacensi Ecclesię prępositus Odo *ex vicinâ paræciâ*, extraneus, & alienigena; Episcopique, ac eorum nomine Hincmarus cum Rege contenderunt, licere *undecumquè*, *secundùm formam regularis electionis*, promovendum eligere. Igitùr ex doctrinâ Hincmari patet, quod in libertate eligentium ad beneficia stat eligere indigenam, vel extraneum, & dijudicare an magis expediat eligere extraneum, an indigenam, hocque est illud, quod nostra opinio præsefert, in eligentium, sivè in conferentium, seù ad beneficia præsentantium, stare arbitrio, prudentiâ regulato, beneficia, vel indigenis, vel extraneis impertiendi.

26. Nec quoàd provectionem Hincmari dicatur, ipsum non fuisse extraneum in Ecclesiâ Remensi, quià antequàm eligeretur, fuit illius Ecclesiæ Clero conscriptus (*a*), *undè à Clero* (afferunt Patres Tricassini,) *& populo ipsius metropolis Remorum, sed & ab Episcopis ipsius provinciæ petitus, sicut petitio eorundem manibus subscripta declarat, & ab Archiepiscopo tunc suo Senonensi, & proprio Episcopo Parisiorum, necnon & ab Episcopis aliis Senonensis provinciæ, cum consensu Abbatis sui, & fratrum monasterii, in quo degebat, favente etiàm Domino Carolo Rege glorioso, Episcopis Remensis provinciæ, & Clero, ac plebe ipsius metropolis per canonicas literas, ipsorum subscriptas manibus, frater Hincmarus est traditus* (*b*). Non potuisset Abbas, cui suberat Hincmarus, eidem prò discessu licentiam denegare: nàm Superior Religiosi, cessante gravi causâ, non potest ei denegare licentiam consentiendi suæ electioni, sivè necessitas, sivè utilitas ipsi electioni det causam (*c*). Quod quidem S. Gregorius decrevit prò monachis, ne Abbas negaret discessum illi, qui esset opportunus ad regendum aliud monasterium (*d*). Ex identitate autèm rationis idipsum sensisse videtur prò electis ad ministerium Episcopale. Sicut & nec dicatur, quod Hincmarus fuerit propugnator, & vindex fortissimus electionum de gremio Ecclesiæ viduatæ faciendarum, adeòut & Valfado Lingoniensi (*e*), & Ebboni Gratianopolitano (*f*), extrà gremium electis, validissimè obstiterit, & adversùs eos altis ejulatibus conclamaverit.

27. Non, inquam, hæc obstant, quia quoàd insertionem Hincmari in Clero Remensi, hæc non fuit observantia, sed ludificatio sacrorum canonum: fictâ quippè, & fucatâ calliditate paulò antè suam electionem se fecit Hincmarus Clero, seu Canonicis Remensibus aggregare, prorsùsque *flexuosus*, inquit Thomassinus, *iter erat circuitus, ut in speciem saltèm reverentia qualiscumque canonicis regulis haberetur. Nec enim bis scopus fuerat, non ea canonum mens, ut traducerentur uno temporis puncto unius Ecclesiæ Clerici in aliam, & mox ibi raperentur ad summæ culmen dignitatis. En collimant canones, ut Ecclesiarum regimen eis committatur, qui in eis ab adolescentiâ, stipendia fecerint, qui benè de ea diù meruerint, qui laboribus, sudoribusque suis excoluerint eam, & rigaverint, eoque jàm ii non sint, quibus externi hospites præponantur* (*g*). Simulato ergò animo, pompatice, & ad solam ostentationem Hincmarus fuit Remensibus Clericis subintrusus, & appictus potius quàm adscriptus, undè nullus ei verus titulus indigenatus ingestus est; *caduca enim sunt, quæcumque fucata*, ait S. Cyprianus.

28. Neque permissio proprii Antistitis, & Metropolitani reddidit Hincmarum de extraneo indigenam Ecclesiæ Remensis, sed solum eum absolvit ab illis pœnis, quas incurrisset, si relicto monasterio, & invito suo Præsule, cui obedientiam spoponderat, abscessisset. Hęc enim usquequàque in Ecclesiâ viguit disciplina, & viget adhùc, ut alienum Clericum nullus Episcopus sinè proprii Antistitis licentiâ audeat ordinare, vel apud sè accipere, ut ex multis canonibus suprà vidimus, quâ de rè etiam S. Leo ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, *Alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, & nemo sollicitet, nisi fortè ex placito charitatis id intèr dantem, accipientemque conveniat. Nàm gravis injurię reus est, qui de fratris Ecclesiâ id, quod est utilius, aut preciosius audet vel allicere, vel tenere* (*b*), & in epistolâ ad Nicetam Aquilejensem, *Illam quoquè partem ecclesiasticæ disciplinę,* quâ

(a) *Vid. Act. Concil. Trecens. [illegible] an. Lup. in Concil. Rom. ann. 1059.*

(b) *Epist. Synodica Concil. Tricassin. an. 867 ap. Sirmond. to. 3 Conc. Gall. f. 356.*

(c) *Barbos. in cap. quam sit necessa[illegible]*

(d) *S. Gregor. lib. 7. epist. 18.*

(e) *Hincm. Remens. in Conc. Suession. [illegible] 866 ap. Sirmond. [illegible] fol. 290.*

(f) *Hincm. Remens. de Prædest.*

(g) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 1. ep. 86. n. 16.*

(h) *S. Leo ep. 84. c. 9*

quâ olìm à sanctis Patribus, & à nobis sepè decretum est, ut nèc in presbyteratus gradu, nèc in diaconatus ordine, nèc in subsequenti officio Clericorum, ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revoces, admonemus. Et unusquisque, non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ibi, ubi ordinatus est perseveret; itàut, si quis sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem, & Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus (a).

29. Dè eadem rè Concilium Turonense I. ità decrevit; *Si quis Clericus, absque sui Episcopi permissu, derelictâ Ecclesiâ suâ, ad alium sè transferre voluerit locum, alienus à communione habeatur* (b). Et Concilium Arelatense I. *Presbyteri, & Diacones, si relictis locis suis, in quibus ordinati sunt, ad alium se locum transferre voluerint, deponantur* (c). Et Concilium Carthaginense III. *Alienum Clericum, nisi concedente ejus Episcopo, nemo audeat, vel retinere, vel promovere in Ecclesiâ sibi credita* (d), quarè in Concilio Ephesino, quibusdam monachis insistentibus, datum fuit culpæ Nestorio, quod *operâ uteretur Clericorum quorundam, ab externis parœciis, & diœcesibus accitorum, quibus tamèn secundum ecclesiasticos canones in alieno Episcopatu, vel Ecclesiâ degere non licet, sed iis solùm locis, & civitatibus, idque quiete, quibus ordinati sunt* (e). Nempè Nestorius Clericos ex sè acciverat nullo propriorum Episcoporum prestolato consensu, quod & prefati canones veteerunt, & paritèr interdixerunt Concilia Laodicenum (f), Taurinense (g), Andegavense (h), Valentinum (i), Veneticum (l), Cabilonense (m), Bracarense (n), Arausicanum I (o), Hispalense II (p), Aurelianense III (q), Arelatense V. (r), & alia, quæ licèt ut plurimum de solâ ordinatione loquantur, tamèn etiam in admissione ad beneficia locum habent, tùm ob identitatem rationis, tum quia ordinare in antiquis, nedùm promovere ad ordines significasse dicitur, sed etiam ad regendam Ecclesiam, vel titulum deputare. Quapropter voluerunt prefati canones, ut neque parochus, neque beneficiarius residentialis, neque Clericus, alicujus Ecclesiæ servitio deputatus, possit ad aliam Ecclesiam extradiœcesanam, sine proprii Episcopi auctoritate migrare. Quod nedùm in Clericis secularibus, sed etiam in Regularibus verificatur, non solum ex novis eorum constitutionibus, sed etiam ex antiquo jure, & presertìm Concilii Aurelianensis I. jubentis, *Abbatibus, Presbyteris, omnique Clero, vel in Religionis professione viventibus, sine discussione, vel commendatione Episcoporum prò petendis beneficiis ad Domnos venire non liceat* (s).

30. Attamèn si proprii Episcopi consensus accedat, seù *Cessio*, quę etiam *Missio* dici consuevit (t), tunc optimè potest Clericus exteaneus in alienâ Ecclesiâ, & ordines, & consequentèr etiam beneficia sacra suscipere. *Nullus*, inquit Concilium Aurelianense V. *Clericum, seù lectorem alienum sinè sui concessione Pontificis, vel promovere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vendicare* (u), & S. Gregorius in Epistolâ ad Januarium Calaritanum, *ab ordinatione alieni Clerici abstineat, nisi Pontificis sui cessionem solemni more meruerit* (x). Hoc autem sufficit ad nostrum intentum, & ut Contradictores omninò in causâ succumbant. Nàm vel Clericus extraneus possit beneficia consequi ex naturali ecclesiasticæ libertatis ratione, vel ex assensu, & permissione proprii Episcopi, hoc parum refert: tùm quià semper verum est, quod exteanei possunt beneficiis ecclesiasticis insigniri: tùm quià spectat ad Contradictores ostendere, quod quotiès beneficia exteaneis conferuntur, Episcopus Clerici extranei beneficium suscipientis, dissentiat, & nèc tacitum, neque expressum ei exibuerit consensum.

31. Tantò magis, quod Episcopus licèt possit facultatem Clericis denegare ordines alibi suscipiendi; licentiam tamèn aliò proficiscendi, & ibi beneficia ecclesiastica suscipiendi negare omninò non potest, per ea, quæ docet Nicolius in suis flosculis hac periodo; *Clerici, qui non habent beneficium residentiam requirens, non possunt ab Episcopo cogi permanere in Diœcesi, nequè eis dimissoriæ denegari, ut sæpiùs decrevit S. Episcoporum, & Regularium Congregatio, maximè quandò Episco-*

pus

(a) S. Leo epist. 26.
(b) Conc. Turon. 1. cap. 11.
(c) Concil. Arel. 1. cap. 22.
(d) Concil. Carthag. 3. cap. 21.
(e) Vid. Act. Concil. Ephes. 1 & Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 1. c. 2. n. 9.
(f) Conc. Laod. c. 42.
(g) Conc. Taurin. c. 7.
(h) Conc. Andegavensis c. 9.
(i) Concil. Valentin. cap. 6
(l) Concil. Venet. in Armor. c. 10.
(m) Concil. Cabilon. ann. 650. c. 13.
(n) Concil. Bracarens. c. 8.
(o) Conc. Arausic. 1. cap. 2.
(p) Conc. Hispal. 2. cap. 3.
(q) Conc. Aurel. 3. cap. 15.
(r) Conc. Arel. 5. c. 11
(s) Conc. Aurel. 1. c. 9
(t) S. Greg. l. 4. ep. 29 & alibi.
(u) Concil. Aurel. 5. cap. 5
(x) S. Greg. ep. 83.

pus eis providere, vel non vult, vel non potest (*a*) Quod cum antiquâ Ecclesiæ disciplinâ optimè consonare comperimus, perpendendo scripta D. Gregorij ad Cyprianum Diaconum, de vacante Ecclesiâ Syracusanâ, ob mortem Maximiani Episcopi: *nullus mihi in eâdem Ecclesiâ post Dominum Maximianum tàm dignus videtur, quàm Joannes Archidiaconus Catanensis Ecclesiæ &c. quod si factum fuerit, etiam frater, & Coepiscopus noster Leo* (nempè Episcopus Catanensis) *ei cessionem præstare debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri* (*b*): notetur, missionem, cessionem, seù consensum dandum esse, non ex gratiâ, vel ex arbitrio, sed ex debito: verbum etenim *debet*, necessitatem, & coarctationem importat (*c*), & sic si cum solo assensu proprii Episcopi, quem negare non potest, licitum est cuilibet beneficiorum collatori, vel ad ea nominatori, Clericum alienum beneficiis ornare, semper, ut diximus, verum est, Clericum extraneum licitè posse beneficiis Ecclesiasticis insigniri. Verum hujusmodi assensus, quantùm est in sè, non facit Clericum de extraneo indigenam, sed solum illas pœnas abscindit, quas incurreret Clericus, qui dimissâ propriâ Ecclesiâ, insalutato discederet hospite, & sinè assensu proprii Antistitis, alibi sacra beneficia susciperet. De extraneo verò indigenam facit cardinatio in ecclesiasticis beneficiis.

(a) *Hieron. Nicol. in Floscul. V. clericus n. 7.*

(b) *S. Greg. l. 4. ep. 19*

(c) *c. proposuit 4. super c oblata de appel. l. præter ff de edend. DD. ap. Barbos. tract. var dictio: 77. n. 1.*

32. Hinc necessaria fuit Hincmaro missio, seù assensus proprii Præsulis, quià sinè illa abscedendo, sacros canones violasset, ac potuisset ad locum dimissum, & ad Ecclesiam, cui anteà mancipatus fuerat, revocari. Sic enim D. Leo in epistolâ ad Anastasium Thessalonicensem, post præceptum editum, nè Clerici sinè assensu proprii Præsulis à suis Ecclesiis emigrarent, suggessit, *itàque si intrà provinciam res agatur, transfugam Clericum ad suam Ecclesiam Metropolitanus redire compellet, si autèm longiùs processerit, tui præcepti auctoritate revocabitur* (*d*), & Divus Gregorius Episcopo Syracusano scribit, ut Clericos Bachandæ Episcopi ad suas Ecclesias redire compellat (*e*). Alii demùm Canones idipsum præscribunt (*f*). Quarè si Hincmarus missionem habuit à proprio Antistite, ut Remensis Ecclesiæ posset beneficium adipisci; missio illa exemit eum quidem à pœnis, quas incurrisset, suam Ecclesiam, & Abbatiam, in quâ erat incardinatus, sinè consensu Antistitis relinquendo, & ad aliam commigrando; sed non illum proptereà reddidit de extraneo, & extradiœcesano, & extraprovinciali Remensis Ecclesiæ, in ejusdem indigenam. Imo, absolutè loquendo, nec etiam potuisset Hincmarus, ex quocumque assensu proprii Præsulis, verti de extraneo in indigenam Remensis Ecclesiæ, in præjudicium aliorum Clericorum, qui verè nativi, sivè ab adolescentiâ, Remensi Clero conscripti, eidem Ecclesiæ diù officia sui famulatus impenderant; quibus tamquam veris, & naturalibus filiis ipsius Ecclesiæ Remensis, ejusque gremium componentibus, debebantur infulæ dè jure divino, & humano, uti supponunt Contradictores, debitas solis indigenis esse, neque horum jura poterant convelli simulatâ illâ, & fictitiâ aggregatione, quâ Hincmarus in ictu oculi, de Clerico Parisiensis Diœcesis, ac Provinciæ Senonensis, est Clero Remensis metropolis subintrusus, qua ratione quoque nec ullus terrenus Princeps posset alicui extraneo privilegium naturalitatis conferre, ad effectum percipiendi ecclesiastica beneficia, si hæc revera de jure divino, & naturali, solis indigenis essent debita, tum quia derogare non potest juribus divino, & naturali: tum etiàm quia jus quæsitum præcedentèr indigenis abripere, salvâ conscientiâ, & honestate non potest.

(d) *S. Leo ep. 94. c. 9.*
(e) *S. Greg. l. 3. ep. 42*

(f) *Conc. Hispal. 1. c. c. 3 vid. Bini in Concil. Tolet. 3. in fin. tom. 5. Concil. f. 399.*

33. Quod verò Hincmarus improbaverit electionem Vulfadi in Episcopum Lingoniensem, & Ebbonis in Episcopum Gratianopolitanum, quià ab Ecclesiis suis essent extranei; hoc omninò gratis asseritur, non enim ratione extraneitatis in illos insurrexit, sed quià sinè propriorum Episcoporum consensu, vel sinè canonicâ electione, vel sinè spontaneo electorum voto, se intruserant, & aliis erant quoque defectibus irretiti, & præsertìm, quià solâ vi, vel operâ Regum, se minùs legitimè illis Ecclesiis insinuaverant, declamante Hincmaro, *quod de ordinan-*

nando Episcopo non Regis, vel Palatinorum debet esse commendatio, sed Cleri, & plebis clectio, & metropolitani in electione dijudicatio: deindè terreni Principis consensio, & sic fieri Episcoporum manus impositionem (a). De Vulfado professus est Hincmarus, quod Ecclesiam contrà canonica occupaverat decreta (b). Quoàd Ebbonem Gratianopolitanum, cum Hincmarus hoc scommate sugillavit: *Quod canonica excommunicatione devinctus, irregularitèr usurpaverit regimen, & sibi, ac ordinatoribus suis, necnon & subditis adauxit discrimen, sicut Leo Papa demonstrat* (c). Non ergò extraneitatem, sed irregularem ingressum Ebbonis principalitèr, & in recto carpsit Hincmarus. Qui etiàm cum Villebertum, in agro Turonensi natum, & à suo Episcopo ordinibus inferioribus initiatum, posteà presbyteratu ab Erpoino Sylvanectensi perauctum, & successivè ab Episcopo Attrebatensi Præpositura Ecclesiæ S. Vedasti decoratum, in Catalaunensem Episcopum ordinaverit (quem etiàm coram Coepiscopis, Abbatibus, Canonicis, & aliis Carisiaci consedentibus, exactè discussit, de omnibus defectibus à tanto gradu repellentibus, & expressè de patriâ, ordinibus, presbyteratu, professione &c., interrogavit (d), nullum autèm ei omninò vitium ingessit, eo quod esset nedùm extradiœcesanus, sed etiàm extraprovincialis) proculdubiò nec etiàm Vulfadum, neque Ebbonem, neque alios in crimen inde vocavit, quod essent ab Ecclesiis, alicubi susceptis extranei.

(a) Flodoard. hist. Remens. l. 3. c. 24. circ. finem.
(b) Flodoard. loc. cit. l. 3. c. 24. post initium vid. epistol. Hincmar. in Act. Conc. Suession. 3. ap. Sirm. to. 3. f. 290.
(c) Hincm. Remens.
(d) Formul. 11. apud Sirmond. to. 2. Concil. Gall. f. 631.

34. Placeat examen ipsum strictim audire, factum ab Hincmaro Remensi coram tribus aliis Archiepiscopis, totidemque Episcopis, necnon quinque absentium Episcoporum legatis, quamplurimisque Abbatibus, Canonicis, Monachis, Presbyteris, Diaconibus, nobilibus, Clero demum, ordine, & plebe Catalaunicâ, qui Vvilebertum à se electum ad beneficium Episcopale illorum Ecclesiæ ordinari in Antistitem deposcebant. Itàque ab Hincmaro interrogatus est Vvillebertus. *Undè esses: ipseque respondit: pago Turonico oriundus. Iterum interrogatus, cujus conditionis esset: Et ille &c. Dei gratiâ naturâ liber. Item ubi didicisti? Item ipse; in Scholâ Turonicâ &c. Item, cujus ordinis, vel cujus es ordinatus? Item ipse, præsentis patris mei Domini Herardi,* Turonensis, *per singulos gradus, usque ad Diaconum, sum ordinatus: posteà autèm ab eodem patre meo Herardo, literis ad Erpoinum,* Sylvanectensem, *datis, præsbyterii onus suscepi. Item Hincmarus. Quâ de causâ in nostram Diœcesim venisti? Et ille, per licentiam præsentis mei Archiepiscopi Herardi, à parentibus meis, Regiis sum mancipatus obsequiis &c. Iterum interrogatus, si aliquod ministerium de rebus ecclesiasticis aliquo habuerit loco: Qui respondit, quod Præposituram monasterii S. Vedasti, jubente Joanne Episcopo, & consentientibus fratribus, suscepit.*

35. Deindè Hincmarus ad Herardum Archiepiscopum Turonensem ibi præsentem dixit: *Quià vester natus, nutritus, vel educatus, & ordinatus dignoscitur, & Clerus, & ordo, & plebs Catalaunica illum exposcit, habeamus vestram licentiam, ut regularitèr unà vobiscum eum examinemus, si tanto oneri, vel honori dignus existat. Qui libentissimè annuit, & jussus est sedere cum eis. Data est ei regula Pastoralis Gregorii &c. Quià post examinationem eum Catholicum, literatum, & omnimodis aptum ad Sarcinam Episcopalem suscipiendam invenerunt, sed tamèn de alienâ provinciâ illum fore agnoverunt; relecta sunt sacrorum canonum capitula, quid de eo dicerent, qui de alienâ provinciâ peti deberet. Et inventum est, quod ab illo petere illum deberent, cujus natus, nutritus, & ordinatus foret. Humilitèr D. Hincmarus Archiepiscopus, simul cum Coepiscopis, & Clero, & ordine, ac plebe Catalaunicâ, ab Herardo Archiepiscopo cum petiit, & impetravit, ac canonicè illum ei commisit &c.* (e). Quod fieri non potuisset in præjudicium tot clericorum, & monachorum, ac his deficientibus, tot laicorum, qui erant in civitate, & Diœcesi Catalaunicâ, idonei ad Episcopale beneficium, si necessario beneficia ecclesiastica essent solis indigenis conferenda.

(e) Exam. Vvillebert. Catalaun. ap. Sirmond. to. 3. Conc. Gall. f. 631.

36. Vide autèm hìc quanto apparatu detegitur extraneitas Vvilleberti, ab Ec-

Ecclesiâ, Diœcesi, & provinciâ, in quâ beneficio Episcopali donatus est; postquàm à nativâ Diœcesi Turonicâ, in quâ natus, enutritus, & ordinatus, Diaconatum susceperat, ad Sylvanectensem transierat, & ibi presbyteratum acceperat, posteà ad Diœcesim Attrebatensem deflexerat, inibique Præposituram cœnobii S. Vedasti adeptus erat, demum ad aulam Regiam se contulerat, & ibi munus Imbreviatoris, sivè descriptoris stipendiorum regalium exercuerat (*a*). Ità Vvillebertus non semèl, sed bis, & tertiò stipendia clericalia, Presbyteralia, Abbatialia, Episcopalia, quæ totidem sunt ecclesiastica beneficia, suscepit in locis, à quibus erat extraneus. Et tamèn in tàm subtili examinè de illo facto, nullus ex tot Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, monachis, canonicis, clericis, laicis, os suum operuit, ut ei extraneitatis vitium exprobraret: Vitium, non exiguum, nec exilis culpæ, in sensu Contradictorum, sed tàm enorme peccatum continens, quàm grave est legem divinam, naturalem, & humanam unico actu prævaricari. Ergò ex toto hujusmodi successu patet, quod nedùm Hincmari, sed etiàm trium aliorum Archiepiscoporum, totidemque Episcoporum, quinque illùc delegatorum ab aliis Episcopis, & infiniti numeri Abbatum, canonicorum, presbyterorum, monachorum, clericorum, & laicorum, unà simul consonant vota, extraneis patere aditum, usque ad Episcopalia benèficia, salvo assensu Ordinarii, ad quem pertinet Promovendus: qui assensus, ut ostendimus, in clericis beneficio residentiali carentibus deesse non potest. Et ità per ea, quæ toto præsenti Capitulo asseruimus, enitescit, liberum, & licitum fuisse, ac paritèr esse Ecclesiæ, illiusque ministris, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, ecclesiastica beneficia, non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiri.

(a) *Ibidem in medio.*

CAPUT XXIV.

In quo ex diversis Formulis *literarum Ecclesiasticarum, quæ* Sæculo Christi Nono *adhibitę fuerunt ab Archiepiscopis, & Episcopis; Nec non & ex epistolis Regum, ac Principum privilegiis, probatur Ecclesię libertas, in conferendo Prębendas Ecclesiasticas, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis.*

SUMMARIUM.

1 *Sacra Antiquitas formulis, quas in dispensatione beneficiorum adhibuit, uberes probationes præbet libertatis Ecclesiæ, de qua agimus.*

2 *Refertur epistola* Vvolfeonis *Constantiensis, qua dimittit Clericum suum Ammonem Bernalto Argentinensi, ut eum suo Clero inserat.*

3 *Sequitur epistola* Radbodi *Trevirensis, ad Rodbertum Metensem, de Gislemaro presbytero dimisso, ut possis Metensi Clero inseri.*

4 *Qui cum esset presbyter non poterat in Metensi Ecclesiâ foveri, nisi collatione alicujus beneficii, nihil obstante extraneitate.*

5 *Refertur epistola Dadonis Virdunensis, ad Radbodum Trevirensem, prò Arduino presbytero, ut inseri posset Clero Trevirensi.*

6 In-

6 Inthronizare *idem significat, ac* intitulare, *idest beneficia Ecclesiastica in titulum conferre, vel suscipere.*
7 *Refertur epistola* Luitadi *Vinciensis de Vulfado, quem Ebbo Remensis ei esserat, ipse verò illum Veniloni Rotomagensi dimittit.*
8 *Iste Vulfadus de Remensi ad Vinciensem, ab hac ad Rotomagensem Ecclesiam transiit, ac demùm Bituricensis Episcopus fuit.*
9 *Textus adducitur epistolæ* Heidilonis *Noviomensis ad Rodulfum Laudunensem de Rotgero Diacono ei dimisso.*
10 Durandi *Arvernensis epistola ad Rodulfum Turonensem, de Subdiacono ei dimisso, ut illum ad quemcumque gradum promoveat.*
11 *Clerici dimissi poterant ab Episcopis, qui illos suscipiebant, non solum Sacris Ordinibus, verùm etiàm beneficiis, insigniri.*
12 *Epistola ponitur, quâ Episcopus Clerico formatam præbet, ut in alio Episcopatu suscipi posita quocumque* Seniore.
13 *Quærere* Seniorem *est Patronum aliquem inquirere, cui ministerium Ecclesiasticum exhibeatur in beneficiis, vel rebus sacris.*
14 *Ubi non sunt, quærendi sunt alibi viri ad Ecclesias regendas opportuni, nedùm in articulo necessitatis, sed etiam utilitatis.*
15 *Clericus ad Episcopatum vocatus innuitur, qui munus animos regendi alibi habebat, sicque beneficium in loco extraneo suscepit.*
16 *Tàm Patroni in præsentando, quàm Electores in eligendo præficere possunt beneficiis etiam Clericos extraneos.*
17 *Tàm Rex, quàm Metropolitanus, si ob culpam electorum* devolveretur *ad eos electio, poterant undecumque, & quemcumque designare.*
18 *Nec refert, si Rex nominet virum de suâ ditione, vel extraneum, nàm Canones non suggerunt eligendum virum de Regno, sed de Ecclesiâ.*
19 *Quod nihil referat esse de ditione temporali Regis, patet ex eo, quod fit in Regnis Valentiæ, ut Sardiniæ, ubi à beneficiis excluduntur extranei.*
20 *Epistola refertur Ludovici II. Imperatoris prò Episcopatu* Gratianopolitano *favore Bernarii Clerici, non sibi in temporalibus subditi.*
21 *Exclusio extraneorum, si locum haberet, convelleret jura Principum, Regum, Episcoporum &c. quippè ipsi non possent liberè sua potestate uti.*
22 *Etiàm antè Sæculum nonum Reges partem habebant in provectione* Clericorum *ad beneficia, sic fiebat in* Oriente, *&* Hispaniâ.
23 *In* Galliâ *Reges Merovei, & Carolingi, maximam sibi partem assumebant in dispensatione beneficiorum.*
24 *Carolus Magnus, vel Ludovicus Pius inceperunt dare privilegia eligendi Episcopos, & Abbates, & ut electio fieret de gremio.*
25 *Cur impetrabantur privilegia ab Imperatoribus, & Regibus, ut in Ecclesiis Episcopalibus, & Abbatialibus electio fieret de gremio.*
26 *Ut quid petere privilegia prò electione de gremio Ecclesiæ, si jura præscriberent, non nisi indigenas esse beneficiorum capaces.*
27 *Contradictores ostendant privilegium, si habent exclusivum extraneorum, vel Ecclesiam in suâ libertate quietam relinquant.*
28 *Etiàm ubi præfata privilegia concurrebant, adhùc electio quandoquè fiebat extranei, quid sub Joanne VIII. acciderit apud Genevenses.*
29 *Indulta illa Regia non dabant Ecclesiis jus electionis, sed erant munimenta, quibus Ecclesiæ repellebant Præsules à Rege missos.*
30 *Joannes Papa VIII. objurgat Oteramum Archiepiscopum Viennensem, quod* Optando *excluso alium Præsulem Genevensibus præfecisset.*
31 *Sequitur textus epistolæ Joannis Papæ, qui mandat Oteramo, ut Optandum è carceribus dimittat, & Romam se conferat.*

32 Si

32 *Si jura extraneos à beneficiis repellerent, non potuissent Genevenses Optandum, sibi præficere, in præjudicium indigenarum.*
33 *Obsistebat Oteramus Viennensis Optando, quià Canones irritam faciebant electionem, sinè Metropolitani assensu celebratam.*
34 *Oteramus carpere Optandum non poterat, quod esset extraneus, quià & ipse Viennensem Cathedram acceperat, à quâ erat extraneus.*
35 *Ex toto complexu hujus successus multiformitèr probatur libertas Ecclesiæ, præficiendi Ecclesiasticis beneficiis etiam extraneos.*

1. IMMENSAM sacræ antiquitati gratitudinem debemus proptèr varias formulas, quas reliquit, epistolarum ecclesiasticarum, vehementem probationem suppeditantium libertatis Ecclesiæ, pro quâ pugnamus. Etenim si omnis alia ratio deesset, profectò ipse tenor hujusmodi literarum, etiam ex sè solo, posset esse probatio ipsius libertatis. Nunquid enim non convincetur liberam esse Ecclesiam in admittendo Clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia, si ipsa series literarum, quibus in hisce utebatur Ecclesia, de illius libertate, ac pleno arbitrio docent? Quis Princeps, quis privatus, non sibi uberrimè blandiretur de suorum jurium in aliquâ rè præstantiâ, si eadem se probare posse cognosceret, literis antiquissimis, prælo impressis, apud omnes notissimis, eoque tempore divulgatis, quo nulla controversorum jurium erat quæstio, adeoquè tempore non suspecto? Habet ergò Ecclesia perplures talis conditionis epistolas, quas bonum erit hic allegare, ne quid desit, per quod Contradictorum opinio, Ecclesiæ libertatem saucians, evertatur. Si enim antiquitas veneranda est (*a*), *cui decreta patrum sanxerunt reverentiam exhibendam* (*b*), si eadem, etiam in facultativis, est satis considerabilis (*c*), quid non poterit prò libertate tuendâ, quæ est Ecclesiæ connaturalis, & coæva?

(a) *L. Testamenta C. de testam. l. semper ff. de jur. juran. c. anteriorum 2. qu 6. cap. contra statuta 25. qu. 1. c. conquestus 9. qu 3.*
(b) *Cap. quanto 3. de transl. Episcopi.*
(c) *Card de Luca de Præemin. disc. 27. n. 5.*
(d) *Gualter. Chron. Chron. Eccles in Episc. Constantien. n. 23.*

2. Ex Germaniâ primo loco unam dè hisce literis depromemus, editam à Vvolfeone, qui ex monacho S. Galli, Constantiensis Ecclesię beneficium Episcopale sortitus est (*d*), & ab eo directam Bernalto Episcopo Argentariensi, pro quodam Annone Clerico: ait enim. *Noverit sancta fraternitas vestra, quod iste Clericus, nomine Anno, nostrâ in paræciâ instructus, ac detonsus, parvitatem nostram rogavit, quatenus illi commendatitias literas conscriberemus, quibus vestræ celsitudini commendatus, sub tuitione vestri regiminis degere possit. Cujus voluntati consentientes, secundum canonicam auctoritatem, literas ei dimissorias dedimus: per quas & ipsi concedimus, ut sub vestro magisterio, divinæ servituti insistens, suæ deserviat utilitati, & vobis licentiam tribuimus, ut si dignum eum judicaveritis, ad sacros ordines promoveatis. Commendatum ergò eum curæ vestræ suscipite, & nostris ex partibus absolutum, in vestrarum ovium numero custodite* (*e*). En Clericus à proprio Episcopo absolutus, atque à diœcesi Constantiensi, positâ intèr Helvetas, & Svevos dimissus, ut alterius diœcesis, in Alsatiæ Provinciâ constitutæ, scilicèt Argentinensis, possit Clero inseri, ac in eâ ordines suscipere, & consequentèr etiam stipendia Clericalia, seù beneficia, non secùs ac alii Clerici, liberalitèr adipisci: qui sic dimissus, jàm talis evadebat, ut extraneus quodammodo fieret ab Ecclesiâ, in quâ priùs erat indigena: & indigena in eâ, à quâ priùs erat extraneus, extradiœcesanus, & extraprovincialis,

(e) *Formul ap. Sirmond. to. 2. Conc. Gall. fol. 666.*

3. Similitèr ex Germaniâ, epistola formata, sive dimissorialis conservatur, Ratbodi Archiepiscopi Trevirensis, qui ex Abbatiali beneficio cœnobii S. Vvilibrodi Epternacensis, ad metropoliticum Trevirense pervenit, anno 885. illudque per viginti & unum annos possedit (*f*), ad Rotbertum Episcopum Metensem datâ proquodam Gislemaro presbyrero; in quâ sic loquitur: *decreta sanctorum 318. Patrum Niceæ constitutorum saluberima servantes, Deo dignam, piamque fraternitatem vestram canonicè aggredimur, & sub nomine formatæ epistolæ reverentèr vestram*.

(f) *Jo: Gualt. Chron. Chron. Eccles. in Archiepiscopis Treviren. n. 67 Theatr. Vit hum. Ver. Episcopus in Archiepiscopis Trevir. nu. 67.*

vestram sanctitatem adimus, vobis videlicèt intimando, quià præsenti presbytero nostro, nomine Gislemaro, has dimissorias dedimus literas, quem in nostrâ diœcesi ecclesiasticè educatum, de ordine clericatus, ad presbyteratus proveximus gradum. Ut his canonicis munitus apicibus, cum nostrâ licentiâ, & in vestrâ parochiâ, sub defensione, ac regimine vestræ caræ dilectionis degere liceat, illumque in sinu Sanctæ Matris Ecclesiæ canonicè fovendum, ac regendum vobis committimus (a).

(a) Formul. 9. apud Sirmond. tom. 2. Conc. Gall. f. 672.

4. En Clericus, ex Ecclesiâ Trevirensi Germaniæ, in Ecclesiam Metensem Galliæ traductus, ac talitèr à primâ dimissus, ut sub secundæ regimine permaneret; in eâ canonicè fovendus, nempè muneribus ecclesiasticis decorandus (non enim ordinibus sacris augeri poterat, cum jàm esset in presbyterali ordine constitutus), & cum altiùs non posset quoad ordines graduari; nil reliquum erat, nisi ut posset quoad munia ecclesiastica, sive beneficia sacra foveri, & augeri, habilisque fieret ad illa promerenda in Ecclesiâ Metensi, eo modo, quo cæteri Metenses Clerici, quorum albo adscribebatur, ad ipsa erant idonei: sub onere beneficia præfata personalitèr ministrandi, eisve actualitèr deserviendi, si præsentialem, & personalem exigerent servitutem; vel illis famulandi per substitutos, si talis naturæ forent, ut fas esset eisdem per alium Clericum idoneum inservire: ibi demum beneficia ecclesiastica possideret, tametsi ab illâ Ecclesiâ, quoad gentilitiam qualitatem esset extraneus.

5. Et ne de beneficiorum consecutione ullus fortè valeat dubitandi scrupulus excitari, damus Formatam *Dadonis* Episcopi Virdunensis, ad ipsum Ratbodum Trevirensem directam, & beneficia ecclesiastica disertis vocibus explicantem: *Statutum est*, inquit, *à sanctis Patribus, neminem clericum alienum, & ignotum recipi ab aliquo Episcopo, & inthronizari in suâ Ecclesiâ, nisi habeat à proprio Episcopo epistolam, quæ in canonibus nominatur formata. Ideò notum facimus Paternitati vestræ, quod præsens frater noster, harum literarum portitor, nomine Arduinus, non prò suâ nequitiâ expulsus est à nobis, sed postulantibus fratribus nostris, eo quod ex familiâ nostrâ fuit, dedimus ei libertatem receptam à cornu altaris canonicè, & ordinavimus eum ad gradum presbyterii. Cui etiàm has dimissorias, sivè commendatitias literas fecimus, & eum ad vestram dilectam fraternitatem dirigimus, ut in vestrâ parœciâ, sub vestro sacro regimine, & defensione consistere valeat &c. Absolvo Dado humilis Episcopus presbyterum Arduinum de civitate Virdunensi, indictione IX. & licentiam dò vobis Ratbode venerabilis Archiepiscope inthronizandi eum in quâcumque Ecclesia vultis vestræ Parœciæ* (b).

(b) Formul. 10. apud Sirmond. tom. 2. Conc. Gall. fol. 673.

6. Inthronizare clericum extraneum in qualibet Ecclesiâ alienæ parœciæ, sivè Diœcesis, non credimus ambigi posse, quod significat idem ac *intitulare*, seù aliquam Ecclesiam, aut beneficium in titulum alicui conferre; quâ de re Glossa sic ait: *Titulus dicitur Ecclesia, ut titulus S. Petri, undè singuli tantum clerici per singulos tantum titulos sunt ponendi, idest Ecclesias. 80. dist. Episcopi &c. Ità titulus dicitur clericatus, vel canonicatus in aliquâ Ecclesiâ, undè dicitur intitulari, idest clericari, vel canonicari. Et dicitur titulus quilibet ordo ecclesiasticus, & quælibet dignitas, vel prælatio, undè dicitur quis intitulari in aliquâ Ecclesiâ, idest ordinari, vel præfici. 70. dist. sanctorum* (c). Vel si mavis *inthronizari* significat idem, quod *cardinari*, juxtà ea, quæ scripsit S. Gregorius Fortunato Episcopo Neapolitano (d): & alibi pluries in suis epistolis (e). Itàque per ly *inthronizandi* superius enunciatum, non aliud significatur, quàm ponere in libertatem Episcopi, conferendi clerico extraneo aliquod beneficium, in quo iste cardinetur, inthronizetur, intituletur, seù quod accipiat illud in titulum, eique præsit, ac prò qualitate beneficii, vel per se ipsum, vel per substitutum, tamquàm proprio titulo, famuletur.

(c) Glos. in c. dudum 54. V. intitulatam de electione.

(d) S. Greg. l. 5. ep. 11 c. Fraternitatem 5. distinct. 21.

(e) S. Greg. l. 3. ep. 14 l. 2 ind. 10. ep. 6 & 25.

7. Ex Galliâ nunc aliam dimissorialis epistolæ formulam allegamus, *Luitadi* Episcopi Viuciensis, ad Vvenilonem Archiepiscopum Rotomagensem, qui ei sedi præfectus est anno 859. (f), in qua epistola habetur: *Comperiat sanctitas vestra quendam fratrem nostrum, & filium Ecclesiæ nostræ, nomine Vulfadum subdiaconum, me petente traditum mihi per literas, quas ecclesiastica consuetudo Formatas appel-*

(f) In serie Archiepiscopor. Rotomag. n. 35 Theatr. Vit. hum. Verb. Episcopus.

appellat, à Venerabili Ebbone, quondam Remensi Archiepiscopo. Et quià impendentibus quibusdam causis, postquàm mihi traditus erat, in propriâ remansit Ecclesiâ, me suggerente ordinavit eum idem Ebbo in gradu Diaconatus. Nunc autem quià scitis eum proptèr causas necessarias in partibus vestris morari, sicut mihi commendatus erat, vobis eum committo, vestræque custodiæ, & providentiæ delego, & ut ad majores gradus eum provehatis suppliciter exoro. Credimus enim quoniam, & sapientia, & mores ad hoc eum dignum indicant. Commendamus igitur vestræ Beatitudini, Ecclesiæque vestræ præfatum Vulfadum, & de profectu ejus petimus vos lætari in æternum (a).

8. Hic est *Vulfadus*, Remensis Ecclesiæ clericus, & OEconomus, qui tamquàm talis in Concilio Carisiacensi nominatur (*b*), & Ecclesiam Lingonensem aliquandò gestiit adipisci, sed eam non obtinuit, quià in ipsam injustis modis insiliit (*c*), adeptus tamen postmodum est beneficium Episcopale sedis Bituricensis (*d*). Eum Ebbo Remensis dimiserat, ut Clero Vinciensis Ecclesiæ insertus esset, taliterque huic Clero fuit immissus, ut Ebbo non illum potuerit amplius Diaconatus ordine augere, nisi sub assensu Luitadi Vinciensis: à quo successivè traditus est Vveniloni Archipræsuli Rotomagi, ut illum Clero suæ metropolis aggregaret. Ità Vulfadus non semel, sed bis, & pluries dimissus fuit, ut in aliis Ecclesiis, à quibus erat extraneus, posset ordines, & beneficia sacra, seu stipendia ecclesiastica promereri, & de Clero Remensi ad Vinciensem, de Vinciensi ad Rotomagensem, de Rotomagensi ad Bituricensem transivit, & per gradus, atque officia ecclesiastica, usque ad beneficium Episcopale pervenit: absque eo quod (cum alioquin contradictores plurimos expertus sit) unquam aliquis eum carpserit, quod beneficia sacra sit assecutus in locis, à quibus, & patriâ, & Diœcesi, & provinciâ erat prorsùs extraneus, quod agendo si jura violasset, non omisissent illius impugnatores eidem hoc, uti grave crimen, buccis perstrepentibus exprobare.

(a) *Francisc. Pommeraye in Conciliis Rotomag. f. 22. & Formul. 5. apud Sirmond. tom. 2 Conc. Gall f. 669.*
(b) *Concil. Carisiac. ann. 848. in proœm. Sirmond. to. 3. Concil. Gall f. 66.*
(c) *Hincm. Remens. in Conc. Suession. 3.*
(d) *Nicol. PP. I. ep. 46. ap. Bin. & 59. apud Sirmond. in Conc. Suession. 3 nu. 8. & ibi epist. Caroli Regis nu. 6.*

9. Aliam formulam itidem ex Galliâ subnectimus epistolę, scriptæ ab *Heidilone* Præsule Noviomensi, ad Rodulfum Antistitem Laudunensem: *Vestræ intueatur magnitudinis experientia, hunc præsentem clericum,, nomine Rotgerum, à nobis per singulos ecclesiastici honoris gradus ad onus Diaconii fore promotum. Idemque frater, ob sui commodam facultatemà, nostrâ saluberrimè, & justè expetiit mediocritate, licentiam ad vos eundi, & in vestrâ parochiâ commorandi, ac perpetuò discedendi. Nos itàque petitioni ejus, quàm non subdolam, sed veram agnovimus, libentèr assensum præbuimus, & effectum justum, & congruum minimè danegavimus. Quo circà totis viribus conquiniscentes celsitudinem vestram humilitèr obsecramus, ut eum vestra paterna sollicitudo dignantèr excipiat, & ut pius, & prudens pastor, ac pater, in gremio vestræ dilectionis accipite. Vitâ verò, & moribus hactenus intèr nostros probum laudabilemque sciatis: Scientiæ denique capax ministerii sibi commissi, quantum autumamus officium scire dignoscitur. Nos etiàm more canonico hanc ei formatam epistolam, secundùm decreta Nicæni Concilii, Græcis characteribus insignitam, vobis deferendam concessimus, per quam ipsum vestræ tuitioni committimus, & à nostrâ parochiâ penitùs sequestramus (e).*

(e) *Formul. 8. apud Sirmond. to. 2. Concil. Gall. f. 672.*

10. Durandi Episcopi Arvernensis alia dimissorialis epistola sic effatur, ad Rodulphum Archiepiscopum Turonensem directa: *Comperiat dilectio vestra, quod hic præsens subdiaconus, quem manu propriâ consecravimus, misericorditèr Formatam à nobis expetiit epistolam, & omnem auctoritatem canonicam, sicut intèr dantem, & accipientem fieri oportet: quatenùs hac auctoritate securus, jure vestræ ditioni subiici valeret. Cujus petitionibus annuentes, mittimus nobilitati vestræ hanc epistolam, canonicâ institutione Formatam, ut quem sanctitatis vestræ amodo custodiæ rogando committimus, eum liberâ nostrâ concessione ad quodcumque officium, seù ad quemcumque gradum visum fuerit promoveatis, & omnem quàm erga eum hactenus potestatem nobis, licuit exercere sit vobis licitum (f).*

(f) *Formul. 11 apud Sirmond. to. 2. Concil. Gall f. 624.*

11. Datur per has literas Episcopo ad quem, tota facultas, quæ competebat Epi-

Episcopo à quo, super clerico, per formatam traducto, ejusque regimen integraliter committitur Præsuli loci, ad quem pergit; prorsùs clericus ille abscinditur à loco, à quo discedit; Cleroque tandem alieni Antistitis inseritur, cum concessione, ut Præsul ille possit clericum ipsum ad quemcumque *gradum*, seù *officium* promovere, nempè tàm ordinibus, quàm sacris beneficiis augere, tùm quià ly *sivè*, disjunctivum, & argumentativum (*a*), duplici muneri, ibi expresso, interjectum, satis explicat ordines per ly *gradum*, & beneficia per ly *officium*. Tùm quià ab officio ad beneficium validum est argumentum (*b*). Tùm etiàm quià plus est ordines, quàm beneficia conferre. Ideoquè si clerico, per epistolam dimissorialem, sivè formatam, de unâ ad aliam Diœcesim, sivè de provinciâ ad provinciam traducto, licitum fuit, & est adhuc, & quotidie in totâ Ecclesiâ redigitur ad praxim, quod sacri ordines conferantur; multò magis & fuit, & est, & semper licitum erit ei beneficia ecclesiastica dilargiri. Tùm insuper quià ridiculum esset, quod iste clericus in Ecclesia, ad quàm transivit ordines, & munia ecclesiastica posset adipisci, non verò præbendas acquirere, cum præbendæ sint veluti stipendia ordinum clericalium, & munium ecclesiasticorum. Tùm demum quià clericus iste redderetur incapax beneficii: non enim illud posset assequi in Ecclesiâ nativâ, quià ab eâ esset dimissus, ac prorsùs *sequestratus*, ut in præfatis literis enunciatur: neque in Ecclesiâ, ad quàm se transtulit, quià originariè ab illâ foret extraneus: Quod sanè subsistere non potest. Tandem quià in sententiâ Contradictorum, olim idem erat ordines suscipere, & beneficia sacra nancisci.

(a) *Barbos tract. var. Dict. 374. nu. 1. & 3.*

(b) *Oliban. de jur. fisci cap. 13. nu. 61. Barbos. tract. var. Loc. 77.*

12. Eandem normam, quàm vidimus observatam fuisse Nono Sæculo in Germaniâ, & in Galliâ, nulli dubium est in usu fuisse etiàm in Italiâ, Hispaniâ, Angliâ, & in aliis quibuscumque partibus Christianitatis, sivè ad Orientem, sivè ad Occidentem spectantis. Profectò quamplures intèr epistolas, quibus Ecclesia semper uti solita fuit, erant literę *commendatitiæ*, per quas Episcopus testabatur talem clericum esse in tali ordine constitutum, quæ pariter *Testimoniales* dicebantur, & modò quoque sunt solitæ nuncupari: dabantur autèm, ut clericus illis stipatus posset alibi ad exercendos sacros ordines, vel missam celebrandam admitti: Præter has erant quoque literæ *Formatæ*, per quas Episcopus manumittebat clericum, sivè consensum præbebat clerico suæ Diœcesis, ut ad aliam Diœcesim transiret, fieretque clericus, & subditus Præsulis, ad cujus territorium inhabitandum se conferebat, tuneque cessabat esse clericus nativę suę Diœcesos. Hę literæ Formatę dicebantur alio nomine *Apostolia*, de quibus factus est sermo in Concilio II. Aurelianensi, ne ullus nisi Episcopus ea posset præbere (*c*). De his epistolis non est nostrum hic agere: qui de illis plura desiderat, consulat Auctores (*d*). Dantur nunc, & dabantur etiàm antiquitus, erantque per totam Ecclesiam in viridi observantia, & quoàd *Formatas*, seù *Apostolia*, legere est apud Marculfum, necnon apud Sirmondum formulam generalem illorum prò totali clerici dimissione, sub hoc tenore conceptam. *Illi Episcopo, ille illius urbis Episcopus &c. Cognoscat fraternitas, seù caritas vestra, quià iste præsens presbyter, nomine ille, in parochiâ, & in Ecclesiâ nostrâ sacris literis educatus fuit, & ab infantiâ fuit apud nos, seù prædecessores nostros, bonum habens testimonium, bonamque continentiam, & innocentem vitam deducens. Undè placuit illi modò, ut ad alium Ecclesiam se converteret, volens sibi quærere seniorem, qui se de rebus temporalibus adjuvet, & cui ille secundùm ministerium, quod sibi injunctum est, obsequium præbeat. Undè vestram fraternitatem tompertam facimus, ut quicumque placuerit eum suscipere, absque ullâ ambiguitate hoc faciat: sciens illum, & boni esse testimonii, & à nobis sibi ab Ecclesiâ, quæ nobis ad regendum concessa est, migrandi licentiam accepisse &c.* (*e*).

(c) *Thomass. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 2. cap. 94. nu. 1.*

(d) *Vid. Card. Baron. Thomassin. Magr. in vocab. Eccles. & alios.*

(e) *Formul. 32. post formul. Marculf. & apud Sirmond. tom. 2. Concil f. 674.*

13. *Seniorem quærere* idem est, ac Dominum aliquem, auspicem, vel Patronum inquirere, & vel Episcopum significare potest, à quo clericus, ut supra migrans beneficium accipiat, vox enim hæc Senior Antistitem denotat, quemadmodum cum Tertullianus ait, *præsunt probati Seniores* (*f*). Vel significare potest Re-

(f) *Vid. infr. sæcul. 10. c. 26 nu. 24. Tertullian. apud Magri. vocab. Eccles. verb. Senior.*

Regem, Principem, aut Magnatem sæcularem, sicut est apud Marculfum: *suggerendo illi Regi, vel Seniori communi illius &c.* (a) Hic verò magis propriè significare videtur Dominum aliquem, Patronum beneficii, vel fundatorem Capellæ, vel alitèr habentem Oratorium, Capellam, vel quid simile à se dependens, quâ de rè pluriès in sacris canonibus sermo habetur (b). Vigore igitur præfatæ generalis Formulæ Formatæ, fit Clerico facultas propriam Diœcesim dimittendi, & ad aliam properandi, ibique nedùm in presbyterali, vel clericali ordine ministrandi, verùm etiàm Seniorem conquirendi, nempè Præsulem, vel Dominum, beneficii alicujus dispensatorem, à se, vel à suis, bonis temporalibus dotati, vel alitèr ad sè spectantis, ut ab eo idem possit beneficium promereri. Hincque, & ex aliis motivis paulò superiùs allegatis (c), patet quod, accedentibus literis dimissorialibus proprij Antistitis, licitum fuit tùnc (prout etiam est nunc) clericis beneficia sacra nancisci, in locis à quibus erant extranei, ut eis præessent, illa in titulum affequerentur, eorum fructus perciparent, inibique, vel per se ipsos, vel per substitutos, juxtà diversitatem beneficiorum, ministeriis, & officiis Ecclesiasticis operam darent.

(a) *Marculf. lib. 1. form. 7. & ibi Hier. Bignonius in notis.*

(b) *Vid. Concil. Cabilon ann. 813. cap 42. Mogun anno 847 c 12. Vvormac. anno 868 c. 55. & 57. Conc. Colon. anno 887. cap. 4.*

(c) *Vid. paulò supr. in hoc Capitulo nu. 12.*

14. Nunc aliqua tangamus, personam Principum respicientia. Carolus Calvus Rex Francorum, indè Imperator, optans provehere Vulfadum, superiùs memoratum, ad Archiepiscopatum Bituricensem, scribit Nicolao PP. I. *quia moribus, & scientiâ penès nos vigere comperimus, Bituricensem Ecclesiam &c. quia dare absque Apostolatus vestri determinatione distulimus, commendare eandem Ecclesiam eum rebus sibi pertinentibus acceleravimus* (d): Et ne quidquam ei obsisteret extraneitas, itidem scribit, *Ecclesia sapienti, & strenuo, virilique pastore indiget &c. Undè consilio accepto, omnes Episcopi, & fideles Regni nostri, ipsaque etiam Diœcesis, unanimiter in electione prædicti Vulfadi consenserunt, nam si illum talem non haberemus in Regno nostro, trahendus esset ex alio* (e) Vide libertatem accersendi extraneos ad beneficia, non in articulo strictæ necessitatis, sed ad arbitrium, & in casu utilitatis, quæ solet interdùm necessitatis vocabulis explicari (f), non poterat enim in Metropolitanæ Diœcesis, & urbis latitudine occurrere necessitas, quia non ibi poterant deesse clerici, vel monachi, vel laici indigenæ Episcopatus capaces, nec potuissent Bituricenses cedere juri suo favore viri extranei, in præjudicium omnium indigenarum, si jura divinum, & naturale solos indigenas vocarent ad beneficia.

(d) *Carol. Calv. epistola ad Nicol. I. inter epistolas Hincmar. Remens f. 532 & ap Sirmond. to. 3. Conc. Gall. f. 390.*

(e) *Carolo Calv. ubi supr. Sirmond. loc. cit. f 614.*

(f) *Faguan. in cap. tuæ fraternitati nu. 18. de Sponsal.*

15. Ad hæc intèr Formulas præfatas, nono sæculo adhiberi consuetas, una reperitur, cujus titulus, atque tenor est ut subsequitur: *Praeceptum Regis de Episcopatu, ad Episcopum designatum: Ille Rex Illustri viro illi; aut Venerabili viro Ill. &c. dum & vestra, & Cleri, vel Pagensium Civitatis Ill. adfuit petitio, ut relictâ Urbe Ill. quam primum regere, & gubernare videbamini, in supradictâ Urbe Ill. cathedram Pontificalem suscipere deberetis: & dum vos apud animos nostros, & actio commendat probata, & nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas, vel mansuetudo, & prudentiæ honestas exornat, cum consilio, & voluntate Pontificum, procerumque nostrorum, juxtà voluntatem, & consensum Cleri, & plebium ipsius civitatis, in supradictâ Urbe Ill. Pontificalem in Dei nomine commisimus dignitatem* (g). Hic ad beneficium episcopale Regiæ nominationis vocatur vir, qui prius aliam Urbem, locumvè regebat; eique committitur, ut ipsâ primâ Urbe, sivè loco relicto, ad Urbem Pastore viduatam pergat, & ibi Pontificalem suscipiat dignitatem: hoc autèm idem est, ac declarare, beneficium Episcopale ibi deferri extraneo, non indigenæ, nàm iste, vel à prima, vel à secunda Ecclesia necessario erat extraneus.

(g) *Formul. antiqu. 2. ap. Sirmond. tom. 2. Conc. Gall. f. 636.*

16. Itaquè in locis, in quibus beneficium Episcopale non per canonicam electionem, sed per nominationem regiam dispensabatur, Rex pro suo libito, non minùs Clericos extraneos, quam indigenas designabat (proùt & nùnc etiam à Regibus, pro eorum arbitrio factitatur). Videamus autèm quid agendum esset in locis, & quando per viam electionis canonicæ indulgebatur Episcopi designatio. Res expressè definitur in formulâ, quâ Visitator Clerum, & plebem, electionem facturos alloquebatur. Quotiès enim electio fieri debebat, metropolitanus, Episcopum ali-

aliquem ad Urbem Præsule carentem transmittebat, qui electioni novi Antistitis præsidebat, sub titulo Visitatoris (*a*). In hocque Visitatore designando peculiaris habebatur attentio, ut hujusmodi munus viro, qui esset Regi gratus committeretur (*b*). Visitator ergo Clerum, & populum electionem celebraturos alloquens, eos seriò commonebat, ut satagerent, virum dignum de ipsâ Ecclesiâ eligere, si adesset; non præcipiendo id tamen, sed tantummodò consulendo: addebatque, ut caverent, nè malis artibus quisquam beneficium illud, scientibus ipsis subriperet: quippè *hoc*, dicebat, *Domino Imperatori adnunciabimus, & ille sine ullo periculo, & cum licentiâ canonum, undecumque, & cuicumque Clerico voluerit, dare poteris* (*c*).

(a) *Hincm. Remens. epistolis ad Hedenulfum Laudun & Hadebertum Sylvanect. &c. inter ejus opusc. f. 587. & 590.*

(b) *Idem epistola ad Carol. Regem loc. citat. f. 585. & ap. Sirmond. to. 2. Conc. Gall. f. 638.*

(c) *Formul. 6. apud Sirmond. to. 3. Concil. Gall. f. 645.*

17. Si quotiès ob culpam electorum, ad Regem devoluebatur electio, sive nominatio viri, Episcopali beneficio præficiendi, poterat Rex, *sine ullo periculo, & cum licentiâ canonum, undecumque, & quemcumque Clericum designare*; Certè viris extraneis potuisse deferri beneficia episcopalia plusquam manifestè elucescit: & si poterat hoc Rex, tunc in locum Cleri, & populi subrogatus ad electionem faciendam; non est cur etiam Clerus, & populus non idipsum facere posset, cum subrogatus jura teneat ejus, in cujus locum substituitur (*d*), nèc minùs urgeri debuit Rex præceptis jurium divini, naturalis, & humani, poscentium electionem indigenæ, ut ex adverso supponitur, quam urgerentur Clerus, & populus, quando ipsi electionem celebrabant. Hocque si ità se habebat in episcopatibus, quæ sunt beneficia majoris notæ; quis credat locum etiam non habuisse in beneficiis minoris qualitatis, quæ nèc tantam circumspectionem in electoribus, nèc tantum meritum in electis, nèc tantam rationem attentionis ad bonum publicum deposcebant? Præsertim cum etiam metropolitanus, quotiès ad illum devoluebatur electio, posset quemlibet prò suo libito designare (*e*).

(d) *Vid. Barbos. tract. var. Axiom. 213.*

(e) *Hincm. Rem. epistola ad Bellovac. & ad Ludov. III. Regem int. ejus opusc. f. 499. & 603.*

18. Si dicatur quod Rex, tametsi non eligeret de eadem Ecclesiâ, eligebat tamen, sive nominabat de eadem suâ ditione, regnoque, ac statu, & sic electus, erat indigena, non diœcesi, sed ditione; quod & proportionalitèr applicari possit ad id, quod nunc fit, cum Rex nominat ad beneficia; In oppositum est primò, quod Rex nominare potest, & quandoque nominat etiam Clericos, alienos à sua temporali ditione, prout centies factum esse, facile est in historiis reperire. Secundò, hac instantiâ non evacuatur difficultas, sed solidatur. In toto namque corpore juris, in totâ serie canonum, non erit facile reperire ullam ecclesiasticam legem, quæ capacitatem beneficiorum cum amplitudine ditionis temporalis alicujus Principis configuret. Si qui sunt enim canones huc facientes, dicunt eligendos esse Clericos de eadem Ecclesia (quod & adhuc non præceptivè, sed directivè decernunt), atque ideò etiam Clerici ejusdem temporalis regni, sunt extranei ab illâ Ecclesia, si non sint ibi nati, vel ejus Clero aggregati, ac propterea Reges eligentes de suo Regno, non de gremio Ecclesiæ, sed extraneos, eligebant, vel nominabant, idq; nùnc faciendo, nominant, eliguntque, sive præsentant extraneos nunc quoque, non indigenas.

19. Rursùs non desunt canones prohibentes electionem, sive nominationem, de eadem temporali ditione alicujus Principis, quæ provinciam aliquam, vel statum peculiarem excedat: prout est Bulla Sixti V. pro Valentianis, & Clementis VIII. pro Sardis &c. Vi quarum, qui non sunt origine Sardi, prohibentur beneficia possidere in Sardinia: qui non sunt Valentini, in Regno Valentiæ &c. quantumlibet incolæ sint, vel nativi alterius provinciæ, aut Regni, eidem Regi, cui subest Valentia, vel Sardinia, subjecti. Videmus Aragonensibus non patere aditum ad beneficia, in Regno Castellæ posita: Hungaris ad Germanica: Siculis, & Neapolitanis, ad Hispanica, vel Bohemica &c. & sic de aliis: quamvis unus, & idem Princeps diversis illis respectivè præsit regionibus. Electio ergo, sive nominatio à Rege facta Clerici de totiùs sui dominii latitudine, non excludit extraneitatem, sed approbat: quippè ostendit, quod Rex *sine ullo periculo, & cum licentiâ canonum, undecumque, & quemcumque Clericum* poterat tunc, & nunc quoque potest eligere, sive nominare, aùt præsentare, & sic extraneorum causam fovet, quotiès non de gremio vacantis Ecclesiæ,

sive

sive beneficii, sed aliundè successorem nominet ad præbendam.

20. Sed ut manu palpetur, quod tunc Reges, memoratâ facultate præditi, *undecumque*, *& quemcumque Clericum* designandi, nedùm de proprio eorum Regno, sed etiàm de alienis statibus, nominabant (sicut & nostro quoque tempore, ut innuimus, Reges faciunt, quotiès ità eis libet) legatur epistola Ludovici II. Imperatoris, nominantis ad beneficium Episcopale Sedis Gratianopolitanæ *Bernarium* Clericum, spectantem ad Regnum fratris sui Lotharii: scribit namque Adoni Viennensi: *Frater noster Lotharius, nostri desiderii causâ ad nos veniens, nosque in Beneventanorum Regno nostro requirendo visitans, rogavit nostram mansuetudinem, ut cuidam suo Clerico, Bernario nomine, Episcopatum Gratianopolitanum concederemus, quod & nos benignissime fecimus. Idcircò monemus sanctitatem tuam, ut si dulcissimus frater noster eumdem prædictum Clericum ad tè miserit ordinandam, mox voluntati ipsius dulcissimi fratris nostri obedias, certus de nostrâ concessione, ut in Gratianopolitanâ Ecclesiâ ordinetur Episcopus* (a).

(a) *Ludov. II. Imp. ep. ad Adon. Vien. ap. Sirmond. to. 3. Conc. Gall. fol. 376.*

21. Vide ergò quod Reges, & nominabant ad beneficia, etiam Episcopalia Clericos, non solùm ab illo Episcopatu extraneos, verùm etiàm à toto eorum Regno temporali alienos; & nominabant eos, *sinè ullo periculo, & cum licentiâ canonum*, quod idem est ac dicere, nominabant eos liberè, & licitè, absque ullius culpæ reatu: alioquìn nec Reges potuissent, nec possent nunc extraneos nominare, quia divino, & naturali juri derogare non valent per literas naturalitatis, & multò minùs id facere valerent in præjudicium indigenarum, sicut & nec Archiepiscopi, & Episcopi valuissent, aut valerent ipsosmet extraneos consecrare, vel respectivè instituere, aut eis beneficia conferre, in præjudicium ut suprà præfatorum indigenarum, habentium à naturâ, ab ortu, ab ordinatione, atque ab incolatu priora, & potiora jura super omnes extraneos, si de jure divino, naturali, & humano fuisset tunc, & esset quoque nunc, (uti Contradictores multis ejulatibus clamant) quod beneficia Ecclesiastica solis indigenis debeantur, prorsùs ablegatis extraneis. Igitur ex totâ rerum harum congerie patet, quod Ecclesiæ integra, & totalis libertas inest admittendi ad sacras præbendas Clericos extraneos promiscuè cum indigenis, nimiumque à veritate deviant, ac Episcoporum, Regum, atque Principum, & Magnatum libertatem captivant, eorumque jura convellunt, quicumque satagunt Clericos extraneos à consequendis beneficiis Ecclesiasticis distinere.

22. Et quoniam ad Principes declinavimus stylum, beneficiorum provisionibus se miscentes, bonum erit hic innuisse, quod jam dudum ante sæculum in quo versamur, in multis Christianitatis partibus familiare erat intueri Reges, de præbendis Ecclesiasticis disponentes. Partes, quas *in Oriente* habebant Imperatores, in provectione Clericorum ad beneficia Patriarchalia, Episcopalia, Abbatialia &c. notæ sunt in historiis (b), & exempla S. Joannis Chrysostomi, Nestorii, & aliorum, quorum longum esset catalogum aggregare, ità se rem habuisse convincunt: sed & nos in toto decursu præsentis operis, tam per ea quæ usque nùnc diximus, quam per ea quæ successivè superaddemus, manifestam facimus auctoritatem, sive partem quam præfati Cæsares in dispensatione beneficiorum, præsertìm altioris notæ, vel exercebant, vel sibi arrogabant. Paritèr in *Hispania*, præcipuè quoad Castellæ Regnum, nullus ad Pontificalia beneficia properabat, quem Rex non eligeret (c), nèc abnuit Concilium Toletanum id approbare, celebri sanctione illâ, quâ definivit: *licitam maneat deinceps Toletano Pontifici quoscumque Regalis potestas elegerit, & jam dicti Toletani Episcopi judicium dignos esse probaverit, in quibuslibèt provinciis, & in præcedentium sedibus præficere Præsules, & decedentibus Episcopis eligere successores* (d). Ibi tamèn postea subsequentibus sæculis electio ad Clerum redicrat, donèc indulti Apostolici vi ad Regem iterum remeavit, præsentantem nunc Papæ viros, Episcopatibus decorandos.

(b) *Thomassin vet. & nov. Eccles. discipl. p. 2 l. 2. c. 9. & 17.*

(c) *Idem p. 2. lib. 2. c. 10. nu. 18. & seq. & cap. 15.*

(d) *Concil. Tolet. 12 c. 6. cap. cum longe 25 dist. 63.*

23. Idem dicendum est de aliis Regionibus, in quibus fides Christiana radices egerat, & Ecclesia vires acceperat: nàm ubi utraque, vel adhuc ignota erat, vel

vix

vix fuerat introducta, frustraneum est inquirere quisnam, & quomodo præbendas Ecclesiasticas ordinaret. *In Galliâ à Meroveicæ familiæ regibus delatos fuisse, aìt concessos Episcopatus, & historiæ produnt, & fidem faciunt apud Marculfum, & alios, quę tùnc in usu erant veteres formulæ: quarum aliæ populi ad Regem preces continent, hunc, aìt illum sibi Episcopum flagitantis: aliæ præceptum Regis de collato Episcopatu: aliç indiculos ad Metropolitanum, & Episcopos pro Episcopi novi ordinatione. Nèc diversum pono sub primis secundæ familiæ Regibus Pipino, & Carolo rationem extitisse eorum, quibus Episcopatus commiserunt, exempla demonstrant* (a). Idipsum de beneficiis Abbatialibus contingebat: Et quod in Abbatialibus, & Episcopalibus beneficiis fiebat, multò fortiùs etiam fiebat, vel saltèm fieri poterat in beneficiis minoris notę. Cui etenìm licitum est id, quod est plus, non ambigitur licere etiam id, quod est minùs (b). Solum ergò refugium tutiùs erat ad privilegia recurrere, & peculiaria indulta à Regibus impetrare, ut liceret beneficia ipsa, præsertìm Episcopalia, & Abbatialia, per viam electionis Canonicæ dispensare: vel alitèr leges procurare, libertati electionis ipsius canonicæ suffragantes.

(a) *Sirmond. Append. ad to. 2. Concil. Gall. in præf f. 634.*

(b) *L. non debet: ff. de reg. jur. c. cum licet 53. de reg. jur. in 6.*

24. Porrò Carolus Magnus primus Occidentis Imperator, vel si mavis Ludovicus Pius ejusdem filius, & in Cæsareâ dignitate Successor, ità in suis Capitularibus censuit decernendum: *Monachorum causam qualitèr Deo opitulante, ex parte disposuerimus, & quomodò ex se ipsis sibi eligendi Abbates licentiam dederimus, in aliâ schedulâ diligentèr adnotare fecimus, & ut ad Successores nostros ratum foret, & inviolabilitèr conservaretur, confirmavimus* (c). Qui pariter Ludovicus monasterio S. Remigii Senonensis hoc indultum speciale contulit, sivè collatum à Conventu Episcoporum Vvormaciensi firmavit: *Episcopus, qui prò tempore, auctore Deo, præfuerit, Abbatem de eodem Monasterio, cum videlicèt, quem omnis congregatio sibi ordinandum poposcerit, & sinceritas morum, & bonorum actuum probitas commendaverit, si intèr eos talis inveniri quiverit, ordinandum procuret* (d). Similitèr quoad Episcopatus idipsum fuisse ab hoc Imperatore, seù ab illius patre statutum, in eisdem Capitularibus continetur: *Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberiùs potiretur honore, adsensum ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicèt Episcopi, per electionem Cleri, & Populi, secundùm statuta canonum de propriâ Diœcesi eligantur* (e).

(c) *Capitular. Carol. M. l. 2 c. 8. & 86.*

(d) *Ludov. I. ap. Labbè to. 7. Conc. f. 1680.*

(e) *Vid. infr. to. 3. c. 6. à n. 14. to. 3. c. 7. à n. 12.*

25. Itidèm Carlomannus Ludovici Balbi filius, in diplomate, favore Arremarensis cœnobii exarato cavit, nè ibi quisquam beneficium Abbatiale capesceret, *nisi ex ipsis, qui regularitèr ibi sunt ab infantiâ nutriti, & secundùm S. Benedicti institutionem, ex sese, non ex aliis.* (f) Consono indulto Lotharius I. Imperator monasterium Ambrosianum fovit (g), Carolus III. cognomine Crassus Episcopatum Paterbornensem munivit (h), quo & Catalaunensem Ecclesiam decoravit (i), proùt & non dissonum exemplar prò Ecclesiâ Genevensi signavit, de quo Joannes Papa VIII. *idem Serenissimus Imperator eidem Ecclesiæ electionem perenniter de proprio Clero donaverat* (l), Carolus IV. cognomento simplex consimile diploma prò Ecclesiâ Trevirensi concessit (m). Sed longum esset omnia hìc indulta congerere, quæ Principes prò Episcopalibus beneficiis, vel prò Abbatialibus edidère. Sat sit innuisse, idcircò hujusmodi privilegia fuisse per Ecclesias à Principibus postulata, nè Principes ipsi auctoritativè, & irrationabilitèr Clericos ibidem sinè canonica præficerent electione, vel nè easdem Aulicis Clericis, aut Laicis, veluti concederent in allodium. Adest valdè seria interpellatio Concilii Meldensis, apud Regem illius temporis ingemiscens, quod *Monasteria, quæ ab hominibus, Deum timentibus, in suâ proprietate constructa prædecessores Reges, cautâ defensionis, & Mandeburdii susceperunt, ut liberâ libertate, remotâ spe hereditariâ, de illorum propinquitate ibidem religio observaretur, nùnc in allodium sunt data* (n). Ità Principes beneficia ecclesiastica tamquam res Fisci, aùt proprias prò libito etiàm laicis impertiebant, & sicubi Clericis largiebantur, ipsa non solis indigenis, sed promiscuè etiàm extraneis, undecumque prodeuntibus concedebant, quod expressè legere est in-terdi-

(f) *Capitul. Carol. M. l. 3. c. 84.*
(g) *Jo: Petr. Pucicel. in Monum. Basil. Ambrosian. f. 184.*
(h) *Ex Vit. S. Meinverc. c. 7.*
(i) *Carol. Craf. apud Sirmond. to. 3. Concil. Gall. f. 571.*
(l) *Jo: 8. epist. 186. ad Genevens.*
(m) *Carol. Simpl. ann. 917.*

(n) *Conc. Meldens. cap. 41. 42.*

terdictas formulas antiquas Episcopalium electionum, ubi dicitur, quod Imperator *finè ullo periculo, & cum licentiâ canonum, undecumque, & cuicumque Clerico voluerit, dare poterit* (a), si electores, obtentâ eligendi facultate, in electione defecerint, uti latiùs paulò antè perpendimus. (a) *Sirmond. tom. 2. Conc. Gall. f. 646.*

26. Eadem indulta hâc aliâ ratione sibi Ecclesiæ comparabant, quià cum Magnatum crebri succederent in ecclesiasticas libertates incursus, novorum rescriptorum subsidiis opus erat eos intrà recti semitam coercere. Demùm idcircò hiscè privilegiis se Ecclesiæ circumvallabant, ut electio Pastoris ab eis fieret, quibus præesse debebat, & de sibi cognitis, non de ignotis, neque ab aliis, quorum nihil intererat Electi qualitates pensare. Prout autèm suprà dictum est de diplomatibus Pontificiis, recurrit hìc argumentum, quod si Ecclesiæ privilegiis peculiaribus indigebant, ut electio Rectorum, quibus committebantur, de proprio illorum corpore posset fieri; signum est, quòd de jure divino, naturali, vel humano, non erat, nec est ad solos Clericos de gremio, seù ad solos indigenas coarctata: alioquìn ad quid privilegium petere prò negotio, quod & juris communis, & naturalis, & Divini auctoritas confoveret? A jure ergò habebant quidèm Ecclesiæ, ut possent per viam electionis canonicæ sibi præsulem constituere, postquàm intermissa viâ designandi Præsules per liberam Pontificis electionem, vel per auctoritativam Episcoporum Comprovincialium destinationem, juxtà potestatem sibi concessam per canones, à Pontifice comprobatos, incepit electio à Clero Ecclesiæ vacuę celebrari; At quod Præsul, seù rector beneficii de solo proprio gremio Ecclesię viduatæ fieret, hoc nunquam Ecclesia generalis habuit, uti de præcepto, nèc illud nisi ex singularibus privilegiis Ecclesiæ aliquæ sunt sortitæ: ex privilegiis inquam, per Romanos Pontifices collatis, ad quorum præsidium impetrabantur etiam diplomata Regalia, vel Imperialia, quæ Apostolicis indultis observantiam consciscebant.

27. Augeturque vis rationis, argumentum ad ulteriora sub his terminis pertrahendo. Si eo tempore, quo vigebat jus canonicæ electionis, & Ecclesiæ de rectoribus providebantur per viam electionis, opus erat privilegio, nè rectores ipsi aliundè, quàm ex viduatæ Ecclesiæ corpore sumerentur; multò magìs id opus est nunc, cum provisio beneficiorum per electionem canonicam jàm cessavit. Ergò ubi contenditur extraneos esse à beneficiis ecclesiasticis repellendos; oportet exhiberi privilegium Apostolicum, vel Regale, Apostolicâ auctoritate munitum, quo largitiones beneficiorum ad solos indigenas coarctentur: aliàs justum non est, ut Ecclesia onere indebito prægravetur. Exerant ergò Contradictores diplomata, quæ clericos extraneos abstineant à beneficiis locorum, prò quibus ipsi sua volumina procuderunt, & nos illis assentiemur: vel si indultis talibus carent; ipsi nobis consentiant, & victi ingenuè fateantur, liberum, & licitum esse Ecclesiæ beneficia, & præbendas, non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis impertiri, non enim subsistere possunt eorum voces intèr rationes adeò evidentes.

28. Valdèque in his est notabile, quod etiàm post obtentum diploma, electionem Antistitis ad solos clericos de gremio coarctans; adhùc liberum, & licitum esse cognoscebatur electoribus quemlibet sibi benè visum eligere, tametsi de gremio Ecclesiæ viduatæ non esset. Exemplum habemus in Ecclesia Genevensi, cujus Clero, & Populo Joannes Papa VIII. intrà hujus Sæculi curriculum scripsit: *Caroli Imperatoris, Principumque ipsius relatu, vestram Ecclesiam viduatam cognoscentes pastore, & proptèr dissensionem Bosonis, cui sociatus ejusdem sedis videtur Metropolitanus, ordinationem electi vestri Optandi differre auctoritate, & potestate Apostolicâ, secundùm deprecationem ejusdem Serenissimi Imperatoris &c. atque optimatum ejus, præcognitâ vestrâ omnium in eodem Optando electione, & qualitèr idem Serenissimus Imperator eidem Ecclesiæ electionem perennitèr de proprio Clero donaverat, diutiùs ipsa Ecclesia, ne viduata remaneret Pastore, consecravimus eum Spiritus Sancti gratiâ, & ad regendum vos pastoralitèr instructum direximus, quem devotè, & una-*

& unanimitèr suscipientes, obedientes ei utpotè proprio Patri Spirituali sitis in omnibus &c. (*a*).

(a) Jo. 8. ep. 283. ap. Bin. to. 7. Concil.

29. Itàque Carolus Calvus Imperator speciale privilegium Ecclesiæ Genevensi fuerat impertitus, ut ibi electio Clerici ad beneficium Episcopale provehendi, de gremio illius Ecclesiæ celebrarentur. (Erantque hæc privilegia, non indulta, quæ præberent Ecclesiis jus electionis canonicæ, quàm jàm à sacris legibus nactę erant, sed præcautiones, & munimenta, quibus auctoritate Regiâ, libertati ejusdem electionis consuleretur, itàut non cogerentur Ecclesiæ suscipere in Præsules clericos illos, qui de palatio à Principe mittebantur, vel qui aliundè accersiti, ad ejusdem Principis nutum illùc exornandi sacris infulis mitterentur, sed liberum ejusdem Ecclesiis esset sibi Pastores electione propriâ destinare). Non obstante autèm præfato indulto Cæsareo quod vacante beneficio Episcopali Genevensis Ecclesiæ, liberèconcedebat fieri *electionem perenniter de proprio Clero*; Genevenses de facto non indigenam aliquem, non clericum de propriâ Ecclesiâ, sed virum extraneum, nomine *Optandum* sibi in Antistitem elegerunt. Obstitit autèm hujusmodi electioni Oteramus Archiepiscopus Viennensis, tamquàm Metropolita, & junctis viribus cum Bosone Comite, eandem gestiit infirmare.

30. Super quâ re habito ad Joannem VIII. Papam recursu, Pontifex decrevit sustineri electionem *Optandi*, quem quià Oteramus renuebat consecrare, Joannes illum Apostolicâ auctoritate sacratum, ad Ecclesiam illam transmisit, sed Oteramus inauditâ temeritate eundem Optandum captum vinculis mancipavit, & alium sibi benè visum in ipsius Ecclesiæ Præsulem consecravit. Quarè Pontifex hasce ad illum literas dedit. *Relatu veraci didicimus, Sanctimoniam vestram in Genevensi Ecclesiâ Episcopum consecrasse, cui nos necessariâ temporum qualitate perspectâ, jàm primùm clericis ejusdem Ecclesiæ suggerentibus, auctoritate Apostolica præfeceramus Episcopum, nomine Optandum. Quo audito, audaciam, & temeritatem vestram nimium admirantes, ob id maxime turbati sumus, eo quod non solum supèr ordinationem nostram obices manus habuistis, sed etiàm ad contemptum, & injuriam Sedis Apostolicę, præfatum Episcopum turpitèr capientes, arctâ custodiâ retrusistis, & rebus, omnibusque supellectilibus ejus direptis, hactenùs retrusum affligitis. Et contrà omne ministerium vestrum, (quod nulli Christiano licet) Sacerdotem Domini tetro carcere maceratis* (*b*).

(b) Jo. 8. ep. 99.

31. *Qua proptèr auctoritate Dei omnipotentis, & Principum Apostolorum Petri, & Pauli, simulque nostrâ vobis præcipimus, ut acceptâ hac nostrâ epistolâ, aut quoquo modo tenore illius audito, si intrà octo dierum spatium jàm dictum Episcopum propriæ sedi, proprioque honori, & dignitati reddere, restituereque contempseritis, à Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus, vobis in hoc facto faventibus, sitis prorsùs extorres, quousque juxtà hanc nostram dispositionem perficere satageritis: & quià alia multa vobis à quibusdam obiiciuntur, quæ Synodali discussione sunt corrigenda, decernimus, ut omni excusatione remotâ 8. Kal. Octobris futuræ primæ indictionis Romam ad Synodum occurrere non omittatis, ut tunc de vobis objectis rationem reddatis, & si adversùs eundem Episcopum à nobis consecratum, aliquam querimoniam habetis, canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo juvante, libramine diffinire* (*c*).

(c) Idem loc. cit.

32. Citrà dubium est, quod si jura divinum, naturale, atque humanum clericos extraneos à beneficiorum consecutione repellunt (ut autumant Contradictores) non potuissent Clerus, populusque Genevenses Optandum extraneum sibi in Antistitem designare, nèc Imperator illi electioni adhærere, neque Papa eandem approbare, in præjudicium clericorum de gremio ipsius Ecclesiæ, qualitatem indigenatus habentium, cum de illorum numero adessent ad idem beneficium idonei, qualem fuisse oportet eum, quem Oteramus Archiepiscopus elegerat, alioquin non potuisset obiicere Optando à se refutato, quod illius electio à regulis canonicis deviaret, quatenùs intèr cætera, quæ objectabat, hoc ad Joannem Papam scribere

bere non omisit, quod *Optandus &c. in Ecclesiâ Genevensi, nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus nunquàm extiterat* (a), nimirum quod indè erat extraneus, quantùm posset unquàm esse talis. (a) Jo:8.ep.195.

33. Verior tamèn causa repulsionis erat, quià Oteramus, propriæ dignitatis obtentu, volebat prò suo libito de Genevensi sede disponere, & Genevensibus Antistitem ipse dare; non ab eis antè delecto, ipse solius consecrationis munus adjungere. Grave adhùc ei erat, quod se inscio celebrata esset electio, cum canones irritam consilii facerent electionem Episcopi, cui Metropolitanus suâ auctoritate proprium non impertitus esset assensum; undè sancitur in Concilio Nicæno. *Illud generalitèr clarum est, quod si quis, præter sententiam Metropolitani, fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non posse* (b), & in Concilio Carthaginensi II. placitum hocce prodiit, *placet omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ, tàm facilè nemo præsumat, licèt cum multis Episcopis, in quocumque loco, sinè ejus præcepto, Episcopum ordinare* (c). Ex Pontificibus idem definierat Innocentius I, ità decernens, *ut extrà conscientiam metropolitani Episcopi, nullus audeat ordinare Episcopum* (d). Et Hilarus Papa. *Hoc juxtà Patrum regulas volumus custodiri, ut nullus præter notitiam atquè consensum &c. Metropolitani, aliquatenùs consecretur Antistes, quià hoc & vetus ordo tenuit, & trecentorum decem, & octo Patrum definivit auctoritas* (e). His ergò fretus fundamentis Oteramus Archiepiscopus Viennensis Optandum electum Genevensem renuit consecrare, sed alium ex proprio consilio Genevensibus Antistitem designavit, qui ei protinùs repudii, & contradictionis ejulatibus obviarunt, eosque, & Papa, & Imperator, & Optimates Regii consoverunt.

(b) Conc. Nicæn. 1. cap. 6.
(c) Conc. Carthag. 2. cap. 12.
(d) Innoc. I. epist. 2. cap. 1.
(e) Hilar. PP. ep. 2.

34. Sed aurea sunt verba, quibus Joannes Pontifex, de quo loquimur, extraneitatis culpam in *Optando* carptam dispescuit. Scribit enim Oteramo: *De hoc autèm, quod dicitis, quod ipse Optandus Genevensis Ecclesiæ nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterit, interim silentio est tegendum, eo quod, cum caritate vestrâ loquimur, nihil horum habens vestra sanctitas in Viennensi Ecclesiâ est consecrata* (f). Erat extraneus Viennæ *Oteramus*, in eâ Ecclesiâ nec baptizatus, nec clericatu insignitus, nec ordinatus, nec acclamatus, nec eruditus, & tamèn ibi beneficium Archiepiscopale fuerat assecutus, nec poterat in culpam vocare Optandum, quod Genevæ esset extraneus, quando ipse, eodem vitio laborans, Viennensem Cathedram adeptus erat; ne cum aliis prædicabat, ut inquit Apostolus, ipse reprobus efficeretur (g). His ità se habentibus, contempsit Pontifex objecta *Oterami*, & signantèr extraneitatem *Optandi* nihili fecit, voluitque hunc omninò sinè cunctatione in Genevensis Ecclesiæ sede locari.

(f) Jo: PP. 8. ep. 195
(g) 1. Corint. cap. 9. num. 27.

35. Summam igitur totiùs facti supputando habemus, quod & *Genevenses*, qui eligerunt ad beneficium Episcopale suæ Ecclesiæ Optandum extraneum, quamquàm privilegio suffulti essent aliquem de proprio gremio in perpetuum eligendi; & *Optandus* extraneus, qui infulas Genevenses acceptavit; & *Joannes* Papa VIII. qui utrorumque facta authorizavit; & Oteramus, qui non obstante extraneitate factus est Archipræsul Viennensis; Hi omnes suis operibus comprobarunt, patere extraneis accessum ad ecclesiastica beneficia, & istorum exclusionem non habere veri zeli rectitudinem, nèc justitiæ titulum, nèc ecclesiasticæ observantiæ rationem. Cumque hic promotus fuerit ad beneficium Episcopale Optandus Clericus extraneus, à Genevensibus delectus, & viceversa fuerit reprobatus alius Clericus indigena, ab Oteramo Metropolitâ provectus, atque ad Episcopatum citrà controversiam idoneus; evacuatur subterfugium Contradictorum, à quibus facile esset audire, ideò Genevenses in extraneum consensisse, quia nullus in eorum gremio esset ad Episcopatum idoneus. Paritèr si licite potuit eligi extraneus eo tempore, quo vigebat jus canonicæ electionis, & in Ecclesiâ speciali indulto munitâ, ut semper de proprio Clero sibi valeret Episcopum destinare; quid dicendum erit de nostris temporibus, & de locis, ubi nèc viget jus electionum, nèc adest privilegium electio-

nem, beneficiariorum, ad solos Clericos de gremio Ecclesiæ coarctans? Igitùr ex hoc facto mirificè nobis exponitur libertas Ecclesiæ in admittendis etiam extraneis ad ecclesiastica beneficia; in unumque, collecto integro complexu eventus, de quo loquimur, datur nobis posse,& debere concludere,liberum,& licitum esse Ecclesiæ, inprimisque Summo Pontifici, necnon & Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quam delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, Ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis verùm etiam extraneis elargiri.

SÆCULUM CHRISTI X.

C A P U T XXIV.

In quo ex multiplici admissione Clericorum extraneorum ad duo præcipua Orbis ecclesiastici beneficia, nempè ad Romanum Pontificatum, *& ad* Patriarchatum Constantinopolitanum, *atquè ad alias Ecclesias, hìc obitèr intermixtas; probatur Ecclesiæ libertas in conferendo sacras Præbendas, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis. Agiturque incidentèr de* literis Naturalitatis.

S U M M A R I U M.

1 Sæculum decimum *sterile est doctrinæ Patrum, juriumque, ac gestorum, ad Ecclesiam pertinentium.*

2 *A parte ad totum, & à majori ad minus, validum est argumentum. Pontificale, & Patriarchale beneficium, extranei quoquè hoc sæculo tenuerunt.*

3 Leo Papa V. *beneficia Monachatus, Presbyteratus, Cardinalatus, & Pontificatus adeptus est in locis, à quibus erat extraneus.*

4 *Paritèr* Landus, *& Joannes X. similia fecerunt, & quomodo essent extranei. Joanni multa opposita fuerunt, non tamèn extraneitas.*

5 *Epistola Joannis Papæ X. ad Carolum III. Gallorum Regem, de repellendo Hilduino ab Episcopatu Tungrense, & præfi:iendo illi Richarium.*

6 *Erat* Richarius *extraneus, tamen electus est; licèt ibi non deessent Clerici, & Monachi meritissimi Episcopalis beneficii.*

7 *In hac serie rerum Richarii quot concurrerint, ostendentes, quod Clericus extraneus liberè valeat beneficiis Ecclesiasticis insigniri.*

8 *Erat extruneus ab Ecclesiâ Romanâ* Stephanus IX. *tamen ibi Papale beneficium adeptus est. Quid de Joanne Papa XIII. & Patre ejus Joanne.*

9 Benedictus *quoque VII. beneficia in locis extraneis habuit, qui &* Sergio *Episcopo Damasci Romæ Abbatiam S. Alexii contulit.*

10 *Vi-*

10 *Vixit hoc tempore* Vverchner *Abbas Fuldensis, & S. R. E. Cardinalis, qui obiit in acie armis Saracenorum, apud Calabros.*
11 *Extraneitatis quoquè in se habuit qualitatem* Joannes XIII. *vel Romæ, vel Papiæ, ubi beneficia possedit.*
12 *Bruno è Ducibus Saxoniæ factus est Papa* Gregorius V. *cui Crescentius Romanus opposuit Antipapam Joannem XVII. monachum Calabrum.*
13 *Otho III. Imperator Pseudopontificem oculis effossis abjecit, & Gregorium Apostolicæ sedi restituit, qui Gregorius probitate satis claruit.*
14 Silvester Papa II. *anteà Gebertus monachus, linea sanguinis Imperatorem attingens, Ecclesiæ præfuit hoc Sæculo.*
15 *Gerbertus infestatus fuit, quando Præsulatum Remensem suscepit. Adeò doctrinà excelluit, ut* Scholastici *titulum sit adeptus.*
16 *Reges, & Præsules discipulos habuit, Abbatiam S. Columbani in Insubrià possedit, propter quam multas inimicitias sustinuit.*
17 *Calumnias, & vivens, & mortuus passus est, quarum una, fuit fabula illa, quod Magicis artibus Ecclesiasticas obtinuerit dignitates.*
18 *Archiepiscopatum habuit Remorum, & Ravennæ; se licitè obtinuisse Abbatiam Bobiensem Papæ scribens ostendit.*
19 *Gerbertus habuit Abbatiale, Archiepiscopale, & Papale beneficia, in locis, à quibus erat extraneus: nec quisquam de hac rè illum carpsit.*
20 *Si dicatur, Imperatorem potuisse reddere Gerbertum civem Ravennæ, & Romæ, & de extraneo facere indigenam; hoc esse non potest, & cur?*
21 *Cum Otho III. Imperator non esset Dominus Ravennæ, & Romæ, non potuit literas naturalitatis Gerberto concedere: & de extero civem facere.*
22 *Obitèr agitur de* literis naturalitatis, *quas Principes Supremi alicubi concedere solent viris extraneis, ad consequenda beneficia.*
23 *Reges, & Principes Supremi has literas dant. Antiquis tamen temporibus, quoad beneficia Ecclesiastica, ignotæ erant.*
24 *Constantii Cæsaris tempore, ex facto Gregorii Cappadocis, liquet, quod literæ naturalitatis in usu non erant.*
25 *Ex decreto Concilii Toletani* XII. *indicatur, quod medio tempore, literæ naturalitatis in Hispanià locum non habebant.*
26 *Ex facto* Caroli Calvi *in causa Optandi Genevensis, & Philippi Ducis Mediolani in alià Æneæ Sylvii, conjicitur idem quod suprà.*
27 *Si de jure beneficia solis debentur indigenis, Reges literas naturalitatis, in præjudicium indigenarum, concedere non valebunt.*
28 *Etiam Episcopus concedere poterit literas naturalitatis pro suà diœcesi, & cur? Enim vero Episcopus quoque est Princeps.*
29 *Papæ quoquè tamquàm Christi Vicario, negandà non videtur potestas literas naturalitatis ubilibet concedendi, quoàd res ecclesiasticas.*
30 *Aliæ rationes allegantur, ob quas videtur, quod etiam Papa possit ubilibet conferre literas naturalitatis extraneis.*
31 *Papa legitimare potest laicos, etiam in temporalibus sibi non subiectos, & habiles reddere ad Officia debita solis legitimis.*
32 *Ità Innocensius III. dispensavit eum illegitimo, ut beneficium Episcopale Vigorniensis Ecclesiæ in Anglià posset adipisci.*
33 *Si conatus Contradictorum valeret, vel literas naturalitatis neutra potestas secularis, & ecclesiastica, vel utraque deberet posse concedere.*
34 *Si hoc secundum admittatur, emerget alia contentio, ad quam extirpandam, relinquenda est utraque potestas, in suis terminis.*
35 Euthymius *Isauricus*, Stephanus *Amasenus*, & Basilius *Scamandrenus*, *hoc sæculo Patriarchatum Constantinopolis adepti sunt.*

a. ARI-

1. ARIDUM, ac penè desolatum ingredimur *Decimum Christi sæculum*: in quo redundantibus malis, ecclesiasticâ disciplinâ languorem passa est; armisque Potentum cunctavastantibus, res literarię defecerunt; ac tàm jurium inops, quàm factorum sterilis, atque doctrinæ Patrum exhausta fuit Ecclesia. Nihilominus prout meliùs, in tantâ rerum siccitate fas erit, aliqua consarcinabimus, ad causam nostram spectantia; hæcque ipsa penuria optimum præbebit justitiæ præsentis elucubrationis auxilium, quippè si sic in arido, quid fiet in viridi? Si etiam cum deficiunt, vel rara esse noscuntur, documenta, quæ possint libertati Ecclesię, de quâ contendimus, suffragari; adhùc ipsa libertas congruis rationibus suffulcitur; quid fiet in sæculis, quibus inest uberior canonum, historicorum gestorum, ac doctrinæ Patrum, Scriptorumquę ecclesiasticorum congeries? Profectò hęc ipsa sterilitas liberam pronunciat Ecclesiam, in suorum dispensatione beneficiorum, quam assiduus Contradictorum conatus, vellet, si posset, jàm redegisse captivam.

2. Igitùr arguendo à parte ad totum (*a*), & à majori ad minus (*b*), à quibus validum utrobique desumitur argumentum, perpendamus libertatem, quâ usa est Ecclesia hoc sęculo decimo, in provisione summi Pontificatus, qui est *primum* Orbis beneficium (*c*), & Constantinopolitani Patriarchatus, qui paritèr est beneficium (*d*), & quidem in ordine *Secundum*, seù primum post Papatum (*e*). Certè intèr multos, qui D. Petri Cathedram hoc tempore tenuerunt novem ex variis orbis partibus prodiere, vel ibi alitèr extraneitatis titulum habuerunt, nempè Leo V. Ardeatinus, Lando Sabinus, Joannes X. Episcopus Bononiensis, Stephanus IX. Germanus, Joannes XIII. Episcopus Narniensis, Benedictus VII. Episcopus Sutrinus, Joannes XIV. Episcopus Papiensis, Gregorius V. ex Saxoniâ, & Silvester II. ex Aquitaniâ, præter Joannem XVII. Antipapam, qui in Schismate Pontificatum invasit (*f*). Intèr decem quoque, qui Patriarchali beneficio Ecclesiæ Constantinopoleos præfuerunt, tres saltèm fuerunt extranei, nimirum Euthymius Isauricus, Stephanus Amasenus, & Basilius Scamandrenus (*g*).

3. Quorum omnium extraneitatis, ut rationem aliquam reddamus, en quæ referenda nobis occurrunt. *Leo Papa V.* patriam habuit urbem, sive agrum Ardeatinum in Latio (*h*), fuisseque Presbyterum Phocensem traditur (*i*), fortè quia Ecclesiam in Etruriâ tenuit apud Phocenses, quorum oppidum *Fossechio* dictum intèr Florentiam, Pisas, & Lucam positum est (*l*), Monachali etiam incubuit professioni in ordine S. Benedicti, deinde factus Cardinalis, Romanum quoquè Pontificatum est successivè assecutus (*m*), & ità non semel, sed bis, & tertiò extrà patriam beneficia ecclesiastica conquisivit, monachatus, Presbyteratus, Cardinalatus, Pontificatus, vel saltem eorum partem, in locis, à quibus erat extraneus: Ardeatinus Romæ; Latinus in Etruriâ &c. Deficiunt aliæ notitiæ gestorum hujuscè Pontificis, tùm quia illius regimen diem quadragesimum non excessit (*n*), tùm quia Scriptorum illius temporis inopia operum ejusdem memoriam ad posteros non transmisit: sed ea, quæ recensimus satis sunt, ut innotescat, illi fuisse liberum beneficia sacra adipisci in locis, à quibus erat extraneus.

4. Pariter *Landus*, sive Lando hac ipsâ ætate Pontificale beneficium adeptus est, quamquàm esset patriâ Sabinus, & professione Canonicus Regularis Lateranensis (*o*), adeoque nedùm diœcesi, sed etiam provinciâ esset extraneus ab Urbe Româ, ubi Canonicale, & successivè Pontificale promeruit beneficium. Huic immediatè successit *Joannes X.* ortu Romanus (*p*), presbyter Ravennas (*q*), qui priùs uti Episcopus, Ecclesiæ Bononiensi prefuit, indè ut Archiepiscopus Ravennati, ac demum uti Papa Romanæ (*r*), & ità quatèr variato loco, ac per residentialis beneficii assecutionem hìc illìc de extraneo factus indigena, & de indigena rursus in extraneum transmutatus, unum est, quod & majora, & minora beneficia presbyteratus, Episcopatus, Archiepiscopatus, ac Papatus accepit, in locis, à quibus, & patriâ, & diœ-

(a) *Menoch. cons. 855 n. 10 Barbos. tract. var. Loc. 82. cum aliis ibi.*
(b) *cap. si ergo 8. q. 1. c. si Paulus, & ibi glos. 12. qu. 5. Auth. multo magis C. de sacros. Eccles. Barbos. Loc. 67 1.*
(c) *Mart. de jurisd. p. 2. c. 39. n. 1. Laym. l. 4 tract. 2. c. 4. n. 4.*
(d) *Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 40.*
(e) *Cap. antiqua 23. de privil. Thomass. vet. & nov. Eccles. discipl. p. 1. l. 1. cap. 10. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 6. n. 12. 19 20.*
(f) *Ciacon. Platina Joannettus Panvinus, in d. Papis.*
(g) *Vide infr. in hoc cap. n. 35.*
(h) *Bin. to. 8. Concil. f. 168. Panvin. Rom. Pont. p. 2. in Leon. 7. n. 120 Ciacon. in Leo. 7.*
(i) *Ciacon. loc. cit.*
(l) *Philip. Ferrar. Lexic. Geograf. V. Phocensis.*
(m) *Ciacon. loc. cit. in Leon. 5.*
(n) *Card. Baron. an. 907. n. 21*
(o) *Ciacon. in Lando. Panvin. ibid. n. 12 Bin. to. 7. Conc. f. 170 Baron. an. 912. n. 1.*
(p) *Platin. Panvin. Ciacon. in Jo. x.*
(q) *Baron. an. 912. n. 7. Bin. to. 7. Concil. in Lando f. 170.*
(r) *Baron. Bin. Ciacon. Platin. Panvin. loc. citat.*

& Diœcesi, & provinciâ,& regione, diversis respectivè de causis, erat extraneus. Et quod notabile est,cum hic Pontifex de aliis vitiis carptus legatur, nemo tamèn illum objurgat, quod ex presbytero Ravennate ad beneficium Episcopale Bononiense, & ex hoc ad Archiepiscopale Ravennæ conscenderit, quippè quod non invasione, non usurpatione, non illegitimis modis, sed viâ rectâ, canonicâ, & auctoritate Landi Papæ adeptus est (*a*), quamquàm posteâ Pontificatum Romanum non adeò laudabilibus modis sit assecutus. De quo nihilominus etiàm nullus eum redarguit, quod acceperit illum, cum esset extraneus; Sed quod Theodorâ procurante ad illum pervenerit.

(a) *Baron. ann. 912. n. 7. Bin. to. 7. Conc. in Lando.*

5. Hic ipse Joannes, interpellatus à Berengario Imperatore,atque à Carolo III. Gallorum Rege, ut Hilduinum à beneficio Episcopali Tungrensi, seù Leodiensi, repelleret, ac Richarium promoveret, eidem Carolo scripsit. *Dilectus filius Berengarius gloriosissimus Imperator Apostolatui nostro literas ex Richario à vobis electo in Leodio, atque à cuncto Clero, & populo transmisit, & qualitèr Gislebertus vester infidelis Hilduinum illic consecrare præcipiendo non formidavit. Nos verò prece dilecti filii nostri moti, Herimanno Archiepiscopo nostri Apostolatus apices transmittere studuimus, quatenùs mediante Octobrio, cum illis paritèr junctus ad limina Apostolorum non differat venire, ut tùnc probabilibus documentis canonicè, qui dignus est approbetur, qui verò indignus esse contemplatur, tunc reprobatus appareat &c.* (*b*). Adveniente condicto tempore Pontifex, auditis utriusque competitoris rationibus, Richario beneficium Episcopale adjudicavit, & Hilduinum abjecit, atque excommunicatione innodavit (*c*). *Richarius*, inquit Flodoardus, *qui Romam profectus fuerat proptèr Episcopium Tungrense, reversùs est ordinatus à Joanne Papa Episcopus, Hilduino ab ipso Papâ excommunicato, qui etiàm illo abjerat Episcopus* (*d*).

(b) *Joan. x ep. ad Carol. 3. ap. Sirmond. to. 3. Conc. Gall. f. 577.*
(c) *Baron. ann. 922. num. 29.*
(d) *Flodoar. in Chronic an. 922. ap. Duches. to. 3 hist. Franc. f. 591.*

6. Erat Richarius dignitate Abbas, eique tamquàm tali Joannes Papa præfatus literas direxit, per missum Herimanni Archiepiscopi Coloniensis ei redditas, quibus Romam prò memoratâ causâ vocabatur (*e*). Abbas inquàm Prumiensis, quem Regino,ejusdem cœnobii Diœcesis Trevirensis paritèr Abbas,dicit fuisse sibi in munere successorem (*f*), sed & Abbatiam Stabulensem possedit, ipseque natus est filius Comitis Hannoniæ (*g*). Quarè Richarius tamquàm ortu Hannoniensis, tàm à cœnobiis Prumiensi, ac Stabulensi, in quibus beneficiis Abbatialibus potitus est, quàm ab Ecclesiâ Tungrensi, seù Leodiensi, cui præfuit Episcopali beneficio decoratus, erat extraneus: nec inibi defuisse supponi potest viros idoneos ad eadem beneficia, cum proptèr multitudinem monachorum, ac numerositatem Cleri utriusque urbis Tungrensis, & Leodiensis, quæ unum constant Episcopatum, exuberarent, non deessent viri illorum numerum meritissimi.

(e) *Capitula Herim: Colon: ap. Duches. loc. cit f. 578.*
(f) *Regino in Chron. an. 892. f. 68. 25.*
(g) *Catalog. Episcopor. Leodien. nu. 19. ap. Theatr. vit: human. V. Episc. f. 283.*

7. Quapropter tutâ conscientiâ non potuissent Clerus, ac populus, monachi, ac principes, sivè quicumque alii erant, ad quos spectaret eligere Abbates, præfatis monasteriis præficiendos, vel Episcopos, in Leodicensi Cathedrâ collocandos non potuissent, inquam,indigenis postpositis extraneos ad illa beneficia provehere, si beneficia ecclesiastica necessariò, ac de jure divino, naturali, & humano essent solis indigenis conferenda, uti supponunt Contradictores. Itàque ex totâ serie præsentis eventus patet, quod & Joannes Papa X., & Berengarius Imperator, & Carolus Rex Francorum, & Herimannus Archiepiscopus Coloniensis, & Clerus, ac populus Leodiensis, atque Tungrensis, & monachi demùm Stabulenses, atque Prumienses, in eo sensu fuerunt, quod Richarius ritè Abbatialia, & successivè Episcopalia beneficia consequi potuisset, in cœnobiis, & in Ecclesiâ, à quibus ortu erat extraneus, & si in unico successu habemus Papas, Imperatores, Reges, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, monachos, Cleros, & populos, quà proprio, quà facto alieno in unum consentientes, prò admissione extraneorum ad ecclesiastica beneficia; quis illam ampliùs integrâ fide, ac sanâ mente audeat impugnare?

8. Albo summorum Pontificum, qui Decimo Christi Seculo Ecclesiæ Catho-

licæ præfuerunt, inscriptum legitur nomen *Stephani* IX., quem Germania primum è suis patriciis dedit Apostolicæ Sedi (*a*), prævaluitque gratiâ apud Principes, & Magnates (*b*): Ac eum post alios quosdam intermedios secutus est in Summo Pontificatu *Ioannes Papa XIII.* cui patriam fuisse Romam ferunt, sed & ab Episcopatu Narniensi ad summi Papatus apicem pervolasse (*c*); Patremque habuisse alium Joannem, qui post eum in matrimonio susceptum, Clericali militiæ operam dedit, ac Episcopale beneficium in Ecclesiâ quadam obtinuit (*d*). Stephano ergò IX. nihil obstitit extraneitas, quominùs Pontificale beneficium ritè, ac rectè potuerit adipisci, & quidem extraneitas, nedũ quoad patriam, sed etiam quoad provinciam, quoad regionem, ac per tantum loci spatium extensa, quantum distat Roma à Germaniâ. Joannes quoquè XIII. si non fuit extraneus Romæ, certè talis fuit ab Ecclesiâ Narniensi, & tamen nihil obfuit, quin ibi posset beneficium Episcopale adipisci. Prout, & pater ejus Joannes licitè potuit simile beneficium extrà Romanam Ecclesiam promereri.

9. Simile prorsus est his id, quod in *Benedicto Papâ VII.* evenit, ipse namque, tametsi patriâ Romanus, & ab Albericis, in eâ urbe potentissimis, derivaret; Episcopalibus tamen tæniis redimitus apud Sutrinos effulsit, & hinc ad Romanum Pontificatum ascendit (*e*), cui proindè beneficium Episcopale Sutri accepisse non demeritum fuit, sed potius titulus talis meriti, ut indè dignus factus fit ad Papale solium sublimari. Qui pariter Benedictus *Sergium* Episcopum Damascenum, à Saracenis expulsum, nedum benigno animo excepit, sed etiam Abbatiam, & Basilicam SS. Bonifacii, & Alexii ei contulit, ubi monachis præesset, ibidem Domino famulantibus (*f*), quod profectò facere non potuisset, præsertim in præjudicium indigenarum, si extraneis beneficiâ largiri prævaricationem humanarum, divinarumque legum continere agnovisset; sed fatis fuisset Sergio, ipsi viro extraneo Asiatico, ac Syro pietatis intuitu eleemosynas, vel subsidia, à beneficiis diversa conferre, quibus posset congruè sustentari, si eisdem fortè contingeret indigere.

10. Sub hoc Pontifice claruit *Vverbner*, qui Hattoni II. ex Abbate Fuldensi ad Archiepiscopale beneficium Ecclesię Moguntinæ provecto, in Abbatiali beneficio successit (*g*). Ipsum autem Vverhnerum fuisse S. R. Ecclesiæ Cardinalem antiqua Monumenta recensent, de quibus Christophorus Brouverus ait, eum *Laudant domestici Chronica Augustana S. Udalrici. Quibus, & Vverbnerus traditur hujus Divi materterâ satus, necnon Cardinalium numero adlectus* (*h*). Obiit infelix in celebri acie illâ, quâ Saraceni exercitum Othonis II. Imperatoris apud Calabros attriverunt, de quo Lambertus Schafnaburgensis, in prælio *occisus est Henricus Augustensis Ecclesiæ Episcopus, cum aliis plurimis Episcopis &c.* necnon *Udo, Gebebardus, Guntherus &c. Otho Dux, atque Vverbner Abbas Fuldensis. Ipse Imperator vitâ comite vix evasit* (*i*). Bello Vverhnerum interfuisse certum est, obiisse certissimum, pugnasse tamen est incompertum. (*l*) Utcumque res se habeat, ad negotium nostrum pertinet, quod fuerit Cardinalis, & quamquam extraneus, extranationalis, Germanus in Italiâ, Monachus, & Abbas Fuldensis in Ecclesiâ Romanâ Cardinalatum tenuerit, qui citrà dubium inter beneficia Ecclesiastica computatur (*m*).

11. Benedicto immediatè in Pontificatu successit *Joannes XIII.* vel secundum aliorum computum XIV. Petrus anteà vocatus à Caneva nova vir doctissimus, & multorum auctor librorum (*n*) quem alii Romanum fuisse (*o*), alii communius censent patriâ fuisse Papiensem, cujus etiam urbis erat Episcopus (*p*), & Cancellarius Othonis II. Imperatoris (*q*), sive autem Papiâ, sivè Româ natales traxerit; certè cum non potuerit utrobique ortum insimul habuisse, nec utriusq; loci esse indigena, oportet, quod necessariò ab alterutrâ illarum urbium extranei rationem habuerit, & sive Episcopale in Ticinensi, sivè Pontificale in Romanâ urbe suscipiendo beneficium, beneficium obtinuerit in loco, à quo re vera esset extraneus. Illum fuisse virum doctum, & pium, testatur epitaphium ejusdem tumulo inscriptum (*r*): quarè non est credibile, quod uti doctrinâ pollens nesciverit, & uti pietate præstans, voluerit in sè culpam contrahere, si quam cognovisset incurri ab eis, qui beneficia suscipiunt in locis extraneis, sed po-

(a) *Jo: Gualter. Chro. Chron. Eccles. p. 2. to. 2. f. 1600 Baron: an: 339. 6. Platin. in Steph: 8.*
(b) *Baron. ann. 942. 2. Gualter. loc. cit.*
(c) *Platin. Panvin. Ciacon. in Joan: 13. vel 14. Baron. an. 965. num. 4.*
(d) *Platin. & Ciac. loc: cit.*
(e) *Baron. an. 975. 2. Platin. & Ciacon. in Bened 7. Bin. to: 7. concil. in Bened: 7. f. 194.*
(f) *Baron. an. 977. 1. Bin loc. cit.*
(g) *Lambert. Schafnaburg. de reb. Germ. an. 963. Christof. Brover. Antiq Fuld. lib 4. n. 15. fol 285.*
(h) *Brover. loc. cit. & lib. 1. c. 19. Victorel: in addit: ad Ciacon: in Bened: PP: 7.*
(i) *Lamber. Schafn. ann. 982.*
(l) *Brover. Antiqu. Fuldens. l. 1. c. 20.*
(m) *Mart. de jurisd. c. 39. n. 2. Laym. l. 4 tr. 2. c. 4. n. 4. Selv. de benef. 1. qu. 2. n. 3. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. num. 52.*
(n) *Ciacon. Vit. Pontif. in Jo: 14.*
(o) *Platin. in Jo: 15. PP. 142.*
(p) *Ciacon. & Panvin. in Jo: 14.*
(q) *Baron. ann. 984. 3. Bin. to. 7. Concil. in Joann. 14.*
(r) *Andr. Victorel addit. ad Ciacon. in Jo: 14.*

potiùs suofacto docuit, nulli extraneitatem obsistere, quo minus valeat beneficia etiam sublimioris ordinis adipisci, & multo magis illa, quæ sunt ordinis inferioris.

12. Decennio post obitum Joannis XIV. nimirum anno 995. promotus est ad summum Pontificatum Bruno Teutonicus, è Ducibus Saxoniæ, Othonis III. Cæsaris consanguineus, qui & *Gregorii V.* nomen assumpsit (*a*). An hic fuerit extraneus est superfluum sciscitari, nisi placeat disputare, an & quantum distent Germania ab Italiâ, Latium à Saxoniâ, & urbs Verdæ, in quâ Gregorius ortum habuit, ab urbe Româ, in quâ Pontificatum obtinuit (*b*): Triennium in Solio Apostolico non complevit, nec in eo quietè resedit, quippè Crescentius, vir inter Romanos præpotens, & factiosus alium ei in schismate opposuit, Arnulfum, sivè Adeobaldum nomine, vel ut aliis placet Philagatum Monachum Cassinatem, natione Calabrum, patriâ Cariatensem, vel secundum alios Rossanensem, Episcopum Placentinum, qui & ad Archiepiscopatum Mediolanensem aspiraverat (*c*): hunc tam scientiâ, quam pecuniis affluentem Crescentius Pontificali cathedræ subintrusit, non ut repelleret Gregorium quà extraneum, alioquin alium extraneum, sub nomine Joannis XVII. Antipontificem non creasset, sed ut Romam regeret Pontifex à se dependens, & sub quo liberè posset ipse omnia per fas & nefas audere.

13. Otho ergo III. Imperator Romam rediens Pseudòpontificem captum, ac variis ignominiæ notis affectum, è suffurato solio pepulit, & oculis orbatum in Germaniam relegavit. Crescentium quoque ultimo supplicio affecit, & Gregorium suæ sedi restituit (*d*): Sunt qui dicunt Gregorium ipsum, anteà Brunonem, tali pietate floruisse; ut aliquando presbyteratum præ humilitate suscipere recusaverit (*e*). Præfuisse quoque ferunt Ecclesiæ Verdensi, quamquam cum Brunone I. illius Ecclesiæ Præsule ab aliquibus confundatur. (*f*) Unum est autem, quod fuit vir pius, nec Pontificatum invasit, sed methodo præfinitâ per sacros canones acquisivit. Et sicuti ritè quod omnia ad illum accessit, sic & nihil sibi obsistere extraneitatem agnovit, quo minùs licitè posset summum Pontificatus consequi beneficium in Romanâ Ecclesiâ, à qua erat extranationalis, postquam Episcopale susceperat in Verdensi, à qua si non natione, saltem dioecesi erat extraneus.

14. Demùm postremus omnium, qui Romanum Pontificatum intra sæculum Christi decimum susceperunt, fuit *Silvester II.* Gerbertus antea nuncupatus, quem alii fuisse natione Germanum, & Provinciâ Belgam, affirmant (*g*), alii communius sentiunt fuisse natione Gallum, & provinciâ Aquitanum (*h*), ac in adolescentiâ Hispali in Hispaniâ literarum studiis incubuisse (*i*). An Ortus sit nobilis, vel ignobilis, ambiguum videtur, quippe abjectis eum natum esse parentibus innuit Glaber (*l*), sed oppositum in Epistola Othonis Imperatoris ad ipsum Gerbertum datâ indicatur: ait enim: *Quià divinitate propitiâ non solum sanguinis lineâ, verum etiam inter eunctos mortales quadam sui generis eminentiâ connectimur affectu, qualitate eirca Domini cultum non dispares esse debemus* (*m*). Nàm si sanguinis lineâ junctum sibi habuit Imperatorem, profectò nobilitate ingenti præcelluit. Professus est Monachatum: sed ubi nam? Quis bene novit. Floriacense Monasterium coluisse censetur (*n*), vel secundum alios Auriacense (*o*): De illo infrà redibit sermo (*p*): certè autem ex illius literis patet fuisse Monachum S. Geraldi Aurelianensis, se illius enim coenobii profitetur alumnum, & discipulum Abbatis, ac Monachorum, quibus ita scribit.

15. *Dùm urbem Remorum causâ Dei fugio, urbi Remorum causâ Dei prælatus sum. Quæ res gentes, & populos in mei excitavit invidiam, & quià viribus nequeunt, legibus ulcisci quærunt. Estque tolerabilior armorum colluctatio, quam legum disceptatio. Et quamvis æmulis meis dicendi arte, & legum prolixâ interpretatione, quantum meà interest satisfaecerim, non tamen adhùc semèl cæpta deposuerunt odia. Adeste ergò Reverendi Patres, vestroque alumno fusis ad Deum precibus opem ferte. Discipuli victoria, magistri est gloria. In commune quidem omnibus vobis pro mei institutione gratias rependo, sed specialius Patri R. cui si quid scientiæ in mè est, post Deum, intèr omnes mortales gratias rependo* (*q*). In hoc ergò coenobio videtur

(a) Platin. Ciac. & Panvin. in Greg. V.

(b) Ciacon. in Greg. Pap. V.

(c) Baron. ann. 996. Ciacon. in Greg. 5. & Andr. Victorel. in Annotat. ibi

(d) Baron. an. 996. Ciac. cum notis Victorel. & Plat. in Gregor. 5. Bin. tom. 7. Concil. in Greg. 5. f. 199. Jo: Gualter. Chron. Chron. in Catal. Pontific. Germ. fol. 1601.

(e) Vit. S. Herebert. Colon. c. 5. ap. Sur. to. 2. Baron. an. 996. 6.

(f) Vid. Victorel annot. ad Ciac. in Greg. 5.

(g) Jo: Gualt. Chron. Chron. in Catal. Pont. German. n. 3. f. 1602.

(h) Ciac. & Panvin. in Silvest. 2.

(i) Vinc. Bellouac. spec. hist. l. 24. c. 98. Ciac. in Silvest. 2.

(l) Glaber. l. 1. c. 4. Baron an 991. n. 6.

(m) Inter epist. Gerbert. 155. ap. Duchesn. hist Franc. to. 2. & in Bibl. Patr. to. 10:

(n) Ciacon. & Panvin. in Silvest. 2.

(o) Card. Baron. ann. 991. n. 6.

(p) Vid. infr. to. 3. c. 7 num. 25.

(q) Gerbert. ep. 35. int epist. posteriores ap. Duchesn. tom. 2. histor. Franc f. 838.

tur monachatui operam impendisse, taliterque in doctrinâ profecit, ut Scholastici titulum promeruerit (*a*), quâ voce significari viros in scientiis excellentes notum est apud eruditos (*b*).

16. E monasterio ad Palatium accersitus est, ut Robertum, filium Ugonis Francorum Regis in literis erudiret (*c*). Indè Othonem quoquè, qui posteà Imperio præfuit, nomine tertiùm, scientificis imbuit disciplinis. Lotharium insupèr virum nobilitate clarissimum, discipulum habuit, qui successivè Archiepiscopali apud Senonenses eminuit dignitate (*d*). Abbatiale beneficium S. Columbani in Insubriâ, divitiis opulentissimum acquisivit: quod non Italorum favore nactum esse profitetur (*e*), sed gratiâ Domini sui, nempè Cæsaris: quâ de rè Hugoni amico suo scribit: *Secundum amplitudinem mei animi amplissimis honoribus ditavit me Dominus meus. Nam quæ pars Italiæ possessiones B. Columbani non continet? Hoc quidem ità ex largitate, & benevolentiâ nostri Cæsaris, fortuna verò alitèr instituit. Secundum amplitudinem quippè animi me amplissimis mè oneravit hostibus. Nam quę pars Italiæ meos non habet hostes? Vires meę impares sunt viribus Italię. Conditio pacis hęc est, si spoliatus servio, ferire desinent; vestitum districtis persequentur gladiis: ubi gladio ferire nequibunt jaculis verborum appetent. Contemnetur Imperialis Majestas cùm in mè, tùm in se ipsâ, in divisione Sanctuarii Domini secundum libellarias leges facta: Quia consentire nolo, perfidus, crudelis, tyrannus, cognominor. Ipse Cęsar, omnium hominum excellentissimus, à fulciferis asino coęquatur. O amicorum fidissime, ne deferas amicum consilio, & auxilio. Recordare quod te oraverim, me malle esse militem in Cæsarianis castris, quam Regem in extraneis* (*f*).

17. Et ne autumetur quod Italiorum odium in Gebertum efferbuerit proptèr Abbatiam Bobiensem, attendat lector, id hac de causâ non potuisse contingere; quippè Bobienses, non odio, sed amore prosecuti sunt eum, quem & ut ad ipsos pergeret exorarunt, Gerbertus, vero illis respōdit: *Rem dignam verò vestroque ordini convenientem penitùs egestis, Patrem quęrendo, Patrem visitando, quia jure vos veros filios esse docuistis. Ergò & pro vestrâ diligentiâ, & pro fide constanti circa mè, nunc absens grates habeo, & mox propitia divinitate debitas exhibebo* (*g*). Porrò nedùm in Italiâ, sed etiam in Galliâ, atque in Germaniâ passus est acerrimos adversarios, qui quemadmodum ei viventi insidias tetenderunt, sic & defuncto calumnias atrocissimas impegerunt: intèr quas notissima est fabula magicæ artis, cujus ope honores, ac dignitates ecclesiasticas acquisiisse Gerbertum, aliqui somniarunt; quorum vaniloquia jàm tot, ac tantis rationibus fuerunt à Scriptoribus confutata (*h*), ut illa pro veracibus habere, non sit sapere, sed delirare, atque in vitium necromantici carminis refundere, quod rè vera fuit eminentia scientificæ disciplinę.

18. Non solum autē ad *Abbatiale* beneficium Gerbertus pervenit, verum etiam alias Ecclesias in Remensi Archiepiscopatu possedit, & successivè ipsum Archiepiscopale beneficium, primò apud Remenses in Galliâ (*i*), & posteà apud Ravennates in Italiâ (*l*). Nèc quoàd secundum quæstionem habuit, quod sciamus: habuit verò, & quidem pertinacissimam quoàd primum (*m*), de quâ inferius redibit Sermo. At ipse illud non secus ac Abbatiam Bobiensem sè licite adeptum esse satis detegit, dùm Joanni Papæ, à suis hostibus exagitatus, exposuit, *Quo me vertam? proh pudor! Sedem Apostolicam si appello, irrideor, nèc ad vos propter hostes est veniendi facultas, nèc de Italiâ egrediendi libera potestas. Morari difficile, quando nèc in monasterio, nec extra, quidquam nobis relictum est, præter virgam pastoralem, & Apostolicam benedictionem* (*n*). *Graviter & iniquo animo fero peruadi, diripi Sanctuarium Domini creditum mihi à Santâ Romanâ, & Apostolicâ Ecclesiâ. Porrò quid deinceps stabilietur, si id dissolvitur, quod actum est consensu Principis, Episcoporum electione, Cleri, & populi voluntate, postremo omnium hominum excellentissimi Papę consecratione? Si præcepta violantur, privilegia contemnuntur, Divinę, & humanę leges sustelluntur* (*o*)?

19. Nàm longo post intervallo Gerbertus ex Archiepiscopo Ravennate, operâ, &

(a) *Gerber. in plurib. suis epist.*

(b) *Magri, notit. vocab. Eccl. V. scholastic.*

(c) *Baron. an. 991. 6.*

(d) *Platin. & Ciac. in Silvest. 2.*

(e) *Gerbert. epist. 5.*

(f) *Gerbert: ep. 12. ap. Duchesn. to. 2. vel in to. 10. Bibl. Patr.*

(g) *Gerbert. ep. 83.*

(h) *Baron. ann. 999. n. 3. Bin. to. 7. Conc fol. 204. Ciac. in Silvest. 2. Panvin. ibid. in addit. ad Platin.*

(i) *Gerbert. epist. 24. inter postremas apud Duchesn. to 2. n. 1. 2. 3. Ciac. & Bin loc cit.*

(l) *Card Baron ann. 996. n. 2. Bin. & Ciac. loc. cit.*

(m) *Baron. ann. 992 n. 1. & 995. n. 11.*

(n) *Gerbert. ep. 14.*

(o) *Idem epist. 23.*

& favore Othoniis III. Imperatoris, ad Summi Pontificatus apicem felicitèr evolavit (*a*), & cum Sacerdotio functus esset in tribus urbibus, quarum nominis litera initialis est R. nempè Remi, Ravenna, & Roma, indè emersit monosticon: *Transit ab R. Gerbertus ad R. fit Papa vigens R.* (*b*). Vir autem iste non semel, sed bis, terque, quaterque, & quinquies ecclesiastica beneficia suscepit, monachale, Abbatiale, Archiepiscopale, & Papale, Floriaci in Galliâ Celticâ., Bobii in Insubriâ, Remis in Galliâ Belgicâ, Ravennæ in Flaminiâ, Romæ in Latio; Germanus in Galliâ, & in Italiâ, à quibus, & patriâ, & provinciâ, & natione, erat extraneus. Cumque tot aliis imposturis fuerit vellicatus, adeò enormibus, ut Dæmonium habuisse, ac operam dedisse incantationibus, dictum sit; nemo tamèn eum carpsit, quod extraneitatis vitio laborans, pluries beneficia ecclesiastica susceperit: vitio, sive crimine à detractoribus non silendo, quippè qui, etiam nodum in scirpo quærentes, notare non omisissent piaculum, divino, naturali, atque humano jure damnatum, quale affirmant Contradictores illud esse, extraneorum suscipientium ecclesiastica beneficia.

(a) Baron. an. 999. n. 2 Ciacon. Plat. & alii in Silvest. 2.

(b) Sigebert. Gemblac. in Chron. an. 992.

20. Si dicatur Gerbertum fuisse promotum ad infulas Ravennates auctoritate Othonis III. Imperatoris (*c*), cujus etiam operâ fuerit Romæ in Pontificali Cathedrâ collocatus (*d*), & ideò Imperator tamquàm Romæ Dominus, & Ravennæ, potuerit illi, sive literas, sive effectum naturalitatis impertiri, ac ipsum facere in illis Ecclesiis de extraneo indigenam, ac de forensi nativum; In oppositum est, quod tùnc Otho nec erat Dominus temporalis Romæ, neque Ravennæ. Nàm præter antiquiora jura, temporalitatem Sedis Apostolicæ in utrâque illarum urbium, comprobantia; paulò ante præcesserat diploma Othonis I. Imperatoris, (avi paterni ejusdem Othonis III) qui cubitalibus literis confirmaverat eidem sedi *Civitatem Romanam cum ducatu suo, & suburbanis suis, atque viculis suis, & territoriis ejus, montanis, & maritimis &c. Nècnon Exarchatum Ravennatem sub integritate, cum Urbibus, Civitatibus, Oppidis, & Castellis &c. hoc est Civitatem Ravennam, & Emiliam, Bobium, Cesenam &c.* (*e*). Et quo ad Ravennam notat Regino, quod idem Otho in actualem possessionem illius Urbis posuit Joannem Papam XIII. dùm ibi habitum est Concilium, cui & ipse Princeps interfuit (*f*).

(c) Sigebert. loc cit.
(d) Baron. Ciacon. & alii loc. cit.

(e) Apud. Bin. to. 7. Conc. fol. 182.

(f) Regino in Chron. l. 2. an. 997. Vid. etiam Bin. to. 7. Conc. in Conc. Raven. eod. anno.

21. Igitùr Otho III. quo tempore favit Gerberto pro Archiepiscopatu, & Summo Pontificatu adipiscendo, non erat Dominus in temporalibus, neque Romæ, neque Ravennæ, ac propterea illi, neque literas, neque effectum naturalitatis poterat impertiri, ut fieret in Urbe Româ, atque Ravennâ indigena, dùm ab illis ortu, & origine, rè vera erat extraneus. Et ità Gerbertus quando utrumque beneficium adeptus est, Archiepiscopale Ravennæ, & Papale Romæ, non erat ibi indigena, sed extraneus: non illi autem quidquàm obfuit dicta extraneitas, quo minùs ipse utrumque beneficium ritè, ac rectè potuerit adipisci. Quod si extraneitas non qualiscumque, sed talis, quâ nulla major dari potest, nempè extraneitas quoàd diœcesim, & provinciam, & nationem, & idioma, nihil prævalet ad repellendum Clericos extraneos à beneficiis primæ notæ, qualia sunt Archiepiscopatus, & ipse Summus Pontificatus; profectò sufficere non debet quæcumque simplex extraneitas pro iisdem repellendis à beneficiis minoris qualitatis, prout sunt Parochiæ, Canonicatus, Prioratus, Abbatiæ, & beneficia merè simplicia.

22. Defluxit sermo noster ad *literas naturalitatis*, idcircò bonum esse censemus hìc opportunè de iisdem ex proposito perorare: interest enim non parum earum vim discutere, & originem perscrutari. Sit igitùr hìc locutio de jure tradendi literas naturalitatis extraneis, quas alicubi solent impertiri supremi Principes, nullum in suis terris altiorem Principem in temporalibus agnoscentes, de quibus Marta, *Potentissimi Reges Catholicus, & Christianissimus, quantum ad Regna Franciæ, & Hispaniarum pertinet, habent etiam privilegium nominandi subditum naturalem loci, ut per Restau: in d. quæ* 100. *n.* 19. *& Selvum in d. cap.* 23. *n.* 94. *possunt tamèn alienigenas habilitare, & dare privilegium originis, ut præcitati dicunt,*

dicunt, & de Rege Hispaniæ scribit Lopez in lib. 3. glos. 14. part. 4. & in l. 5. glos. 2. eod. partit. (*a*).

23. Et quià omnium Principum, non agnoscentium in temporalibus superiorem, eadem est potestas in suo statu, ac sit illa Regis Catholici, & Christianissimi in eorum ditione; sequitur, quod jus, quo freti Reges Franciç, atque Hispaniæ, concedunt literas naturalitatis viris extraneis, assistat etiam Imperatori, Regibusque Lusitaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c., & sic ab hisce omnibus æquè possint literæ naturalitatis viris extraneis, pro eorum arbitrio, & voluntate conferri. Quarum literarum effectus est is, quem exemplificando de Gallis, exponit Joannes Tislinus his verbis. *Jus civitatis apud Gallos vocatur naturalitas, vel quod magis placet, neutralitas, quàm Rex permittit externis, ut in Regno, aùt hęredes constitui, aùt sacerdotia possint assequi, atque jure communi, perindè ac natis in Gallia frui; undè dicimus eos donari civitate, prò eo, quod est in jus commune admitti* (*b*). Ità fuisse audivimus nudiustertiùs Vincentium Cardinalem Grimanum Venetum literis naturalitatis in Germaniâ stipatum, sic ut prò Teutonico communitèr haberetur: necnon paulò ante, Guillielmum Cardinalem de Frustemberg Germanum fuisse literis naturalitatis in Galliâ decoratum, & uti Gallum universalitèr reputatum. Alia exempla in aliis Regnis occurrent perscrutatoribus antiquitatis. An autèm harum literarum usus, vetustioribus sæculis esset, saltèm quoàd beneficia compertus, valdè dubitamus, & negativè respondendum esse censemus. Nàm si prima sæcula perlustramus; nota est conclamatio Catholicorum adversùs Constantium Cæsarem, eo quod S. Athanasio, injustè deposito, in sede Alexandrinâ Gregorium Cappadocem suffecisset (*c*), atque in Sirmiensi Germinium Cyzicenum, & in Nicomediensi Cecropium Laodicenum locasset (*d*).

24. Hæc est super his Julii Romani Papæ, querela, *A' trigintasex mansionibus Antiochiæ quendam velut Episcopum, externum hominem salutarunt, eumque in Alexandriam miserunt &c. Non decuit novos istos modos contrà Ecclesiam induci &c. immittere Gregorium peregrinum, & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum &c.* (*e*). Adversus eundem Constantii conatum S. Athanasius hisce clamoribus per totam reboavit Ecclesiam, Constantius *excogitavit quo pacto legem inverteret, dissolvens Domini constitutionem, per Apostolos traditam, & mores Ecclesię immutans, novumque excogitans constituendorum Episcoporum modum. Ex aliis quippe locis, & quinquaginta mansionum intervallo dissitis, cum militibus Episcopos mittit &c. Germinium è Cyzico Sirmium; e Laodicea Nicomediam Cecropium misit* (*f*). Hos clamores nemo ignorat, quantæ turbationes, quantæ convulsiones in Ecclesia sint secutæ. Si autèm Imperatori tunc mos fuisset, aut jus concedendi literas naturalitatis viris extraneis; proculdubiò in tàm gravi occasione Constantius suâ usus esset auctoritate, Gregorium Cappadocem declarando civem Alexandrinum, Germinium Sirmiensi civitate donando, & Cecropium intèr patricios Nicomedię cooptando: sicque brevi calami liturâ, & Julii, & Athanasii ora concludere, & promotoris, & promotorum honorificentiæ consulere, & quietem toti Ecclesiæ, super hoc danti magnos ejulatus, ingerere potuisset. Quod cum Constantius non fecerit; nil aliud potest legitimè subinferri, nisi quod illi ignotus fuit iste modus vertendi in cives viros extraneos; nec illi persuasum fuit, dari hujusmodi literas naturalitatis, habilitantes ad beneficia viros extraneos, vel ad se non pertinere illas ad hunc effectum concedere.

25. Medii temporis quoquè ætatem recurrendo, advertimus, quod in *Hispaniâ*, si quos Episcopi fecissent ab ecclesiasticis rebus extorres, nihil eis proficiebat, à Regibus in suam gratiam, atque etiam ad suam mensam admitti, nàm adhùc reputabantur extranei: opusque fuit ut Concilium Toletanum XII. illorum admissioni, speciali hac Sanctione consuleret, *Quos Regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos sacerdotum, & populorum conventus suscipere in ecclesiasticam communionem debebit, ut quod Principalis pietas* habet

(a) *Marta de jurisd. p. 2. c. 40 n. 16.*

(b) *Jo: Tislinus comment. in Cicer. orat pro A. Cecin. f. 186. n. 30.*

(c) *Card. Baron ann. 342. à n. 1. ad 17.*

(d) *S. Athan. ep. ad Solitar.*

(e) *Julius Pp. I. ap. S. Athanas. apol. 2.*

(f) *S. Athanas. ep ad Solitar.*

habet acceptum, non à sacerdotibus Dei habeatur extraneum (a). Non admittebantur ergò extranei à rebus ecclesiasticis ad easdem, tametsi Rex illos met quoad civilia, & ad se ipsum admitteret. Quod si Sanctione præfatâ Conciliari contrarium servandum esse decretum est, jam eorum admissio ad res spirituales non vi potestatis Regiæ, sed virtute ipsius ecclesiasticæ Sanctionis invaluit. Nec refert, quod Concilium loquatur in recto de extraneitate ab ecclesiasticâ communione, nàm in obliquo, & à paritate, sive à similitudine rationis, idipsum sensisse videntur 35. illi Episcopi, tresque aliorum Vicarii, quatuor Abbates, cum 15. Magnatibus, qui eidem Synodo subscripserunt (b), etiam de alia quacumque extraneitate. Praeterquam quod postrema illa verba decreti, *quod Principalis pietas habet acceptum, non à sacerdotibus Dei habeatur extraneum*, tamquàm generalia, quascumque res ecclesiasticas complectuntur; satisque ostendunt, quod usque tunc extraneis per quamcumque regiam admissionem, non patebat accessus ad res ecclesiasticas; & ex tunc patere debebat, non vi Regiæ admissionis tantum, sed vi Sanctionis Conciliaris, admissionem ipsam ad res ecclesiasticas extendentis.

(a) *Concil. Tolet. 12. c. 3. ap. Coriolan. f. 583.*

(b) *Vide Conc. Tolet. 12. ann. 681. ap. Bin. to. 5. in subscript.*

26. In *Galliâ* quoque observamus, quod Carolus Calvus Imperator, & Rex Galliæ omni conatu sategit, ut ad Episcopatum Genevensem proveheret quendam Optandum, de quo paulò superiùs dictum est, adeò sibi carum, ut pro illius promotione apud Joannem Papam VIII. sua officia interposuerit. Sed Oteramus Archiepiscopus Viennensis industriam Cæsaris irritam fecit, aliumque in illâ Sede locavit, postposito constantissimè Optando, tamquàm extraneo (c). Sed si Optando defectus indigenatus obstabat, cur Imperator non illum citò literis naturalitatis adauxit? Eccur non illum civem Genevensem declaravit, & in ictu oculi totum illud rejectionis obstaculum non abscidit? Certè hoc non aliâ de causâ fuit, nisi quià talium literarum largiendarum ei remedium fuit incognitum. Pariter in *Italiâ* posterioribus sæculis legitur, quod Philippus Dux Mediolani, scriptis ad Æneam Sylvium literis, eique usque ad urbem Basileæ transmissis, declaravit, gratum sibi futurum, si in ejus ditione aliquod consequeretur ecclesiasticum beneficium, sed cum de Præpositurâ quadam electivâ eidem dilargiendâ pertractaretur, Isidorus de Rosate illi constantissimè obstitit, apud electores insistens, ne concivibus virum extraneum anteferrent. Quarè Æneas his auditis, talitèr inclamavit, *vehementèr admiror Isidorum adversum me verba facere, qui nupèr ex Mediolano reversus, literas Philippi Ducis ad me detulit, quibus ille Princeps gratias mihi agit, quod ejus causam hoc in loco peroraverim, atque ob eam rem gratum sibi esse affirmat, in ejus territorio quodcumque beneficium me acceptare, cujus libenti animo possessionem fit mihi daturus. Non igitùr ille me extraneum habet* (d). Vel ergò literas naturalitatis, sive literis naturalitatis equivalentia scripta, non poterat Princeps ille concedere, vel concessa nullius erant ponderis, & momenti quoàd beneficia ecclesiastica consequenda; & ità oportet, quod usus literarum naturalitatis non nisi post illa tempora inceperit invalescere, & effectum, quem nunc producit, afferre.

(c) *Jo. Pp. 8. ep. 181. 191.*

(d) *Æneas Sylv. commént. lib. 1.*

27. Sed tamèn quoniàm diebus nostris jàm eorum usus est introductus, sivè antiquus sit, sivè recens, illis suus honor est omninò servandus, nec dubitandum est, quin valeant Imperator, & Reges, literas naturalitatis omnibus extraneis, sibi benè visis, vel de sè benemerentibus impertiri; sufficitque hujusmodi literas vel antè beneficii consecutionem, vel post illam protinùs adipisci, proùt de stylo Galliæ testatur Rebuffus, dicens, *Rex istas Naturalitatis literas illis concedere solet, quibus indulget, ut beneficia possint in Regno habere, usque ad talem summam, & bona possint in Regno acquirere, perindè ac si nati in Regno, & regni originarii essent* (e). *Privilegium Regni nedùm prohibet extero habere Ecclesiam parochialem, de quâ hæc regula* (20. Cancellariæ) *loquitur, sed etiàm alia quæcumque beneficia &c. etiam si illi fuissent Cardinales, sinè Regis tamèn beneplacito, quàmvis dictus Gomez hic quæ. 2. volens Cardinalibus favere, multa prò ipsis adduxerit, tamèn in Franciâ servatur quod dixi. Si tamèn post adeptionem beneficii, exterus Regis literas obtineru*

(e) *Rebuff. prax benef. reg. de disp. in grad. probib. de descript. mixt. n. 6.*

rit, valebit adeptio, & beneficium retinere poterit, ut fuit in Senatu judicatum (a). Verùm si beneficia ecclesiastica non licitè valent Clericis extraneis conferri, nec etiàm Principes literas naturalitatis ad ea consequenda licitè poterunt impertiri. Et ratio est evidens: Nàm in tantùm per Contradictores beneficia ecclesiastica non valent Clericis extraneis concedi, quià hoc esse contrarium dicunt legibus divinæ, naturali, & humanæ, decernentibus ea esse solis indigenis conferenda; sed Principibus laicis potestas non inest derogandi juri divino, & naturali, & neque humano juri canonico; ergò easdem literas naturalitatis (quæ si prodesse debent ad beneficia consequenda, & si vera est præfata opinio Contradictorum, necessariò debent in ventre continere derogationem præfatis juribus) concedere non valebunt, maximè in præjudicium indigenarum, quibus beneficia ipsa deberi, & quibus esse jus acquisitum ad ipsamet beneficia, contenditur exadverso. Vide quo tendat Contradictorum conatus, ut Reges quoque hac notabili exuat potestate, literas naturalitatis viris de se benemerentibus impertiendi, pro consequendis ecclesiasticis beneficiis!

(a) *Idem in regul. 1. glos. 1. §. et. nec.*

28. Dato nihilominus, quod his non obstantibus inconcussa vigeat (prout de facto viget, ac politicè, ut vigeat, est agendum) præfata potestas concedendi memoratas literas naturalitatis viris extraneis, ad effectum beneficia consequendi; intrat alia quæstio, cur eas valeant Principes laici in suâ ditione temporali concedere, & non eas possint Episcopi in suâ Diœcesi, & Papa in toto Orbe impertiri? Siquidem Territorium cujuslibet urbis, & loci, duplici subest jurisdictioni, Ecclesiasticę, & Sæculari: *Duo sunt*, inquit Gelasius Papa Imperatori Anastasio, *quibus principalitèr hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas* (b), sęcularem jurisdictionem habet Princeps laicus, & ecclesiasticam habet Episcopus diœcesanus, nec major est inibi potestas Principis sęcularis, quòad res sæculares, quàm sit potestas Episcopi quòad res ecclesiasticas. Nàm etiàm Episcopus est Princeps suæ Ecclesię, & Princeps à sacris canonibus nuncupatur (c). De quo sic à D. Clemente sit sermo, *Episcopus &c. est post Deum pater vester, qui per aquam vos regeneravit in adoptionem filiorum Dei: is Princeps, & Dux vester; is Rex, & Dynasta* (d), cui consonat D. Ignatius, dicens, *honorate Deum auctorem omnium, & Dominum, Episcopum tamquàm Principem sacerdotum, imaginem Dei ferentem, Principatum quidèm secundùm Deum, sacerdotium verò secundùm Christum* (e): Princeps, inquam, est Episcopus suæ Ecclesiæ, non materialitèr sumptæ, sed formalitèr, idest populi, qui suam Ecclesiam componit, eumque in illâ omnia posseque ad res pertinent spirituales, & ecclesiasticas, nisi sint specialitèr reservata firmant & Jurisconsulti (f), & Theologi (g). Igitur si tàm Episcopus est Princeps loci in spiritualibus, quàm Princeps sæcularis in temporalibus; sicuti Princeps dare potest literas naturalitatis extraneis ad suscipiendas hæreditates, & officia sæcularia, quæ & extendantur etiam ad beneficia ecclesiastica, pro eo quod spectare possit ad ipsos principes; ità & multò magis, vel saltèm æqualitèr Episcopus dare poterit literas naturalitatis quòad beneficia, & officia merè ecclesiastica, maximè si eas tradat Clerico, qui non sit Principi sæculari *probabili ratione* suspectus.

(b) *Cap. duo sunt 10 dist. 96.*

(c) *Cap. Ecclesiæ 4. et ibi glos dist 35. Barbos. Jur. Eccles. univ. l. 1. c. 2. n. 35.*

(d) *S. Clem. l. 2. const. Apost. c. 30. & ibi Carol. Bovius in scholiis.*

(e) *S. Ignat. ep. 7.*

(f) *Barbos. de off. & potest. Episc. allegat. 1. n. 6. cum aliis ibi.*

(g) *Soto, de just. & jur. l. 10. qu 1. ar. 3. conclus. 1. Sanchez, de matrim. l. 1. disp 61. nu. 3. & lib 8. disp. 9. nu. 3. cum aliis ibi.*

29. Et adhùc pleniori jure hoc poterit Summus Pontifex id efficere, tamquàm Vicarius Christi, cui *data est omnis potestas in Cælo, & in terra*, (h) & Christus plenitudinem potestatis largitus est Petro, ac successoribus ejus super unamquamque regionem terrarum orbis, de quâ D. Bernardus in allocutione ad Eugenium: *sunt & alii gregum Pastores &c. Habent illi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus, non modò ovium, sed & Pastorum, tù unus omnium Pater. Pasce oves meas, inquit, quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aùt certè regni? Cui non planum est non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil* (i). Non disputamus nùnc obiter quantam, & qualem Summus Pontifex habeat ubilibet potestatem, sed dicimus, quod inest Pontifici plenitudo potestatis in toto Orbe, quòad res ecclesiasticas: quoad res verò temporales

(h) *Matth. 28. 18.*

(i) *S. Bernard. de consid. l. 2.*

porales tanta inest ei potestas, pariter in toto Orbe, quanta illi necessaria est ad ordinandas ipsas res ecclesiasticas, uti fusè probant Augustinus Oregius Cardinalis Archiepiscopus Beneventanus (*a*), Alphonsus Alvarez Guerrero Episcopus Monopolitanus (*b*), & alij de his agentes (*c*). Romanus namque Pontifex unum cum Christo Domino consistorium efficit, & tribunal (*d*): Ipse est Episcopus universalis totius Ecclesiæ Dei, ut infrà uberrimè demonstrabimus (*e*): Ipse est supremus totius Orbis Antistes, habetque prò territorio, & diœcesi suæ jurisdictionis totum Orbem terrarum, quacùmque patet (*f*), ac ideò in qualibet mundi parte plenitudine Apostolicæ jurisdictionis est prædítus; quæ tamquam plena, minor esse non debet ubilibet in spiritualibus, & etiàm in temporalibus respectu ad spiritualia, quàm sit inibi jurisdictio Principis temporalis respectu ad temporalia. Quarè si Princeps temporalis, prò suo arbitrio, concedere potest literas naturalitatis viris extraneis ad consequenda ecclesiastica beneficia, multò magis, vel saltèm ex æquo videtur, quod compares literas etiam Summus Pontifex poterit elargiri.

30. Multò magis inquam videtur, quod Summus Pontifex literas naturalitatis poterit extraneis elargiri, tùm quià *ad sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas si fideles sunt, Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectas* (*g*). Tùm quià in dispensatione, & ordinatione rerum beneficialium Summus Pontifex præditus est totâ, & totali, plenâ, & plenissimâ potestate, (*h*) & idcircò ad illum pertinet habilitare ad beneficia eos, qui proptèr aliquem naturæ defectum, vel delicti vitium, aliòquin essent beneficiorum ipsorum incapaces. Tùm demùm quià rejectio extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis non habet locum, nisi in iis regionibus, & diœcesibus, quæ supèr hoc suffultæ sunt privilegio Apostolico, uti profusè in totâ hac nostrâ qualicumque elucubratione probamus. Et ità quotiès Princeps temporalis alicui extraneo dat literas naturalitatis, cedit quodammodo, sive alitèr abrenunciat privilegio Apostolico, nè in tali casu quidquam operetur, & afficiat. Si autèm ipsi privilegio vim tollere potest Princeps sæcularis per literas naturalitatis; multò magis illi vim tollere poterit Summus Pontifex, qui privilegium ipsum concessit. Nunquid enim non majori præditus est facultate derogandi privilegio, qui illud concessit, quàm qui illud accepit? Igitùr etiam Summus Pontifex poterit pro cunctis Orbis partibus viris extraneis literas naturalitatis concedere; præsertìm naturalizando Clericos, Principi sæculari *ratione probabili* non suspectos, idque faciendo, non ad effectus temporales, sed ad solos effectus spirituales, qualis est adeptio ecclesiastici beneficii.

31. Profectò id communitèr admittitur à Theologis, & Canonistis, quod Papa viros, etiam non sibi temporalitèr subditos, defectum Natalium patientes, possit legitimare, ac tamquam legitimos habilitare ad gradus, solis legitimis destinatos (*i*). Et quamvis disputabilitate non careat, an illos possit ad dignitates, & honores habilitare, quoàd jus succedendi in præjudicium eorum, qui aliàs legitimè sunt vocati (*l*), prò certo tamèn habent Præpositus, Butrius, Joannes Andreæ, & alii *in cap. per venerabilem, Qui fil. sint legitimi*, quod Papa, justis intercedentibus causis, viros illegitimos, etiam sibi in temporalibus non subiectos, valeat literis legitimationis ornare, & ad honores, ac dignitates temporales idoneos declarare (*m*). Et de facto Clemens Papa IV. filios Alphonsi III. Portugalliæ Regis, ex Beatrice pellice susceptos, legitimavit, ut ad Regnum Lusitaniæ possent succedere (*n*). Innocentius III. filios Philippi Augusti Regis Franciæ privilegio legitimationis affecit, ut possent, si Patri placuisset, ei in Regno Galliæ succedere (*o*). Innocentius IV. illegitimitatis maculam à Jaquino Dano detersit, ut Coronâ Danicâ posset sibi caput ornare (*p*). Eugenius IV. legitimavit Ferdinandum nothum, Alphonsi Aragonii filium, ut in Neapolitano Regno succederet (*q*). Quod si verum est respectu officiorum, & dignitatum temporalium, multò magis verum esse debet respectu ad dignitates merè spirituales.

32. Et ità Innocentius III. in Angliâ se habilitare posse declaravit Archidiaco-

num

(a) *Origius de Ecclesiast. Hierarch. tr. 2. qu. 6.*

(b) *Alvarez, Guerrer. de Eccles. potest. c. 5. n. 7.*

(c) *Sfondr. Regal sacerd. l. 1. §. 1. & sequ. Gall. Vindicat. dissert. 2. § 2. Bellarm. de Pontif. Bzov. eod. titul.*

(d) *Barbos. jur. Eccles. univ. l. 1. c. 2. n. 99.*

(e) *Turrecrem. in cap. in novo n. 6. dist. 21 & alii.*

(f) *Gonzal. ad regul. 8. Canc. §. 2. proem. n. 46 Barbos. loc. cit. n. 13. & de offic. & potest. Episcopi p. 3. alleg. 80. n. 1.*

(g) *Cap. si Imperator 11. dist. 96.*

(h) *Clementin. 2. ut lite penden. cap. licet Ecclesiarum 2. de præben. in 6.*

(i) *Molin. de just. & jur. to. 2. disp. 175. Marchin. de ord. trac. 1. p. 18. diff. 7. n. 45. Germo. in partitione jur. Canon. tit. fil. sint legit.*

(l) *Glos. in cap. per venerabilem Verb. habeat potestatem in fin. Qui fil. sint legit.*

(m) *Vid. Marchin. loc. cit. n. 43. 45.*

(n) *Barbos. de offic. et potest. Episc. p. 2. tit. 3. c. 2. n. 150. 102.*

(o) *Cap. per venerabilem. Qui sint legit.*

(p) *Baron. ann. 1246. num 24.*

(q) *Forest Mappam. istor. in Alphons. 1. Reg. Siciliæ, & alii.*

num Eboracensem, ut beneficium Episcopale Vigorniensis Ecclesiæ consequi posset, de quo est textus in jure, sic cantans, *quamvis autèm canon Lateranensis Concilii, ab Alexandro prædecessore nostro editus, non legitimè genitos adeò persequatur, quòd electionem talium innuit nullam esse, nobis tamèn per eum adempta non fuit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum posuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum, imò eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem* (a). Igitùr Summus Pontifex *literas legitimationis* quibuscumque, etiàm quoad Regna, & in terris, etiam sibi non temporaliter subjectis, valet impertiri; multò magis autem quoad officia merè ecclesiastica. Cur autèm ad eundem effectum *literas* quòque *naturalitatis*, seù originis non poterit elargiri, pro adipiscendis ecclesiasticis beneficiis? Exclusio clerici illegitimi est clara in jure (b) exclusio verò clerici extranei, nedùm non est clara, sed imò vix dubia dici potest; ergo si Pontifex literas illegitimitatem tollentes concedere valet, multò magis literas poterit impertiri, defectum originis expungentes.

(a) Cap. innotuit 10. de elect.

(b) Concil. Later. 3. cap. 3.

33. Verùm quiâ Contradictores exclusionem extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis, refundunt præcipuè in jus naturale, ac divinum, quibus nec Papa, nec Episcopi, nec Imperator, neque Reges, neque ulla humana potestas derogare potest, maximè in præjudicium eorum, qui verè indigenæ sunt; & non qui tales sunt solâ fictione juris, quales sunt qui naturalitatis literis innituntur; sequitur, quod hę literæ naturalitatis pro beneficiis adipiscendis, vel ab utrâque potestate, temporali, & ecclesiasticâ possint æqualiter dari, vel à neutrâ. Si à neutrâ, ergò hujusmodi literæ naturalitatis à Principe concessæ, in præfata hypothesi erunt inutiles, & nulliter collatæ: Principesque, qui easdem concedunt, deceptores erunt, mendaces, ac potestatis, quàm non habent, ostentatores. Indèque fiet, ut per Contradictores nimiùm vulnerentur jura Principum, & recta, solitaque ratio regiminis eorum, & politicus ordo regnandi. Si ab utrâque; ergò nunquàm refutari poterunt à beneficiis ecclesiasticis clerici extranei, quippè vel eos promoveat Papa, vel Episcopus, vel præsentet, ac nominet Imperator, vel Reges, sivè alii Collatores, vel Nominatores ad beneficia; facillimè, vel qui confert, vel qui instituit, literas insimul naturalitatis extraneis dabunt, sivè tacitas, sivè expressas: & sic saltèm ex hoc capite clericis extraneis patebit accessus ad ecclesiastica beneficia.

34. Si dicatur literas præfatas, à sola potestate laica concedi posse, exclusâ prorsùs potestate ecclesiastica; hæc in præsenti ratiocinio est petitio principii, cui cuncta motiva, quę à numero 28. usque nunc recensuimus indefessè resistunt. Deindè hinc emergit alia contentio inter utramque potestatem. Nam si prætendant Principes sæculares, non posse has literas ab ecclesiasticis Præsulibus conferri; è contrà vero prætendat potestas ecclesiastica, se illas posse non minùs, ac potestas sæcularis concedere (cùm rè vera plures illæ rationes, quas alligavimus, nimiùm faveant ecclesiasticæ jurisdictioni, nec ista videatur posse, de jure, ac rationabilitèr tali potestate spoliari) fient de litibus lites, & contentiones de contentionibus, ad quas radicitus extirpandas relinquenda est utraque potestas in suis terminis, & mensura, quam circa res beneficiales, & clericos earum capaces habuit usque modo: præsertim, quod *Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit &c.* (c), & ità ad meliorem politici regiminis ordinem custodiendum, & quietem Ecclesiæ servandam, expedit, & expedire tenendum est, quod liberum, & licitum sit Ecclesiæ sacras præbendas, & beficia, non modo clericis indigenis, verum etiam extraneis dignis, & benemerentibus impertiri.

(c) Nicol. PP. I. ep. 7. ad Michael. Imper.

35. Restat ut & aliquid breviter subjungamus de *Patriarchis Constantinopolitanis*, qui sublime illud beneficium, non obstante extraneitate, intra cursum decimi Christi sæculi susceperunt. Deposito per Leonem VI. Imperatorem Nicolao Mystico subrogatus ei fuit *Euthymius* natione Isauricus (d) *sacrarum rerum peritissimus, qui à teneris unguiculis, & ætate prima solitariam in Olympo Mysię monte vitam egit &* dono

(d) Baron. ann. 901. num. 2.

dono vaticinandi præditus erat (a). Hic è Monte Olympo, illiusque Asceterio, ad aliud Monasterium translatus est, quòd propè sinum Astatonum erat, subindeque Bizanzium profectus, ibi Syncelli honore auctus est, & indè ad Patriarchii apicem sublimatus (b) cum profectò, vel quando Syncellatus, vel quando Patriarchatus beneficium sumpsit, ab illâ Ecclesiâ esset extraneus. Euthymio ipso moriente, Patriarchale munus contigit *Stephano, ab Amasena* sede ad Constantinopolitanam translato (c), qui & ipse proculdubio vel à prima, vel à secundâ Ecclesiâ erat extraneus. Similitèr Polieucti Patriarchæ defuncti locum implevit *Basilius Scamandrenus, perfectæ virtutis testimoniis clarus*, inquit Cedrenus (d) qui quoniam asceticæ vitæ operam dabat in monasterio Scamandriæ (e) ab oppido talis nominis appellato, quod est in Mysiâ (f) erat ab urbe Constantinopolitanâ prorsus extraneus. Hos autem tot encomiis, & pietatis, & scientiæ commendatos, nemo nisi temerè accusabit culpæ ob Patriarchatum susceptum. Si autem hoc sæculo decimo decurrente tòt, & tanti viri, quos in præsenti capitulo congessimus, & tantę sanctitatis, ac respectivè doctrinę, atque meriti, beneficia Papale Romę, Patriarchale Byzantii, Episcopaie, & Archiepiscopale in aliis locis adepti sunt, à quibus erant extranei; sinè dubio etiam minora potuerunt accipere. Nulla enim est ratio cur cui licet majora, consequi licitum non sit ea pariter, quę sunt minoris ordinis adipisci. Quod si licitum, & liberum tunc fuit, liberum etiam nunc, & licitum esse debet; quis enim libertatem ex eò tunc Ecclesiæ potuit abstrahere, vel abstraxit? Quis esse nunc illicitum definivit, quòd sæculo Christi decimo licitum fuit? Exhibeatur lex hoc decernens, & dabimus manus victas.

(a) *Constant. Manasse in Annal. f. 142.*
(b) *Baron. loc. cit.*
(c) *Baron. ann. 930. num. 2.*
(d) *Cedren. histor. fol. 547. 52.*
(e) *Baron. ann. 970. 3*
(f) *Philip. Ferrar. Lexic. Geogr. V. Schamandria.*

CAPUT XXVI.

In quo ex sacris Conciliis, *quæ* sæculo Christi Decimo *celebrata fuerunt, & præsertim ex Conciliis* Romano, Ravennate, Ovetensi, Virdunensi, Engelheimensi, Remensi, *&* Mosoniensi, *nec non ex Sanctis Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis, ac præcipue* S. Odone, *&* Odilone *Cluniacensibus*, Gerberto *Remensi, aliisque factis, & Patribus, ac historiis interfertis, probatur libertas Ecclesię in dispensatione beneficiorum, tum Clericis extraneis, tum indigenis.*

SUMMARIUM.

1 *Celebratum fuit hoc Sæculo Christi decimo* Concilium Romanum, *necnon &* Ravennas, *in causâ* Formosi *Papæ, & cur?*
2 *Joannes Papa IX acta Stephani Papę VII. adversus Formosi memoriam, abrogavit, & abrogationis verba referuntur.*
3 *Acta Conciliabuli Romani adversus Formosum, igne fecit absumi; & verba Papæ referuntur super illâ rè.*
4 *Dicitur Formosum* necessitatis *causâ migrasse ad sedem Apostolicam, quia interdùm* necessitas *pro* utilitate *sumi solet.*

5 *Quo-*

5 *Quomodo intelligenda sit necessitas, & utilitas. Necessitas non potuit contingere in Urbe Romà, tempore Formosi.*
6 *Formosus non nisi causà utilitatis à Portuensi sede ad Romanam perrexit, & Concilium Romanum ejus migrationem approbavit.*
7 *Joannes Papa IX Ravennæ congregavit Synodum, in qua confirmavit acta Concilii Romani, contra condemnatores Formosi.*
8 *Habemus igitùr Papam, Imperatorem, & Episcopos, qui violatores Formosi improbantes, faverunt admissioni extraneorum ad beneficia.*
9 *Concilium* Ovetense *dedit effectum sanctioni Joannis Papę VIII. de transferendà Ovetum sede Lucensi, anteà Emeritensi.*
10 *Jura Ecclesiarum à majori, vel minori populi numerositate non dependent.*
11 *Ovetum dicebatur olim Civitas Episcoporum. Ibi Episcopi ab infidelibus impediti, ne suas adirent sedes, habebant Ecclesias minores, quibus præerant.*
12 *Hoc non factum fuit ex necessitate, sed ex voluntate: Necessitas non permittit violari Jura, præsertìm divinum, & naturale.*
13 *Concilia* Virdunense, & Engelheimense *celebrata sunt in causà* Hugonis *pueri, &* Artaldi, *de Remensi Episcopatu contendentium.*
14 *Ecclesiam Remensem interim Abbo Suessionensis, quoàd munia spiritualia, & Heribertus Hugonis pater, quoad temporalia regebant.*
15 *Artaldus, Regis Francorum patrocinio fretus, in causa prævaluit, faveruntque illi etiam Concilia* Virdunense, Mosoniense, & Engelheimense.
16 *Defuncto Artaldo Hugo gestiit Remenses infulas recuperare, sed frustra, electus est ergò* Odalricus *extraneus.*
17 *Ostenditur quod Artaldus plura beneficia obtinuit in locis, à quibus erat extraneus, proùt accidit etiam in Odalrico Aquensi.*
18 *In tot Conciliis tùnc celebratis opposita non fuit Hugoni, vel Artaldo extraneitas; cum tamèn silenda non fuisset, si culpam involuisset.*
19 *Odalrico subrogatus est* Adalbero *Lotharingus. Ex totâ serie hujus eventus, patet, quod extraneitas nullum à beneficiis repellit.*
20 Arnulfo *Remensi perduellionis accusato, & deposito, substitutus fuit* Gerbertus *monachus.*
21 *Leo Legatus Apostolicus Arnulfum suæ sedi restituit. Favit quoque* Gerardo *Cameracensi extraneo, successori* Herluini.
22 *Idem Arnulfus erat filius Ecclesiæ Laudunensis, & extraneus Remis. Gerbertus posteà summus Pontifex factus, acta in ejus causa confirmavit:*
23 *Computatur Gerbertus inter Scriptores ecclesiasticos, & literarum scientià egregiè claruit, atque clarissimos vicit.*
24 *Epistola Gerberti refertur, scripta nomine Adalberonis Remensis, quem Rex Lotharius infidelitatis arguebat, & cur?*
25 *Sequitur alia epistola ejusdem, qua docet, licere Clericis beneficia, etiam Episcopalia, in alieno Regno recipere.*
26 *Idem* Gerbertus *Theophaniam Augustam rogat, ut Episcopatus, ubicumque positus, daretur Abbati Gerberto, ex Italià pulso.*
27 *Paritèr in alia epistola Gerbertus dat monacho facultatem ad aliud Cœnobium transeundi. Monachatus est beneficium.*
28 *S. Odilo Cluniacensis, vità, miraculis, & misericordià insignis, recusavit Archiepiscopatum Lugdunensem, qui datus est* Odalrico *Lingonensi.*
29 *Monasterium Cluniacense est in Diœcesi Matisconensi. Abbatia regularis est beneficium. Hanc S. Odilo extraneus accipere non metuit.*
30 *S.* Odo *ex Aquitania Abbas Cluniacensis Canonicatum Turonis, & Abbatias in Diœcesibus Senonensi, Aurelianensi, ac Matisconensi tenuit.*
31 *Juxtà D. Odonem opera charitatis exercenda sunt etiam in extraneos. Verba Sidonii Appollinaris de S.* Patiente *Lugdunensi referuntur.*

32 *Sensus D. Gregorii uniformis est sensui D. Odonis, de operibus charitatis impertiendis nedùm indigenis, verùm etiam extraneis.*

33 *Agentibus Hispanis ne pauperes extrà patriam mendicarent, infecta res mansit. Nàm nèc apud barbaros prohibetur exteris mendicare.*

34 *Ex Scripturâ, & Conciliis, & Historiis habetur, non esse prohibendos pauperes extraneos à victu eleemosynis comparendo.*

35 *Ex Ecclesiæ praxi ab eleemosyna non sunt Exteri repellendi. Superflua non tenentur beneficiarii distribuere pauperibus loci beneficii.*

36 *Sicut ad elemosynam extranei quoque sunt admittendi; ita etiam sunt admittendi ad ecclesiastica beneficia.*

1. RARA fuerunt Concilia habita Sæculo Christi decimo: Et eorum etiam, quæ tunc celebrata fuerunt, ut plurimum acta interiere, itàut ex illis vix quidquam produci possit jus concernens, totumque quod ex eis eruitur, ad factum potiùs, quam ad jus referatur. Veruntamèn quia veritas non minùs factis, quam juribus comprobatur, hic quidquid ex Conciliis hujus ætatis colligi potuit, ad causam nostram faciens, sive quid facti sit, sive quid juris, in medium proferemus. Et primò de Conciliis loquendo in *Italiâ* celebratis, hoc ineunte sæculo duo Concilia fuerunt per Joannem IX. Pontificem convocata, *Romanum*, & *Ravennas*, utrumque in causâ Formosi Papæ, de quâ superiùs habitus fuit sermo (*a*). Imputabatur Formoso, quod Portuensem tenens cathedram, Romanum Pontificatum consequi properasset: de unâ ad aliam sedem migrando, de minori ad majorem, contra sanctiones Patrum, & Canonum interdicta (*b*). Quæ causa præcipua fuit, sive ansam dedit Stephano Papæ VII. illiusque instigatori, vel adhærenti Sergio, & ipsi quoque posteà Papæ, hujusce nominis tertio, damnandi memoriam ipsius Formosi, ac sæviendi conrrà cadaver ejusdem effosum, pluribusque contumeliis affectum (*c*), dè quibus suprà.

(a) *Card. Baron. ann. 904. n. 2.*

(b) *Luitpr. hist. lib. 1. cap. 8.*

(c) *Luitpran. loc. cit. Bin. in Conciliab. Rom. ann. 897. to. 7. Concil. Baron. an. 897. n. 6.*

2. Joannes ergò Papa IX. comperiens injustitiam, qua contrâ memoriam, artusque Formosi fuerat præcipiti consilio percursum; nè tanta iniquitas inulta remaneret, Concilium Romæ indixit, in eoque acta Stephani Papæ VII. adversus Formosi memoriam, & cadaver, improbavit, atque rescidit: & paginas Conciliabuli Romani, in eadem causâ peracti, publicâ ustione fecit absumi: *Synodum*, inquit Joannes Papa præfatus, *tempore piæ recordationis Stephani Papæ decessoris videlicèt nostri celebratam, in qua venerabile corpus Formosi venerandi Papæ de sepulturâ violatâ per terram tractum est, & quasi ad judicium deductum iudicari, & damnari præsumptum est, quod nunquam decessorum nostrorum temporibus factum fuisse traditum est, penitùs abrogamus, & ne ulterius præsumatur fieri per quodlibet Spiritus Sancti judicium interdicimus* (*d*). *Episcopi, & presbyteri, & reliquus Clerus, qui eidem Synodo interfuerunt, quia ipsi veniam petentes, coactos se terroris metu, ac formidine interfuisse confessi sunt, prece Sanctæ Synodi eis indulsimus &c.*

(d) *Concil. Rom. ann. 904. ap. Bin to. 7. Conc. & ap. Coriol. & alios.*

3. Subinde acta Conciliabuli præfati flammis præcepit conflagari, dicens: *Ea, quæ de ipso prænominato Concilio scripta esse noscuntur, quoniam irrita, & contra Canonicam auctoritatem præsumpta sanxistis, decernimus unà cum consultu omnium vestrum (si placet) igne crementur, sicut de latrocinali Ariminensi Synodo, & Ephesinâ secundâ scriptum continetur, & de his, quæ contrà Sanctissimum Papam Leonem ab hæreticis acta sunt, & secundum quod tempore Domini Hadriani junioris Papæ Synodali conventu illa, quæ contra Dominum Nicolaum Beatissimum Papam Constantinopoli nequitèr acta fuerant, igne cremata in Sanctâ Romanâ Ecclesiâ constat fuisse* (*e*). Quæ sanciens Romanum Concilium hæc quoque interseruit, quæ sequuntur. *Quià necessitatis causâ de Portuensi Ecclesiâ Formosus, pro vitæ meritò ad Apostolicam Sedem provectus est, statuimus, & omninò decernimus, ut id in exemplum nullus assumat &c.* Indè Concilium anathematizat violatores tumuli, & Corporis

(e) *Concil. Rom. ubi supr. 4. ca.*

poris

poris Formosi (*a*), & alia decernit, de quibus in ejus Actis.

4. Attendat autem Lector ad verbum illud *necessitatis*, quod hic non physicè, sed moralitèr est summendum: nèc significat arctationem, sed convenientiam, opportunitatem, & utilitatem: nàm tametsi dictio *necessitas*, vel *necessarium*, de sui naturâ importet arctationem, obligationem, vel pręceptum (*b*), usualitèr tamèn, & in jure cùm utilitate confunditur: Ità ut ubi legitur, aliquid esse necessarium, sæpè intelligendum sit, illud esse utile, & expediens (*c*). Et ità pręterquàm quod in sacris legibus necessitas, & utilitas æquiparantur (*d*), cùm dicit Concilium, quod Formosus, *necessitatis* causâ de Portuensi ad Romanam sedem est translatus, non significat Romanam Ecclesiam tùnc tali hominum penuriâ laborasse, ut nullum habuerit ad Pontificatum idoneum, & idcircò adacta, constricta, coacta fuerit Formosum accersere, necessitate faciente licitum id, quod dè sui naturâ erat illicitum (*e*), sed significat, quod propter vitæ meritum in Formoso refulgens, utile fuit, & expediens, illum Portuensi Ecclesiâ dimissâ, Romanæ clavum assumere.

(a) *Conc. Rom. ubi sup. § quia, & § Violatores.*

(b) *Fagnan. in cap. qui presbyterum n. 1. de pœnitent. & remis. l. 5.*

(c) *Fagnan. loc. citat. & in cap. tuæ fraternitati n. 18. de sponsal.*

(d) *Cap. etsi illa 1. q. 7. c. mutationes 7. qu. 1. c. nemo, de elect. in 6. c. post translationem § cum ergo de renunc.*

(e) *Cap. quod non est licitum de reg. jur. cap. quanto de consuet. Barbos. Axiom. 157. nu. 2. Fagnan. in c. nihil. n. 26 de elect. lib. 1.*

5. Nèc alitèr, neque alio modo, tâm eventus hic, quam verba eventum ipsum referentia, intelligi possunt: nàm uti benè observat Fagnanus, *necessitas* tùnc dicitur, *cum Ecclesia indiget Ministris illorum ordinum, nèc reperiuntur alii, qui possint ordinari. Utilitas vero quando Ecclesia indiget, sed non desunt alii, qui promoveri possint* (*f*). Patet autèm, quod in Ecclesiâ Romanâ, quo tempore provectus est Formosus, non erat talis hominum indigentia, ut nullus alius præter illum reperiretur idoneus, ista namque indigentia non supponi potest in urbibus numerosis, & ità de Senonensi Nicolaus Papa I. in suis literis ad Egilonem protulit, *quod evenire in tàm amplâ Diœcesi nèc nos credimus, nèc prædecessores nostros Apostolicę Sedis Præsules credidisse reperimus* (*g*). Multò minùs potest supponi in amplâ Urbe Româ, sapientum, & prudentum hominum nutritrice, nèc in ea id omninò verificabile est, quià de facto tùnc aderant alii viri, ad eandem dignitatem idonei, ut omissis aliis fuerunt *Stephanus*, *Theodorus*, Joannes, Sergius &c. qui omnes brevi temporis intervallo, eidem in cathedrâ successere: qui si fuerunt idonei, ut post paucos menses, vel annos, ad Pontificatus apicem sublevarentur, dignos eos quoque, atque idoneos fuisse oportet, eo tempore, quo Formosi facta est provectio.

(f) *Fagnan. in cap. quæris 6. de ætat. & qualit. n. 3. l. 1.*

(g) *Nicol PP. I. ep. 55. Sirmond. Conc. Gall. tom. 3. f. 274.*

6. Itaque Formosus ipse non urgente necessitate, sed utilitate sic deposcente, ad thronum Apostolicum est vocatus, e cathedrâ Portuensi, nèc ei quidquàm obstitit extraneitas, quominus Romæ Papale beneficium legitimè posset consequi, Episcopali relicto, quod in Portuensi Ecclesiâ retinebat. Et cùm à Concilio Romano, de quo est sermo, una cum Joanne Papâ IX. illud celebrante, pronuntietur electio Formosi ad Summum Pontificatum legitima, recta, ac legalis, insimulque declarentur prævaricatores quicumque ipsam electionem damnaverant, loculumque Formosi effoderant, atque artus, & membra illius per vias, ac plateas pertraxerant, ob suppositum in eo reatum transmigrationis de Portuensi ad sedem Romanam; sequitur quod Concilium declaravit licere, accedente Ecclesiæ utilitate, Clerico, beneficium Episcopale habenti, ad Pontificale transire, sicque ibi obtinere hoc ultimum, & multò magis minoris ordinis beneficium adipisci, ubi esse extraneus agnoscatur.

7. Quæ in hoc Romano Concilio sancita sunt, rursùs eodem anno 904. sunt in alio Concilio 74. Episcoporum apud *Ravennam* habito confirmata, de quo Sigebertus: *Joannes Romanæ Ecclesiæ 116. pontifex præsidet. Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quam Stephanus deposuerat Synodum 74. Episcoporum, præsentibus Francorum Archiepiscopis, & Regem apud Ravennam statuit, & coram eis combusta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat* (*h*). Discesserat Joannes Papa IX. Româ propter Romanos, Berengario, in Imperium irregularitèr introducto faventes, & sibi obsistentes, qui Berengarium abhorrebat, & Lambertum Vvidonis Regis filium decorare Imperatoriâ chlamyde satagebat (*i*). Ravennam ergo Pontifex cum venisset, Synodum habuit, ubi inter cætera Episcopis ad

(h) *Sigebert. Gembl. Chronograf. an. 903.*

(i) *Bin. to. 7. Conc. in Jo. 9. f. 163.*

adstantibus Lambertum Cæsarem est affatus. *Ut synodus, quæ vestris temporibus in Basilicâ B. Petri Apostoli pro nonnullis malis eradicandis, & maximè pro causâ D. Formosi Sanctissimi Papæ habita est, vestro Imperiali consensu, & venerabilium Episcoporum, & Optimatum vestrorum roboretur, ac perpetualitèr stabilita servetur* (a).

8. En igitur Papa, & Imperator, ac 74. Episcopi, qui totidem sunt Doctores, nècnon & Optimates Cæsarei, qui unà simul in hoc consentiunt, quod Formosus, tametsi extraneus, ritè fuit ad Papale beneficium evectus; & quod Stephanus Papa VII, ac quotquot cum eo conspirarunt, ut memoriam Formosi damnarent, illiusque artus violarent, ob culpam extraneitatis illi impactam; iniustè processerunt, & sacrilegè sè gesserunt; quod est idem ac sub diversis terminis declarare conciliaritèr, Papâ, Imperatore, Episcopis, & Optimatibus, Italis, Germanis, & Gallis in idem consentientibus, licitùm esse Clericis, quantumlibet extraneis, usque ad sublime Romani Pontificatus beneficium ascendere. Hacque veritate subsistente, sequitur alia, quod cui licitum est majus, licitum etiam est minùs (b), quia minùs semper inest in eo, quod majus est (c), & ideò sicuti licitum est Clericis extraneis ad Summum Pontificatum provehi, sic & licitùm est alia quælibet beneficia minoris ordinis adipisci. Alia de Formoso suprà retulimus, undè jàm de illo nil diutiùs eloquemur.

9. In *Hispaniâ* hoc eodem ineunte sæculo Christi decimo, celebratum est *Concilium Ovetense*, apud Ovetum urbem Regiam, in finibus Asturum sitam, confluentibus ad illud decem, & septem Episcopis, in quo datus est effectus sanctioni Joannis Papę VIII. contentæ in ejus epistolâ, ad Regem Adelfonsum, Episcopos, Abbates, & Orthodoxos Hispaniæ directam, in quâ sic jubebatur, *Ecclesiæ Ovetensis, quam vestro consensu, & assiduâ petitione Metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus* (d). Ità ex Lucensi urbe Archiepiscopale decus ad Ovetensem Civitatem translatum est, quam Rex quoque Regalis suæ sedis auxerat dignitate (e). De hac Synodo legitur, quod Rex cum uxore, & filiis, Episcopis, & Comitibus, & Magnatibus, auctoritate D. Papæ Joannis Ovetum ad celebrandum Concilium convenerunt, in quo cum universali convenientiâ civitas Ovetensis dignitate Metropoliticâ insignitur, & Hermenegildus in Archiepiscopum sublimatur, quia Hispaniâ captivatis quinque sedibus Metropoliticis, silebat officio Metropolitico destituta (f).

10. Cernimus hic beneficium Archiepiscopale ad extraneos, non semel, sed pluriès perductum, nempè priùs ab Emeritensibus ad Lucienses, in Concilio dudum apud Lucum celebrato (g), & nunc posteà à Lucensibus ad Ovetenses, in Concilio, de quo loquimur: cum tamen donèc subsisterent aliquo modo, (& si habitatoribus diminutæ) præfatæ urbes Emeritensis, & Lucensis, potuisset illis Antistes proprius assignari, & sic non debuisset beneficium ipsum Archiepiscopale, ex primâ urbe ad secundam transferri, & à secundâ ad tertiam, nempè Ovetum, perduci. Tùm quia passim tunc temporis in Hispaniâ creabantur Episcopi civitatum, quas potentia Saracenorum oppresserat, & quarum aliquas penè ad nihilum redegerat (h), tùm etiam quia jura beneficiorum, & dignitatum Ecclesiæ, nèc subsistunt, neque deficiunt, cùm locorum numerositate, vel imminutione. Undè benè S. Leo Papa IX. non permisit invadi jura Archiepiscopatus Carthaginensis, tametsi Carthago esset incolis exinanita: jus namque sui Primatus, inquit, *obtinebit usque in finem sæculi, & donèc in eâ invocabitur nomen Domini nostri Jesu Christi, sive deserta jaceat Carthago, sive resurgat gloriosa aliquando* (i). Si ergò illicitum esset beneficia extraneis impertiri, multò magis illicitum fuisset beneficia ipsa, eorumque titulum ad loca extranea traduci: quod postremum cum factum sit semel, & iterum in Conciliis Ovetensi, & Lucensi; oportet fateri, quod etiam primum, sit licitum.

11. Sed his omissis, alia perpendamus in Ovetensi Concilio sancita. Statutum est, ut Episcopi illarum Ecclesiarum, quæ fuerant à Saracenis destructæ, vel oppressæ, Ovetum se conferentes, in eâ Ecclesiâ militando, stipem consequerentur de

rebus

(a) *Conc. Raven. an. 904. Bin. to. 7. Concil.*

(b) *Cap cui licet 53. de reg. jur. in 6. l. non debet ff. eod. tit. Auth. multo magis C. de sacrof. Eccles.*

(c) *L. in eo ff. de reg. jur. Farin. pract. crim. p. 4. dec. 10. n. 61. Barbos. Axiom. 140. n. 5.*

(d) *Jo. 8. ep. 1. ex Sappr. append. ap. Bin. to. 7. Conc. f. 113.*

(e) *Thomassin. vet. et nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 1. c. 43. nu. 8. § perbibet. & c. 45. n. 15.*

(f) *Radevic. Tolet. l. 4. c. 9. 17. 18. Thomass. loc. cit. c. 45. n. 15.*

(g) *Conc. Lucens. an. 563. vid. & Thomassi. vet. & nov. Eccl. discipl. l. 1. c. 42. n. 1.*

(h) *Thomassin. loc. cit. c. 27. n. 8.*

(i) *S. Leo. 9. ep. 3. vid. & Baron. ann. 1053. num. 41.*

rebus ecclesiasticis, si circumpositas Ecclesias in Ovetensi diœcesi sitas curarent (*a*). Hinc factum est, ut Ovetum communitèr diceretur civitas Episcoporum (*b*), quatenùs in eâ, illiusque diœcesi multi Episcopi residebant, à Saracænis impediti, ne possent apud populos, & Ecclesias proprias commorari: mosque invaluit, ut iis *Episcopis in Ovetensi urbe, & diœcesi singulæ Ecclesiæ darentur, quarum reditibus viverent* (*c*). Hi ergo Episcopi, Ecclesias illas minores in Ovetensi diœcesi positas possidentes, totidem erant Clerici, beneficia ecclesiastica retinentes in locis, à quibus sè extraneos agnoscebant. Nàm citrà dubium vel erant extranei à loco beneficii Episcopalis, quo intitulati emicabant, vel à loco Ecclesiæ minoris, quam apud Ovetum curabant.

12. Absque eo quod quidquàm prosit asserere, necessitatem ex oppressione Saracenicâ profluentem hæc egisse; quandoquidem Episcopis illis, vel expulsis, vel alitèr impeditis, ne possent apud Ecclesias proprias residere, opus esset opitulari; cumque necessitas faciat licitum id, quod alioquin esset illicitum (*d*), ideò assignabantur illis præfatæ minores Ecclesiæ, in Ovetensi diœcesi constitutæ, ut indè possent congruâ sustentatione gaudere, tametsi leges obsisterent, ne beneficia Clericis extraneis conferrentur. Non inquam hic sermo prodest; quippè si extranei à beneficiis ecclesiasticis repelluntur jure divino, naturali, & humano, uti supponunt Contradictores, nulla est necessitas, quę hisce conjunctis juribus valeat derogare, quotiès alia via superfit occurrendi tali necessitati, absque ipsorum jurium violatione: hæc autem via optimè tunc supererat; poterant enim Episcopi illi vel regiis subsidiis ali, vel de contributionibus illis sublevari, quibus Ecclesię solitæ erant pauperibus subvenire, vel ad eorum Ecclesias nativas, apud quas clericatu, vel presbyteratu in minoribus functi erant redire, & ibi beneficium aliquod adipisci, aut Ecclesiam aliquam ibi positam moderandam assumere. Quâ viâ prætermissâ, cum Concilium Ovetense, & mos Hispaniæ, introduxerit dari eisdem Episcopis in titulum Ecclesias, per Ovetensem diœcesim positas; evidenter patet fuisse statutum, quod etiam Clerici extranei possent ad beneficia ecclesiastica promoveri.

13. In *Germaniâ* celebrata sunt hoc sæculo Concilia *Virdunense*, & *Engelheimense* pro causâ *Hugonis*, & *Artaldi*, de beneficio Archiepiscopali Remensis Ecclesię contendentium, super quo etiam alia Concilia convocata sunt, prolixo nimium tempore contentione hac perdurante. Totiùs facti series hæc est. Seulfo Archiepiscopo Remense viam universæ carnis ingresso, vel vi morbi naturalis, vel vi venenatæ potionis, uti suspicio suggessit (*e*); *Hugo* in illam sedem insilivit, puer quinquennis, filius Heriberti Comitis Veromanduorum, sive Aquitaniæ (*f*), cui Seulfus depactus fuerat in eadem sede successionem (*g*). Hac primâ vice pueris apertus est aditus ad Episcopalia beneficia, ut alios regerent, qui se ipsos regere non valebant (*h*), quod monstrum statim alia non dissimilia secuta sunt. Nàm Joanni Papæ XII. intèr cætera crimina in Concilio Romano illi opposita, dictum est, quod puero decenni Episcopatum Tudertinum (si verum est) contulisset (*i*). Mortuoque Stephano Amaseno, in Patriarchali cathedrâ Constantinopolitanâ subintrusus est Theopbylactus, Romani Imperatoris filius, sexdecim annos natus, Tryphone in ejus locum ad tempus collocato, donèc puer ipse ad ætatem Canonicam perveniret (*l*).

14. Electionem Hugonis pueri in Archiepiscopum Remensem Joannes PP. X. pro eo, quod non reprobavit, visus est approbasse, commissis Episcopalibus muniis Abboni Episcopo Suessionensi (*m*), dum interim quoad temporalia Ecclesiam illam regendam suscepit Heribertus, ejusdem pueri Pater, qui omnia cœpit pro suo arbitrio disponere, & sacra quoque per Odalricum Aquensem Episcopum exercere (*n*). Cumque Heribertus ad castra Henrici Germaniæ Regis declinasset, Rodulfus Francorum Rex, qui priùs electioni Hugonis pueri adhæserat, consilio mutato *Artaldum*, sive Artoldum, cœnobii S. Remigii monachum, à Remensibus in Antistitem fecit eligi, & à Joanne Papa XI. confirmari (*o*). Hoc modo schisma inter

(a) *Bin. to. 9 in Conc. Ovetens. ann. 902. Baron. ann. 902.*

(b) *Roderic. Toletan. hist. l. 4. n. 8.*

(c) *Marian. l. 7. c. 18.*

(d) *Barbos. tractat. var. Axiom. 157. n. 2. Fagnan. in c. nihil nu. 26. de elect. l. 1.*

(e) *Artald. Remens. in Conc. Engelheimens. ap. Sirmond. to. 3. Concil. Gall. f. 589. Card. Baron. an. 925. n. 8.*

(f) *Bin. to. 5. Concil. in Jo. x. f. 170. Flodoard. hist. Remens. lib. 4. c. 20. Baron. ann. 925. num. 7.*

(g) *Flodoar. hist. Remens. l. 4. c. 18. Baron. ubi supra.*

(h) *Binius loc. citat: Baron. ubi supr. n. 11.*

(i) *Conc. Roman. ann. 963. §. Tunc. Bin. tom. 7. Conc. f. 168. Baron. anno 903. n. 15. 18. 27.*

(l) *Glycas Annal. p. 4 f. 423. 425. Zonar. Annal to. 3. f. 115: Baron. ann. 933. n 7.*

(m) *Baron. ann. 925. n 11. Bin. to. 7. Conc. in Jo: x. f. 171. Flodoard. hist. Remens. l. 4 c. 20.*

(n) *Flodoard. loc. cit. lib. 4. c. 20 & 22.*

(o) *Flodoard. histor. Rem. l. 4. c. 22. & 24. Baron. an. 933. n. 1.*

intèr Hugonem puerum, & Artaldum, propter Ecclesiam Remensem factum est, & plura Concilia sunt celebrata, pro adjudicando beneficio hoc Archiepiscopali alterutri contendentium, ut cui deberetur rè maturè ponderatâ cognosceretur. Electio Hugonis accidit anno Christi 925. (*a*). Artaldi vero provectio facta est anno Christi 931. (*b*), vel circitèr. Post annos prope novem Heribertus Remorum urbe occupatâ, Artaldum dignitati cedere adegit, & in cœnobio S. Basoli privatam ducere vitam (*c*). Quo facto convocatum est Concilium Suessionense anno 941, in quo Hugo consecratus est Archiepiscopus, dictumque, quod Artaldus non fuerat ritè electus, quodque sè se Archiepiscopatu abdicaverat, ac juraverat sè illi non ampliùs intromittere (*d*).

15. Super his autem reclamante Artaldo, & se per vim cessisse ejulante, Ludovicus Rex Francorum illi favens, Othonis Germanorum Regis adjutorio stipatus, eundem suæ sedi restituere aggressus est: factaque Synodo *Virdunensi*, cum Hugo ad causam dicendam vocatus, comparere detrectasset, adjudicata est sedes Remensis Artaldo (*e*) Tùm anno sequenti 948. idipsum confirmatum est in Concilio *Mosoniensi*, atque interdicta Hugoni communio, usque ad synodum pleniorem (*f*), quę celebrata est eodem anno in Urbe *Engelheimensi*, convenientibus ad illam multis Archiepiscopis, & Episcopis Germanis, atque Galliæ Belgicę, necnon Ludovico Transmarino Francorum Rege, atque præsidente in eâ Marino Polymartiensi Agapiti II. Papæ Legato, ubi auditis Artaldi rationibus, ibi ab eo fusioii stylo explicatis, Hugoneque vocato, & non comparente, ipsi Artaldo Remense Archiepiscopium obsirmatum est, & Hugo èxcommunicatione percussus (*g*) confirmante hæc omnia Agapito Papa, subsequenti anno in Concilio Romæ collecto (*h*).

16. Ita Artaldus beneficium Archiepiscopale Remense recuperavit, & usque ad mortem tenuit, quæ anno 962. successit (*i*). Tunc Hugo præfatus ad sedem ipsam redire fategit in synodo 13. Episcoporum, Meldis, sivè ad Matronam fluvium, in pago Meldensi celebrata, quę tamèn votis Hugonis renuit adhærere, sinè assensu Romani Pontificis. Hic verò dissensit, & sic Hugone spè recuperandæ dignitatis frustrato, electus est in Antistitem Remensem *Odalricus* Clericus, Hugonis cujusdam Comitis filius (*l*), Odalrici Episcopi Aquensis nepos (*m*). In hac autem seriè rerum occurrunt multa, ad extraneitatem facientia, quæ bonum est hic opportunè perpendere. Nempè *Hugo* a Remensi Ecclesiâ erat extraneus, tamquam filius Heriberti Comitis Aquitaniæ (*n*), qui etiam dictus est Hugo à Veromandia (*o*), & diaconatum à Vvidone Antissiodorensi, ac presbyteratum ab altero Vvidone Svessionensi Antistite accepit (*p*), deindè Episcopali consecratione perfusus Ambianensi Episcopatui præfecit *Tetbaldum* Ecclesiæ Svessionensis Archidiaconum, & consequentèr extraneum (*q*). Tàm ergo in dandis, quàm in recipiendis beneficiis, & quidem beneficiis primæ notæ, nec Hugo, nec qui cum eo tenebant Episcopi, Principes, Clerici, & laici, extraneitatem pro vitio reputarunt.

17. Similiter *Artaldus*, tametsi fortè non esset extraneus Remis, uti cœnobii S.Remigii Monachus (*r*), certum est tamen, quod quando in Concilio Svessionensi Archiepiscopales Insulas deposuit, concessæ illi fuere Abbatię S. Basoli, ac monasterii Avennacensis (*s*), & in tractatu pacis, per Othonem Ducem Lotharingiæ inito, ut Ludovicus Rex Hugonem Pręsulem Remensem in gratiam reciperet, pactum est, dandas esse Artaldo nedum Abbatias pręfatas, sed etiam alium episcopatum (*t*), & ità tria beneficia possideret in locis, à quibus erat extraneus. *Odalricus* quoque Aquensis Episcopus, qui in minoritate Hugonis Pręsulis, Episcopalia ministeria Remis celebrabat, ibique accepit Abbatiam S. Timothei cum unius prębendâ Clerici (*u*), proculdubio beneficia Ecclesiastica ibi cognoscitur possedisse, ubi erat extraneus: nihil refragrante, quod Saracenorum persecutionem fugiens à suâ cathedrâ recessisset, quippe aliis subsidiis in patriâ juvandus erat, non Ecclesiasticis illis beneficiis, si eorum collatio facta extraneis, divinam, naturalem, & hu-

manam

(a) *Baron. ann. 925. num. 8.*
(b) *Sirmond. in Cōc. Svession. an. 541. to. 3. Conc. Gall. f. 581.*
(c) *Artald. in Conc. Engelheim. ap. Bin. t. 7. f. 178. & Sirmond. loc. cit. & 589.*
(d) *Concil. Svession. an. 941. ap. Sirmond. to. 3. Conc. Gall. Flodo. hist. Rem. l. 4. cap. 28. & 29.*
(e) *Flodoard. in Chron. an. 947. & hist. Rem. l. 4. c. 28. Bin. & Sirm. in Conc. Virdun. an. 947 Artald. in Concil. Engelheim. an. 848.*
(f) *Chron. Mosoniens. an. 948. ap. Bin. tom. 7. & Sirmond. to. 3.*
(g) *Conc. Engelheim. an. 948. ap. Bin. tom. 7. & Sirm. to. 3. Flodoar. l. 4 hist. Remen. c. 35. & in Chron. an 948.*
(h) *Conc. Rom. ann. 949. ap. Bin. tom. 7. & Sirm. to. 3.*
(i) *Baron. an. 962. 17*
(l) *Conc. ad Matron. an. 962. ap. Sirm: to. 3. Conc. Gall. Flodoard. in Chron. an 962.*
(m) *Vid seriem Archiepisc. Rem n. 37.*
(n) *Card. Baron. an. 925. n. 7. Bin. to. 7. Cōc. in Jo: x f. 171.*
(o) *Vide seriem Archiepisc Rem n. 35.*
(p) *Flodoard. histor. l. 4. c. 28.*
(q) *Idem loc. cit. c. 33*
(r) *Flodoar. hist. Remens. l. 4. c. 24.*
(s) *Idem l. 4. c. 28. 29.*
(t) *Idem hist. l. 4. c. 30*
(u) *Idem l. 4. c. 23.*

manam legem, ut asseritur violat, & evertit.

18. Demum *Odalricus* in locum Artaldi defuncti ad Remensem Archiepiscopatum vocatus, indè erat extraneus: quippe cum Flodoardus eum vocet *illustrem Clericum, Hugonis cujusdam Comitis filium* (*a*), nec sit probabile, quod hic Auctor, Ecclesiæ Remensis presbyter, & historicus, ac Odalrici synchronus ignoraverit Hugonem hujus patrem fuisse Remensem civem, & Odalricum fuisse Remensem Canonicum: vel tacuerit si re vera tales fuissent; necessario fatendum est, Odalricum ipsum ibi non fuisse indigenam, sed extraneum, saltem quando accepit canonicale beneficium. Accedit, quod hunc Odalricum Remensem legitur fuisse nepotem Odalrici Aquensis. Hos autem patruum, & nepotem, eadem familiâ natos, nemo negabit eandem quoque patriam habuisse; quare oportet, ut eorum uterque, vel saltem alteruter ecclesiasticum beneficium possederit in loco, à quo erat extraneus. Adhæc non omittenda est perpensio, quod nunquam in tot Conciliis hinc indè celebratis, objecta est extraneitas, vel Hugoni ab Ecclesiâ Remensi, vel Artaldo à S. Basoli, & Avennacensi Abbatiis, cum tamen silentio non debuisset obvolui tàm grave hoc facinus, & tale quod, ut involuens prævaricationem divinę, naturalis, & humanæ legis, in sensu Contradictorum, sufficiens fuisset pro utroque illorum à controverso beneficio Archiepiscopali Remensi longius ablegando.

(a) *Flodoard. in Chron. an. 962.*

19. Et quod auget vim rationis est, subrogatum fuisse Artaldo Odalricum, & Odalrico *Adalberonem* Lotharingum (*b*), ambo ab eodem Remensis Ecclesiæ beneficio extraneos, hocque convincit, quod nec in Hugone Remensi, nec in ullo alio, tunc temporis beneficia ecclesiastica suscipiente, considerata est pro vitio extraneitas, ab eorum consecutione repellens: totamque simul colligendo seriem pręfati eventus, satis clare patet, quod & Papæ, & Reges, & Episcopi, & Concilia, & Magnates, & Clerici, & laici, multi, & multiformiter partem habentes respectivè in electione, approbatione, confirmatione, dijudicatione, promotione, depositione, ac subrogatione tot Antistitum, nempè Hugonis, Artaldi, & Odalrici, ac successivè Adalberonis; omnes inquam isti in ea versati sunt opinione, ac illam pro certa, & inconcussâ habuerunt, quod ecclesiastica beneficia, ritè ac rectè; liberè ac licitè conferantur, non modo clericis indigenis, verum etiam extraneis. Si autem dicatur hos omnes desipuisse, nec bene judicium regulasse, nos respondemus, non eos desipuisse sed illos potiùs esse dementes, qui de iisdem talia audeant effutire.

(b) *Vid. seriem Archiepisc. Remens. n. 37. append. ad Flodoard. 6. Præfato f. 403.*

20. Hoc eodem sæculo Christi decimo ad interitum proruente, in *Galliâ* celebratum est Concilium *Remense*, propter *Arnulfum* ejusdem Ecclesię Archipræsulem, perduellionis culpatum. Nàm accusabatur, quod urbem Remensem Carolo Francorum Regi patruo suo, tunc Hugoni Regi subjectam prodidisset (*c*). Qui Arnulfus Cœlum, & terram adjurando, sè innocentem profitebatur, excommunicatione quoque adversus veros proditores illius urbis publicè intortâ (*d*). Hugo nihilominus Rex Arnulphum captum Pseudosynodo Remensi dijudicandum exhibuit, à qua depositus fuit, *Gerberto* monaco in ejus locum suffecto, ac electione Arnulfi damnata, tamquàm tumultuarie, & non secundum canones factâ (*e*). Quæ cum audisset Joannes Papa XV. tametsi literis ab Hugone Rege, necnon & ab Episcopis provinciæ Remensis præventus, & ex epistolâ Arnulfi, aliisque fide dignis documentis comperisset ipsum Archipræsulem iniustè fuisse condemnatum, & carcerali custodiæ mancipatum (*f*), *interdixit sacris omnibus Episcopis, qui Arnulfum dejecerant, & Gerbertum ordinaverant. Misit quoque Leonem Abbatem à Sede Apostolicâ &c. qui vice suâ in urbem Remensem Synodum congregaret, mandans illi, ut sine dilatione revocaret de carcere Arnulfum, & degradaret Gerbertum* (*g*).

(c) *Card. Baron. an. 990. n. 7.*

(d) *Idem ubi supra, & Gerbert. in Concil. Remens. c. 12.*

(e) *Aimoin. de Gest. Franc. l. 5. c. 46. Gerb. ep. 25. inter postremas ap. Duchesne to. 2. hist. Franc. f. 684. Vid. Baron. an. 992. n. 3.*

(f) *Aimoin. de gest. Franc. l. 5. c. 46. vid. Baron. an. 992. n. 1.*

(g) *Aimoin. loc. cit. Baron. an. 990. & 991. num. 2. 5.*

21. Profectus in Galliam Leo *Mosoniensem* Synodum celebravit, in qua Gerbertum, ejusque rationes patientissime audivit (*h*). Mandatâque liberatione Arnulfi, & celebrato Remis Concilio, illum suæ sedi restituit (*i*): perstrepente Gerberto, & adversus Leonem Legatum, ipsumque Pontificem, altis ejulatibus exclamante (*l*), donec *intelligens quod injuste Pontificalem suscepisset dignitatem, pœnitentia ductus* est

(h) *Aimoin. loc. cit.*

(i) *Conc. Mosoniens. an. 995. Bin. to. 7. Conc. fol. 198.*

(l) *Aimon. loc. cit.*

est (*a*). Inter cætera Arnulfi gesta hoc reperitur historiis commendatum, quod corpus B. Mauri concessit *Gerardo* Canonico tunc Remensi, & postea Episcopo Cameracensi (*b*), qui successit *Herluino*, ex Archidiaconatu Leodiense ad illam Sedem provecto (*c*), Arnulfus autem ipse non erat Remis indigena, sed extraneus. Nam ortum habuerat ex concubinâ, & Lothario, Caroli adhuc Regnantis fratre, sicque ad Regnum Caroli patrui pertinebat, non verò ad illud Hugonis, cui tunc Remensis civitas obsequebatur (*d*). Nihilominus Hugo Rex, ad ejus sibi benevolentiam conciliandam egit, ut Remensibus infulis ornaretur, nihil attento indigenatus defectu.

22. Quod clarè satis evincitur ex literis Episcoporum provinciæ Remensis, adversus illum ad Joannem PP. XV. datis, ubi inter cætera dicunt: *Perferimus &c. crimen Arnulfi Remorum Archiepiscopi &c. Qui filius quondam Ecclesiæ Laudunensis, eum Episcopum suum dolo, & fraude ceperit, Ecclesiam ejus pervaserit, ad cumulum suæ damnationis Remensem sibi creditam cum Clero, & populo captivavit &c.* (*e*). En quod Arnulfus ad Laudunensem Ecclesiam pertinebat, non ad Remensem, & tamen in hac usque ad beneficium Archiepiscopale conscendit, & ut in eo manuteneretur, tam Concilium Remense, quam Synodus Mosoniensis constantissimè decertarunt: quod idem est, ac asserere, utrumque hoc Concilium, & Patres in eo congregatos, claras edidisse sanctiones definientes, licitum esse Clericis extraneis accessum ad Ecclesiastica beneficia. Et quod notabile est, nedum Joannes PP. XV. reintegrationem Arnulfi mandavit, sed etiam *Gerbertus* vir alioquin ardens illi tandem acquievit, & Pontifex factus, nomine accepto *Silvestri II.* eandem Apostolicis suis literis confirmavit (*f*).

23. De quo *Gerberto*, cum superiùs locuti simus, uti de Summo Pontifice Silvestro II., ac mox de eodem sermonem habuerimus, tamquam de Remensi Archiepiscopo, nunc de illo aliqua dicamus, tamquam de doctore, ac scriptore Ecclesiastico præsentis sæculi, nam teste Sigiberto, *inter claros scientiâ literarum egregiè claruit* (*g*), & judicio Vincentii Bellovacensis, *vicit scientiâ Ptolemæum in astrolabio, Alexandrum in astrorum interstitio, Firminum in fato* (*h*), ejusque opera in Bibliothecâ Veterum Patrum, cum aliis Scriptorum Ecclesiasticorum monumentis conserta sunt (*i*). Itaque Gerbertus, nedum Abbatialia, Archiepiscopalia, & Papale beneficium adipiscens in locis, à quibus erat extraneus, facto suo, multoties repetito docuit, patere Clericis extraneis aditum ad Ecclesiastica beneficia; sed etiam in suis epistolis pluribus modis idem ostendit.

24. Etenim cum amicitiam coleret Adalberonis, qui Episcopus Remensis erat (*l*), huicque crimen infidelitatis imputaretur à Lothario Francorum Rege pro eo, quod proprio nepoti licentiam dedisset suscipiendi beneficium Episcopale extra fines illius regni, ac eundem pariter sacris ordinibus adauxisset; Gerbertus binas epistolas pro Adalberone dictavit, vel aliter dictatas suis literis inservit, quarum una objectionem, altera responsionem continet, ac sic loquitur: *Perfidiæ, ac infidelitatis crimine in Regiam majestatem arguor desineri eo, quod Nepotem meum Clericum videlicet meæ Ecclesiæ licentiâ donaverim, quia & ad Palatium adiverit, & dono alterius Regis Episcopatum acceperit ejus Regni, quod senior Lotharius Rex in proprium jus revocaverat, quodque gradus Ecclesiasticos ei postmodum contulerim absque licentiâ, & auctoritate senioris mei* (*m*): circà quæ sic sè purgat: *Cum senior meus Rex Lotharius Lothariense Regnum non haberet, nec revocaret fratris mei filium, vix tandem sic obtinui fide interpositâ, ut si usus aliquando exposceret, sibi, suisque absque pertinaciâ redderem. At cum ageretur, ut senior meus filio Imperatoris advocatus foret, eâque de causâ dati obsides essent fratris mei crebris legatis filium repetivit mè segniter accipientem, fidei violatorem increpitans* (*n*).

25. Tum subdit: *Ergo quià senior meus de revocatione Regni nihil mihi dixerit, sed de solâ advocatione, nec dandi licentiam Clerico interdixerat, sed insuper bene-*

(a) *Baron. ann. 992. n. 7. 12. & 42. an. 995. n. 12.*
(b) *Andr. Saussai in Martyrol. Gallic. die 22. Augusti.*
(c) *Vide seriem Archiep. Camerac. n. 30. 31.*
(d) *Baron. an. 990. n. 7.*
(e) *Epist. Episcopor. ap. Baron. an. 995. n. 1.*
(f) *Gerbert. sive Silvestr. epist. 55. ad Arnulf. inter novius cusas ap. du Chesne hist. Franc. to. 2 f. 843.*
(g) *Sigeber. Gemblac. an. 998.*
(h) *Vincent* Bellov. *spec. hist. l. 24. c. 98.*
(i) *Bibl. Patr. to. 10. f. 615.*
(l) *Gerbert. epist 49 & 122. ap. du Chesne to. 2. hist. Franc.*
(m) *Gerbert. epist. 57*
(n) *Gerbert. epist. 58*

benevole consenserat &c. & proficiscentem absolvi, & ut id, pro quo obsides dati erant sincerissimè conservaret fidem exegi, quam & hactenus obtulit, & adhuc, ut credimus offert. Gradum Diaconatus, & Presbyteratus ei contulit, ne à nobis emancipatus in accipiendo alteri maneiparetur, & ne Ecclesia nostra invidiæ pateret Subdiacono, ex se ad Episcopalem apicem assumpto: simulque quod hi gradus nec provincias, nec civitates, nec villas, quæ Regnorum sunt, conferunt, sed quæ potius cælestis sunt Regni, idest adversari vitiis, coli virtutes &c. (a). Quibus disertè docet, optimè licere Clericis beneficia, etiam Episcopalia, in alieno Regno recipere, & quod nec gradus ordinum, neque beneficiorum dant, vel auferunt Regna, vel Urbes, ideoque in illis dispensandis, non regnorum, vel civitatum eorumve confinium ratio est attendenda, sed meritorum.

(a) *Gerbert. loc. cit.*

26. In aliâ epistolâ scriptâ, ut videtur, nomine Monasterii Bobiensis, sive aliter ad Theophaniam, quæ erat uxor Othonis II. Imperatoris (*b*), ab ea postulat dari beneficium quoddam Episcopale in ejus Regno situm ipsi Gerberto Abbati ab Italiâ depulso, nam ipsius Monasterii Bobiensis Abbatiam ipse scriptor epistolæ habebat, sive in titulum, sive in commendam, inquit ergo: *A vestrâ munificentiâ præsumimus petere, quod scimus perfidissimos nuntios olim nobis concessum esse, idest si in Regnorum confinio quolibet Ecclesia vacaret pastore, in ea non alium constituendum, nisi quem vestræ utilitati omnimodo aptum sano judicio delegerimus. Et quià omnibus provincialibus notum, Italiâ expulsum, sed in fide non fictâ perstantem habemus Abbatem Gerbertum: hunc Ecclesiæ præfici modis, quibus possumus oramus: Qui nobis quidem est verus filius, vobis verò per omnia obsequentissimus servus. Cujus absentiâ etsi nimium gravemur, tamen ob communia beneficia privata posthabemus* (*c*) Nemo non videt quantum esset extraneus Abbas iste Gerbertus, sive fuerit præsentis epistolæ scriptor, sive alius eodem nomine nuncupatus, ad Bobiensem Monasterium pertinens, pro quo Theophania Augusta interpellatur à beneficio Episcopale, *in confinio quolibet Regnorum sito*.

(b) *Lambert. Schafnaburg. an. 992. Sifrid. epist. l. 1. ann. 978.*

(c) *Gerbert. epist. 117.*

27. In aliâ itidem Epistolâ dat Gerbertus, Rainardo Monacho Bobiensi facultatem transeundi ab illo ad aliud Monasterium, scribens, *si sub regula Patris Benedicti, ac spirituali Abbate militare delectat, in alio Monasterio meâ licentiâ utere, nec obsit tibi transitus causâ religionis, & imperio Abbatis tui factus* (*d*). Diximus alibi tam secundum Theologos (*e*), quam secundum Jurisconsultos (*f*), Monachatum esse beneficium regulare, ac Monachos totidem beneficiarios: qui antiquis temporibus illi se Monasterio affixos agnoscebant, in quo Monachalem professionem emittebant, ibique taliter indigenæ, ac locales ei dabant, ut à quibuslibet aliis cœnobiis extranei remanerent: nihilominus accedente consensu proprii Abbatis, à cœnobiali claustro discedere, & ad aliud Asceterium permittebantur accedere; tuncque beneficium Monachale, nempe proventus perpetuos, ad victum, & vestitum, ac honestam sustentationem singulis Monachis assignatos accipiebant in loco, à quo pridem erant extranei: arguendoque (prout, & contradictores aliquandò faciunt) à beneficio regulari, ad sæculare, quæ sunt ejusdem generis, tametsi non ejusdem speciei, patet, quod sicuti Monachis extraneis permittitur in epistolis Gerberti accessus ad regularia beneficia; ita etiam Clericis sæcularibus aditus patere debet ad sæcularia beneficia.

(d) *Gerbert. epist. 7. inter postrem impres. apud Duchesne to. 2. Hist. Franc. f. 829.*

(e) *Thomassin. Vet. & Nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 23. n. 1.*

(f) *Barbos. Jur. Eccles. univ. l. 3. c. 4. n. 69. de Luca disc. 97. n. 17. de benefic.*

28. Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc eodem sæculo, floruerunt, celeberrimi sunt Sancti *Odo*, & *Odilo* Cluniacenses (*g*). Quorum postremus, *Arvernæ oriundus ex Clerico Brujatensi Monachorum professus in Cluniacensi cœnobio, post Majolum præficitur ipsi cœnobio, quod per annos 56. miro religionis fervore rexit, & provexit, qui egregiè, præter cætera pietatis insignia, non solùm vitæ exemplis, sed etiam miraculis in vitâ suâ claruit: Qui cum reprehenderetur, quod in peccatores misericordior justo esse videretur; Si damnatus sum, inquit, malo damnari de misericordiâ, quam de justitiâ* (*h*). Hic fuit institutor annuæ commemorationis omnium simul fidelium defunctorum (*i*), Benedicto Papæ VIII., ac Hen-

(g) *Vid. eor. opera in to. x. Bibl. Vet. Patr.*

(h) *Sigebert. Gembac. Chronogr. ann 993. Ciacon. in Greg. V.*

(i) *S. Baron. ann. 1048. n. 6.*

Henrico Imperatori apprime carus (*a*), cui etiam à Conrado Cæsare delatum est beneficium Archiepiscopale Lugdunense, Clero, & Populo illius Ecclesiæ in idipsum consonantibus, ac Benedicto Papâ IX. eidem pallium, & annulum transmittente; quæ omnia Odilo humilitatis titulo recusavit, & insignia illa Archiepiscopalia pro futuro Antistite reservavit, qui fuit *Odelricus* Archidiaconus Lingonensis, à Lugdunensi Cathedrâ extraneus (*b*).

29. Situm est Monasterium Cluniacense in Burgundiâ, & in Diœcesi Matisconensi (*c*). Abbatia verò regularis est Ecclesiasticum beneficium (*d*), quamvis Odilo, uti Arvernus origine, Clericusque Bruciacensis, esset inde nedum diœcesi, sed etiam provinciâ extraneus, nihil tamen dubitavit beneficium illud Abbatiale suscipere, & tam prolixo tempore retinere. Erat quoque, nedum extradiœcesanus, sed etiam extraprovincialis ab Ecclesiâ Lugdunensi, & tamen Papa, Imperator, Clerusque, ac Populus eximię illius Metropolis, instituerunt, ut beneficium ipsum Archiepiscopale susciperet: quod refutavit, non quia sè illius incapacem, extraneitatis titulo, reputaret, alias nec pallium, nec annulum *Odelrico* extraneo, sibi subrogato detulisset; sed quia præ humilitate, sè indignum censuit tantæ culmine dignitatis, & ita ex repetitis beatissimi hujus viri gestis patet, quod beneficiorum Ecclesiasticorum Clerici extranei, non minus, ac indigenæ sunt capaces; & uti tales tunc temporis reputati fuerunt.

30. Præcessit Odilonem in regimine Abbatiæ Cluniacensis *S. Odo*, sanctitate, & eruditione clarissimus, qui oriundus ex Aquitaniâ, à Guillelo Duce illius educatus (*e*), Remigium Antisiodorensem Monachum in dialecticâ, Philosophiâ, & Theologiâ magistrum habuit apud Parisios (*f*), decimumnonum ætatis annum agens, Canonicus, & secundum aliquos Præpositus, ac Præcentor Ecclesiæ Turonensis factus est (*g*), ubi constitit usque ad annum suæ ætatis trigesimum (*h*). Tuncque unà cum Teotulo Concanonico suo, qui posteà fuit Archiepiscopus Turonensis monachatum professus est (*i*) in Balmensi Monasterio, à D. Bernone Abbate susceptus, unde ad cœnobium Cluniacense transivit (*l*), ibique mirificè profecit. Sed & in Monasterio S. Geraldi Aureliacensis monachatui operam dedit (*m*). Nedumque Cluniaci Abbatiam obtinuit (*n*), verum etiam Floriacensem (*o*), ac illam S. Petri Vivi propè Senonas (*p*), nec non & plures alias: dicitur enim de illo in Chronico Lemovicensi, *non solum Cluniacensis, sed ut multorum in Regno Hesperiarum cœnobiorum affectus est Abbas egregius* (*q*). Et ita beneficium Canonicale Turonis, & Abbatialia S. Petri Vivi in diœcesi Senonensi, Floriacense in Aurelianensi, Cluniacense in Matisconensi obtinuit, cum ab eis, & diœcesi, & provinciâ esset extraneus. Quem in his peccasse, nemo asserere, nisi demens audebit, fuit enim vir sanctitate, & miraculorum gloriâ praeclarus (*r*).

31. Hæc quoad illius gesta: nunc ex illius doctrinâ aliqua depromamus. Varia scripsit, & signantèr suis fratribus instantibus (*s*), breves libros in Job composuit (*t*): Ubi expendens periodum illam ipsius Job dicentis: *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem* (*u*), ait: in exibendis operibus charitatis, humilitatem simul, ac pietatem esse exercendas, & alterâ non despiciendos, alterâ indigenis extraneos ęquales esse faciendos: *in amore proximi*, inquit, *uno eodemque ordine, & superbiæ vitium, & pietatis premens, prætereuntem quempiam, & humiliter aspiciens non despexi, & misericorditer æqualem feci* (*x*). Sentit ergo D. Odo, quod Christianę humilitatis, & pietatis sit operum charitatis participes facere, nedum indigenas, sed etiam extraneos, servatâ semper congruâ moderatione, ac mensurâ. Et ita Patres hoc semper observasse certum est, ut extraneis quoque officia suæ charitatis impenderent, imò multos novimus larga stipendia ultrò illius etiam longè distantibus transmisisse (*y*), quorum plures supra congessimus (*z*). Et nunc placeat iterum Sidonium Apollinarem, in vitâ Sancti Patientis Lugdunensis, de illo ita proloquentem audi-

(a) *Baron. ann. 1048. 6.*

(b) *Baron. ann. 1014. nu. 14. & 15.*

(c) *Glaber. l. 5. c. 4. Baron. ann. 1034. 37.*

(d) *Thomassin. Vet. & nov. Eccl. discipl. 1. l. 2. c. 6. n. 10. & p. l. 2. cap. 106. n. 8. Victorel. addit. ad Ciacon. in Greg. V.*

(e) *Card. de Luca de benef. disc. 97. n. 17. Barbos. jur. Eccl. univ. lib. 3. c. 4. n. 69.*

(f) *Vit. S. Odon. ap. Surium die 19. Nov. & Chron. Turonense.*

(g) *Possevin. Appar. Sac. to. 2. in Odon. Clun. Vinc. Belov. hist. l. 24. c. 55.*

(h) *Trithem. de Vir. illust. l. 2. c. 53. Glaber. hist. l. 3. c. 5. Sigebert. de illust. script.*

(i) *Vit. S. Odon. Clun. apud Surium die 18. Nov. & Chronic. Turonens.*

(l) *Ademar. in Chron. ant. oper. S. Odon. in Bibl. Patr.*

(m) *Vit. S. Odon. ap. Surium die 18. Nov. & in Bibliot. Cluniac. Possev. appar. sacr. in Odon. Clun.*

(n) *Aimonin. de Mirac. S. Bened. l. 2. c. 4. in. Bibl. Floriac. f. 87.*

(o) *Vit. S. Odon. Cluniac. & Ademar. loc. cit.*

(p) *Aimonin. ubi sup. Chronic. Turon. ant. oper. S. Odon. in Bibl. Patr.*

(q) *Chronic. Lemovic. ant. oper. S. Odon. loc. cit.*

(r) *Chronic. S. Petri Vivi ann. 917. & 941.*

(s) *Vid. vit. S. Odon. ap. Surium die 18. Nov. & in Bibl. Clun. Martini Marrier.*

(t) *Jo. Trit. de script. Eccles. in Odon. Clun.*

(u) *Job. 31. 20.*

(x) *S. Odo. Cluniac. in Job. 31. l. 22. n. 19.*

(y) *Thomass. Vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. l. 3. c. 26. a n. 11 ad fin.*

(z) *Vid. hic sup. saecul. 2. c. 2. à 8. 10.*

audire. *Transit in alienas provincias vigilantiâ tuâ, & in hoc curæ tuæ latitudo diffunditur, ut longè positorum consoletur angustias* (*a*).

32. Porrò sensuit D. Odonis uniformis est sensus D. Gregorii in eundem Job versiculum perorantis. *Quia sunt nonnulli, qui pietatis suæ viscera tendere, usque ad incognitos nesciunt, sed solis quos per assiduitatem notitiæ didicerint misereantur, apud quos nimirum plus familiaritas, quam natura valet, dum quibusdam necessariâ, non quia homines, sed quia noti sunt largiuntur; benè nunc per Beatum Job dicitur: si despexi prætereuntem eo, quod non habuerit indumentum. Ignoto enim proximo misertum se indicat, quem prætereuntem vocat: quià videlicet apud piam mentem plus natura valet, quam notitia &c.* (*b*). Opera ergo charitatis apud Christianos, inter extraneum, & indigenam non distinguunt, sed ad utrosque sinè diversitatis themate sè protendunt: nec in ejus exercendis officiis, inquit D. Valerianus, *est cujusquam excipienda persona, nec habendum electionis judicium, quià res, quæ necessitati servit, erogationis ordinem non requirit* (*c*). Quod quidem præcipuè verum est de eleemosynâ; sed ex coæqualitate rationis etiam in aliis charitatis actibus locum habet, à quibus distributio beneficiorum non excluditur, ubi namque ratio est eadem, ibi quoque debet esse eadem juris dispositio (*d*).

33. In Conventu Vallisolitano Regni Hispaniæ anno 1523. petitione 46. institutum est, ut mendici suo quique solo continerentur, sed res effectu caruit: Rex quippè non est ausus edictum super hoc publicare. In Conventu pariter Matriti habito anno 1528. petitione 45., de eadem re instantiâ repetita est, sed & tunc casso conatu. Rex enim non nisi hoc respondit, quod provideretur. Iterum verò in alio Conventu anno 1534. petitione 117. eadem res est proposita, Rexque sive Carolus V. Imperator præcepit, ut vagi, & errabundi pauperes pellerentur, veri autem inopes in suis quique diœcesibus alerentur: Regiumque consilium anno 1540. hanc progmaticam observari mandavit (*e*), sed quia interdictum hoc non tam difficilè videbatur, & in praxi impossibile, quam in conscientiâ parum tutam, Rex literas Apostolicas postulavit, quibus auctoritate Papæ prohiberetur egenos extra solum proprium mendicare (*f*). Non eas tamen obtinuit, quod sciamus: lex enim hæc, ut inquit Vâsquez nova, & usque ad illud tempus, etiam inter gentes barbaras inaudita, meruit effectu carere, ut pauperibus viris etiam extraneis patens ubique debeat esse respublica (*g*).

34. Sanè ex Apostolo ad Romanos discimus, beneficentiam nedum domesticis, sed etiam aliis, nulla factâ distintionè nationis, esse impendendam, quippè apud Deum *non est distintio Judæi, & Græci, nam idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum* (*h*). Concilium Turonense monens, ut unaquæque parochia suos alat egenos, extraneos non excludit (*i*). Ac sanctos illos viros, qui relictâ nativâ domo, imitati sunt paupertatem Christi, ostiatim sibi victum ex eleemosyna quæritando, bonum opus fecisse certum est, uti Sanctus Ignatius de Loyolâ, S. Alexius Romanus, & alii pii, ac sancti viri fecerunt, quippè qui tametsi non laborarent, orationibus tamen, & aliis sanctis operibus intenti, populo fideli Ecclesiæ, & Christianę Reipublicę profuerunt (*l*). Undè & Scripturâ, & Conciliis, & Historiis comprobatur, non licere distinguere an pauperes sint indigenæ, vel extranei: omnibus tam nativis, quam peregrinis jus esse promiscue de eleemosynis victitandi: jus gentium violari expulsione extraneorum: pauperibus unius Regni patere debere aditum ad victum in alio Regno quęritandum lege Christi, apud quem non est distinctio Judæi, & Græci: jure tandem naturę, quo cuncti homines sunt conjuncti, nec nisi hostes à republicâ fas est eiicere (*m*).

35. Qui cupit hæc legere fusius examinata videat Sotum, & Vasquez in margine notatos, & præsertim primum, qui cunctis objectionibus in oppositum allegatis respondet. Itaque jam certum est, opera christianæ charitatis debere esse communiâ tam extraneis, quam indigenis, & non solum præfatorum sanctorum Patrum doctrinâ, nempè Gregorii, Valeriani, & Odonis, sed etiam communi,

totius

(a) *Surius die 11. Sept. in vit. S. Patient l. 6. c. ult.*

(b) *S. Greg lib. 20. in Job. 31. 19.*

(c) *S. Valerian. homil. 7. post med. est in Bibliot. Patr. to. 5. par. 3. vid. hic sup. sec. 1. c. 2. n. 10.*

(d) *L. illud ff. ad legem Aquil. leg. nauta ff. si nauta.*

(e) *Domin. Soto in opusc. cui tit. Ad maxim. Hisp. Princ. Philippum in causâ pauperum delibe atio c. 1.*

(f) *Soto loc. cit. c. 5.*

(g) *Gabr. Vasq opusc mor. de eleemos. c. 3. n. 4. dub. 2. f. 15.*

(h) *Roman. c. 10. nu. 12.*

(i) *Conc. Turon. sub Pelag. 2. c. 5.*

(l) *Vasq. loc. cit. dub. 1. f. 14.*

(m) *Soto loc. cit. c. 4. 5. 7. & c. Vasquez ubi supr. dub. 1. & 2.*

totius Christianitatis praxi, & consona Doctorum auctoritate charitas indistinctè advenis, & indigenis est exhibenda. Et quod individuè superflua, quibus affluunt beneficiarii non sint necessario distribuenda pauperibus loci beneficii, nisi ad summum cæteris paribus (*a*), docent constantissime Theologi (*b*), adeoque lucem solis negare est, hac de re litigiose contendere, uti placet Contradictoribus.

36. Quod autem dicitur de illius operibus charitatis, quæ dispensationem eleemosynæ concernunt, præsertim ex reditibus beneficialibus, æquâ ratione verificandum esse videtur etiam de aliis operibus charitatis, quæ distributionem beneficiorum concernunt: sunt enim duæ species charitatis; nam sivè reditus Ecclesiastici manualiter pauperibus distribuantur, sivè in titulum ad vitam beneficiarii conferantur, ab eodem videntur prodire genere charitatis christianæ, hinc in egentes, indè in Clericos se diffundentis, & ità duas charitatis species efformare, à quarum unâ ad aliam, in puncto, de quo agimus, argumentum valere videtur, quidquid sit quoad alia: Itaque tam ex Conciliis, quam ex Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis, in presenti Capitulo recensitis, sive illorum doctrinam, sive gesta spectemus, evidentissimè probata restat libertas Ecclesiæ in suorum dispensatione beneficiorum; adeoque nostrum est hic tandem concludere, quod liberum, & licitum est Ecclesiæ, in primisque Summo Pontifici, nec non & Episcopis, aliisque omnibus, tam ordinariis, quam delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad ea Nominatoribus, ecclesiastica beneficia, non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

(a) *Vide aliquid ap Barbos. Sum. Apost. Decis. Collect. 579. n. 4.*

(b) *Azor. inst. Mor. p. 2 l. 7. c. 10. qu. 2. Bonacin. tom. 1. de oblig. benef. disp: 4. pu. 2. n. 3.*

CAPUT XXVII.

In quo ex quibusdam eventibus, quę sęculo Christi decimo *contigerunt, probatur libertas Ecclesiæ præficiendi etiam Clericos extraneos beneficiis: Rursusque discutitur, an* politicè *expediat hanc libertatem subsistere.*

SUMMARIUM.

1 *Agitur de celebri Monasterio* Cluniacensi, *ac de conditionibus ab illius Fundatore appositis circa electionem Abbatis.*

2 *Intentio fundatoris fuisse videtur, ut eligeretur Abbas de gremio. Mens Testatoris, ubi non est clara, recurritur ad jus commune. Jus patronatus est gratia.*

3 *Abbatia Cluniacensis ut Monachis de gremio conferretur, imploratum fuit privilegium Ludovici IV. Francorum Regis.*

4 *Et quia nec privilegium Regis prevalebat ad arctandam electionem ad solos Monachos de gremio, indultum Apostolicum à Leone PP. IX. impetratum est.*

5 *Textus indulti Papæ refertur, post quod adhuc Abbatia illa modo Monachis de gremio, modo extraneis obtigit.*

6 *Hæc Abbatia ex regulari facta est secularis: & sicut poterat regularibus extraneis tunc committi, ita nunc potest secularibus, etiam extraneis conferri.*

7 *Disceptatio emersit super Episcopatu Tungrensi, inter* Hilduinum, *cui favebat Henricus Auceps, &* Richarium, *patrocinio Caroli III. Regis potientem.*

8 *Joannes Papa X. Carolo Regi scribit, se Romam vocasse Herimannum Archiepiscopum Coloniensem, necnon Hilduinum, & Richarium.*

9 *Papa scribit Herimanno præfato, cui & administrationem committit Ecclesiæ Tun-*

Tungrensis, Hilduino sublatam, donec de illâ Ecclesiâ Romæ judicetur.

10 *Judicio Romæ facto Richarius ordinatus fuit Episcopus Tungrensis à Papâ, & Hilduinus ab ipsâ Ecclesiâ rejectus, ac excommunicatus.*

11 *Si Hilduinus erat indigena, cur eo repulso, electus est Richarius extraneus? Si erat extraneus, cur Rex culpam hanc non ei objecit?*

12 *Richarius fuit filius Comitis Hannoniæ, Abbas Stabulensis, & Prumiensis, ac extraneus ab Episcopatu Tungrensi.*

13 Ratherius *Monachus Lobiensis factus Episcopus Veronensis, indè Leodiensis, & iterum Veronensis, ter ab hac sede exulavit.*

14 *Voto Papæ, Imperatoris, Regis, Episcoporum, Archiepiscoporum, Abbatum, qui partem habuerunt in his, patet libertas Ecclesiæ admittendi extraneos.*

15 *Extraneitas, nec officit, nec proficit pro beneficiis adipiscendis: Politicè autem præstat, quod etiam extranei possint præfici beneficiis.*

16 *Quid sentiat* Melchior Junius *de politica quæstione. An ad publicos Magistratus extranei quoque sint admittendi, nec nè?*

17 18 19 *Rationes affert contra extraneos, ne illis munia publica committantur, quæ tamen, vel non, vel vix verificantur in beneficiis.*

20 21 22 *Motiva recenset, ob quæ viris extraneis non sunt prorsus deneganda publica officia. Vult ergo Junius, quod ad ea, tamen parciùs, admittantur.*

23 24 25 *Sensus politici referuntur* Joannis à Chokier, *circa eandem quæstionem, cum rationibus, tam contra, quam pro extraneis: concluditque admittendos quoque extraneos.*

26 *In praxi vix vigesima pars beneficiorum pervenit ad extraneos, quæ est pars exigua, & talis esset etiam in officiis publicis.*

27 *Hæc portio potest habere magis, & minus, juxtà rerum circumstantias, quæ si nimium excedatur moderanda est: non vero spolietur Ecclesia suâ libertate.*

28 *Quid sentiat* Joannes Lymneus *de admittendis extraneis ad publica officia. Ex Aureâ Bullâ Imperii non exigitur, quod Imperator sit Germanicus.*

29 *Opinio* Joannis Simanca *est, quod officia, quæ hominum regimen concernunt, sint extraneis committenda, idque probat variis legibus.*

30 31 *Confirmat eandem suam opinionem Doctrinâ Julii Pauli, ex Legistis, & S. Thomæ, ex Theologis: Cur homo in Patriâ suâ minus honoretur?*

32 *Etiam* Matthæus Tympius *docet, quod extraneis patere debet accessus ad publica officia, non ergo est dogma politicum eorum exclusio.*

33 *Argumentum ab officio ad beneficium valet. Sicut ergo politicè præstat admitti extraneos ad publica officia, ita præstat admitti ad beneficia.*

34 *Nec aliud politicè prætendi potest, nisi quod beneficia pro majori parte, ac cæteris paribus, perveniant ad indigenas.*

35 *Igitur decimo Christi sæculo Ecclesia potiebatur præfatâ libertate, à quâ deinde nunquam cecidit, nec eam potuit amittere.*

1. PAULO post initium decimi sæculi, nimirum anno 910. Guillelmus Pius Comes Arvernensis, & Dux Aquitanicus, fundavit in Diœcesi Matisconensi, Provinciæ Burgundiæ, celebre beneficium Abbatiale Monasterii Cluniacensis (*a*), ab initio solos habens 12. Monachos, sed cito talibus auctum incrementis, ut tercentis cœnobitis victum præberet (*b*) profusissimasque impenderet eleemosynas, non secus ac si esset totius orbis ærarium (*c*). Ipsis quoque Regibus præbendas monachales præbebat (*d*), ejusque Abbas variis fulgebat prærogativis, & cum Cassinensi de Abbatis Abbatum titulo decertabat (*e*). Inter alias autem dispositiones Guillelmus idem in limine fundationis, suove in testamento, hanc apposuit clausulam, ut quoties Abbatiale hoc beneficium esset novo Præsule providendum, *haberent iidem monachi potestatem, & licentiam quemcumque sui Ordinis,*

secun-

(a) *Martinus Marrier in Bibl. Clun. f. 1. & ibi Andreas Quercetan. in notis in fin.*

(b) *Glaber lib. 3. hist. c. 5. Quercetan. loc cit. fol. 14.*

(c) *Spicileg. tom 6. f. 447. Thomassin. vet. & nov. Eccl. Discipl. p. 1. l. 3. c. 54. n. 6.*

(d) *Petr. Cluniac. l. 4. Epist. 8.*

(e) *Leo Ostiens. l. 4. cap. 62.*

secundum placitum Dei, atque regulam S. Benedicti promulgatam eligere maluerint Abbatem, atque Rectorem: ita ut nec nostrâ, nec alicujus potestatis contradictione contra religiosam dumtaxat electionem impediantur (*a*).

2. Ea videtur fuisse intentio testatoris, ut Abbas eligeretur unus ex monachis indigenis, sive incolis cœnobii Cluniacensis, sed hoc non habuit effectum, quia Fundator, sive testator id benè non expressit, nec dixit, quod eligerent monachi unum de illorum corpore, sive claustro, sed quemcumquè vellent sui Ordinis S. Benedicti regulam profitentem, quod ad omnes monachos Ordinis S. Benedicti, cujuscumque cœnobii, ac regionis essent, videbatur extendi. Ubi autem dè clarâ mente testatoris non constat, censetur hic se retulisse ad Juris communis dispositionem (*b*), quod nullibi electionem Abbatis ad professos ejusdem monasterii coarctat. Imò nec etiam sufficit, quod Fundator beneficii virum, vel virorum speciem designet, beneficio ipsi præficiendorum, nisi Ecclesia illi hanc conditionem admittat, uti contingere videmus in Jurepatronatus, quod non acquiritur à Patrono ex fundatione beneficii, nisi Ecclesia jus illud ei reservet ex gratiâ (*c*). Tametsi postquam Juris patronatus concessio redacta est in corpore juris, jam jus-patronatus non dicatur gratia, sed justitia (*d*), semperque acquisitum censetur, etiam sine expressâ Fundatoris reservatione, nisi illi fuerit formitèr renuntiatum (*e*).

3. Itaque non obstante præfatâ Testatoris dispositione, Beneficiarii, qui Abbatiam Cluniacensem usque ab initio adepti sunt, non de cœtu monasterii, non de gremio cœnobiali fuerunt, sed extranei: nam præter *S. Bernonem*, quem è Balmensi Abbatiâ ipse Guillelmus Dux Aquitaniæ vocavit, ut Cluniacensi præesset (*f*); *S. Odo*, qui ei successit, fuit Canonicus Turonensis, ac monachus cœnobii Balmensis præfati (*g*), & aliis titulis extraneus, uti latius præcedenti capitulo disservimus. Ad hoc ergo ut electio Abbatis ad solos cœnobiales monachos coarctaretur oportuit, quod expressa diplomata id præfinirent. Primoque loco monachi attendentes, quod Reges Galliæ solebant de Abbatialibus beneficiis monasteriorum disponere, sive jure, sive facto id sibi vendicarent, Ludovicum IV. Ultramarinum communiter nuncupatum, qui Burgundiæ, ac Regno Francorum præerat, interpellarunt, ut eis libertatem permitteret eligendi quem de illorum corpore mallent: Annuitque illorum votis Rex Ludovicus, edens privilegium anno 939. in quo de monachis Cluniacensibus loquens, ita disponit: *Habitatores autem in ordine regulari degentes, Abbatem sibi, secundum regulam S. Benedicti, de semetipsis, post Odonem, qui nunc præest eligant* (*h*).

4. Sed quia Rex poterat quidem suis juribus cedere, si quæ habebat, non autem Ecclesiæ libertatem coercere; diploma illius nihil prævaluit pro necessitate electionis alicujus de gremio in Abbatem; nam cum primò beneficium Abbatiale vacavit per mortem S. Odonis, non ei subrogatus est monachus aliquis de cœtu cœnobii, sed *Armandus*, filius Comitis Engolismensis, qui casu ex alio monasterio itinerans ad Cluniacense diverterat (*i*). Successit ei *S. Majolus*, de corpore quidem cœnobii Cluniacensis, sed qui natus Valentiolæ, tam Cluniaci, quando monachatum, quam Matisconæ, quando ibi Archidiaconatum susceperat, fuit extraneus (*l*). Hunc excepit *S. Odilo* Arvernus (*m*), qui successorem habuit *S. Hugonem* Eduensem (*n*), hicque cognoscens, quod sicut jus præsentandi prælatum in Ecclesiâ Conventuali nulli potest sine Apostolico privilegio competere (*o*), ità à nullo potest ejus electio ad quoddam genus personarum restringi, sine privilegio consimili; habuit recursum ad S. Leonem Papam IX. qui anno circiter 1050. hoc illi dedit indultum.

5. *Nullus mortalium, sivè sit Imperator, sivè Rex, sivè Dux, seù Marchio, vel Archiepiscopus, vel Episcopus, aut aliqua alia humana potestas, super idem Cluniacense monasterium aliquam in aliquo potestatem exercere præsumat; nèc post solutionem tui corporis aliquem ibi preferre, & ordinare audeat; sed in arbitrio semper, & electione fratrum consistat quemcumque de suâ congregatione, secundùm Deum*

(a) *Marrier. Bibl. Clun. f.3.*

(b) *Fagnan. in cap. conquerente n.18. de Cler. non resid. l.3.*

(c) *Idem in cap. quoniam n.47. de jurepat.*

(d) *Fagnan. loc. cit. n.12.*

(e) *Idem in cap. nobis n.3. de Jurepatr. l.3. & in cap. Ecclesia Vulterana n.35. de Electione.*

(f) *Testam. Guillelm. in Bibliot. Cluniac. f.1.*

(g) *Chronic. Cluniac. in Odon. f.1631. in Bibliot. Cluniac.*

(h) *In lov. 4. an. 979. in Bibl. Clun. f.265. & in to.10. Bibliot. Patr. in oper. S. Odon. Cluniac. f.276.*

(i) *Chron. Cluniac. loc. cit in Aymando 1. f.1634.*

(l) *Fagnan. in cap. nobis n.14. de jurepat. lib.3.*

(m) *Chron: Cluniac. in Bibl Cluniac f.1614 & seq.*

(n) *Ibidem in S. Odilone f.1637.*

(o) *Ibidem in S. Hugone f.1638.*

Deum, & secundùm regulam S. Benedicti, sibi præferre, & imponere Abbatem voluerint (*a*). Ex tunc fuit in libertate monachorum eligere Abbates de illorum gremio, vel huic privilegio cedendo, aliis ex locis sibi præficiendos conquirere, patetque ex historiis Cluniacentibus, post diploma Leonis IX. promiscuè delectos fuisse Abbates, modò de gremio cœnobii, modò extraneos; intèr quos extranei fuerunt *Vvillelmus I.* anteà S. Martini de Campis Prior, & indè in Angliâ Ramesiensis Ecclesiæ præfectus (*b*): *Theobaldus I.* prius Abbas S. Basoli, & posteà Episcopus Hostiensis (*c*): *Hugo IV.* de Claromonte prius Abbas S. Luciani Bellovacensis (*d*): *Hugo V.* anteà Abbas Radingensis (*e*): *Geroldus* prius Abbas Bolismensis, ac posteà Episcopus Valentinensis, & demum Patriarcha Hierosolymitanus (*f*), atque alii plures, quorum nimium longus texeretur elenchus, si eos cunctos minutatim hic aggrederemur describere (*g*).

6. Subsistit adhuc insigne hoc Abbatiale beneficium, estque (præsertìm quoàd divitias) unum ex præcipuis totius orbis, quod jàm ex regulari factum est sæculare, proptèr qualitates in eo concurrentes, quæ faciunt, ut beneficia regularia in sæcularia vertantur (*h*). Primus ex clericis sæcularibus illud possedit Joannes Cardinalis à Lotharingiâ, Archiepiscopus Remensis anno 1528. (*i*), & ex eo tempore citrà, sæcularibus clericis fuit solitum dispensari. Tametsi autèm quoad regularitatem naturam mutaverit, non eam tamèn quoàd reliqua commutavit: Adeoque sicut prius liberè, & licitè poterat etiàm regularibus extraneis, cessante privilegio Apostolico, dispensari; sic & nunc clericis sæcularibus etiàm extraneis tradi potest, & traditur. Ac quemadmodum opus fuit indulto Pontificio, ut provisio hujus Abbatiæ ad solos indigenas arctaretur; ità & eodem opus est in aliis Abbatiis, & beneficiis æqualis, vel inferioris ordinis. Ex quibus patet, quod ubicumque deficit Apostolicum privilegium, diversimodè cantans, liberum, & licitum est collatoribus beneficiorum, vel ad illa nominatoribus eadem, non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

7. Contigit hoc eodem Decimo Christi Sæculo celebris disceptatio in Brabantiâ Belgii provinciâ, intèr Germaniæ, & Galliæ Reges, super beneficio Episcopali Tungrensi. Vacabat beneficium hoc, sivè Ecclesia, quę una est cum Leodiensi, per mortem *Stephani* pridem canonici Metensis, & posteà Tungrensium Episcopi (*l*), adeoque non obstante extraneitate infulis illis Episcopalibus decorati. Eandem ut obtineret *Hilduinus* ad partes Henrici Aucupis Germaniæ Regis transivit, qui cum Carolo III. Francorum Rege bellum habebat, tandem posteà terminatum eâ lege, ut Carolus nunquàm sibi amplius Lothariense Regnum usurparet (*m*). Cujus Henrici patrocinio fretus Hilduinus, atque operâ cujusdam Gisleberti, quem alii Comitem Capręmontis (*n*), alii Ducem Bullioneum vocant (*o*); Episcopatum illum assumpsit, ad quem eum eligi posse Carolus ipse Rex antecedentèr consenserat (*p*), sicque fuit ab Herimanno Coloniæ Archiepiscopo consecratus (*q*). Carolus autèm, auditâ assumptione hac, ope sui hostis factâ in urbe ad se pertinente, se fortitèr opposuit, nè optatum sortirctur effectum, & in primis querelas suas apud Joannem Papam X. super ipsâ exposuit electione, subindeque encyclicam epistolam ad Episcopos sui Regni transmisit, de Hilduino clamans, *Qui ultrà Rhenum ad inimicos nostros proficiscens &c. ab Henrico inimico nostro Episcopium Tungrensis Ecclesiæ expetiit, suâque damnatione &c. usurpavit*, instans propterea, ut ipso Hilduino depulso, *Richarius*, sivè Richerius eligeretur in illius sedis Antistitem (*r*).

8. Joannes Papa X. his auditis Carolo Regi intèr alia respondit, *dilectus filius Berengarius gloriosissimus Imperator Apostolatui nostro literas, ex Richero à vobis electo in Leodio, atque à cunctto Clero, & populo transmisit, & qualitèr Gislebertus vester infidelis Hilduinum illic consecrare præcipiendo non formidavit &c. De hoc, quod Gislebertus contrà vestra sceptra inutilitèr gessit, valdè doluimus, eo quod prisca consuetudo, & regni nobilitas censuit, ut nullus Episcopum ordinare debuisset*

(a) *Leo.9. in Bibliot. Cluniac. f.1325.*

(b) *Marrier. in Chron Cluniac. in Bibliot. Cluniac. f.1662.*
(c) *Idem f. 1662.*
(d) *Idem f. 1663.*
(e) *Idem loc. cit.*
(f) *Idem f. 1664.*
(g) *Martin. Marrier. Chron. Clun. in Bibl. Clun. à f. 1665. ad 1685.*

(h) *Barbos. jur. eccl. univ. p. 2. l. 3. c. 4. n. 63.*
(i) *Cronol. Abbatum in Bibl. Clun. f. 1628.*

(l) *Vid. script. Episc. Tungr. & Leodien. nu. 10.*

(m) *Regino in Chron. l. 2. ann. 924.*
(n) *Sirmond. in notis ad epist. Carol. 3. Reg. ad Episc. in to. 3. Conc. Gall. f. 697.*
(o) *Vid. script. Episc. Leodien. n. 11.*
(p) *Flodoar. in Chron. ann. 920.*
(q) *Jo. PP. X. epist. ad Heriman. ap. Sirmond. to. 3. Conc. f. 575. Bin. to. 7. Conc. in Joan. X 6. Idem f. 171. Baron. ann. 922. n. 2.*
(r) *Epist. Caroli III. ap. Sirmond. to. 3. Conc. Gall. f. 571.*

absque Regis jussione. Et quià Herimannus Archiepiscopus magìs hominis, quàm Dei formidinem metuens, Gisleberti jussione Hilduinum consecrare non distulit; hac prò ratione sententiam vocationis illi transmisimus, ut mediante Octobrio &c. omni remotâ occasione nullomodò eum Hilduino, & Richero venire differat. Quià tunc inibi conjuncti, ex decore vestri Regni subtilitèr colloquentes, ità radicitus hoc, quod vobis per Gislebertum contigit, extirpare non denegabimus, ut postmodum nec ipse, qui auctor iniquitatis contrà vestra sceptra gessit, nec alius aliquis audeat aliquam læsionem vestro in Regno inferre &c. (a).

9. Increpatoriam quoque epistolam idem Joannes Papa X. ad Herimannum Coloniensem transmisit, in quâ post eum proptèr ordinationem Hilduini acritèr redargutum, illi committit, ut cum Hilduino, & Richero ad Apostolorum limina accedat, *ut omni errore radicitus extirpato, qui dignus inventus fuerit per ostium ingrediatur in ovile ovium, & non aliundè, ut fur æstimetur. Quià nos Caroli Regis decus nullo modo auferre volumus, sed prò vigore, atque dilectione, vel consanguinitate nostri dilecti filii Berengarii gloriosissimi Imperatoris, ut prior antecessorum suorum Regum mos fuit, eum ità illibatam, atque inconcussam dominationem obtinere delectamur, & sicut priores suos Antecessores, nostrorum Antecessorum auctoritate Episcopum per unamquamque parochiam ordinare probabilitèr statutum est, ità ut Carolus Rex faciat confirmando jubemus. Tamèn usque ad illud temporis, sicut superius statutum est, Leogis Episcopatus in vestrâ maneat potestate: ità ut Hilduinus illìc aliquod sacerdotale ministerium nullo modo audeat exhibere (b).*

10. Jussa Joannis Papæ Richario Herimannus datis literis intimavit (c). Statutaque die Romam præfecti sunt ipsi Herimannus, & Richarius, ubi & adfuit Hilduinus, causâque formitèr discussâ, succubuit Hilduinus, & Richarius undequaque prævaluit: quâ de rè Flodoardus: *Hoc anno sequenti quoque agitatur intèr Hilduinum Episcopum, & Richarium Abbatem de Episcopatu Tungrensi contentio: siquidem Rex illud Episcopium Richario, quià Hilduinus à se descivit, cui prius ipsum concesserat, dedit. Hermannus verò Archiepiscopus Hilduinum ibi Episcopum, eligente Clero, ac populo favente, nècnon Gisleberto, quem plurimi Lotharienses principem relicto Carolo Rege delegerant, ordinavit. Carolus verò reversis ad se Lothariensibus, & ipso Gisleberto, Richario Abbati non Hilduino, ipsum Episcopatum consentiebat* (d). Et biennio post *Richarius, qui Romam profectus fuerat proptèr Episcopium Tungrense, reversus est ordinatus à Joanne Papâ Episcopus, Hilduino ab ipso Papâ excommunicato, qui etiàm illò abjerat Episcopus* (e). An ipse Hilduinus esset in Ecclesiâ Tungrensi extraneus, an indigena, parum refert cum ex utroque latere ab eo desumptum valeat argumentum.

11. Nàm si erat indigena, quomodo eo repulso (in quo vitium, si quod fuit non rectæ electionis, quantumvis culpabile esset, non erat tandem crimen divino naturali, & humano jure damnatum, eo modò quo damnatum esse contendunt Contradictores vitium extraneitatis) quomodo inquàm, eo repulso, electus est Richarius extraneus (f), & quomodo ipse Hilduinus competitori Richario non vitium extraneitatis opposuit, tot juribus execratum? Si omnis alia ratio deerat, hęc sola indigenatus ei prodesse debuisset, ut prævaleret in causâ, & extraneum Richarium prosterneret: Nihilominus oppositum successit. Si verò Hilduinus supponatur extraneus; quid est, quod Carolus Rex, omnes culpas in eo perquirens, ac adversus eum publicans (g), hanc extraneitatis omisit, quæ se sola, etiàm cessantibus aliis omnibus, tamquàm involvens prævaricationem divini, humani, ac naturalis jurium in sensu Contradictorum, exuberabat ad eum à sacerdotali Cathedrâ deiiciendum? Certè hęc omissio declarat, quod tunc nulla habebatur indigenatus, vel extraneitatis ratio, & quod esse alienigenam nullum vitium erat, à beneficiorum ecclesiasticorum consecutione repellens. Hocque eo magìs invalescit, quo magìs constat, quod Hilduinus ab Episcopatu Leodiensi repulsus, brevi nactus

est

(a) *Joan. X. epist. ad Carol. 3. ap. Sirmond. loc. sup. cit.*

(b) *Jo. PP. X. epist. ad Heriman. Colon. ap. Sirmon. to. 3. Conc. Gall. f. 575.*

(c) *Herim. epist. ad Richar. ap. Sirmond. loc. cit.*

(d) *Flodoar. in Chron. ann. 920.*

(e) *Idem ann. 922.*

(f) *Regino Chron. 2. ann. 892. & per.*

(g) *Carol. III epist ad Episc. sui Regni apud Sirmond. to. 3. Conc. Gall. f. 572.*

est Archiepiscopatum Mediolanensem *(a)*, à quo erat nedùm Diœcesi, & provinciâ, sed etiàm linguâ, & natione extraneus: Gallus in Italiâ, Belga in Insubriâ, adeoque taliter à loco sui beneficii extraneus, ut magis esse non posset.

12. Porrò, ut innuimus, Richarius erat extraneus ab Ecclesiâ Tungrensi, seu Leodiensi, quæ suffraganea est Metropolitanæ Coloniensis: nàm sortitus patriam in Hannoniâ, tamquàm filius Comitis illius provinciæ, monachatumque professus ad Abbatis dignitatem pervenerat non minus in cœnobio Stabulensi, apud Leodium, quàm in monasterio Prumiensi, apud Treviros sito *(b)*, quem etiam Regino testatur, sibi in beneficio Abbatiali Prumiensi successisse *(c)*, ideoque Richarius, tàm Abbatiale, quàm Episcopale beneficia suscepit in diversis locis, diœcesibus, ac provinciis, à quibus erat extraneus: & quoad Episcopium Tungrensem, in eo successit *Stephano* extraneo, atque ipse *Richarius* successorem habuit *Hugonem*, sive Ogonem Abbatem S. Maximini Trevirensis *(d)*. Hugoni successit *Farabertus* filius Comitis S. Pauli, anteà & ipse Abbas Prumiensis *(e)*. Faraberto subrogatus est *Ratherius (f)*. Ratherio *Baldricus* filius Comitis Montensis. Baldrico *Heraclius* Præpositus Bonnensis. Heraclio *Rotgerus* Suevus. Rotgero *Baldricus* alter Archidiaconus Gampiniæ. Baldrico huic *S. Vvolfodus* decanus S. Martini Ultrajectensis *(g)*, & sic de aliis, qui omnes fuerunt extranei, & patriâ, & dignitate, & diœcesi, & quandoque etiam provinciâ.

13. Nec omittendum est de *Ratherio*, quod cum esset monachus cenobii Lobiensis agri Leodiensis, in Belgio, beneficium Episcopale obtinuit Veronę in Italiâ: quod tenens, factus posteà Hugoni Regi suspectus, Papiam relegatus est *(h)*. Undè ad S. Brunonem Coloniensem Archiepiscopum proficiscens, ejus operâ factus est Episcopus Leodiensis *(i)*. Verum ab illâ quoque sede depulsus, iterum Veronensem repetiit, à quâ iterum ejectus, ludens de se ipso fuit solitus cantitare, *Veronæ Præsul, sed ter Ratherius exul (l)*. Demumque ad suum Lobiense rediens monasterium, piè post novennium diem clausit extremum *(m)*, cum Episcopalia beneficia, tàm ubi erat indigena, tenuisset, quàm ubi erat extraneus, & non minùs ab his fuisset expulsus, quàm ab illis: quare tàm ex ejus eventibus, quàm ex provectione *Richarii*, ac tot superius relatorum, ad Episcopatum Leodiensem, sive Tungrensem patet, quod sæculo Christi decimo currente, extraneitas nulli fuit pro vitio computata, quod viros idoneos à beneficiis ecclesiasticis retineret, sed ad hæc promiscuè, indigenæ pariter, ac extranei, dummodò benemerentes admissi sunt.

14 Itaque & Joannis Papæ X, & Berengarii Imperatoris, & Caroli III. Francorum Regis, & aliorum Principum, Abbatum, Episcoporum, Archiepiscoporum, quorum in hac rerum serie mentionem fecimus, voto, ac respectivè decreto, plusquam clarè innotescit, quod liberum, & licitum est, tàm Collatoribus beneficiorum, quàm ad illa nominatoribus, ipsa ecclesiastica beneficia, non modo Clericis indidignis, verum etiam extraneis impertiri, alioquin quomodo salvabimus electionem Richarii extranei, ut repelleretur Hilduinus indigena: vel rejectionem Hilduini extranei (si & ipse talis fuit), ut alius admitteretur extraneus? Si dicatur, quod Richarius, tametsi extraneus beneficium Episcopale Tungrense ritè subiit, quia literis naturalitatis Caroli Regis constipatus accessit; hoc ariolando, vel divinando supponemus, sed quod veritas ità se habuerit, undè probamus? Præterquàm quod literarum naturalitatis effugium non paruas difficultates patitur, de quibus jàm superiùs est sermo habitus. Nèc harum concessio tuta esset in foro conscientiæ, (quid quid sit de foro fori) in præjudicium indigenarum, si jura divinum, humanum, ac naturale pręscriberent, quod beneficia ecclesiastica solis indigenis deberentur, prout contendunt Contradictores.

15. Oportet ergo concludere, quod beneficia ecclesiastica promiscuè viris idoneis debita sunt, undecumque dimanent, & quod extraneitas, nec proficit prò illorum consecutione, nec officit: quod demùm indigeneitas nullam rationem præbet pro adipiscendis beneficiis, nisi quatenùs concurrentibus æqualibus meritis, cæte-

(a) *Sigebert. Chronogr. an. 928.*

(b) *Theatr. vit. hum. V. Episcopus int. Episcopos Leodienses n. 11 f. 238.*

(c) *Regino Chron. l. 2. an. 892. & per idem.*

(d) *Regino Chron. l. 2. an. 945.*

(e) *Regino loc. supr. cit an. 892.*

(f) *Vid. Seriem Episc. Leod. n. 14.*

(g) *Ibidem n. 15. 16. 17. 18. 19.*

(h) *Luitpr. l. 3. c. 14. in fine. Card. Baron. an. 932. n. 1. Sigeb. an. 928.*

(i) *Rotgerus in vit. S. Brun. Colon. c. 38. Surius die 15. Octob.*

(l) *Card. Bar. an. 954 n. 9. 10. 11.*

(m) *Bar. an. 954. n. 12 Theat. Vit. hum. V. Episcopus inter Episcopos Leodien. n. 14. f. 239.*

risque paribus, indigenæ sunt extraneis præferendi, sed ità ut hæc cæterorum paritas, non nisi ab illis sit dijudicanda, ad quos pertinet beneficia ipsa elargiri. Hocque theologicè, ac legalitèr loquendo. *Politicè* autem rem ponderando, nulli dubium est, quod beneficiorum dispensatoribus expedit posse uti ecclesiasticâ libertate pro admittendis ad ea non modo Clericis indigenis, verum etiam extraneis. Omnes namque, qui politicas res tractant, in eo conveniunt, ac unâ voce fatentur generali reipublicæ bono esse utilem libertatem conferendi munia publica, non tantum viris indigenis, quantum etiam extraneis, sobriè tamen, temperatè, ac prudentèr. Cumque ab officio, ad beneficium valeat argumentum, & è contra (*a*), sequitur admittendos esse ad beneficia ecclesiastica, etiam viros extraneos eo modo, quo ad officia publica sunt admittendi.

(a) *Olibau. de jur. fisci c. 13. n 61. Mandos. ad reg. Canc. 32. qu. 3. n. 2. Barb. trac. var. loc. 14. & 71.*

16. Et quod à publicis muneribus extranei non sint politicè repellendi; audiamus aliquos Auctores hac de rè ex proposito differentes. Quærit *Melchior* Junius Vvitembergensis, Accademiæ Argentinensis professor, & politicarum scriptor quæstionum, *Utrum patriæ ratio in legendo magistratu habenda* sit (*b*), & respondet hanc esse quæstionem maximè controversam: quippe sunt, qui à magistratibus, & officiis publicis prorsus peregrinos excludunt, nec nisi indigenas ad hæc esse promovendos contendunt: è contrà vero alii malunt ea esse credenda extraneis, quàm indigenis. Inter has extremitates ipse ponit duas conclusiones, in quarum primâ statuit, quod *indigenæ sunt peregrinis anteponendi*, quippè id *evincunt rationes, quæ sequuntur, si quidem Deus ipse mandat, ut si eligendus magistratus, è numero fratrum eligatur, neque Rex constituatur, qui alterius gentis sit* (*c*). *Benè constitutæ Respublicæ, Romana, Carthaginensis, Atheniensis, & hoc tempore Veneta, & aliæ, magistratus suos civibus tradunt* (*d*).

(b) *Melchior. Junius Polit. qu. in qu. 15. f. 87.*

(c) *Deutor. 17.*

(d) *Patriç. l. 3. de Republ. tit. 2.*

17. *Subdit apud Massilienses, qui laudem æquitatis legum habuerunt, nemo timuchos creatus fuit, nisi, qui liberos haberet, & de civium sanguine tertiam per generationem ortus esset* (*e*). *Syracusani quoque non nisi priscis civibus, & familiis vetustis magistratus adhibuerunt* (*f*). *Et si non utile judicatur cives esse peregrinos, quod fortiores facti tales indigenas expellunt, Respublicas turbant, seditiones excitant, quemadmodum Achæi, Trœzenios, Thurii, Sibaritas, Samii, Zancleos, Chalcidenses, Amphipolitas ejecerunt* (*g*); *multò minùs illud probandum videtur, ut magistratus peregrini gerant. Experientia quoque testatur, contraria eodem loco cohabitare non posse: peregrinos, & advenas fructum Civitatis devorare, non secus atque locustæ segeti nocere solent* (*h*). *Et homines peregrini peregrinos secum sermones adferunt: unde nova de rebus judicia oriuntur: ex quibus fieri non potest, quin affectus multi, consilia talia nascantur, quæ planè diversa ab institutâ Reipublicæ ratione, quæ est instar vocum consonantia, nec discrepantiam admittit* (*i*).

(e) *Strabo Geogr. l. 4.*
(f) *Diodor. lib. 11.*

(g) *Aristot. polit. 5. c. 3.*

(h) *Aristot. loc. cit.*

(i) *Plutar. in Lycurg.*

18. *Imò sunt, qui putant Principem novum, si sentiat se inferiorem ad Principatum conservandum, non posse melius sibi consulere, quàm si omnia incipiat innovare. novos constituat magistratus, ad eos homines eligat novos* (*l*). *Ac licet princeps externus bene rem gerat, tamen quia moribus, & ingenio differt, nec erga populum repræsentare potest eam benevolentiam, ac si indigena esset, faciles oriuntur dissensionum occasiones. Undè ut se tueatur Princeps, necesse habet, ut copias aliundè adducat: militum sese præsidio muniat: qui beneficiis, & honoribus posteà aucti, odium, atque invidiam multitudinis in se concitant* (*m*). *Exempla hoc testantur Vvillelmi Neapoleos, & Siciliæ Regis: qui cum Gallos eveheret ad honores, atque officia, præteritis indigenis, magnam sibi invidiam conciliavit &c. Hardicanuti Regis Daniæ, & Angliæ, ubi etiam Dani ab Anglis cuncti interfecti sunt. Ungarorum, qui à Polonis cæsi omnes fuissent, nisi regiam arcem occupassent post certis conditionibus domum rediissent* (*n*): *Alberti Magnopolensis, qui in Suecum Regem electus, cum Teutonibus loca, & officia publica committeret, nobilissimas virgines, ac viduas in extraneorum indignissimorum conjugia consentire cogeret, a suis victus, ac in carcerem conjectus fuit* (*o*).

(l) *Junius hic citat. Machiovel. de republ. l. 6. c. 26.*

(m) *Cominçus lib. 5.*

(n) *Bodin. de repub. l. 6. c. 5.*

(o) *Joan. Magn. l. 11.*

19 Hic

19. *Hæc accedit, quod longe sunt faciliores, & proniores ad obtemperandum concives, quàm si à peregrinis res agatur* (a). *Cumque caput sit nosse Rempublicam, perspectos habere civium mores, civibus utique rectius, ac tutius, quam peregrinis, & exteris Respublica committitur, ut pote quibus subditorum ingenia non sunt nota, perspecta instituta, explorati mores* (b). *Multo quoque diligentiùs, ac fideliùs Rempublicam indigenæ, quàm alienigenæ gerere solent. Undè alta silentio ut involuantur, Bohemi ne exteris publicam salutem crederent, ad indigenas cucurrerunt: Georgium Pogiebræchium, cujus in longâ gubernatione justitiam, virtutem, prudentiam, & integritatem sat exploratam habuerant, repulsis competitoribus externis, Regem suum declararunt. Ungari Mathiam Corvinum* (c). Hæc sunt rationes à Melchiore Junio Germano allegatæ ad excludendos à publicis officiis extraneos: quæ tamen, quia, vel non, vel vix verificantur de beneficiis ecclesiasticis, quidquid sit de secularibus ministeriis; hoc satis esset ad ostendendum, nullas apud Politicos inveniri rationes, quæ adequatè probent, Clericos extraneos esse à beneficiis ecclesiasticis repellendos.

(a) Patric. de republic. l.3.tit.2.

(b) Arist. lib. 1. Rhet. c.6. Cicer. 2. de Orator.

(c) Bonfin. l. 9. decad. 3.

20. Sed demus ex abundanti, quod hæ rationes etiàm beneficiarios afficiant; pergit Junius, & ponit secundam conclusionem, in quâ statuit, quod *peregrini non sunt ab honoribus excludendi* (d), allegatis hisce motivis: *Verùm non quià comparatione facta indigenarum, ac civium est ratio habenda in honoribus, & magistratibus mandandis, idcircò ab his excludendi prorsus peregrini sunt. Nàm Numa Pompilius non modò non patricius, sed nè civis quidem Romanus, ex agro Sabino, auctoribus patribus Romæ regnavit* (e). *Lucius Tarquinius priscus Græci Demarathi filius, rex est Romæ factus, vivis adhuc Anci liberis* (f). *Nèc etiàm exactis Regibus clausa peregrinæ virtuti fuit* (g). *Est Marcus Perpenna Græcus natione Consul Romæ factus, & L. Cornelius Balbus Gaditanus* (h). *Etiàm familiæ præcipuæ, ac Consulares, è peregrinis ortæ Romæ fuerunt: & quidem tàm solida domi quies, & adversùs externa Romani floruerunt. Ac sanè omnia, quæ vetustissima nunc creduntur, antè nova fuerunt, & quod exemplis nunc tuemur, intèr exempla olim erat* (i).

(d) Melch. Jun. Polit. quæst. in quæst. 15. f. 189.

(e) Plutarc. in Numâ. Flor. l.1. Oros. l.4. Dionys. l. 2.

(f) Liv. l. 1. Flor. l.1. Dionys. l.3. Eutrop. l.1.

(g) Liv. lib.4. in Orat. Canulei.

(h) Plin. l 5. c.5. Eutrop. l.4.

21. *Intèr Imperatores post benè Imperio præfuerunt Nerva Oppido Narniensi genitus &c. Trajanus, qui nèc Italus erat, nèc Italicus, sed Hispanus à Nervâ Imperator designatus, quod censeret virtutem cujusque, non patriam æstimari, & ponderari oportere* (l). *Neque exempla tantum prò peregrinis faciunt, sed & rationes ab his stant. Si quidem auctoritas peregrinorum major, quàm indigenarum est: minus in patriâ suâ homines, quàm apud exteros honorantur: quod multi, qui cognoscunt infirma eorum semper in memoriam illa reducunt, etiàm malitiâ quadam defectus magìs, quàm virtutes considerantur. Errat prætereà multùm in judicando populus, cumque alios pares esse videt genere, vel aliâ ratione, omninò pares eos esse credit* (m). *Accedunt hæc incommoda plurima, quæ oriuntur cum indigenæ peregrinis præferuntur. Si enìm multi sunt, qui ambiunt æquâ potestate, ac patriâ præditi, populus in factiones distrahitur: oriuntur intèr ambientes controversiæ, & contentiones graves: mutuis rapinis, ac cædibus respublica divellitur* (n). *Nascuntur etiàm inimicitiæ eum in civem cives, vel justissimè animadvertunt. Ut & justitia sæpe exulat, dùm in propinquitatis communione amicitiam natura ipsa parit* (o).

(i) Corn. Tac lib.11. in Orat. Neronis pro peregrinis.

(l) Dio. in Nerua.

(m) S. Thom. in Math.

(n) Bodin. de republic. l 6. c.5.

(o) Simanca de republic. lib.8.

22. *Hinc in Galliâ etiàm ex constitutione Philippi pulchri Regis, & Caroli V. idem obtinuit, qui alienigenas civibus suis præfecerant: nè si cives civibus præessent, vel nimiâ indulgentiâ illis parcerent, vel veteri quodam odio præter modum in eos sævirent* (p). *Itàque peregrinitas non prorsùs reiicienda: & si (quod fieri interdum solet) hæc invidiosè ab indigenis obiiciatur, illud afferendum, quod Cicero adversariis suis respondet: non peregrini habendi, quorum jàm & nomen, & honor urbi inveteravit, & hominum famæ, & sermonibus: neque patiuntur se ab aliis verborum jactantiâ inani superari, nisi virtute vincantur* (q). In sententiâ ergò hu-

(d) Gaguin. lib.9.

(q) Cicer. pro Sylla.

hujusce egregii Politici, viri extranei non sunt à publicis officiis, & magistratibus repellendi, nisi ad summum cæteris paribus. Et à muneribus publicis arguendo ad ecclesiastica beneficia, hoc idem dicimus nos, quod ad eadem sunt clerici extranei simul cum indigenis admittendi, promiscuè, indistinctè, conjunctim, ità tamèn ut extranei parcius, quàm indigenæ, beneficia sortiantur, & cæteris paribus indigenę extraneis præferantur.

23. Similitèr *Joannes à Chokier*, Doctor Leodiensis Belga, in suis politicis aphorismis eandem quæstionem movet de Senatoribus, & Consiliariis: & statuit, quod Princeps hos indigenas potius, quàm exteros habere debet (*a*), allegatque prò ratione, quod omnis dissimilitudo dissidium facere videtur (*b*), hęcque dissimilitudo solet esse in exteris cum indigenis: quę autèm diversa sunt, difficilè est, quod voluntate conjungantur (*c*). In scripturâ quoque dicitur, *admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & alienabit te à tuis propriis* (*d*). Addit, quod exteri plus proprio commodo student, quàm publicæ utilitati: Demum, quod ipsi tamquàm, & jurium, & morum loci, atque populi parum expertes, minus idonei sunt ad consilia præbenda, ideòque Mecænas Augusto suadebat, nè in Senatum deligeret nisi Romanos (*e*). Congerit & exempla *Lycurgi* vetantis, nè peregrini, & extranei in urbem admitterentur (*f*). *Cæsaris*, qui odium Romanorum incurrit, ob datum quibusdam Gallis Senatum (*g*). *Alexandri* Macedonis idem à suis passi, cùm indigenis posthabitis, cœpit Persis quibusdam Regias suas aures prębere (*h*). Quod & contigisse *Carolo* Burgundię Duci asserit, propter assumptum in arbitrum suorum arcanorum quemdam Campobachium Neapolitanum (*i*).

24. Subjungit emersisse adversùs *Carolum Magnum* conjurationes in Austrasiâ, à quâ ipse erat oriundus, eo quod indigenis neglectis, togâ, & bello exteris uteretur (*l*), nèc sinè discrimine adversùs *Carolum Simplicem*, & *Lotharium* ejus ex filio nepotem, seditiones efferbuisse, prò eo quod hi Reges Francis postpositis omnia Germanis committerent (*m*). Multâ malâ tandem irrupisse tempore *Ludovici* Pii, quià hic Imperator operâ Bernardi cujusdam Hispani Comitis utebatur (*n*). Alia demum motiva, & historias coacervat, quas nè lectori oneri simus consulto intermittimus: Concluditque, quod hæc tametsi vera sint, potest nihilominus Princeps aliquibus paucis extraneis, etiàm in his muneribus uti, quippè certum est, *Tiberium Cæsarem circumspectissimum Principem, subindè res suas quibusdam etiàm ignotis mandasse* (*o*). *Hermodorum in Italiâ exulem auctorem fuisse legum* XII. *ferendarum, quæ tamèn universam Rempublicam Romanam reformabant. Apollodorum etiàm Cyzicenum sæpissimè belli ducem crearunt Athenienses, quamquàm esset peregrinus: Itemque Heraclidem Clazomenum* (*p*).

25. Demum recenset, quod *Patrum memoria Carolus V. Imperator consiliis suis utique adhibuit aliquos Italos, & Burgundos, & in his unum Granvellum. In Franciâ Franciscus I. & Henricus ejus filius operâ quoque Italorum fœlicitèr usi fuere. Ille namque Trivultii prudentiâ ad Tarum flumen memorabilem de Helvetiis victoriam reportavit: hic verò Petri Strotii Florentini consilio, & virtute usus, non paucis in Italiâ victoriis clarus extitit. Haud ergò imprudentèr fecerint Principes; imò nèc plerumque inutilitèr, si paucos exteros in consilium adsumant, modò tamèn negotia semper majoris momenti eis non committant; cum alioqui ad contumeliam sint accepturi indigenæ, si præcipua munia continuò eis deferantur* (*q*). Juxtà doctrinam ergò, & sensum hujus Politici, viri extranei non sunt ab officiis publicis repellendi, sed potius prudentèr, & utilitèr admittendi; parcè tamèn, nè nimietas extraneorum indigenas provocet ad invidiam. Principis erit ergò in actibus practicis admissionem hanc regulare, ac talitèr disponere, ut non ad excessum redundet. In hoc autèm, ad beneficia ecclesiastica adaptatum, convenimus & nos congruâ æquitate contenti, nè simus oneri indigenis, ut extraneis faveamus.

26. Dicimus inquam, quod à collatoribus beneficiorum, atque à nominatoribus ad illa, regulanda est eorum dispensatio, itàut beneficia prò majori parte con-

(a) Jo. à Chokier. Thes. polit. aphor. l. 3. c. 5.
(b) Arist. 5. Polit. c. 3.
(c) Cicer. ep. 1. ad quint. frat.
(d) Eccles. 11.
(e) Dio. lib. 52.
(f) Plutar. in Lycurg.
(g) Sueton. in Cæsar. c. 76.
(h) Quint. Curt.
(i) Chokier. loc. cit. n. 6.
(l) Bellefor. in vit. Carol. Magn.
(m) Idem in vit. Carol. IX.
(n) Card. Baron. ann. 830.
(o) Tacit. Annal. l. 4.
(p) Ælian. l. 14. var. hist. c. 5.
(q) Joan. à Chokier. Thes. Polit. Aforis. l. 14. 6.

conferantur indigenis, insimulque prò aliâ discretâ parte distribuantur extraneis. Ostendimus supra, reducendo theoricam ad praxim, quod hoc nedùm debet ità fieri, sed etiàm ità de facto fieri contingit, & quod si cuncta simul sumantur beneficia alicujus Diœcesis, vel respectivè alicujus regionis, & hìnc ponantur illa, quæ ab indigenis possidentur, indè alia secernantur, quæ tenent extranei; invenietur, vix vigesimam partem beneficiorum ad extraneos pervenire (a). Et sicut non improvidè, non inopportunè, sed providè se gereret, atque utilitèr Princeps, qui cum centum indigenis consiliariis, vel magistratibus politicis, solos quatuor, vel quinque extraneos adhiberet; qui cum centum belli ducibus è suo statu susceptis, quatuor, vel quinque admitteret ex alienis ditionibus accersitos; qui ex cunctis Gubernatoribus per suum Territorium distributis, centum ortu sibi subjectos præficeret, quatuor verò, vel quinque solos adjungeret, ex aliis regionibus conquisitos; ità dicimus nos benè, prudentèr, & utilitèr se gerere ministros Ecclesiæ, Papam, & Episcopos in conferendo, Principes, & Privatos, beneficiorum Patronos in præsentando, si postquàm centum beneficia, ad eorum dispositionem spectantia, clericis indigenis elargiti sunt; quatuor, vel quinque alia clericis extraneis impertiantur.

(a) *Vid. Supr. sec. 7. c. 16. à n. 21.*

27. Allegavimus exemplum vigesimæ partis, tamquàm exiguæ portionis respectu sui totius. Verùm hæc portio non consistit in individuo, itàut sola vigesima pars mathematicè sit extraneis reservanda, & non ultrà, neque citrà: sed habet suam latitudinem, ut aliquandò magis, aliquandò minùs; nunc strictior, nunc effusior sit, juxtà rerum contingentias, quæ personarum, temporum, & locorum rationem attendant; sed sic servatâ semper æquitate, & numerus extraneorum, respectu indigenarum, sit valdè brevior, & eam configurationem circitèr faciat, quàm habet unum ad viginti, vel viginti ad centum, vigesima tandem pars circitèr ad suum totum. Et ità in praxi contingit, uti dicebamus. Quod si alicubi, vel aliquandò prolapsum fuerit ad excessum, agatur de excessu amputando, non de libertate Ecclesiæ tollendâ, aliud enim est insistere, ut in admissione clericorum extraneorum congrua teneatur æquitas, & mensura; aliud est, quod clerici extranei prorsus à beneficiis ecclesiasticis repellantur. Aliud est coercere ministros Ecclesiæ, nè discretos justitiæ fines transiliant; aliud est, ob ministrorum excessum, Ecclesiam suis exuere privilegiis. Si ministri excedunt, Ecclesia non excedit; si peccant illi, hæc innocens est: *Cathedra quid tibi fecit Ecclesiæ?* inquiebat S. Augustinus, adversus literas Petiliani (b). Ministrorum ergò Ecclesiæ imploranda est æquitas, non coarctanda libertas. Et quantum ad Summum Pontificem, nostrum non est, vel ullius hominis aliquam ei præfinire mensuram.

(b) *S. August. l. 7. § 1. adv. literas Petil.*

28. Proponit hanc eandem quæstionem de extraneis, an sint ad Regnum admittendi, *Joannes Limneus*, celebris Politicus Germanus, & Commentator Aureæ Bullæ Caroli IV. Imperatoris, tametsi fidei non sinceræ: discussâque materiâ succintè, prout judicat expedire, affirmativus est; adducens exempla Romanorum, qui Imperium Trajano, & aliis deinceps Principibus detulere (c). De Regno Poloniæ ait esse rem satis notam, quod pluries ad sceptrum extraneos Principes evocavit (d). Addit quod & nec in Aureâ Bullâ præscribitur, quod Princeps in Imperatorem eligendus debeat esse Germanicus. Resoluit demum non esse dogma politicum generale, quod exteri non sint idonei ad regnum, sed respiciendum esse ad legem, & consuetudinem uniuscujusque Regni (e). Quarè si laicus extraneus usque ad Regnum pervenire potest, ubi aliud ipsius Regni lex non præscribit, nescimus videre, cur Clericus extraneus non ibi valeat ecclesiasticum capere beneficium, dùm eum lex ecclesiastica non repellit.

(c) *Tholos. de republ. l. 4. c. 4. n. 17.*

(d) *Keckerman. Syst. polit. c. 2. f. 49.*

(e) *Jo: Limneus ad aur. Bull. c. 2. § 2. n. 4.*

29. De eâdem quæstione tractat *Jacobus Simanca* Hispanus, in suo tractatu de Republicâ: & nedùm non sentit esse dogma politicum exclusionem extraneorum à publicis officiis, & Reipublicæ Magistratibus; sed imo potiùs ea munia, quę justitiæ ministerium, & hominum regimen concernunt, indicat esse extraneis conferenda.

renda. Inquit enim, *nec præfectus urbi, nec ejus comites indigenę esse possunt, nè odio, aut gratiæ multa concedant. Itaque locum præfecti tenens, Judex criminum, assessor, apparitores, & executores, aliundè sunt assumendi* (a). Hocque probat sequentibus legibus, auctoritatibus, & rationibus. Lex *Anastasii* Imperatoris: *Nulli patriæ suæ administratio, sine speciali permissu Principis permittatur* (b). Lex *Constantii* Imperatoris: *Nullus apparitor ad eam provinciam, ex quâ oriundus est, vel in quâ collocaverit larem, obtentum publicæ necessitatis, vel executor privati negotii dirigatur. Apparitor vero, qui huic sè muneri passus est deputari, militiâ spoliabitur. Hęc autem pœna etiam cæteris officialibus irrogata est* (c). Lex *Gratiani* Imperatoris: *Ne quis sine sacrilegii crimine desiderandum intelligat gerendę, ac suscipiendæ ad ministrationis officium, intra eam provinciam, in quâ provincialis, & civis habeatur, nisi hoc cuipiam ultroneâ libertate per divinos afflatus Imperator indulgeat* (d).

30. Ex Jurisconsultis Julius Paulus ait: *In eâ provinciâ, ex quâ quis originem ducit, officium fiscale administrare prohibetur, ne aut gratiosus, aut calumniosus apud suos esse videatur &c. Qui ejusdem Civitatis non sunt, & administratione depositâ aliò migrare debent, ii procuidubio sine respectu cujuslibet officium suum liberè faciunt: contrarium vero indigenis evenire solet. Quid, quod odia, & inimicitię intèr municipes ipsos oriuntur, & crescunt, cum Civis in suum Civem, tametsi justissimè animadverterit &c. Quas ob res legibus regiis, & mandatis vetitum est, ne officia ista indigenę gerant; & eisdem mandatis adiicitur, nè Comites consanguinei, aut affines sint Præfecti Urbis: cum his enim amicitiam natura ipsa peperit: quo fit, ut severe in eos Præfectus animadvertere non facilè queat* (e).

31. Ex Theologis S. Thomas ità profatur. *Cur homo in patriâ suâ minus honoratur? Una ratio est, quia quando est in patriâ suâ, multi, qui cognoscunt infirma ejus, semper illa reducunt in memoriam: & hæc est malitia hominum, ut magis cogitent defectus aliorum, quam virtutes, aut perfectiones eorum. Ratio altera potest assignari, quia (ut ait Philosophus) Populus multum praralogizatur, & credit, quod in aliquo pares, in omnibus pares sint: Undè quando aliquis est in patriâ suâ, cum videant alios ei pares in genere, vel in aliis, credunt, quod non possit esse major, aut melior illis* (f) Hęc circa exclusionem extraneorum à publicis officiis, vel admissionem ad ea, profert Simanca (g). Cui addimus *Matthęum Tympium* in suo Aureo Speculo Principum, hanc eandem quæstionem examinantem, & multa favore, indigenarum pro abiiciendis extraneis allegantem, quæ coincidunt cum iis, quę supra ex Junio, & Cokierio descripsimus; nihilominus tandem in contrariam sententiam defluit, servatâ semper congruâ moderatione, & prudentiâ.

32. Sic enim ait Tympius: *Quia tamen virtutem cujusque, non patriam æstimari, ac ponderari oportet, & auctoritas peregrinorum major, quam indigenarum est: Marc. 6. v. 4. non est propheta sine honore, nisi in patriâ: & minus in Patriâ suâ homines, quam apud exteros honorantur: quia multi, qui cognoscunt infima eorum, ea semper in memoriam reducunt, etiam malitiâ quadam defectus magis, quam virtutes considerantur: Si peregrini, aut extranei, ut arbores transplantatæ, noxios deposuerunt humores, reiiciendi non sunt, nec ab honoribus prorsus excludendi; ut nec merces utiles, à barbaris ad nos translatas reiicimus* (h). Itaque & *Junii*, & *Cockieri*, & *Limnei*, & *Simancæ*, & *Tympii*, Politicorum primæ notę, & de rebus politicis ex professo tractantium, atque ex diversis Regionibus prodeuntium, consonis votis habemus, quod viri extranei non sunt ab officiis publicis repellendi: quod ad magistratus quoscumque civiles liberè admitti possunt, & etiam ad regiam dignitatem, nisi aliud lex Regni prædefiniat: quod demùm non est dogma politicum exclusio eorumdem à publicis ministeriis, sed solum, quod in eorum admissione servanda est congrua æquitatis mensura; habenda est ratio personarum, temporum, & locorum; res, tandem prudentèr agenda est, & uti dici solet, cum grano salis condienda, nè diffluat ad excessum.

(a) Jac. Siman. de Republ. lib. 9. c. 6.

(b) Lex Anastas. l. 1. C. tit. 39.

(c) Lex Constantii l. 12. C. tit. 6.

(d) Lex Gratian. l. 9 C. tit. 29.

(e) Jul. Paul. l. 5. sent. tit. de fisci advocat.

(f) S. Thom. in Matth. cap. 13.

(g) Jacob. Simanca de Republ. l. 8 c. 6.

(h) Matth. Tympius Aur. Spec. Princ. Signo. 46. n. 10. f. 743.

33. Hanc

33. Hanc ergo doctrinam (à Politicis tantæ famæ traditam, Politicis inquam Hispanis, Belgis, Germanis, qui quæstionem ex industria ventilarunt) applicando ecclesiasticis beneficiis, ad quæ, uti diximus, ab officiis validum est argumentum, sequitur, quod non est dogma politicum exclusio Clericorum extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis, sed potiùs dogma politicum est eorum admissio ad illa; politicèque loquendo expedit, quod insit Ecclesiæ libertas conferendi ecclesiastica beneficia etiam Clericis extraneis; quia illa, quę animarum regimen concernunt, præsertim cum jurisdictione coactivâ, quandoque juxta rerum, & temporum circumstantias, crebriùs, aut rariùs præstat, ut potius viris extraneis, quam indigenis tribuantur, nè aut gratia, aut odium in eorum administratione prævaleat. Illa verò, quæ simplex officium habent, sine animarum regimine, convenit, ut pro ratione temporum, locorum, & personarum, non tantum indigenis, sed etiam extraneis conferri possint, prout largitorum commoditati, atque utilitati contigerit magis esse proficuum: ac suscipientium quoque benemerentia suggesserit potius uni, quam alteri; huic magis quam illi, bonum esse, quod beneficia in casibus practicis concedantur: Et sic libertatem Ecclesiæ in beneficiorum dispensatione, politicè loquendo, nedum non præstat dirui, vel attenuari, sed potius invalescere, ac sartam tectam subsistere.

34. Nec aliud, secundum regulas optimæ politiæ prætendi potest, nisi quod Ecclesia, illiusque ministri, in usu hujusmodi libertatis congruam servent mensuram, æquitatem custodiant, teneant epikejam: non cuncta beneficia extraneis conferendo, sed aliqua: non indigenas in omnibus posthabendo, sed quandoque: demum beneficia ipsa promiscuè, & indigenis, & extraneis conferendo, non patrię ratione attentâ, sed meriti: ac tandem ita eadem distribuendo, ut pro majori parte, ac cæteris paribus beneficia obtingant indigenis potius, quam extraneis. Hæcque est mensura, quę debet servari, & quæ de facto usque ad præsens servata est, & servatur in locis, ubi præfata libertas, Apostolicis privilegiis, non fuerit ad solos indigenas coarctata, & sicubi hęc ipsa mensura, vel ob inadvertentiam, vel propter imprudentiam alicujus ministri Ecclesiastici, vel aliâ rerum contingentiâ, non fuit, prout oportuit, custodita: intrà suos cancellos reducenda erit ad summum, non vero libertas Ecclesię est stirpitùs evellenda: habitâ semper ratione, quod quantum ad Pontificem, nulla ei lex, seu pragmatica potest apponi, sed suę prudentię sinendum est, quid agendum sit definire.

35. Itaque ex his, quæ usque nunc in præsenti capitulo allegavimus, tàm ex gestis, quàm ex sanctionibus Principum, qui decimo Christi sæculo floruerunt, necnon ex variis eventibus historicis eisdem interfertis, vel indè dimanantibus, probatum abundè restat, quod Ecclesia, durante illo sæculo, integrâ suâ libertate potita est munerandi etiam extraneos ecclesiasticis beneficiis, quâm libertatem, cum nunquam amiserit, & nec amittere potuerit, expediatque politicè ipsam custodiri, atque immotam persistere; sequitur, quod sicuti tunc fuit, sic & nunc liberum, ac licitum est Ecclesię, illiusque ministris, ac in primis Papę, & Episcopis, atque aliis omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa nominatoribus, beneficia ipsa non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis impertiri. Si lectori placeat alias rationes politicas intueri, supra easdem habet extensas (a).

(a) *Vid. hic. supr. sæcul. 7. cap. 16.*

SÆCULUM CHRISTI XI.

C A P U T XXVIII

In quo ex disciplina in Ecclesiis Patriarchalibus observatâ: necnon ex gestis, & decretis Summorum Pontificum, ac præsertim S.Leonis IX. S. Gregorii VII. Stephani X. Nicolai II. *& aliorum, probatur, quod Ecclesia* sæculo Christi undecimo *integrâ libertate potiebatur conferendi beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

S U M M A R I U M.

1 *SS.* Macarii *senior, & junior Armeni, fiunt Patriarchæ* Antiochiæ, *licèt extranei. Quomodo promotus fuerit Macarius junior.*

2 *Necessitas non adfuit eligendi extraneum: Macarius Patriarchatu relicto, Bavariam adivit, obiitque in Monasterio S. Bavonis.*

3 *Patriarchatus* Hierosolymitanus *hoc sæculo datus est Daimberto Pisano, postposito Arnulpho Archidiacono.*

4 Constantinopolitanum *Patriarchatum obtinuit Joannes Xiphilinus Trapezuntinus, anteà monachus apud Olympi montem in Lyciâ.*

5 *Ex* 18. *Papis, qui hoc sæculo Ecclesiæ Romanæ præfuerunt, undecim ab eâ fuerunt extranei. Damasus II. erat Germanus.*

6 *S.* Leo *Papa IX. Germanus, Episcopus Argentinensis, indè Tullensis, Romam duxit Hildebrandum Cluniacensem, quem fecit Abbatem S. Pauli.*

7 Victor II. *itidem Germanus factus est Papa, petitus à Romanis, quem ægrè concessit Imperator, eratque Episcopus Eistatensis.*

8 *Quomodò intelligendus sit Leo Ostiensis, dicens electum fuisse Victorem, quià Romæ non erat idoneus ad Papatum.*

9 *Ex D. Petro Damiani constat, quod hac ætate Romæ non deerant Clerici ad Pontificatum idonei, tamen Ecclesia elegit in Pontifices viros extraneos.*

10 Stephanus X. *Lotharingus cum Pontificatu tenuit Abbatiam Casinensem. Et beneficia ipse possedit, & aliis contulit, nullâ habitâ extraneitatis ratione.*

11 Nicolaus II. *Allobrox, spreto Joanne Mincio Romano, fit Papa, qui pluries beneficia suscepit, & contulit, nihil attentâ extraneitate.*

12 *Indultum quoque contulit Cœnobio, à Rege Angliæ erecto, ut monachi ex sè Abbatem eligerent. Privilegium est lex privata.*

13 *Tùm ergò ex parte Papæ, quàm Regis constat nullam legem extraneos à beneficiis repellere. Privilegium aliquid speciale concedit.*

14 *Synodus Osboriensis, & S. Petrus Damiani electionem Cadaloi spuriam esse: Alia Concilia electionem Alexandri fuisse legitimam ostenderunt.*

15 *Henricus Rex non obiecit extraneitatem Alexandro II. sed assensus Regii defectum, qui tamen interponendus non erat. Pontificatumque detulit extraneo.*

16 *Qui Papa carpsit Jocelimum Arcbidiaconum Parisiensem, quod simoniacè fuisset adeptus episcopatum. Simonia quo jure sit prohibita.*

17 *Jocelimus extraneus ab Ecclesiâ Svessionensi, non jubetur se purgare de labe suscepti beneficii cum extraneitate, sed de solo simoniæ reatu.*

18 *Quis fuerit* S. Gregorius Papa VII. *ejusque præsagium de Pontificatu. Strenuum egit Principem, & sacerdotem, ac sedi Apostolicæ valdè profuit.*

19 *Nihil ei obstitit extraeitas, quominùs ad Pontificatum fuerit sublimatus. Henricus Imperator ei subintrusit Guibertum.*

20 *Inauditis criminibus fuit impetitus, nullus tamen ei obiecit, quod beneficia nactus esset in locis, à quibus erat extraneus.*

21 *Scribit Gregorius VII. ad Manassen Remensem, ostendens esse posse Legatos Apostolicos etiam viros Romanæ Ecclesiæ non insertos.*

22 *Volebat Manasses Legationem Apostolicam soli Ecclesiæ Romanæ Clerico committi. Papa vero etiam extraneis committi posse dictavit.*

23 *Idem Gregorius VII. scribit Humberto Lugdunensi, ut compellat Landricum extraneum accipere episcopatum Masisconensem.*

24 *Scribit etiam Manassi præfato, sè laudare, quod quidam Abbas S. Remigii Remensis, unà simul fieret Abbas S. Arnulphi Metensis.*

25 *In Tusciâ, in Britanniâ, in Galliâ dedit aditum extraneis ad beneficia, & Ecclesiæ Lugdunensi præfici fecit alium Antistitem.*

26 *Monet Alphonsum VI. Regem Hispaniæ, ut postposito quodam minus perito, alium conquiri faciat aliundè, qui Arcbiepiscopatui præficiatur.*

27 *Expressèque insinuat, viros extraneos, nedùm posse, verùm etiam debere ad beneficia promoveri, dummodo dignos.*

28 *Si beneficia solis indigenis deberentur, prius oporteret diœcesanos, posteà provinciales, indè nationales discutere, antequam proveheretur extraneus.*

29 *Epistola decretalis Gregorii VII. exposcit, uti de congruo, quod beneficium detur diœcesano: nec excludit extranos, nisi cæteris paribus.*

30 Victor *Papa III. nedùm beneficia suscepit, ubi erat extraneus, sed alios etiam plures ad eadem promovit.*

31 *Sequitur* Urbanus Papa II. *qui & ipse idem fecit, pluribusque extranationalibus beneficium Romani Cardinalatus contulit.*

32 *Multis modis Urbanus beneficia diaconalia, Episcopalia, Cardinalitia contulit extraneis, & ipse Papatum accepit.*

33 *Ex allatis in hoc capitulo liquet, quod isto sæculo Ecclesia potiebatur integrâ libertate beneficijs etiam Clericos extraneos præficiendi.*

1 SECUNDAM Ecclesię chiliadem intramus, undecimum Christi sæculum subeuntes, & à sublimioribus totius Orbis beneficiis argumentum ad inferiora ducendo, ponderamus, quod inter cæteros, qui Patriarchale beneficium in Ecclesiâ *Antiochenâ*, hoc sæculo tenuerunt, numeratur *Sanctus Macarius* senior (*a*), Junioris Macarii consanguineus, ambo natione non Syri, sed Armeni, & consequentèr ab Antiochiæ urbe prorsùs extranei. Evincitur hoc ex vitâ ipsius Macarii junioris, cujus Auctor ità proloquitur: *Macarius nobilissimo apud Armenos* stem-

(a) Baron. ann. 1012. num. 15.

stemmate ortus est, atque eâ tempestate *in lucem editus est, quando Macarius major, magnæ sanctitatis vir Antiochenam Ecclesiam gubernabat &c. Qui cum Macarii* (junioris) *esset consanguineus, eum è baptismatis fonte suscepit, suumque illi nomen imponens, Macarium voluit appellari* (*a*). Et cum senior Macarius, progressu temporis, ætate fractus, aliquem sibi optaret in Patriarchali munere constitui successorem, convocatis Clero,& Proceribus, *commendans illis à se nutritum, atque eruditum Macarium, ait si ipsis non displiceat, sibi gratum esse; ut is eligatur: nec tamen se illis quicquam velle præjudicare, quominus suâ,in eligendo pastore, libertate utantur* (*b*).

2. His auditis Antiocheni propositum sibi Juvenem,tametsi & patria,& provinciâ, & natione extraneum in Antistitem elegerunt (*c*): Nullâ eos ad id urgente necessitate: tum quia non est credibile,quod in tàm amplâ urbe, illiusque diœcesi, nullus esset Clericus, vel monachus, vel in eorum subsidium laicus, indigenæ, ad Patriarchale beneficium idonei: tùm quià de facto aderant: quippè ad electionem Macarii junioris celebrandam congregati fuerunt Clerus, & populus Antiocheni, ex quorum numero, quis non credat plures fuisse, ad quos possent patriarchales infulæ pervenire. Tenuit illud beneficium Macarius, donec Terræ Sanctæ visitandæ allectus desiderio, ipsum dimisit, Eleutherio sibi in munere subrogato. Et ab urbe Hierosolymitanâ, ubi plures ærumnas perpessus est, ad Occidentales oras iter convertens, in Bavariam se contulit, unde Moguntiam, posteà Coloniam, successivè Macliniam, Cameracum, Gandavumque perrexit, ac demùm in monasterio S. Banis constitit apud Belgas, ubi reditum ad suam Armeniam meditans, morte præventus, sancto fine conquievit (*d*). Nullum remur posse talitèr de tanto viro, sanctitatis laureâ decorato, sentire, quod eum dicat acceptando, & Antiochenos illi deferendo, Patriarchatum, peccasse: undè operæpretium erit fateri, nihil eâ ætate obstitisse,quominus liceret Clericis extraneis præbendas ecclesiasticas adipisci.

3. Intrà hujus quoque undecimi sæculi ambitum, cum celeberrima illa, nec unquam interituræ memoriæ, sacra expeditio Christianorum Occidentalium, ad expugnanda religiosa loca Palæstinæ, zeli, ac devotionis titulo, processisset (*e*), atque sanctam *Hierosolymitanam* metropolim acquisisset, Ecclesiæ illi Patriarchali, jàm à quinque mensibus viduatæ, sponsum daturi Clerus, & populus, Arnulpho Archidiacono ipsius Ecclesiæ postposito (*f*), quem Episcopus Marturanensis Calaber, cum numerosâ serie suæ factionis hominum promovebat (*g*); Elegerunt Daimbertum, sive Theobertum Episcopum Pisanum (*h*); quem Urbanus Papa II. Archiepiscopum creaverat, & Sedis Apostolicæ in ipsâ expeditione Legatum (*i*), nedum Patriarchatum illum non affectantem, sed & inscium, ac reluctantem,ne tali dignitate ornaretur, eâ tamen omnibus numeris dignum (*l*). Et ità Patriarchale beneficium Ecclesiæ *Hierosolymitanæ* obtigit viro, & patriâ, & provinciâ, & natione extraneo, tametsi adessent alii benemerentes, & idonei, ac præsertim Arnulphus præfatus, qui utpote per Archidiaconale officium, illius Ecclesiæ corpori insertus, jàm ibi erat indigena, non extraneus: quâ in rè nisi delirando dicatur, omnes illos Clericos, & laicos, qui Daimbertum elegerant peccasse, oportet ex necessitate fateri, tunc optimè licuisse viris extraneis beneficia sacra nancisci.

4. In Ecclesiâ quoque *Constantinopolitanâ* unus ex iis, qui in Patriarchali cathedrę hoc eodem sæculo considerunt,fuit Joannes Xiphilinus, historiæ Dionis Cassii epilonator (*m*), Constantino Licudici substitutus (*n*), de quo Glycas, *Constantino Patriarchâ mortuo, Joannes Xiphilinus monachus in ejus locum suffectus est, vir omninò propter eloquentiam, doctrinam, prudentiam, virtutem admirandus. Trapezunte oriundus, vitam in Olympo religiosis exercitiis deditam agebat: undè vi pertractus est ad hanc dignitatem, tamquam intèr alios eximius* (*o*), quod & totidem ferè verbis confirmat Zonaras (*p*). Verum Curopalates aliâ recenset laude parum digna (*q*). Trapezus undè Xiphilinus originem duxit, est urbs celebris in finibus Cappadociæ ad Pontum Euxinum (*r*). Olympus, apud quem, *comâ rasâ monasteria* fre-

(a) *Sur. 10. April. in Vit. S. Machar. c. 1.*

(b) *Sur. loc. cit. c. 2.*

(c) *Sur. loc. cit. c. 3.*

(d) *Sur. loc. cit. à c. 4: Baron. ann. 1012. c. 15. Balduin. Junius Chron. moral. ann. 1012.*

(e) *Iacob. de Vitriaco, histor. Oriental. Robert. Monach. de Christian. Princ. in Syr. profect. Guillelm. Tyr. de Bell. sacr.*

(f) *Baron. an. 1099. n. 43. & an. 1112. n. 29*

(g) *Guillelm. Tyr. de Bell Sacr. l. 9. cap. 1. & 15.*

(h) *Idem l. 9. c. 15.*

(i) *Baron ann. 1095. n. 1. & an. 1098. 14.*

(l) *Baron. an 1100. à n. 32. ad 35.*

(m) *Balduin. Junias. Chron. mor. p. 4. anno 1666.*

(n) *Baron. an. 1066. num. 23.*

(o) *Michael. Glyc. annal. p. 4 f. 459.*

(p) *Jo: Zonar. annal. to. 3 f. 128.*

(q) *Curopal. & Baron. an 1068. n. 5.*

(r) *Philip. Ferrar. Lexic. Geogr. V. Trapezus.*

frequentavit (*a*), est mons Asiæ minoris in Mysiâ positus, vel in Lyciâ, & tamen in hoc monachale beneficium, & Constantinopoli beneficium Patriarchale adeptus est, quamquam ab utroque, nedum patriâ, sed etiam provinciâ, ac respectivè, regione esset extraneus. Si autem tunc licebat altioris ordinis beneficia, quale est Patriarchatus, viris extraneis elargiri, proculdubiò & alia minoris ordinis impertiri licebat: argumentum etenim à majori, ad minus optimum est, & concludens (*b*).

5. Sed nullibi melius, per sæculi præsentis circuitum emicuit Ecclesiæ libertas, in dispensando sacra beneficia, tum Clericis extraneis, tum indigenis, quam in *Ecclesiâ Romanâ*: cui cùm decem & octo Pontifices præfuerint, undecim ex illis fuerunt, non solum patriâ, & provinciâ, sed etiam natione extranei. Saxones, Bavari, Galli, Suevi, Lotharingi &c. De quibus nobis aliquid summatim prolocuturis; Occurrit primo *Clemens* Papa II. sed quia iste infrà erit iterum memorandus, dùm Sutrinæ Synodi mentio fiet, idcircò à sermone de ipso hic habendo conquiescimus, & ad ejusdem pergimus successorem. Fuit hic *Damasus II.* Natione Germanus, Provinciâ Bavarus, nomine Poppo Bagnajus, professione Episcopus Brixinensis; & secundum Ciaconium etiam Patriarcha Aquilejensis (*c*), nisi errore labatur hic Auctor: Popponem etenim Aquilejensem sexennio anteà obiisse notat Hermannus Contractus (*d*). Damasus ipse à Romanis petitus fuisse dicitur, ab Henrico II. Imperatore propositus, & Romæ cunctorum votis electus, & approbatus (*e*), nihil ei obsistente vitio extraneitatis; cujus & nec illum in culpam vocavit Platina, cæteroquin ipsi parum æquanimis (*f*), qui sanè reticere non debuisset vitium Divinâ humanâ, & naturali lege, ut ex adverso supponitur, condemnatum.

6. Brevissimus Damasi Pontificatus locum dedit subrogationi *Leonis Papę IX.* cui anteà nomen erat Bruno, ex Comitibus Dagspurgensibus: natio ejus fuit Germania: Provincia Alsatia: Munus Episcopatus Argentinensis (*g*), & deindè Tullensis in Lothaingiâ; quem etiam unà cum Pontificatu retinuit (*h*). Is autem non suâ contentus provectione ad Beneficia Episcopalia, Argentinense, Tullense, & ad Pontificale Romanum, à quibus diversâ ratione erat extraneus, Romam veniens secum duxit Hildebrandum Soanensem, priorale beneficium in Cluniacensi monasterio tenentem (*i*), eumquem in Abbatem cœnobio D. Pauli præfecit. Perplures quoque creavit Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos inter fuerunt Humbertus monachus Tullensis, Abbas Sublacensis, posteà Archiepiscopus in Siciliâ, & deindè Cardinalis Episcopus Sylvæ Candidæ (*l*): Hugo Candidus Tridentinus Cardinalis S. Clementis (*m*): Mainardus, & Stephanus ex Campaniâ, monachi Casinates: Dauferius Principis Beneventani filius monachus cœnobii Cavensis: Fridericus filius Ducis Lotharingiæ, Canonicus Ecclesiæ S. Lamberti, & demum Abbas Casinensis (*n*), aliique: Unde vides hic beneficia monachalia, Canonicalia, Abbatialia, Episcopalia, Cardinalitia, & summi Ponrificatus, delata extraneis: quibus si addas D. Gerardum Coloniensem, ab eodem Leone sanctorum fastis adscriptum, tametsi Episcopali beneficio Tullensi præditum, à quo erat extraneus (*o*): Ipsum tandem Leonem intèr sanctos commemoratum (*p*), quantumlibet semel, bis, ac tertio beneficia extraneus recepisset, ac centies aliis extraneis impertitus esset; videbis ab hoc uno Pontifice penitùs debitum excludendi extraneos à beneficiis Ecclesiasticis amputari.

7. Post Leonem IX. in Apostolicâ Sede locatus est Gebeardus, natione Germanus, provinciâ Noricus (*q*), vel ut aliis placet, Suevus (*r*) patriâ Laureacensis, Genere, ex Comitibus Calbensibus, professione Episcopus Eistatensis, & Consiliarius Imperatoris, qui nomine *Victoris II.* est appellatus (*s*). Hic invitùs, ac ægrè assensum præbente Cæsare Pontificali chlamyde ornatus est: cum enim Hildebrandus eum à Cæsare, Romanorum nomine, postulasset, *Tristis ad hæc Imperator (nimis enim illi carus erat) cum illum omnibus modis sibi necessarium diceret, & alios plerosque huic officio magis idoneos proponeret, Hildebrandus in sententiâ perstitit, erat enim idem Episcopus*, Eistetensis, *non modo prudentissimus, verum in*

toto

(a) *Zonar. loc. cit.*

(b) *Menoch. consil. 210. n. 7. Alex. consil. 87. n. 9. l. 5. Barbos. tr. var. Loc. 67. n. 1. 2. 3.*

(c) *Ciacon. in Damas. 2.*

(d) *Herman. Contract. in Chron. an. 1042.*

(e) *Herman. Contrac. ann. 1048. Lambert. Schaf. ab eod. an. Baron. an. 1048. 1.*

(f) *Platin. in Damas. 2.*

(g) *Baron ann. 1049. 16. Bin. to. 7. Conc. in Leon. 9. Platin. & Ciacon. in Leo. 9.*

(h) *Jo: Gualt. Chron. in Catal. Pontif. German. in Leo. 9 f. 1604.*

(i) *Otto Frising. Baron. & Bin. loc. cit.*

(l) *S. Lanfranc. adv. Berenger. in to. 8 Bibl. Patr. Sigeber. de illust. Scrip. Eccl. c. 151. Roc. Pir. Sicil. sacr. no. tit. 1. ann. 1052. Panvin. & Ciacon. in Leone 9.*

(m) *Panvin & Ciacon loc. cit. in Leon. 9.*

(n) *Iidem loc. cit.*

(o) *Joan Gualter loc. supr. citat. Baron ann. 1053. n. 3. 4.*

(p) *Martyrol. Rom. die 19. April. & ibi Baron. in not.*

(q) *Leo Ostiens. Chron. l. 2. c. 85.*

(r) *Panvin. & Ciacon. in 1. Victor. 2.*

(s) *Iidem & Baron. ann. 1503. num. 3. & ann. 1055. n. 1.*

toto Regno ditior, atque potentior omnibus. Hunc itaque invitum licet, ac nolente Rege Romam secum adduxit, atque Victoris nomen imponens, Romanum Pontificem de cunctorum consensu declaravit.

8. Sic Leo Ostiensis, qui & paulo ante dixerat, electum fuisse Victorem, *quoniam in Ecclesiâ Romanâ persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat* (*a*). Quod non ita intelligendum est, ut in toto Romano Clero sæculari, ac regulari, nullus prorsùs esset ad Pontificale officium idoneus; quis etenim hoc credat de Romanâ Ecclesiâ, nobilissimo paritèr, ac numerosissimo Clero stipatâ, & viris virtutibus, atque doctrinâ præstantibus abundante, ad quam velut ad communem patriam (*b*) Clerici, & Laici excellentes ex toto orbe concurrunt; sed ita sumendum est, quod cum Imperatores Germanici magnam tunc sibi partem in constituendis Romanis Pontificibus arrogarent; & quos non sibi gratos crederent, contemptu, & vexationibus fatigarent; operæ pretium erat in electione Papæ talitèr circumspicere, ut non nisi vir quidem meritis, sed & qui simul esset gratus Cæsari, eligeretur. Etsi autem tunc florerent Romæ Clerici, doctrinâ, & virtutibus eximii, deerat eis tamen qualitas Cesareæ affectionis; adeoque præstabat temporis conditioni deferre, charitatem exercere, & aliquem, qui censeretur gratus Imperatori conquirere, atque conquisitum tænis Pontificalibus decorare.

9. Patet hoc ex iis, quæ Beatus Petrus Damiani, nomine Defensoris Romanæ Ecclesiæ, in Dialogismo illo, cui *Synodalis Disceptationis* nomen indidit, adversus Regium Advocatum, occasione unius ex præsentis sæculi Pontificibus, peroravit: ait namque: *Porro quia in constituendo Pontifice Romana Ecclesia à charitate regiâ non recessit, hoc etiam indicio est, quia cum in Clero suo religiosis viris, & sapientibus abundaret, non de propriis, sed eum, qui Regi, tamquam domesticus, & familiaris erat, elegit* (*c*). Aderant ergo hac ætate Romę viri ad Summi Pontificatus beneficium idonei, sed nihilominus, Ecclesia Romana Victorem II. e Sueviâ; Leonem IX. ex Alsatiâ: Damasum II. ex Bavariâ: Clementem II. ex Saxoniâ accersivit, ut charitate, & officiis sibi Cæsarem devinciret: quod sanè facere salvâ conscientiæ, & justitiæ ratione, non potuisset, si beneficia extraneis impertiri esset peccatum divino, naturali, & humanâ lege prohibitum: nulla etenim est charitas, nulla officiositas, quæ pro benevolentiâ Principis conquirendâ, permittat jura divinum, humanum, atque naturale prosterni.

10. Victore II. viam universæ carnis ingresso, datus est illi Successor *Stephanus X.* dictus anteà Fridericus, natione Gallus, provinciâ Lotharingus, Regio Francorum sanguini junctus, ac germanus frater Gothefredi Lotharingiæ Ducis, qui uxorem habuit celebrem Comitissam Mathildem (*d*). Potitus est Stephanus ab initio Canonicatu, apud S. Lambertum, deindè Cardinalatu S. Chrysogoni, posteà Abbatiâ Montis Casini (*e*), quam etiam cum Pontificatu retinuit (*f*), & nedum ipse beneficia Canonicale, Abbatiale, Cardinalitium, & Pontificale tenuit in locis, à quibus erat extraneus; sed & beneficia Ecclesiastica extraneis dedit, præsertim Cardinalitia: nam S. Petrum Damiani Ravennatem, Ubertum de Podiis, ac Hugobaldum de Obicis Lucenses, & Petrum, atque Albericum Monachos Casinates, Cardinales Romanæ Ecclesiæ creavit (*g*). Cardinalatus autem, ut alibi non semel diximus, est Ecclesiasticum beneficium (*h*): Ecclesias etenim sibi assignatas habent Cardinales in titulum: cum eis sunt spirituali connubio desponsati: jurisdictionem in eis exercent, & proventus quosdam ex eisdem percipiunt (*i*).

11. Septimum mensem sui Pontificatus numerantem Stephanum mors festina corripuit; statimque præcipui quidam Romani proceres Joannem Mincium, eorum Concivem, Episcopum Veliternum Pontificali Tiarâ exornant, ac ei Benedicti IX. nomen imponunt (*l*). Sed resistentibus Cardinali Petro Damiani, Hildebrando, atque aliis, in Romanâ Cathedrâ collocatur Gerardus, natione Allobrox, cognomine Burgundio, & munere Episcopus Florentinus, sumpto nomine *Nicolai II.* (*m*). Mirum est autem, quod spreto Mincio indigenâ, Pontifica-

tus

(a) *Leo Ostiens. Chron. Casinen. l.3. c.90.*

(b) *Leg. Rom. ff. ad Municip.*

(c) *S. Petr. Damian. Opusc. 4. discept. Synod. circ. fin. tom. 3. f. 32.*

(d) *Panvin. Pontif. Rom. par. 3. in Steph. 9. Ciacon. de Rom. Pont. in Steph X. dict. 9. Baron. an. 1054. n. 1. & 45.*

(e) *Leo Ostien. Chron. Casin. l. 2: 97. 98. Baron. an. 1057. n. 1. & 4. & c.*

(f) *Baron. ann. 1057. num. 12.*

(g) *Ciacon. de Rom. Pontif in Steph. X.*

(h) *Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 4. n. 52. cum aliis ibi.*

(i) *Vid. Cardin. Albitium de Jurisd. Card. in Eccles suorum titulorum.*

(l) *Panvin. Ciacon. & alii in Rom. Pont. post Steph. X. Leo Ostien. l. 2. c. 102.*

(m) *Binius Ciacon. Panvin. in Nicol. 2. Baron. ann. 1058. n. 15.*

tus Romanus fuerit Nicolao Albrogi collatus: quodque Nicolaus tàm Episcopale Florentię, quàm Pontificale beneficium Romæ susceperit, cum utrobique esset extraneus. Mirum quoque, quòd ipse Nicolaus S. Petro Damiani assensum denegaverit Episcopatum Ostiensem, atque Cardinalatum dimittendi, quem extraneus retinebat (*a*), imò & quòd alios Cardinalitiâ purpurâ decoraverit, à Romanâ Ecclesiâ prorsus extraneos, uti Desiderium Beneventanum, & Oderisium Marsicanum Monachos Casinates, Hildebrandum Soanensem, olim cœnobii Cluniacensis Priorem, & alios (*b*).

12. Nec omittendum est privilegium, quo Nicolaus ipse PP. II. munivit cœnobium D. Petri, ab Eduardo Rege Angliæ erectum, loco Romam adeundi, & sacra limina Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, prout voverat, visitandi (*c*), in eo etenim privilegio, sive epistolâ ad Eduardum datâ, Pontifex ità loquitur: *Absoluti sitis ab illo voto, quod timebatis, & ab omnibus aliis peccatis, & iniquitatibus vestris &c. Præterea in loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ constituendum, & meliorandum suscepistis &c. concedimus &c. ut & habitatio perpetua monachorum, qui nulli omninò personæ, nisi Regi subdantur, habeantque potestatem secundùm regulam S. Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio esse prælegerit* (*d*). Notum est, quod privilegia privatæ leges dicuntur (*e*), & ideò impetrantur, ut per ea liceat, quòd alioquin non liceret: Ad quid enim, ex speciali privilegio conquirere, quòd lex suapte naturâ cunctis generaliter impertitur (*Frustrà*, inquit lex, *precibus impetratur, quod à jure communi competit* (*f*).

13. Tàm ex parte igitùr Regis Angliæ postulantis, quam ex parte Nicolai Papæ privilegium concedentis, patet, quod generali lege, nulla viget ratio extraneos à beneficiis repellens; nec beneficii Abbatialis in præfato Monasterio fuissent incapaces extranei, nisi Nicolai privilegio id peculiaritèr, & expresSè cautum fuisset. *Neque enim privilegia aliquibus concederentur, si præter generalem legem nulli aliquid speciale indulgeretur* (*g*), & dato adhuc privilegio, nil obstat, quin iis, ad quos spectat beneficia dispensare, & respectivè suscipere, valeant extraneos ad eorum consecutionem admittere, uti præfati indulti verba disponunt, ibi, *non introducatur extranea persona, nisi quam concors congregatio esse prælege-* Ergò à contrario sensu, si concors congregatio in extraneum consentiat, poterit eligi extraneus. Quod tamèn non liceret, si divino, & naturali jure beneficia solis indigenis essent debita, quippè divino, & naturali juri, nemini cedere, nemini permissum est derogare, & præsertim iu præjudicium alterius, qui jus habeat ad rem illam.

14. Undecim Viri extranei ordine successivo, nec ullatenus interrupto intrà sęculi præsentis curriculum, in D. Petri Cathedrâ considerunt, uti superius innuimus: quorum septimus fuit Alexander Papa II. Mediolanensis, anteà vocatus Anselmus Badagius, Canonicus Regularis Lateranensis, & Episcopus Lucæ in Etruriâ (*h*). *Hunc Cardinales Pontificem elegerunt, non quem vellent, sed quem Regi gratum fore putabant &c.* uti *Regis familiarem, aulæque Regiæ quasi alumnum, & domesticum* (*i*). Sed contrarium accidit: Henricus, namque Germaniæ Rex hujusmodi electione audita, se contemptum autumans, eo quod ipso inscio fuisset pręfata electio celebrata, alium Pontificem provehi allaboravit, nempè Cadaloum Eiscopum Parmensem, qui sibi Honorii II. nomen accepit (*l*). Hinc schisma teterrimum emersit, quod non parum Ecclesiam Catholicam fatigavit, prævalente tamen Alexandro, cujus electionem etiam Synodus, apud Germanos celebrata (*m*), necnon Concilium Mantuæ coactum, fuisse legitimam fassum est (*n*), cujus quoque vitæ probitatem Deus miraculis comprobavit (*o*). E contrà verò Cadaloi electionem spuriam, & illegitimam Ostiensis synodus pronunciavit (*p*), ac uti talem inter alios S. Petrus Damiani, & vocibus, & scriptis validissimè confutavit (*q*).

15. Pon-

(a) *Baron ann. 1059 nu. 7.*

(b) *Ciacon. & Panvin. in Nicol. 2.*

(c) *Baron. ann. 1060. n. 9. & c.*

(d) Nicol. 2. *epist. 5. ap.* Bin. *to. 7. Conc. p. 2. f. 272.*

(e) *Gonzal. ad reg. 8 Canc glos. 35. à n. 5. Barbos. in c. 9. n. 10. de privil. lib. 5.*

(f) *L. 1 C. de thesau. l. 10. c. ult. 25. qu. 1.*

(g) *C. Ideo 16. § si erga circ fin. 25. q. 1.*

(h) *Panvin Ciacon. & Platin. in Alex. II. Bin. to. 7. Conc. p. 2. in eodem Alex. II. Baron. ann. 1061. n. 6.*

(i) *Binius loc. cit.*

(l) *Baron. Binius. Panvin. Ciacon. & Platin. in Alex. II. & locis citat.*

(m) *Baron an. 1062. n. 21.*

(n) *Baron. an. 1064. n. 33.*

(o) *Baron. an. 1073. n. 12.*

(p) *Baron. an. 1062. n. 12.*

(q) *S. Petr. Dam. lib. 1. epist. 20. 21.*

15. Ponderandum verò est hic, quod Henricus Rex, quærens titulum improbandi provectionem Anselmi, non ei extraneitatis vitium objecit (cum tamen hoc sufficiens fuisset ad illam, ut injustam condemnandam, si extraneitas ipsa culpam involueret divino, naturali, & humano jure percussam, proùt contendunt Contradictores) sed solum ei defectum non præstolati Regii assensus opposuit, quem tamèn nullum jus præmittendum esse poscebat: imò & cuncta jura clamabant, non esse in eâ rè ullatenus adhibendum (*a*). Rursùs in Romanâ Sede collocare non fategit indigenam, sed extraneum; nec enim ab illâ minus erat extraneus Cadalous Parmensis, quam Anselmus Mediolanensis; Honorius Antipapa, quàm Alexander Papa II. Demum hic Alexander Episcopatum Lucensem, ultrà decennium unà cum summo Pontificatu retinuit, quem tandem alicui daturus, non ei præfecit indigenam, sed extraneum, nempè S. Anselmum, patriâ Mantuanum (*b*). Et Cardinales electurus, promovit cum aliis etiàm Basilium Græcum Episcopum Albanensem: Hugonem Gallum Archiepiscopum Lugdunensem: Bernardum, & Richardum itidem Gallos, & Abbates S. Victoris Massiliæ: Aldemarium Clericum Capuanum, Principis illius Urbis filium, & Abbatem Montis Casini: Bennonem Germanum: Theodimum Marsicanum: præfatum Anselmum Lucensem, & alios, qui à Romanâ Ecclesiâ erant extranei (*c*).

(a) *S. Petr. Damian. in discept. synodal. per tot.*

(b) *Baron. an. 1070. 27 & 1073. n. 13. Bellarm. de script. Eccl. in S. Anselm. Lucens.*

(c) *Panvin & Ciacon. in Alex. 2. PP.*

16. Et ut factis Alexandri Papæ II. etiàm scripta, sivè decreta jungamus; præstat allegare decretum, quod Jocelino Archidiacono Parisiensi direxit, *literis*, inquit, *ad Sedem Apostolicam allatis; comperuimus tè, contempto Sanctorum Patrum anathemate, Archidiaconatum, non modò pecuniâ, verùm etiàm homicidio acquisivisse. Et nunc tantâ sceleris contagione maculatum, Suessionensem Episcopatum, per detestabile simoniacæ hæresis commercium comparasse: Undè Apostolicâ auctoritate tibi interdicimus, ut ordinationem suscipere non præsumas, donec ante nos, vel Legatum nostrum, purificare te super hac infamiâ studeas* (*d*). Erat Jocelinus, post Parisiensem Archidiaconatum acceptum, diffamatus de simoniâ in assecutione Episcopatus Suessionensis commissâ, quæ ut relata ad ecclesiastica beneficia, & respectu ad reditus beneficiales, non censetur prohibita jure naturali, vel divino, sed ecclesiastico solùm, alioquin Pontifex super ea dispensare non posset: hocque idem ipse faciendo; simoniæ crimen incurreret, quod à Doctoribus non admittitur (*e*).

(d) *Binius to. 7. Concil in append. epistol. Alex. II. f. 289.*

(e) *Vid. Fagnan. in cap ex diligenti 17 de simon. n. 7. l. 5. cū aliis ibi.*

17. Erat quoque à Svessionensi Ecclesiâ Jocelinus extraneus, tamquàm jàm Archidiaconus Parisiensis, qui uti talis, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ erat extraneus: & cum extraneitas vitium esse supponatur, nedum humano, sed etiàm divino, ac naturali jure prohibitum; quid est quod Alexander Jocelino injunxit, ut se solum à simoniæ labe purgaret: non verò, proptèr extraneitatis vitium, se ab accipiendo beneficio Episcopali Svessionensi compesceret? Hoc certè, cum tot aliis Alexandri Papæ II., aliorumque Pontificum, & Patriarcharum factis, & dictis, in præsenti Capitulo recensitis, evincit, quod Sæculo Christi Undecimo illa fuit certa doctrina, nulli extraneitatem obstare, quominus posset ecclesiastica beneficia adipisci: tantumque abesse, quod extraneitas culpa esset divino, naturali, & humano jure à beneficiis repellens; ut potius, eâ contemptâ, pateret aditus extraneis usque ad beneficia Patriarchalia, & ad ipsum Summum Pontificatum. Si autèm extraneis patebat aditus ad usque beneficia Patriarchalia, & Pontificale; multò magìs apertus erat ad beneficia minoris ordinis, eâ ratione, quâ à majori ad minus est validum argumentum (*f*). Et si ad illa patebat aditus præfato Sæculo decurrente, non est cur clausum sit itèr nunc; nàm Ecclesia suam libertatem nèc potuit amittere, nec amisit.

(f) *L. in suis in fin. ff. de liber. & posth. l. nec in ea 22. ff. de adulter. c. si ergo 8. q. 1 c. si Paulus 32. q. 5.*

18. Sequitur post Alexandrum II. in ordine Pontificum *Gregorius Papa VII.* tantæ probitatis vir, ut sanctorum albo reperiatur adscriptus (*g*): tantæque sapientiæ, ac prudentiæ, ut nedùm suo durante Pontificatu strenuissimum egerit, & Principem, & Sacerdotem; sed etiàm sub quinque præcedentium Pontificum regimine,

(g) *Martyrol. Rom. die 25. Martii, & ibi Baron. in notis.*

mine, mirificè Sedi Apostolicæ consiliis, operibus, atque auctoritate profuerit: qua de rè Historici (*a*). Hic est Hildebrandus, natione Tuscus, patriâ Soanensis, Bonicii fabri lignarii filius (*b*), qui cum adhuc parvulus fragmenta ligni apud patrem, asseres lævigantem, ludens componeret; inventus est literas conglutinasse dicentes, *dominabitur à mari, usque ad mare*, dignitatis Pontificalis, quàm posteà est assecutus, innocenti manu sibi efformans præsagium (*c*). Gregorium Papam VI., cujus fuerat discipulus, in Germaniam sequens, monachatum professus est in celebri Cluniacensi cœnobio, ubi & Priorale beneficium est consecutus (*d*), indè Romam à Leone IX. perductus, factus est Subdiaconus Apostolicus, & Abbas cœnobii S. Pauli viâ Ostiensi (*e*), ac successivè à Nicolao Papâ II. Cardinalatus auctus est dignitate (*f*).

(a) *Baron.an.*1049. *n.*2.1054.*n.*53.1055. *n.*15.&16.1058.*n.*4. 15.1059.*n.*1.44.1061 *n.*1.
(b) *Bin.to.*7.*Concil. Ciacon. Panv. Platin. in Greg.*7.
(c) *Baron.an.*1073. *n.*16.
(d) *Binius, Ciacon. & alii loc. cit. Baron. ann.*1047.*n.*4.
(e) *Ciacon. in Leon. IX §. Pontificatus initio.*
(f) *Ciacon. & Panvin. in Nicol.* 2. *Baron.ann.*1059.*n.*44.

19. Cum autem Priorale, Abbatiale, Cardinalitium &c. beneficia in locis obtinuisset, à quibus & patriâ, & provinciâ, & natione respectivè, erat extraneus; nihil ei obstitit quominus communi Cleri, & Populi Romani sensu, hoc fuerit editum decretum de illius electione ad Summum Pontificatum. *Nos S. R. E. Cardinales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, & Diaconi, Presbyteri, præsentibus vener. Episcopis, Abbatibus, & Monachis, consentientibus pluribus turbis utriusque ordinis, elegimus nobis in Summum Pontificem Hildebrandum Archidiaconum, virum religione, doctrinâ, justitiâque præstantem: in adversis constantem, in prosperis moderatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem, in gremio hujus Ecclesiæ à pueritiâ eruditum, eumque post hac esse, & dici Gregorium VII. Pontificem volumus, & consentimus* (*g*). Factus Pontifex diras habuit cum Henrico III. Imperatore quæstiones (*h*), quæ modo consopitæ, modo acrius exacerbatæ, illousque creverunt, ut Cæsar Gregorium deponere, illique Guibertum de Corrigia Parmensem, Archiepiscopum Ravennatem Antipontificem, non horruerit subrogare, quem & Clementem III. vocavit, atque Imperialem Coronam ab eo in die Resurrectionis Christi recepit (*i*).

(g) *Ciacon. & Platin. in Greg.* 7. *Baron. ann.*1073.*n.*20.21.26.
(h) *Baron.ann.*1076 *n.*1.6.23.*an.*1077.*n.*7. & 31.1080.*n.*7.1081. *n.*12.
(i) *Baron.an.*1076. 14.1080.17. 21. *Ciac. Platin. Panvin. Bin. in Greg.* 7. *Marian. Scot. Chron. l.* 3. *ann.* 1081. *Chron. Citicens. ann.* 1075.

20. Ad hæc Henricus *jussit haberi Synodum, in quâ Gregorius Papa falsis, & inauditis criminationibus, à fautoribus Henrici fictè compositis, absens accusatur. Denique dicebant eum profanum, scelestum, amatorem discordiæ, virum sanguinum, Sedem Apostolicam usurpasse per necromantiam &c.* (*l*). Benno quoque Cardinalis, ejusdem Gregorii calumniator impudentissimus, adversus illum omnem lapidem movit (*m*). Et tamen nullus ex his Gregorio vitium extraneitatis objecit, cum vel in Ecclesiâ Cluniacensi, vel in Romanâ, contrà indigenatus rationem beneficia sacra susceperit: Vitium quod uti divinum, naturale, ac humanum jura convellens (prout ex adverso supponitur) prætermittendum non erat in iliade illâ criminum, quæ ad fucandam ipsius depositionem coacervabantur. Nè autèm vim rationis, quàm ex Gregorio VII. postulamus, videamur à solo argumento negativo reposcere; addamus facta, quæ positivè probabunt, & signantèr, quod Othonem de Castilione Remensem monachum Cluniacensem, Cardinalem Episcopum Albanensem creavit: Petrum Igneum Etruscum monachum Vallumbrosanum Cardinalem fecit Episcopum itidem Albanensem: Joannem Gallum Abbatem Dolensem, Cardinalem tit. Equitii: Cunonem Germanum tit. S. Anastasiæ Cardinalem constituit, & sic de aliis (*n*).

(l) *Marian. Scot. loc. cit. ann.*1081.
(m) *Baron.an.*1048. 5. 1073. 19. 1077. 22. 1079 *n.*1.
(n) *Panvin. & Ciacon. in Greg.* 7.

21. Utque à factis, ad ejus scripta, & decreta Apostolica descendamus; celebris est epistola, quàm ad Manassem Ramensem dedit, renuentem alicui Apostolico Legato deferre, ultrà montes nato, nisi esset Romanus, vel in Romanâ Ecclesiâ à pueritiæ crepusculis educatus: *Si vos*, inquit, *Romanos Legatos intelligere videremini quoslibet, cujuslibet gentis, quibus Romanus Pontifex aliquam Legationem injungat, vel quod majus est, vicem suam indulgeat, & laudaremus sanè petita, & petitis libentèr annueremus. Sed quià &c. ostenditis, vos tantum eos velle Romanos habere Legatos, qui vel Romæ nati, vel in Romanâ Ecclesiâ à parvulo educati, vel in eâdem sint aliquâ dignitate promoti; miramur nimium prudentiam*

vestram eousque perductam, ut precaremini benevolentiam nostram jura Sedis Apostolicę debere imminuere, idque nobis in solius vestri negotiis non debere licere, quod in negotiis omnium Prædecessores nostri; sinè omni contradictione, & licitum, & legitimum tenuere (a). Addit exempla Osii Cordubensis, Cyrilli Alexandrini, Syagrii Augustodunensis, & aliorum, qui legatione Apostolicâ functi erant, tametsi à Romanâ Ecclesiâ prorsus extranei.

(a) Gregor. 7. l. 6. epl. 2. Bin. to. 7. p. 2. Concil. f. 407.

22. Volebat ergò Manasses, quod Legatio Apostolica non posset nisi clericis indigenis committi; sivè Romanæ Ecclesię filiis, in eâ natis, vel à pueritiâ educatis, aut per aliquam dignitatem insertis. Pontifex verò decernit, quod, nullâ extraneitatis, vel indigenatus habitâ ratione, Legati Romani sunt, quicumque officium exercendę legationis à Romano Pontifice receperunt: nèc quidquàm ad hoc refert, ex quo loco, vel patriâ, ortum duxerint; ideoque non vult, *quæ in causis omnium Romanis Pontificibus rata fuerunt, & licitai; in solius* Manassis *causâ irrita, & illicita* declarare (b). Agitur quidem hic de officio Legati, non de ecclesiastico beneficio: sed tamèn quià ab officio ad beneficium validum est argumentum (c); benè infertur, quod sicuti officium Legati cuilibet committi potest, undecumque suborto, dummodò digno, & idoneo; ità etiàm beneficium licitè cuilibet potest conferri, undecumque venienti, dummodò benemerito: & quemadmodum nulli obest extraneitas, quin possit à Romano Pontifice officium legationis acquirere; sic & nulli eadem obsistit, quin ab ipsomet valeat licitè beneficium ecclesiasticum adipisci.

(b) Gregor. 7. loc. cit.

(c) Barbos. tract. var. loc. 77. n. 1. cũ aliis ibi.

23. Prosequamur alia. Matiscouenses ad beneficium Episcopale suæ urbis sibi delegerant Landricum Archidiaconum Augustodunensem: Philippus verò Francorum Rex, tametsi eidem electioni assensum præstitisset, suum tamèn illam sortiri effectum non permittebat, aliquid ex vacatione illâ sibi utilitatis adsciscens. Gregorius autèm VII. literis ad eum datis, non parum super hoc illum objurgavit (d). Deindè ad Humbertum Lugdunensem Archiepiscopum scripsit. *Clamor Matisconensium clericorum pervenit ad nos, Ecclesiam suam, jàm multò tempore pastore viduatam, detrimentum non modicum sustinere. Dicunt enim Regem Francorum electionem suo consensu factam velle impedire &c. præcipimus Apostolicâ auctoritate, ut fraternitas tua, neque prò odio, neque gratiâ alicujus dimittas, quin electum ab eis Augustodunensem Landricum Archidiaconum Episcopum &c. ordinare studeat &c. Si verò ipse hunc ordinem suscipere renuerit, & inflexibilem se exhibueris; volumus, ut cum Episcopo suo vim sibi inferas, eumque ad recipiendam Episcopalem ordinem vigilanti studio, atque pastorali vigore constringas* (e). Vides hic clericum extraneum, & jàm Augustodunensi Ecclesiæ per Archidiaconatum affixum, nedum admitti, sed etiàm compelli ad Episcopale beneficium in Ecclesiâ Matisconensi: Rege quidem obsistente, at non proptèr extraneitatis defectum, sed ex aliis privatis causis, à Pontifice detestatis.

(d) S. Greg. 7. l. 1. epl. 35.

(e) S. Greg. 7. l. 1. epl. 36.

24. Idem ipse Gregorius VII. audito, quod præmemoratus Manasses Remensis Abbatiale beneficium cœnobii S. Remigii suæ Diœcesis, & provinciæ, contulerat cuidam egregio monacho, similè beneficium possidenti in monasterio S. Arnulphi Metensis, provinciæ Trevirensis; probavit eam electionem, dicens, *Abbas quidem nobis admodum placet, & si posset ferre onus, ut utrasque Abbatias regeret, Metensem scilicèt, & Remensem, laudassem prò eo, quod vir religiosus, & sapiens est* (f). Accepit monachus utramque Abbatiam, quantumlibet ab alterutrâ earum esset, nedùm extradiœcesanus, sed etiàm extraprovincialis. Verùm quià experientiâ postmodùm recognovit, se non posse utriusque regimini competentèr incumbere, Metensi retentâ, Remensem voluntariè resignavit: quâ de rè Gregorius Herimanno Metensi scripsit. *Abbas S. Arnulphi &c. vult si tibi videtur renuntiare Abbatiæ S. Remigii, & tantum vestrę esse contentus: Cujus rei causâ misimus literas nostras Remensi Archiepiscopo, ut dictam Abbatiam, secundum Deum, consilio istius in alium ordinet: iste verò vobis tantummodò cedat* (g).

(f) S. Greg. 7. l. 1. epl. 52.

(g) S. Greg. 7. l. 1. epl. 35.

25. Va-

25. Vacanti quoquè beneficio Episcopali Ecclesię Volaterranæ in Tusciâ pręfici curavit Bonoisum, Mantuæ in Jusubriâ Archipresbyterum (*a*). Abbatiale beneficium cœnobii Dolensis in Britanniâ minore, post Gualterum ejusdem possessorem depulsum, Vuormundo contulit Viennæ apud Allobroges Archiepiscopo: jubens, tàm monachis, quàm Principibus illius regionis, ut eundem tamquàm Abbatem, & patrem sinè contradictione reciperent (*b*). Cuidam tandem Episcopo dedit in mandatis, *summopere procurandum tibi est, ut in magnâ sede Lugdunensi non diù differatur ordinari Archiepiscopus, qui rè verâ sit miles Christi, & defensor justitiæ: pro quâ non solum laborare, sed etiàm prò eâ desideret mortem carnis subire. Quod si citò non potest reperiri, ex Apostolicâ tibi præcipimus auctoritate, ut rogatus à fratribus tuis, & electus ab ejusdem Ecclesiæ filiis, indubitantèr præsumens de adjutorio celesti, ad regimen prædictæ Lugdunensis sanctæ accedas Ecclesiæ; imitando Dominum, & patrem nostrum beatum Petrum Apostolum, qui de minori Ecclesiâ Antiochenâ, translatus est in Romanam* (*c*). In Lugdunensi autem Ecclesiâ, quàm magnam sedem appellat, supponi non potest, defuisse viros, beneficii Episcopalis capaces, quibus præteritis necessarium esset virum extraneum infulis exornare.

(a) S. Greg. 7. lib. 5. epl. 3.

(b) S. Greg. 7. l. 6. epl. 17. 18.

(c) S. Greg. 7. l. 9. epl. 18.

26. Quodque in Tusciâ, in Galliâ, in Britanniâ peregit, in Hispaniâ quoque ad praxim perduxit. Nàm cum Alphonsus VI. Rex Hispanię quendam Gregorio VII. proposuisset, ad Archiepiscopalem apicem provehendum, Papa perpensis ejusdem viri qualitatibus, easque ratus non esse tanto munere dignas, tali promotioni denegavit assensum, Regique scripsit, ut alium magìs idoneum indicaret, conquisitum undecumque, vel intèr clericos Ecclesiæ viduatę, vel intèr incolas suę Ditionis, vel è Regnis extraneis accersitum. Audienda sunt ejus verba: *De illâ autèm personâ, quæ in Archiepiscopum fuerat eligenda, dicimus, licèt satis prudens, & liberalis esse videatur, tamèn (quemadmodùm nobis notum est,) & literæ tuæ non negant, disciplinæ fundamento, videlicèt literalis scientiæ peritiâ indiget &c. Quapropter serenitatem tuam studere oportet, ut eum consilio præfati Legati nostri R. Massiliensis Abbatis, aliorumque religiosorum virorum, eligatur indè, si inveniri potest; sin autèm aliundè expetatur talis persona, cujus religio, & doctrina Ecclesiæ vestræ, & Regno decorem conferat & salutem* (*d*).

(d) S. Greg. 7. l. 9. epl. 2. Bin. to. 7. Conc. p. 2. f. 449.

27. Statimque aurea hęc verba subjungit: *Neque verò se pigeat, aut pudeat extraneum fortè, vel humilis sanguinis virum, dummodò idoneus sit, ad Ecclesiæ tuæ regimen, quod propriè bonos exoptat adscire; cum Rom. Respublica (ut Paganorum tempore) sic & sub Christianitatis titulis, indè maximè Deo favente, excreverit, quod non tàm generis, aut patrię nobilitatem, quàm animi, & corporis virtutes perpendendas adjudicavit* (*e*). Definivit ergò Gregorius, quod clerici extranei, modò benemerentes, & idonei, liberè, ac licitè nedum possunt, sed etiàm præfici debent ecclesiasticis beneficiis. Nèc hujus Apostolici decreti vis eludi potest, dicendo, quod tunc tantum clericis extraneis locus esse dandus mandetur in assecutione beneficiorum, quando intèr locales, & indigenas, nullus idoneus reperiatur; quippè verba Pontificis hujusmodi explicationis non sunt capacia: quandoquidem defectus generalis indigenarum in toto Hispaniæ Regno naturalitèr accidere non valebat. Si enim in Ecclesiâ magna non est credibile, quod nullus sit ad Episcopale beneficium idoneus (*f*); quid dicemus de toto, & quidem amplissimo Regno Hispanię gentis?

(e) S. Greg. 7. loc. cit.

(f) Nicol. 1. epl. ad Carol. Calv. & ad Egilonem ap. Sirmond. to. 3 Concil. Gal. f. 273. & 616.

28. Præsertìm quod si, juxtà sensum Contradictorum, divino, naturali, & humano juri vulnus infligit admissio extraneorum ad ecclesiastica beneficia, discutiendi erant priùs cuncti clerici sæculares, & regulares, nedum Ecclesiæ vacantis, illiusque Diœcesis, sed etiàm totius circumadiacentis provinciæ, & successivè universi Hispanici Regni. Quod autèm in tot millibus clericorum, & monachorum, quot in amplo Hispaniæ Regno continebantur, nullus esset ad Episcopale beneficium idoneus, *durus est sermo iste, & quis potest eum audire* (*g*). Deficietem

(g) Joan. 6. 61.

ciente posteà viro idoneo in Clero sæculari, & regulari totius Hispaniæ Regni, discutienda fuisset magna illa, & immensa farrago laicorum, quos Regnum ipsum in suo sinu continebat, ut agnosceretur, an intèr eos aliquis esset, quem clericatu insignire liceret, ac subindè ad Episcopalem gradum provehere. Priùs enim intèr laicos indigenas conquirendus esset vir promovendus, antequàm fieret transitus ad extraneos, si divinum, naturale, & humanum jura collationem beneficiorum ad solos indigenas coarctaret (a). Quod autèm in universis provinciis Regni Hispaniæ nullus clericus, neque monachus esset, imò & nullus laicus, qui clericatu augeri posset, ut alicui ex eis beneficium Episcopale impertiri liceret, quis credat?

(a) *Vid. infr. in resp. ad obiect. legal.*

29. Sanè injuriam faceret inclytæ Hispanicæ nationi, qui de illâ tam abjectè sentiret, ut diceret, quod sub Sancto Gregorio VII. Papâ, & sub Rege Catholico Alphonso VI. nullus, neque in Clero sæculari, neque in regulari, quinimò & nec in universo populo, vir adesset, cui opportune posset caput Episcopalibus infulis adornari, adeoque necessarium esset virum Archiepiscopatu decorandum, ex jussione Pontificiali extrà Regnum conquirere. Itaque S. Gregorius Papa VII. in suâ decretali epistolâ ad Regem proposuit, non tamquam de necessitate, sed velut de congruo, quod vir Archiepiscopatu donandus, ex vacante Ecclesiâ, vel ex Regno Hispanico sumeretur: alioquin deficiente ibi verò idoneo; extrà Regnum conquireretur. Nam cum contingere non posset casus, quod in totâ natione Hispanicâ, quæ semper viris meritissimis abundavit, nullus esset Episcopali culmine dignus; mens Gregorii alia esse non potuit, nisi quod promovendus ad Episcopatum indè sumeretur, ubi posset inveniri: sive hinc, sive illinc, sive ex indigenis, sive ex alienigenis; dummodò dignus, & aptus; quamquàm ex honestate, ceterisque paribus, præferendus esset vir diœcesanus Hispano, & Hispenus extraneo.

30. In ordine Pontificum immediatè post S. Gregorium VII. sequitur *Victor III.* Principis Capuani filius, in sæculo Daufrerius, in Religione Desiderius vocatus (b), fuit enim Monachus Ordinis D. Benedicti in cœnobio Cavensi; deindè Abbas Montis Casini; Cardinalis S. Cæciliæ à Nicolao Papâ II. creatus (c), & invitus, ac non nisi post plures contradictiones ad Pontificatum evectus (d). Breve tamen illius Regnum fuit, ad quartum completum mensem vix pertingens (e). Ipsum autèm Romana Ecclesia, & patriâ, & provinciâ extraneum, usque ad Pontificatum evexit, qui & vice versâ plures è Monasterio Casinensi eductos, beneficiis Abbatialibus, & Episcopalibus insigniri fecit in locis, à quibus erant extranei, quà de rè Leo Ostiensis: *Cum prædictus Pontifex huic Monasterio maximè affectus esset &c. si quos hinc fratres à D. Abbate consequi poterat &c. in Episcopos, & Abbates honorificè promovebat. Todinum igitur Berardi Marsorum Comitis filium, Romam ad se accersitum, in Lateranensi Patriarchio Levitam constituit: Aldemarium quoque &c. Capuanæ vobis Clericū &c. in Ecclesiâ S. Laurentii, quæ foris muros dicitur, Cardinalem pariter: Abbatemque sacravit. Ambrosium itidem Mediolanensem &c. Terracinensem Episcopum consecravit. Eodem item tempore Milo Capuani Monasterii Præpositus Suessanæ Ecclesiæ Episcopus factus est* (f).

(b) *Leo Ostiens. lib. 3. c. 1. 3 12. Ciacon. Panvin. Platin. in Victor. 3. Bin. ibid. tom. 7. Concil.*
(c) *Panvin. & alii loc. cit. Baron. an. 1057 n. 12. 1059. n. 9. 10.*
(d) *Leo Ostiens. l. 3. c. 65. & c. Baron. ann. 1083. n. 20. 1086. 3. & alii citati.*
(e) *Panvin. Rom. Pont. in Vict. 3. Leo Ost. l. 3. c. 72.*

31. Obeunti huic Pontifici successit Otho de Castilione Cardinalis Episcopus Ostiensis (g), in diœcesi Remensi ortus, priùs Canonicus Regularis Lateranensis, indè Monachus cœnobii Cavensis, postmodum Monasterii Cluniacensis, à quò Romam per S. Gregorium VII. accitus est (h): qui etiam eundem Othonem Cardinalibus proposuit, ut ipsum sibi constituerent successorem (i), compari postmodum commendatione à Victore quoque III. honoratum (l). Itaque Terracinæ, communi omnium voto, electus est, & *Urbanus II.* nuncupatus (m), magni nominis Pontifex, cum propter alia, tum propter celebrem illam bellicam expeditionem, qua Occidentales crucesignati, & ejus voce in Concilio Claromontano, & ejus literis per provincias missis, excitati, arma sumpsere, atque ad recupe-

randa

(f) *Leo Ost. Chron. Casin. l. 3. c. 24.*
(g) *Leo Ostiens. l. 4. cap. 2.*
(h) *Ciacon. Panvin. Platin. in Urban. 2.*
(i) *Baron. ann. 1083. n. 19.*
(l) *Baron. ann. 1086. n. 3. 1087. n. 19.*
(m) *Leo Ostiens. l. 4. n. 2. Baron. ann. 1088. n. 1. Ciacon. & Platin. in Urb. 2.*

randa sacra Palestinæ loca feliciter perrexere (*a*). Ipse verò quoad ecclesiastica beneficia, Theodoricum ex Germaniâ, Othonem, & Robertum ex Galliâ, Bernardum Florentinum, & Paulum Lucensem ex Etruriâ, Joannem Cajetanum ex Campaniâ, Albertum Archiepiscopum Sipoutinum, Rangerium Archiepræsulem Rhegii, Joannem, Oderisium, & Leonem Marsicanos Cardinalatus titulis decoravit (*b*), quos esse totidem beneficia jam supra satis doctorum auctoritate probavimus.

32. Sed & Leo Ostiensis in suâ Chronicâ individuè ponit Capitulum, hoc titulo prælignatum; *Quomodò præfatus Papa quosdam monachos ordinavit Episcopos*, subditque *Urbanus &c. Joannem Cajetanum hujus loci à puero Monachum Diaconum in Lateranensi Patriarchio ordinavit &c. Defuncto Leone Cajetanæ Ecclesiæ Episcopo; Rainaldus hujus cœnobii Monachus ibi præsul ordinatur. In Sardiniæ Insulâ Benedictus hujus Monasterii Monachus defuncto Episcopo subrogatur* (*c*). Ipse Urbanus Ivonem Præpositum S. Quintini, diœcesis Bellovacensis, fecit Episcopum Carnotensem (*d*), de quo inferius redibit sermo. Demùm vacanti Archiepiscopatui Tarraconensi, cui præfuerat Berengarius, qui etiam fuit Episcopus Gerundensis, præfecit alium Berengarium prius Episcopum Ausonensem (*e*). Etità multimodis beneficia Diaconalia, Episcopalia, Archiepiscopalia, Cardinalitia, Urbanus contulit extraneis, & ipse usque ad summum Pontificale beneficium ascendit, in locis, à quibus erat extraneus.

33. Itaque ex his, quæ in toto præsentis Capituli decursu allegavimus, patet, quod, currente sæculo Christi undecimo, Clerici extranei ad cujuslibet speciei beneficia poterant pervenire, etiam Patriarchalia in primariis orbis Ecclesiis: quodque Summi Pontifices integrâ libertate potiebantur dispensandi beneficia Abbatialia, Canonicalia, Episcopalia, Cardinalitia, viris cujuscumque nationis. Nihil obstante extraneitatis ratione: Nec potest, nisi delirando, autumari, quod præfati omnes Patriarchæ, Abbates, Cardinales, Episcopi, sic sua beneficia sumendo, & quicumque alii, vel per viam collationis, vel per viam electionis, aut nominationis in his partem habebant, omnes peccarent; jura divinum, naturale, & humanum calcarent: omnes tandem æternum incurrerint damnationem. Ad hæc si Summus Pontificatus, qui, uti sæpè diximus, est præcipuum orbis beneficium, intrà hoc sæculum, toties, tam crebrò, ac sine ullâ interruptione, à viris tantæ doctrinæ, ac sanctitatis, inter dirissima schismata, & Principum persecutiones, licitè potuit possideri, nulla eis extraneitatis obsistente ratione; nunquid non poterant minoris momenti beneficia extranei homines adipisci? Et si tunc poterant; cur hodie non possunt? Utinam sint leges (generales nempè, nam de particularibus privilegiis hic non est sermo) ubi sunt inquam leges, canones, decreta &c. ex tunc edita, quæ libertatem illam Ecclesiis detrahere potuerint, vel detraxerint? Quæ nam legitima potestas, ex tunc viros extraneos arcuit ab ecclesiasticis beneficiis? Exhibeantur, & dabimus manus victas.

(a) Baron. ann. 1095. n. 33. Leo Ost. l. 4. c. 11. Villelm. Tyr. de Bell. sacr. Jacob. de vitu, ac hist. Orient. Ciacon. in Urban. 2.

(b) Ciacon. & Panvin. in Urban. 2.

(c) Leo Ost. l. 4. c. 7.

(d) Baron. an. 1092. 2

(e) Vid. Donat. Bereng. com. Barcinon & epist. Urban 2. ap. Baron. an. 1091. n. 2.

CA-

CAPUT XXIX.

In quo ex Sacris Conciliis, *celebratis* Sæculo Christi Undecimo; *& præsertìm ex Conciliis* Lemovicensi II. Sutrino, Remensi, Coyacensi, Basileensi, Osboriensi, Vvintoniensi, & Romano, *probatur libertas Ecclesiæ inconferendo Ecclesiastica beneficia, etiam Clericis extraneis*.

SUMMARIUM.

1 *In* Concilio Lemovicensi II. *datus est titulus Apostoli Sancto Martiali, qui fuit unus ex 72. Discipulis Christi.*

2 *In hac Synodo reclamatum fuit contrà Comitem Tolosanum, decretumque, beneficia non secundùm carnem, sed secundùm merita esse danda.*

3 *Ad repellendum à beneficiis clericum, non fuit allegata extraneitas, sed aliæ causę minoris momenti.*

4 *Cum Gregorius PP. VI. tres de Pontificatu diffidentes cedere induxisset, factus est Papa, & cum Henrico Imperatore apud* Sutrium Concilium *celebravit.*

5 *Ab invidis Simoniæ insimulatus Pontificatui cessit, & Cluniacum petiit. In cujus locum substitutus est Clemens II.*

6 *Simoniæ vitium objectum Gregorio, etiàm si verum fuisset, minus ei obstitisset, quàm extraneitas Clementi II. cui postpositi fuerunt indigenæ Romani.*

7 *Si defuissent digni in Ecclesiâ Romanâ, opus fuisset Gregorium impedire, nè Pontificatum dimitteret, Concilium Sutrinum favit extraneis.*

8 *Clemens II. beneficia suscepit in locis, à quibus erat extraneus, docuitque licitè transferri Episcopum de unâ ad aliam sedem.*

9 *S. Leo PP. IX. tenuit* Concilium Remense, *in quo censuris adactus est Gozfridus Andegavensis, ut excarceraret Gervasium Cenomanicum, posteà Arebiepiscopum Remensem.*

10 Concilium Coyacense *interdixit, nè laici ullam potestatem habeant super clericos: Deus, quæ ad Ecclesiam pertinent, noluit à laicis regulari.*

11 *Idem Concilium vetat monachis in aliis monasteriis suscipi, nisi consentiente eorum Abbate. Monachi sunt totidem beneficiati.*

12 *Sicut vi Concilii Coyacensis licitum est beneficia monachalia monachis extraneis impertiri, ità licitum est clericalia concedere clericis extraneis.*

13 *Mortuo Nicolao PP. II. celebratum est* Concilium Basileense. *Cardinales Alexandrum II. alii Cadaloum Parmensem in Pontificem elegerunt.*

14 *Restrictio electionis Papæ ad solos Longobardiæ incolas generalem habuit irrisionem. Tamque eligentes Cadaloum, quàm Alexandrum, extraneis faverunt.*

15 *S. Petrus Damiani arguit Cadaloum, non de extraneitate, sed quod injustè Parmensi sede relictâ, invasisset Romanam.*

16 *Scribit quoque, quod licèt Romana Ecclesia viris dignis abundaret, eos tamèn prętermiserat, ut Regi morem gereret, eligendo Alexandrum.*

17 *Hoc Sæculo habitum est* Concilium Vvintoniense. *De Angliæ Regno certabant Haraldus, & Guillelmus Conquisitor.*

18 *Guillelmus hæres Edoardi III. confirmatus à Papâ domino directo Angliæ; pugnam occidit Haraldum, vicit Edgarum, & regnavit.*

19 *Quæ*

19 *Quæ causæ fuerint depositionis Stigandi Cantuariensis? quidam ex Galliâ Ecclesiis Angliæ prefecti sunt.*

20 *Rex præfatus merita, non indigenatum in promovendis exposcebat, & optimos extraneos dedit Ecclesiis.*

21 *Stigandus erat extradiœcesanus, hæc tamèn causa non est adducta in Concilio contrà illum. Habuit Antecessorem, & Successorem extranationales.*

22 *S. Lanfrancus refutato Archiepiscopatu Rothomagensi, Cantuariensem posteà accepit, aliique extranei tunc promoti fuerunt.*

23 *S. Gregorius VII. in* Romano Concilio *plura edidit decreta, quorum unum est, quod liceat Episcopos de sede ad sedem transmutare.*

24 *Papa valet quoscumque voluerit alienos clericos ordinare. Licuit semper majoribus sedibus clericum de unâ ad aliam Ecclesiam traducere.*

25 *Non est fatenda in Papâ minor potestas, quàm in cæteris Episcopis. De toto orbe assumendi sunt Cardinales ex D. Bernardo, & ex Sixto V.*

26 *Usque à tempore D. Gregorii, Papa undecumque clericos ad se trahebat, qui & ordines illis conferre, & licet residentiæ debito adstrictos trahere potest.*

27 *Competit hoc Papæ uti Prælato primariæ sedis, uti Episcopo universali, & aliis etiàm de causis.*

28 *Roma omnium mater est, & patria, à quâ ut olim, sic & nunc omnes concurrentes subsidia præstolantur, & bona.*

29 *Cunctis inest jus adipiscendi Romæ alimenta, & lucra. Jàm penè ex omnibus Nationibus Pontifices Ecclesiæ præsiderunt.*

30 *Sensus referuntur Francisci Hallier, ex Julio Papâ I. & Nicolao I. de potestate Papæ, ad se trahendi clericos ex quacumque Ecclesiâ.*

31 *Plura exempla Romanorum Pontificum innuuntur, qui alienos clericos ordinandos, & Romano Clero inserendos duxerunt.*

32 *Goffridus Vindociensis ab Urbano II. Faustinus Dandulus ab Eugenio IV. ordinati. Alii ex Romanâ Ecclesiâ Diaconi, & Presbyteri ad alias Ecclesias missi innuuntur.*

33 *Ordinati à Papâ, ab alio posteà Episcopo ad altiores ordines promoveri non valent, ex literis S. Gregorii I. & Joannis III.*

34 *Fit hoc ob reverentiam impositionis manuum Pontificis, eo modò quo super altare, ubi Episcopus celebravit, nemo eâ die sacrificat.*

35 *Aliqui ordinabantur à Papâ honoris causâ, & hi obtentâ discedendi licentiâ, quoàd cætera Episcopis suis subditi erant.*

36 *Si Papa potest undecumque clericos ad se trahere, debet etiàm posse de bonis aliarum Ecclesiarum disponere. Quæ, & qualis esset Romæ Dea Rumina.*

37 *Papa clericos alienos, etiàm beneficio residentiali devinctos, liberè ad se trahere potest, Episcopi verò quandò id possint?*

1 FREQUENTES fuerunt hoc tempore Sacrorum Conciliorum celebrationes, tametsi non eorum omnium acta per extensum ad nos pervenerint. Illorum tamèn, quæ supersunt, decreta, & gesta, satis proficiunt causæ nostræ: ac libertati Ecclesiæ, in sacrarum præbendarum dispensatione, mirificè suffragantur. Aliqua ergò ex eisdem hìc aggregemus, per quæ libera extraneorum admissio pateat ad ecclesiastica beneficia. Celebratum est anno Christi 1034. Concilium *Lemovicense II.* prò pace in Galliis promovendâ: & prò asserendo titulo *Apostoli* Sancto Martiali Lemovicensi (*a*). Hic ille puer fuisse dicitur, qui cum quinque panibus, duos pisces habebat, à D. Andrea Christo indicatus (*b*), unus ex 72. Discipulis Domini (*c*) in Gallias à D. Petro transmissus, ubi Evangelium annuntiavit, & latè etiàm felicitèr propagavit (*d*). Undè Apostoli earum gentium

(a) *Bin. to. 7. Concil. p. 2. in Conc. Lemovic. 1 & 2 an. 1029. et 1034*
(b) *Joan. 6. n. 9.*
(c) *Baron. an. 74. 15. tom 1.*
(d) *Baron. ann 44. n. 27. & an 74. n. 15.*

tium

tium visus est titulum promereri, quem & nedùm communi Patrum ejusdem Concilii sensu adeptus est, sed etiàm Sedis Apostolicæ decisione (*a*).

2. In Concilio ergò *Lemovicensi II.* post decretum B. Martialis Apostolatum, alia sunt acta; & præsertim auditæ sunt querelæ Cœnobitarum Monasterii S. Petri Bellovacensis, adversùs Comitem Tolosanam, eo quod Abbatiale beneficium illius cœnobii contulisset Adolescenti cuidam clerico sæculari, nepoti Episcopi Cadurcensis. Ad quæ audita Patres factum improbarunt, hanc dignam cedro sententiam pronuntiantes, *ecclesiastica officia non secundùm carnis originem, sed secundùm meritorum virtutem distribui oportet* (*b*). Tùm accersitus idem Clericus, & in medio Concilii flexis genibus constitutus, errorem suum fassus est, atque, ut corrigeretur institit (*c*). Undènàm esset clericus ille nobis est incompertum: sed cum nepos Episcopi Cadurcensis dicatur, probabile est patriam habuisse urbem Cadurcensem, Provinciæ ecclesiasticæ Burgensis, & consequentèr extraneum fuisse ab urbe Bellovacensi, provinciæ ecclesiasticæ Remensis: omninoque oportet, quod vel ipse à beneficio Abbatiali Bellovacensi, vel ejus Patruus ab Episcopali Cadurcensi esset extraneus.

(a) *Baron. an. 1031. n. 1. 3.*

(b) *Bin. to. 7. Conc. f. 2 in Concil. Lemov. 2. ann. 1034. f. 225.*

(c) *Baron. an. 1034. num. 10. & c.*

3. Utcumque autem res se haberet dicimus, quod vel Clericus ille erat Bellovacensis, & repulsus est ibi à beneficio Abbatiali, tametsi esset indigena: tum quia beneficium illud de manu laicorum acceperat, contra canones, id rigorosè vetantes (*d*); tum quia carebat qualitate monachatus, & clericatus regularis; nec justum erat, ut clericus regularis, diuturnâ carens vitæ monasticæ disciplinâ, monachis præsideret (*e*). Vel erat extraneus, & pro illo repellendo ab eodem beneficio, non est allegata extraneitas, sed potius indigeneitas, & carnis origo, pronunciantibus Patribus, quod *Ecclesiastica officia non secundùm carnis originem, sed secundùm meritorum virtutem distribui oportet*. Sanè si beneficia viris extraneis impertiri est crimèn divino, naturali, & humano jure damnatum, uti contendunt Contradictores, cur hæc causa non est in medium prolata, quæ sola pro illo repellendo sufficiebat, & quoslibet alios defectus, ac motiva, vel carentiæ monachatus, vel susceptionis beneficii de manu laicâ, vel carnis originis, absorbebat: cum nullum, ex hisce tribus motivis prevaricationem divini, & naturalis juris involuat? Omissio ergo causæ extraneitatis, quæ inter cunctas alias suisset potissima, & allegatio aliarum minoris momenti, pro Clerico illo à beneficii Abbatialis retentione ablegando, satis ostendunt, quod in sententiâ Patrum ejusdem Concilii nulla est ratio, quæ verè, & realitèr clericos extraneos à beneficiorum consecutione repellat.

(d) *Conc. Mogunt. ann. 847. c. 12. Concil. Wormac. ann. 868 c. 55. & 57. Concil. Rom. an. 907. c. 10. Conc. Cabilon. an. 813. c. 42.*

(e) *Vid. Conc. Rotomag. an. 1074. c. 19.*

4. Habitum est paritèr anno Christi 1046. Concilium *Sutrinum* hac, de quâ subjungimus causâ. Cum lacerata reperiretur Ecclesia Romana diro Schismate trium de Pontificatu contendentium, ex eisque Benedictus apud Lateranensem, Joannes apud Liberianam, & Silvester apud Vaticanam Basilicas, Sedem Apostolicam, non tam occuparent, quam discerperent, ac fœdarent; Joannes Gratianus Romanus Cardinalis S. Joannis ante portam latinam, singulos invasores illos adiit, & occupatæ sedi cedere persuasit, permissâ eis proventuum aliquorum perceptione, ut haberent de quo viverent, & ab inceptis desisterent. Reque pro voto effectum sortitâ, ipse Gratianus à Romanis, tamquam Ecclesię Dei liberator Summo Pontificatu dignus est reputatus, & in Pontificem communibus suffragiis electus, ac *Gregorius VI.* appellatus (*f*). Cum jam autem propè 20. menses in Cathedrâ Apostolicâ consedisset, Henricus II. Imperator Romam venit, cui Gregorius obviam occurrit usque ad Papiam, & ab eo est honorificè susceptus (*g*). Indè utroque Sutrium proficiscente, ibi Concilium est celebratum, cui Gregorius ipse præsedit (*h*).

5. Cum autèm invidorum, & malignantium dicteriis, Gregorius de simoniacâ invasione Sedis Apostolicæ insimularetur, & pro simoniæ vitio declamaretur liberalis illa permissio redituum (*i*), quos retineri posse consenserat à tribus illis Viris, qui

(f) *Vid. Leon. Ostien. l. 2. c. 80. 82. Otto. Frising l. 60. c. 32. 33. Ciacon. Forest. & alios in Greg. 6.*

(g) *Herman. Contrac. Chron. an. 1545. §. quo.*

(h) *Leo Ost. Chron. l. 2 c. 80. & Baron. an. 1046 n. 4. 5.*

(i) *Baron. an. 1046. num. 3.*

qui de Pontificatu certabant, ut sedi cederent, (quod ejus provectionem ad Pontificatum præcessit, nec verè simonia fuit, sed redemptio vexationis, & etiam quædam æquitas, ut Competitores ipsi haberent de quibus viverent) Gregorius spontè se dignitate abdicavit, Gregorium Nazianzenum imitatus, ne novæ turbæ, novumve schisma in Romanâ Ecclesiâ excitaretur, ac successive ad Cluniacense monasterium, ut ibi privatam vitam ageret, se recepit (*a*). Gregorio autem ipsi Papæ VI. spontè cedenti, non Synodaliter, neque Imperiali auctoritate deposito (*b*) subrogandus erat alius vir, ad tantam dignitatem idoneus: destinabaturque Adalbertus Archiepiscopus Hamburgensis, principem locum tenens benevolentiæ apud Cæsarem (*c*), sed quia ipse ab his animum declinavit, Henricus, *omnium, tam Romanorum, quam aliorum consensu, Suidgerum Episcopum Bambergensem &c. nimium reluctantem, summum Romanæ Ecclesiæ elegit Pontificem* (*d*), qui Clemens II. est appellatus.

6. Ponderamus autem quod beneficium Pontificale, à Gregorio VI. Romano relictum, non alteri Romano, Romanæve Ecclesiæ indigenæ, collatum est; sed Svidgero, patriâ, provinciâ, natione, toto cœlo tandem extraneo, cui proindè nedùm humanum, sed etiam divinum, & naturale jura obsistebant, in sententiâ Contradictorum. Si dicatur, ex Leone Ostiensi, hoc factum esse, quia *nullus inveniretur dignus, qui tantæ Ecclesiæ præesset* (*e*); Respondemus præter ea, quæ de sensu Leonis Ostiensis, Capitulo præcedenti allegavimus, nullam potuisse fingi indigentiam, ad quam supplendam deberent jura divinum, naturale, & humanum, simul juncta convelli; adeoque oportet inferrè, vel extremam illam indigentiam non adfuisse; vel admissionem extraneorum ad Ecclesiastica beneficia præfatis juribus non obstare. Pariter supponi rationabiliter non potest, quod in totâ Ecclesiâ Romanâ nullus adesset ad tantam dignitatem idoneus, cum non deessent Diaconi, Præsbyteri, Episcopi, Monachi, Abbates, Clerici tandem, atque Laici: vivebantque adhuc tres illi, qui de Pontificatu contenderant, ideoque non est probabilis defectus prememoratus.

7. Et quatenus per hypothesim omnis alius vir idoneus defuisset, *quis magis idoneus ipso Gregorio, quem viri sanctissimi, atque doctissimi ejus temporis summis laudibus prædicarunt?* (*f*) Hunc oportebat impedire ne Pontificatui cederet, vel illum ut indigenam ex integro noviter eligere, potius quam ei Clementem II. Saxonem, & extranationalem subrogare, ne supposita jura divinum, naturale, & humanum, indigenis faventia, & extraneis resistentia læderentur. Ergo si Cæsar, si Romani, si Concilium Sutrinum (quod non fuit paucorum hominum adunatio, sed *Universale Episcoporum Concilium &c. congregatum ex Episcoporum, Abbatum, Religiosorumque virorum grandi multitudine*) uti de illo eloquitur Leo Ostiensis (*g*) in unum sensum convenerunt, ut Pontificale Beneficium Svidgero Saxoni, Episcopo Bambergensi deferretur; necessariò inferendum est, quod ipsum Concilium, ac cum eo Imperator, totaque Romanorum, & aliorum qui huic electioni assensum præstiterunt, collectio, in eo voto fuerunt, nec qualitatem indigenatus esse ulli necessariam; nec extraneitatis rationem ulli obsistentiam generare, pro adipiscendis Ecclesiasticis beneficiis.

8. Notando ulterius quod ipse Clemens II. nedum, in minoribus existens Episcopatum Bambergensem in Franconiâ suscepit, cum ipse nativus esset ex provinciâ Saxoniæ; adeoque ab illo beneficio Episcopali, tam patriâ, quam provinciâ foret extraneus; verum etiam, in majoribus constitutus, ad Summi Pontificatus celsissimum beneficium progressum fecit, à quo præter patriæ, ac provinciæ, nationis quoque extraneitatem habebat. Et si hæc pauca sunt attendatur, quod hujusce Pontificis non nisi unica (quod nobis constet) conservatur epistola, in quâ ipse, Apostolicâ auctoritate, transfert Joannem Episcopum Pestanensem ad Metropolitanam Ecclesiam Salerni (*h*); qui certe, vel à beneficio Episcopali primæ sedis, vel ab Archiepiscopali secundæ, erat extraneus. Definitque Antistitum translatio-nes

(a) *Vid. Baron. anno 1046. Bin. to. 7. Concil. p. 2 in Greg. 6. & in Conc. Sutrin. an. 1046.* Ciacon. in Greg. 6.

(b) *Leo Ostiens. l. 2. c. 80. & Baron. loc. cit. num. 3. 4. 5.*

(c) *Herman. Contrac. an 1045. & quo.*

(d) *Adam Bremens. l. 3. c. 17. Baron. anno 1046. ad fin.*

(e) *Leo Ost. Chron. Casin. l. 2. c. 80.*

(f) *Baron. an. 1046 circ. fin.*

(g) *Leo Ostiens. l. 2. cap. 80.*

(h) *Clem. 2. epist. ad Jo: Salernit. ap. Bin. to. 7. Conc. p. 2. f. 228.*

nes licitas, & justissimas esse, quoties non viri translati ambitio, sed utilitas, vel necessitas Ecclesiæ suadet ita expedire; quare & jure, & facto &, ratione, & historiâ, totus eventus habiti Concilii Sutrini, ac inibi promoti Clementis Papæ II, nos edocet libertatem Ecclesiæ in admittendis Clericis extraneis ad quęcumque beneficia Ecclesiastica, etiam primaria, ac multo magis ad ea, quæ sunt ordinis inferioris.

9. Per hæc tempora, ideft anno Christi 1049. celebratum est *Concilium Remense*, cui S. Leo Papa IX. personaliter adstitit; pluribusque decretis editis, ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentibus, intimata est Excommunicatio Gozfrido Andegavensi, *nisi relaxaret quem captum tenebat Dominum Gervasium, qui tunc erat Præsul Sedis Cenomanicę, posteà vero ab ejusdem tyranni potestate exemptus Vuidone Archiepiscopo defuncto, à Rege Francorum Henrico, subrogatus est ad regimen Remensis Ecclesię* (a). Porro Urbs Cenomanica est in provinciâ Ecclesiastica Turonensi, apud Britantiam, cui tunc in temporalibus dominabantur Normanni Principes; Remensis vero urbs est Metropolis secundæ Belgicæ provinciæ, quæ Regi Galliæ subjacebat, adeoque Gervasius, qui in utraque Ecclesia, prius Episcopale, deinde Archiepiscopale beneficium adeptus est, ab alterutrâ illarum erat extraneus, tàm patriâ, quàm provinciâ, & temporali ditione, sicque omnes gradus extraneitatis habebat, qui tamen ei neutiquam obstiterunt pro adipiscendis tantæ celsitudinis beneficiis.

(a) *Acta Conc. Remensis an. 1049. ap. Bin. to. 7. Conc. p. 2. 9. vocequi f. 260.*

10. Anno sequenti, nempè 1050. qui respondet anno 1088. æræ Hispanicæ, per 38. annos antecedenti æram Christi, habitum est *Concilium Coyacense* in Castro Coyaca, diœcesis Ovetensis, convenientibus in eo cum Ferdinando I. Magno, Rege Castellæ, & Sanctiâ ejus uxore, novem Episcopis, ac pluribus Abbatibus, aliisque Regni Optimatibus (b), ubi varia decreta, disciplinam Ecclesiasticam concernentia edita sunt, ex quibus unum sic sonat: *Statuimus, ut omnes Ecclesiæ, & Clerici, sint sub jure sui Episcopi, nec potestatem aliquam habeant super ecclesias, aut Clericos Laici* (c). Sanè Deus ea quæ ad Ecclesiam pertinent, & Ecclesiasticas res, non à laicis, non à sæculi potestatibus (quas Ecclesiæ ministris voluit esse subiectas) sed à Sacerdotibus regi voluit, & regulari (d): bene ergo Concilium Coyacense cavit, ne laici potestatem ullam exerceant super Ecclesias; quo decreto proculdubio perculit etiam illorum laicorum audaciam, qui libertatem illam Ecclesiæ impugnant, de quâ tractamus. Nam si laicis est interdictum potestatem aliquam super Ecclesias habere, citra dubium etiam est prohibitum, libertatem Ecclesiæ in suorum beneficiorum dispensatione violare, & ne exerceatur, quolibet modo impedire.

(b) *Baron. ann. 1050. num. 5.*

(c) *Conc. Cojac. ann. 1050. c. 3.*

(d) *Thomassin. vet. et nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 36. n. 11.*

11. Sed audiamus aliud decretum ejusdem synodi: statuimus &c. *Ut omnes Abbates sè & fratres suos, & monasteria; & Abbatissæ sè, & moniales suas, & monasteria secundùm B. Benedicti regant statuta: Et ipsi Abbates, & Abbatissæ cum suis congregationibus, & cænobiis sint obedientes, & per omnia subditi suis Episcopis. Nullus eorum recipiat monachum alienum, aut sanctimonialem, nisi per Abbatis sui, & Abbatissæ jussionem: si quis hoc decretum violare præsumpserit, anathema sit* (e). Diximus supra cum Theologis, & Canonistis, quod monachi sunt totidem beneficiarii (f) vivunt etenim de reditibus Ecclesiæ, hæc illis perpetuo suppeditat ex suis proventibus, quidquid ad eorum victum, & vestitum, ac congruentem statum est necessarium. Diximus quoque quod olim unumquodque monasterium erat independens ab alio, eo modo, quo sunt nunc domus Patrum Oratorii S. Philippi Nerii, & monasteria monialium, itaut qui in uno profitebatur, ei perpetuò addictus esset, tamquam inibi affixus, & veluti indigena, ac consequenter à quibuslibet aliis monasteriis extraneus. Nihilominus Concilium Coyacense disponit, ut quoties propriorum Abbatum concurreret jussio, sive assensus, optimè possent monachi ad aliena monasteria transire, ibique monachalia beneficia percipere, ubi ex naturâ suâ erant extranei.

(e) *Conc. Coyacens. an. 1050. c. 3.*

(f) *Thomassin. loc. cit p. 1. l. 3. c. 13. nu. 1. Barbos. Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 69.*

12. Qui-

12. Quibus ita se habentibus, arguendo à simili ad simile, à quo est validum argumentum (*a*), servatâ semper similitudinum ratione, quæ solent ut plurimùm claudicare, nè sint omnibus numeris pares; sequitur quod sicut vi Concilii Coyacensis liberum fuit Ecclesiæ, beneficia monachalia extraneis Cœnobitis conferre; ita etiam licitum fuit beneficia clericalia Clericis extraneis impertiri. Et si Ecclesiâ tunc tali fruebatur libertate, oportet ostendere, quænam leges supervenerint, hanc libertatem generalitér amputantes. Et quemadmodùm non amplius locum habet ipsum Concilii decretum pro eâ parte, quâ cavet, ut monachi sint Episcopis diœcesanis subiecti, quia post illud tempus novi Canones, seù nova privilegia communicabilia, & quandam universalitatem habentia, quæ in jus transierunt procusa sunt, eosdem monachos generalitèr ab Ordinariorum potestate eximentes (*b*); ita ad hoc ut canon Coyacensis locum nunc non habeat pro aliâ parte, quâ admissioni extraneorum favet ad ecclesiastica beneficia; oportet leges, & canones generales depromere, qui supervenerint, & eandem admissionem abrogaverint. Canones inquam generales, vel privilegium universale, & communicabile continentes, nam privilegia particularia non faciunt legem communem (*c*); nec privilegiatorum nomen excedunt, ut ad alios extendantur (*d*).

13. Pariter mortuo Nicolao Papa II. convocatum est *Concilium Basileense*, quod ab Hermanno Contracto dicitur *Italiæ Episcoporum generalis conventus* (*e*). Fuitque re vera potius Conciliabulum, quam Concilium. Res tamen in eo actæ faciunt ad causam nostram. Pro quâ etiam subinde congregata sunt Concilia *Osboriense*, in Germaniâ, & *Mantuanum* in Insubriâ. Itaque vacante Romanâ Sede primarii quidam Romani, juncti pluribus Longobardiæ Præsulibus, apud Henricum III. puerum Germanorum Regem, futurumque Cæsarem, & apud Guibertum Corrigium Parmensem ejusdem Principis Cancellarium, sedulo egerunt, *ut aliunde non deberent Papam recipere, quam de Paradiso Italiæ, ita Longbardiam nominabant* (*f*): adeoque in Pontificem inclamarunt Cadaloum Pallavicinum Episcopum Parmensem, qui sibi nomen imposuit Honorii II. (*g*). At vero Cardinales hanc restrictionem electionis Pontificis ad solos Longobardos improbantes, uti læsivam Ecclesiasticæ libertatis, cui semper fas fuit undecumque viros adsciscere, Pontificali beneficio decorandos; postquam Regem de his commonere studuerunt, per Stephanum Cluniacensem Cardinalem, cui tamen alloquium Principis fuit præclusum (*h*), alium Pontificem elegerunt, nempe Anselmum Badagium Mediolanensem, Episcopum tunc Lucensem, qui Alexander II. vocatus est (*i*).

14. Legatur S. Petrus Damiani, qui & in epistolis ad Cadaloum (*l*), & in disceptatione Synodali, hac de rè ex proposito agit (*m*): exitusque probavit, quòd primò in Concilio *Osboriensi* apud Germanos (*n*), & deindè *in Mantuano*, apud Italos, Cadalous condemnatus est, & Alexandri electio probata (*o*). Unum est igitur, quod coarctatio electionis passivæ in Pontificem ad solos Nationales Longobardiæ, quam vocabant paradisum Italiæ, nonnisi generalem obtinuit irrisionem; & alioquin, tam illorum qui Cadaloum, virum ab Ecclesiâ Romanâ extraneum, elegerunt; quam Cardinalium, qui Anselmum Lucensem, & ipsum extraneum, ad Pontificalem apicem provexerunt, concors fuit insinuatio, quod ad Papale beneficium cunctis patet accessus, etiam alienigenis, & à Romanâ Ecclesiâ prorsus extraneis. Hocque Concilium *Osboriense*, hoc Concilium *Mantuanum*, definierunt, cum electionem Alexandri II. Pontificis comprobarunt. Si autem patet extraneis accessus ad Pontificale beneficium, nunquid obstrusæ fores erunt ad beneficia minoris ordinis? Nunquid habebit Romanâ Ecclesiâ aliquid minus ab inferioribus sibi Ecclesiis. Vel ei negabimus, quod Ecclesiis minoribus est concessum? *Mirum*, declamabat hac eadem occasione S. Petrus Damiani, *mirum, si quod minoribus Ecclesiis Canonicus vigor attribuit, illi soli, quæ caput est omnium, non permisit* (*p*).

15. Duo insuper hic sunt notanda ex eodem D. Petro Damiani; alterum quod Ca-

(a) *Barbos. tract. var. Loc. 101.*

(b) *Cap. Volentes 1. de privil. in 6. Conc. Trid. sess. 7. c. 24. Barbos. juri Eccl. univ. l. 2. c. 12. à n. 41. ad nu. 55. & Fagnan. in c. suarum 32. de privil.*

(c) *S. Hieron. in Jonæ 1. c. ideo & Si circ. finem 25. qu. 1.*

(d) *Cap. sane 9. de privil.*

(e) *Herman. Contr. in Chron. an. 1061.*

(f) *Bin. to. 9. Concil. p. 2. in Conc. Basil. ann. 1061. Baron. eod. anno. Vid. Ciac. in Alex. 2.*

(g) *Panvin. in Rom. Pont. post Nicol. II. Ciacon. loc. cit.*

(h) *Baron. an. 1061.*

(i) *Binius Ciacon. Panvin. Plat. in Alex. 2. Baron. loc. cit.*

(l) *Petr. Dam. to. 1. ep. 20 & 21. lib 1.*

(m) *Idem in discept. synodal. in fin. to. 2.*

(n) *Conc. Osbor. ann. 1062. Bin. to. 7. Concil. p. 2. f. 290. Baron. ann. 1062. n. 21.*

(o) *Conc. Mantuan. ann. 1094. Baron. eod. an. num. 1.*

(p) *S. Petr. Damian. discept. synod. post init. in tom. 2.*

Cadalous respicit; alterum, quod Alexandrum attingit; & quoad primum, increpat eum S. Doctor de invaso Pontificatu Romano, cum Parmensis esset Antistes: aitque, *sæculares à limitibus Ecclesiæ coercemus, qui dimissis uxoribus propriis extraneis fœderantur; sed quanto deteriùs adulterium ille committit; qui absque Synodali sententiâ, relictâ suâ, alieni juris Ecclesiam more prædonis invadit* (a)? Vide quod in culpam vocatur Cadalous, non propter extraneitatem ab Ecclesiâ Romanâ, nec propter hanc adeptam; sed propter eam sine sententiâ Synodali occupatam, itaut, si legitimâ electione, ac necessariâ auctoritate accedente, de Parmensi ad Romanam Sedem transisset; nullâ extraneitatis, vel indigenatus habitâ ratione, rata, & grata ejus fuisset evectio: adeò certum est unicuique Clerico extraneo, per vias rectas, & à sacris canonibus approbatas, aditum patere ad quælibet ecclesiastica beneficia, & etiàm ad Summum Pontificatum, qui cunctorum beneficiorum est culmen.

(a) *S. Petr. Damian. l. 1. ep. 10. ad Cadaloll.*

16. Quoad secundùm quoque idem sanctus Doctor, justificans electionem Alexandri Papæ II. pronuntiat: *Porrò quià in constituendo Pontifice Romana Ecclesia à charitate Regiâ non recessit, hoc etiam Indicio est, quià cum in Clero suo religiosis viris, & sapientibus abundaret, non de propriis, sed eum, qui Regi, tamquam domesticus, & familiaris erat, elegit* (b). Vide & hic definitum, quod non solùm licitum est extraneos ad beneficia sacra provehere; sed etiam quandoque politicè expediens est, & ad commune bonum utile, ut extranei postpositis indigenis eligantur; quemadmodum in provectione Alexandri Papæ II. factitatum esse dignoscitur. Ex totâ igitur serie successus Concilii, sivè Conciliabuli Basileensis, nec non & Synodorum Osboriensis, & Mantuanæ, cum annexis, & connexis, habemus, quod Ecclesia frui debet, sicut & tunc fruebatur, integrâ libertate promovendi ad Ecclesiastica beneficia non solùm Clericos indigenas, verùm etiam extraneos, & quidem nedùm ad sola inferioris ordinis beneficia, sed etiam ad ea, quæ altioris sunt momenti, atque ad ipsum summum beneficium Pontificale.

(b) *S. Petr. Dam. in discept. synod. circ. fin.*

17. In Angliâ hoc sæculo celebrata est *Synodus Vvintoniensis*, quam Rogerius in suis annalibus *Concilium Magnum* appellat (c). Ad cujus notitiam sciendum est, quod moriens Eduardus III. Rex Angliæ sine filiis, Regnum Guillelmo Rufo, Duci Normanniæ, qui Conquisitor cognomine dictus est, dereliquit (d). Plures verò Regni Proceres, & inter eos *Stigandus Cantuariensis Archipresul, qui sicut excellebat opibus, atque dignitate, ità consultis plurimum apud Anglos poterat* (e), deliberarunt, quolibet extraneo rejecto, aliquem solum indigenam in Regem accipere (f), *contra externos hostes pro patriâ & gente fortitèr pugnaturi* (g). Ideò primò Haraldum, Goduini Comitis filium, Regem constituerunt, & successivè Edgarum, Regis Edmundi II. Nepotem, puerum adhùc, & tanto muneri ineptum (h). Haraldus ergo in Regem *ordinatus est non sanctâ consecratione Stigandi, jussio zelo Apostolici, & anathemate ministerio Sacerdotum privati* (i), qui etiam vivente Eduardo juraverat, Guillelmum præfatum in Regem, eo defuncto suscipere, prout & alii polliciti erant (l).

(c) *Roger. in Annal. Bin. to. 7. p. 2. in Concil. Vvinton an. 1070.*
(d) *Forest. in Odoar. 2. Reg. 19. Angliæ.*
(e) *Gest. Guillel. Duc. Norm. ap. Duchesn. in hist. Norman. ann. 1065. ∫interen f. 205.*
(f) *Orderic. Vital. hist. l. 3. ann. 1066. ant. fin.*
(g) *Forest. in Harald. Reg. 20. & in Guillelm. Reg. 21. Angl.*
(h) *Gest. Guillelm. loc. cit. f. 196. D.*
(i) *Ibid. f. 200. C.*
(l) *Forest. Mappam. Histor. in Harald. Reg. 20 Angl.*

18. Guillelmus autem, fretus jure, tàm sibi delatæ hæreditatis, quam sibi confirmatæ per Alexandrum Papam II. Regni dominum directum (m), postquàm *vexillum accepit ejus benignitate, velut suffragium S. Petri, quo primò confidentius, ac tutius invaderet adversarium* (n), prælium cum Haraldo commisit, eumque occisum humi prostravit (o), ac statim arma movens adversus Edgarum Haraldo subrogatum (p): Londinensi Urbi propius accessit, cujus fortunâ consternatis adversariis, ad eum *Stigandus Archiepiscopus, aliique nobiles Angli advenerunt, Edgarum abrogantes, pacem cum Guillelmo fecerunt; ipsumque sibi Dominum susceperunt, & ipsi ab eo benigniter suscepti, pristinas dignitates, & honores receperunt* (q). Alexander interim II. Pontifex in Angliam suos Legatos misit, Hermenfredum Episcopum Seduenensem, & Joannem, ac Petrum Presbyteros Cardinales, qui Regi Coronam solemnitèr imposuerunt, & præfatam Synodum intimarunt (r). In quâ plures Epi-

(m) *Gest. Guillelm. loc. cit. fol. 197. C. & fol. 201. C.*
(n) *Gest. Guillelm. ap. Duchesn. loc. cit. à fol. 199 Order. Vital. hist. Eccl. l. 3. an. 1066 f. 502*
(o) *Gest. Guillelm. loc. cit. f. 205. Order. Vital. l. cit. f. 502.*
(p) *Order. Vital. hist. l. 3. f. 503. A.*
(q) *Idem f. 516. A. Baron. ann. 1070. n. 21.*
(r) *Idem Orderic. fol. 516. B.*

Episcopi, & Abbates degradati sunt, ob non licitè acquisitas eorum dignitates, & præsertim Stigandus Cantuariensis Episcopus, qui *periuriis, & homicidiis inquinatus erat, nec per ostium in Archipræsulatum introjerat* (a).

19. Tres causas depositionis Stigandi insinuat Rogerius, nempè, quod Episcopatum Vvintoniensem unà cum Archiepiscopatu Cantuariensi teneret: quod Archiepiscopatum ipsum, vivente adhùc Roberto Archiepiscopo, invasisset, cujus & ex Angliâ expulsi, pallio usus esset: Demùm quod pallium Archiepiscopale, à Benedicto illegitimo Pontifice malis artibus accepisset (b). Eâ occasione depositis Episcopis & Abbatibus Angliæ, *alii subrogati sunt, traducti ex Galliâ, literati, decorati moribus, ac studiosi divinorum amatores* (c). Et ità Thomæ Canonico Bajocensi in Normandiâ Eboracensis Archiepiscopatus collatus est, & Rex *nonnullis etiam Northmannicis Abbatias dedit* (d). Non est silenda sedulitas, quâ Rex Guillelmus incumbebat, ut Episcopalia, & Abbatialia beneficia, ad viros optimos pervenirent. Narrat enim hæc de illo Vitalis: *dùm Pastor quilibet completo vitæ suæ termino, de mundo migraret, & Ecclesia Dei proprio rectore viduata lugeret, sollicitus Princeps prudentes Legatos ad orbatam domum mittebat, omnesque res Ecclesiæ, ne à profanis dissiparentur, describi faciebat. Deindè Præsules, & Abbates, aliosque sapientes consiliarios convocabat, & eorum consilio quis melior, & utilior, tàm in divinis rebus, quàm in sæcularibus ad regendam Dei domum videretur, summoperè indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito, & sapientiæ doctrinâ provisio sapientem eligebat, benevolus Rex dispensatorem, & Rectorem Episcopatus, vel Abbatiæ constituebat* (e).

20. Tali sollicitudine, toto regiminis sui tempore Regno profuit, & Ecclesiæ: jamque moriturus, confidentèr est professus, *In electione personarum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam investigavi, & quantum in mè fuit, omnium dignissimo Ecclesiæ regimen commendavi. Hoc nimirum probari potest veracitèr in Lanfranco Cantuariensium Archipræsule, hoc in Anselmo Beccensium Abbate: hoc in Gerberto Fontanellensi, & Durando Troarnensi &c.* (f). Notetur quod Rex iste non indigenatum, sed vitæ meritum, & doctrinam in promovendis requirebat, & ut se rectè in his gessisse patefaceret, exempla allegavit non indigenarum, sed extraneorum, quos Episcopalibus, & Abbatialibus beneficiis præfeci solers fuerat. Stigandum fuisse, quidem Anglum censemus, sed cum ipse prius præfuerit Ecclesiæ Vvintoniensi, & Angelmarus ejus Germanus frater Episcopatum tenuerit Estanglorum (g); fieri non poterat quin alter istorum fratrum, tenentium Episcopatus in duabus provinciis adeò dissitis, esset nedùm extradiœcesanus, sed etiam extraprovincialis à loco, in quo Episcopali potiebatur beneficio. Itaque extraneus erat Guillelmus Dux Normannorum, & ne tamquàm extraneus regnare posset in Angliâ, plurimi Angli obsistebant; sed injustos fuisse illorum conatus vidimus: & arguendo ab officio, ad beneficium; sicuti extraneitas nihil obfuit Guillelmo, pro Regali contrà adipiscenda, sic & nec obsistere debuit Clericis pro assequendis ecclesiasticis beneficiis.

21. Erat extradiœcesanus Stigandus ab Ecclesiâ Dorovernensi, atque uti talis, illud beneficium Archiepiscopale sumendo, jura divinum, naturale, & humanum, in sententiâ Contradictorum læsisset; nihilominus cum cunctę causæ perquirerentur ad ejus depositionem in hoc Concilio faciendam, nihil est de extraneitate tractatum, quæ tamèn, uti tàm gravis, totque jurium violatrix, præteriri non debuisset. Cur autem non est allegata extraneitas? quià pro vitio non est habita, Clericos à beneficiis ecclesiasticis repellente. Porrò Stigandus in Cantuariensi Episcopatu successit Roberto, nedum extraneo, sed etiam extranationali: qui è monasterio Gemmeticensi, provinciæ ecclesiasticæ Rotomagensis in Normandiâ, ad Episcopatum Londoniensem provectus est, & indè ad Dorovernensem Archipræsulatum translatus. Successorem quoque habuit S. Lanfrancum, quem nedum extradiœcesanum, sed etiam extraprovincialem, & extranationalem Cantuariensis Ecclesia recepit, utpote natione Italum, patriâ Papiensem, monachum primo, & Priorem cœnobii Beccensis, deindè Abbatem monasterii Cadomensis in Normandiâ (h).

(a) *Roger. in Annal. Bin. in Conc. Vvinton. an. 1070. to. 7. Conc. p. 2 Baron. ann. 1058. n. 16. & 1070. n. 11.*

(b) *Orderic. Vital. loc. cit.*

(c) *Bin. loc. cit. in fin.*

(d) *Idem loc. cit. §. in quo.*

(e) *Order. Vital. hist. Eccl. l. 4. ad ann. 1070. fol. 516. C.*

(f) *Card. Baron. an. 1087. n. 29. Thomassin: vet. & nov. Eccl. disci. p. 2. l. 2. c. 39. n. 5.*

(g) *Orderic. Vital. histor. Eccl. l. 4. an. 1064. f. 519. A. Vid. Jo: Picard. annot. ad epist. 41 l. 2. S. Anselm. Cantuar. Possevin. Appar. sacr. in S. Lanfranc.*

(h) *Order. Vital. hist. Eccl. l. 4. an. 1067. f. 507*

22. Hoc

22. Hoc modo Stigandus in Concilio Vvintonienſi depoſitus eſt, eique datus ſucceſſor S. Lanfrancus: qui poſt obtentum Priorale, & Abbatiale beneficium in locis, à quibus erat extraneus Archiepiſcopale, quoque potuit adipiſci, *nàm poſt mortem Antiſtitis ſui, Rotomagenſis Eccleſia Lanfrancum Cadomenſem Abbatem ſibi Præſulem elegit &c. ſed vir Deo devotus, & humilitati ſtudens, tanti Primatus Sarcinam refutavit, & ſibi ad hunc apicem toto conatu Joannem Abrincatenſium Præſulem præferre ſategit &c. Erat Joannes filius Radulphi Comitis Bajocenſium &c. In loco ejus Michael natione Italicus &c. ad culmum Abrincatenſis Epiſcopatus electione legitimâ eſt promotus*. Quia tamèn Lanfrancus à Deo erat ad infulas deſtinatus, tandem Archiepiſcopatum Cantuarienſem, vel invitus adeptus eſt, ſcribens Alexandro Papę II. *cum de Beccenſi Congregatione, in qua habitum religionis aſſumpſi, à Principe Normannorum Vvillelmo abſtractus, Cadomenſi præeſſem cœnobio, impar quę exiſterem parvorum regimini monachorum, incertum habeo quo judicio omnipotentis Dei factus ſim te cogente ſpeculator multorum, numeroque carentium populorum* (a). Ità Epiſcopale beneficium in Anglia D. Lanfrancus Synodali conſenſu, omniumque communi applauſu conſecutus eſt, *honeſtiſſimâ electione, ac fideli conſecratione &c. Cujus ordinationi multi Præſules, & Abbates interfuere, cum maxima cleri, populique multitudine, præſenteſque, & abſentes totius Albionis incolę tripudiarunt &c. In Cadomenſi Eccleſiâ Guillelmus Radbodi Saglenſis Epiſcopi filius, Lanfranco ſucceſſit, quem poſt novem annos, indè Rex Guillelmus ad regendam Rotomagenſem Metropolim provexit &c. Defunctò Ebrolcenſi Epiſcopo &c. Giſlebertus Oſberni filius, Canonicus, & Archidiaconus Lexovienſis*, electus eſt (b). Ponderet autem peritus lector quæ, & quot extraneorum provectiones factæ ſint, occaſione Synodi Vvintonienſis, illiuſque decreto: quantoque conſenſu eiſdem auctoritatem, & reſpectivè plauſum impertiti ſint Patres Concilii, Rex, Epiſcopi, Abbates, Clerici, Monachi, Laici, Magnates, majoris tandem, ac minoris ordinis viri, dijudicetque, an quid validius favere poſſit provectioni extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia.

(a) S. Lanfranc. epl. ad Alex. 2. in ejus oper. & ap. Franc. Pommeraye in Conc. Rotomag. fol. 84.

(b) Orderic. Vital. loc. cit. ann. 1069. fol. 520. B. C.

23. Succeſſivè coaluit Concilium *Romanum* anno 1076. in quo Gregorius Papa VII. anathema adverſus Henricum III. Cæſarem pronunciavit: ac Sigefridum Moguntinum, Vvillelmum Trajectenſem, atque Robertum Bambergenſem, alioſque Epiſcopos pariter excommunicatione mulctavit (c). Quâ de rè Lambertus Schafnaburgenſis (d), Cardinlis Baronius ex eo, & alii (e). In hac autem ipſâ Synodo Pontifex breves quaſdam ſententias protulit, ſive decreta, quæ *Dictatus Papæ* titulo inſcripta ſunt (f), unumque ex eis ità ſe habet: *Quod Papę liceat de ſede ad ſedem, neceſſitate cogente, Epiſcopos tranſmutare* (g). Memorat hic ſolam neceſſitatem, ſed non excludit, ſeu in ea involuit etiam utilitatem, quam pluries vidimus in ſacris canonibus, cum titulo neceſſitatis conjungi, quoties de Antiſtitum mutationibus ſermonem habent. Definit ergo Concilium Romanum, & in eo S. Gregorius VII., quod concurrente utilitate, aut neceſſitate Eccleſiæ, licitum eſt beneficiarios de loco ad locum transferre, & de unâ in aliam Cathedram tranſmutare; hæc autem tranſmutatio fieri non poteſt, ſine admiſſione extraneorum ad eccleſiaſtica beneficia, quia tranſmutatus neceſſario, vel à primâ, vel à ſecunda Eccleſiâ eſſe debet extraneus.

(c) Conc. Roman. an. 1076 Bin. t. 7. par. 2. fol. 483.

(d) Lamber. Schaf. de reb. German. an. 1076.

(e) Baron. ann. 1076. à n. 16. Bin. loc. cit. in notis.

(f) Baron. an. 1076. n. 33. Bin. to. 7. Concil. p. 2: in Conc: Rom. ann: 1066, in notis in fin:

(g) S. Greg. 7. poſt ep. 55. lib. 2. ap. Bin: to. 7. Conc: p. 2, f. 362.

24. Addit Concilium idem alia duo capitula hujuſce tenoris: *quod Papa de omni Eccleſiâ quemcumque voluerit Clericum valeat ordinare. Quod ab illo ordinatus alii Eccleſię preſſe poteſt, ſed non militare, & quod ab aliquo Epiſcopo non debet ſuperiorem gradum accipere* (h). Suprà occaſione agendi de Concilio III. Carthaginenſi latè patefecimus, quod Epiſcopis primarum ſedium licuit Clericos undecumque accerſere, ordinare, & in aliis, vel in propriâ Eccleſiis collocare (i). Non quidem hoc competit ſimplicibus Archiepiſcopis, vel Metropolitanis (l); ſed ſolis aliquibus Patriarchis, & Primatibus primæ notæ. Et quidem de Patriarchâ *Conſtantinopolitano*, id certum eſt ex Balſamone (m), & aliis hoc expreſsè aſſerentibus (n). *Alexandrinum quoque Patriarcham idem jus, ſaltem in ordinationibus Epiſcoporum uſur-*

(h) Bin. to. 7. p. 2. poſt lib. 2. epl. 55. S. Greg. 7. Baron. an. 1076. n. 33.

(i) Vid. ſupr. ſæcul. 4 c. 6. à n. 22.

(l) Franc. Hallier. de ſacr. Ordin. de Miniſtro Ordin. c. 3. art. 9 §. 6. f. 653.

(m) Balſamon. in cap. 20. ſept. ſynod. in c. 26. tit. 1. Nomocan. et alibi

(n) Hallier. loc. citat. §. 3.

usurpasse, ut Clericos unius diœcesis in aliam civitatem, Episcopali dignitate functuros transferret, exempla innumera produnt &c. Eàdem quoque ni fallor prerogativa cęteri Patriarchę fruebantur, saltem in Ecclesias sibi quoad ordinationem Antistitum subiectas. Quod enim Carthaginensi Africę Primati, ob curam Ecclesiarum, quàm habet debitum asseritur in Synodo Carthaginensi (a); *Probabile non est Patriarchis eminentiorem potestatem, & Ecclesiarum sibi subditarum ordinandarum sollicitudinem habentibus esse denegandum* (b). Nèc ex Primatibus, id soli Archiepiscopo Carthaginensi, sed Archiepiscopis etiam *Justinianę primę* in Bulgariâ, & *Justinianę Cypri* (c), ac fortè aliis competebat.

25. Hæc verò potestas, clericos de loco ad locum transuehendi, eosque vel in propriâ Ecclesiâ, vel in alienâ collocandi, & ordinandi, quâ potitos esse dicimus Patriarchas, & Primates quosdam insignes, proculdubiò negari non debet Summo Pontifici, cui præter enunciata capitula Concilii Romani, quæ *Dictatus Papæ* dicuntur, alii quoque canones favent, expresse sancientes, posse Romanum Pontificem *de qualibet Ecclesia clericum ordinare* (d). Facit ad hoc epistola D. Bernardi ad Mediolanenses scribentis: *plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est &c.* quæ *potest à finibus terræ sublimes quascumque personas ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semèl, & bis, sed quotiès expedire videbit* (e). Qui sanctus doctor etiàm affirmat, de toto orbe sumendos esse Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, totum orbem cum Pontifice judicaturos (f), proùt & Sixtus PP. V. se explicavit in suâ Constitutione, de iisdem Cardinalibus eloquente (g); quos paritèr ex omnibus orbis nationibus esse assumendos sentiunt unâ voce Doctores, Canonistæ, Theologi, Historici &c. (h).

26. Morem hunc Romanæ Ecclesiæ, clericos undecumque trahendi, & de unâ ad aliam Ecclesiam transferendi, tanta comitatur antiquitas, ut usque à D. Gregorii Magni reperiatur tempore viguisse, & in viridi observantiâ fuisse, proùt suprà, dum de eo ageremus Sexto Sęculo patefecimus. Ab illâque ętate ad nostram tot, & tanta sunt exempla clericorum hinc indè ad Romanam Ecclesiam traductorum, vel de unâ ad aliam Ecclesiam transvectorum, ut eorum scire numerum sit difficilè; catalogum consciscere sit impossibilè. Certè quotidiana praxis docet, hoc ab eâ fieri: nèc dubium est licitè, ac rectè ab illâ fieri quod millies fecit, & quod indesinentèr exequitur. In trahendo autèm ad se clericos alienos, tantundem ac Romana sedes facit, alię quoque minores Ecclesiæ valent prò suo libito implere (i): cum hoc tamèn discrimine, quod Episcopus clericum alienę Ecclesię, beneficio residentiali carentem, beneficio munerandum ad se trahere potest; ordinandum verò, seù ad ordines promovendum, trahere non potest, sinè sui Episcopi assensu (l). Romanus autèm Pontifex tàm ordinandum, quàm beneficio augendum alienum clericum, etiàm beneficio residentiali devinctum, & etiàm invito proprio Antistite, ad se trahere potest (m).

27. Ratio, quarè hac prerogativa sit prędìtus Papa, credimus quod sit triplex: *primo* propter eam potestatem, quàm habuisse diximus, & respectivè habere majores Ecclesias, clericos de una ad aliam Diœcesim transuehendi, vel in sua collocandi: proùt opportunitati Ecclesiarum cognoverint expedire. Si enìm Patriarchę, & Primates superius memorati hoc facere possunt; intrat eloquium D. Petri Damiani dicentis, *mirum, si quod minoribus Ecclesiis canonicus vigor attribuit, illi soli, quæ caput est omnium non permisit* (n). *Secundò* propter dignitatem Episcopi universalis, in Pontifice residentem, de quâ suo loco ex proposito agemus: Ejusque vi cum spectet ad Summum Pontificem curam generalem impendere prò felici statu totiùs Ecclesię; potest propter hoc, & clericum de unâ ad aliam Ecclesiam transuehere, & illum in suâ propriâ collocare, quæ non tàm sibi, quàm toti Ecclesię universali effectum sollicitudinis pastoralis impertit. *Tertiò* proptèr jus illud, cunctis quodammodò orbis incolis connaturale, habendi Romam prò Patria

tria

(a) *Conc, Carthag. 3. c. 45.*

(b) *Hallier. loc. cit. §. 5.*

(c) *Hallier. loc. cit. §. 4.*

(d) *Cap. per principalem 123. 1. qu. 1. & 9. q. 3. cap. nec vero 20. 9. q. 3.*

(e) *S. Bernard. epl. 131.*

(f) *S. Bern. de consider. l. 4. c. 5.*

(g) *Sixt. V. const. 50*

(h) *Isid. Moscon. de Majest. Eccles. milit. l. 2. p. 1, c. 5. Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 3. n. 3 Dian. p. 5. tr. 2. res. 18. Roussel. hist. Pontif. l. 2. c. 7. n. 20.*

(i) *Glos. in cap. per principalem V. potestatem 1. qu. 3.*

(l) *Concil. Nicæn. 2. c. 10. & ibi Bail. to. 1 fol. 375.*

(m) *Cap. filium 122. 1. q. 1.*

(n) *S. Petr. Dam in discept. synodal. post init.*

canonem proferens, quo cavetur, ut nullus Episcopus alterius parochianum praesumat retinere, aut ordinare, absque Episcopi voluntate, vel judicare; haec verba subjungit, salvâ tamen in omnibus Apostolicâ auctoritate (a), quibus verbis Apostolica auctoritas ad omnium ex alienâ diœcesi Clericorum ordinationem docetur extendi. Quàm potestatem apud Romanos Pontifices esse testatur, sed ea nolle ipsos passim uti, innuit Stephanus Papa epistolâ ad Gualbertum Patriarcham, iis verbis: nunc verò iterato tibi scribimus, nolentes alicujus Ecclesiae privilegium infringere, licèt Apostolicâ prerogativâ possimus de qualibet Ecclesiâ clericum ordinare (b), cui affine est, quod ait Nicolaus Papa in epistolâ ad Michaelem Imperatorem (c). Per principalem Apostolorum Petri, & Pauli, de quâ suprà partim exposuimus, potestatem, jus habemus non solum monachos, verùm etiàm quoslibet clericos de quacumque Diœcesi, cum necesse fuerit, convocare, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus invitare (d).

31. *Hac auctoritate fretus Gelasius, seù Pelagius, Rufinum quendam Monachum, ad Ecclesiam parochialem Sancti Laurentii Savinatis diœcesis electum, quem ab ipso Theodorus vir magnus ordinari petierat, cum minimè ei vacaret, ad Bonum Episcopum Savinatem Diaconum ordinandum remisit; sibi in animo esse dictitans eundem posteà Presbyterum consecrare (e). Eâdem potestate S. Gregorius Epiphanium ab Heliâ Presbytero, & Abbate Isauriae missum Diaconum consecravit, Romanaeque Ecclesiae ministraturum contrà mittentis intentionem retinuit (f). Felici Sipontino Episcopo mandavit, ut in Ecclesiâ Canosâ duos parochiales Presbyteros ordinaret (g). Leoni Episcopo Corsicae, ut in Sagonensi Presbyteros, & Diaconos (h), item Felicem Diaconum ex Istriâ Romam venientem ad Maximianum Episcopum Syracusanum Ecclesiae ipsius incardinandum misit (i), Gratianum Venafranae Ecclesiae Diaconum ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum similitèr ejus Ecclesiae cardinandum destinavit (l), ob eandem S. Martinus I. ejus nominis Romanę Ecclesię Pontifex (m), epistolâ ad Ecclesiam Jerosolymitanam, rescripsit, se Joanni Philadelphiensium Episcopo, per potestatem sibi à Domino in gratiâ datam, licentiam dedisse, ut locum ipsius in omnibus Ecclesiasticis articulis in partibus Orientis suppleat, & creet in omnibus Civitatibus, quę Antiochenę sedi, quaeque Hierosolymitanę sacerdotalitèr subsint, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos: ne, sicut dicit Propheta (n), deficiant à comestione oves, eo quod non sint boves in presepibus, idest fideles, & orthodoxi populi, quod Catholicę Ecclesię Episcopos non habeant &c.*

32. *Ob eandem quoque Romanę Ecclesię prerogativam legimus Goffridum Vindocinensem (o), Romae Presbyterum ab Urbano II. fuisse consecratum, cum anteà Monasterii Vindocinensis (quod sepè alodium D. Petri vocavit, & Apostolicae Sedi immediatè subjectum) Abbas in ordine tantum Diaconali electus, & inauguratus ab Ivone Carnotensi fuisset (p). Legimus in vitâ S. Laurentii Justiniani Faustinum Dandalum virum doctrinâ, & probitate clarissimum, à Senatu Veneto Romam missum, ab Eugenio Papâ sacris initiatum (q), & nè singulos enumerare cogamur, legimus in singulorum Romanorum Pontificum vitis, à Damaso conscriptis, & Anastasio (r), ab ipso Lino ordinationes eorum adnotatas, varios per diversa loca Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ab iis fuisse ordinatos, nec mihi dubium est, quin Ecclesiis Occidentis, nedùm collectis, & in fide Christi, atque ecclesiasticâ disciplinâ confirmatis, non Episcopos solùm, verùm etiam Presbyteros, ac Diaconos ab Ecclesiâ Romanâ mitterentur, qui ut plurimum Romae consecrati essent, quomodo cum Dionysio Parisiensi Episcopo Rusticum Presbyterum, & Eleutherium Diaconum; cum Saviniano Senonensium Antistite destinato, Serotinum, & Eoadaldum, quorum neuter Episcopus creatus fuerat, cum Luciano ad Bellovacos misso alios earum Ecclesiarum traditio nos docet (s).*

33. Sortiebantur autem Clerici à Papâ ordinati, ac semèl Romano Clero inserti, hanc prerogativam, quod albo aliarum ecclesiarum conscribi non poterant, inibique ordines, aut officia, vel beneficia sacra nancisi, nisi eos Pontifex de spe-

(a) *Jul. I. ep. 2. c. 6.*

(b) Stephanus Gualberto ap. Grat. 9. qu. 3. c. nunc vero.

(c) Cap. per principalem 2. qu. 9.

(d) Franc. Hallier. de sacr. elect. & ordin. de Ministr. ordin. c. 3. art. 9. f. 647.

(e) Gelasius, seù Pelagius 16. q. 1. c. in parochiâ.

(f) S. Greg. I. l. 4. ep. 30 Helię.

(g) Idem lib. 2. indic. 9. epist. 51.

(h) Idem lib. 2. ep 76 indic. 9.

(i) Idem lib. 3. ep. 14. Maximiano.

(l) Idem lib. 5. ep. 11. indic. 14.

(m) Martinus I epist. 11. to. 2. Conc. p. 2.

(n) Habacuc. 3. juxtà Septuag.

(o) Goffrid. passim, & ejus Vita operibus ejus praefixa.

(p) Idem Goffridus passim.

(q) Vita S. Laurentij Justinian. c. 6. ap. Sur. 8. Januar.

(r) Vide Pontif. Damasi, & Anast. Bibliothec. Vitas.

(s) Franc. Hallier. de sacr. elect. lo. cit.

ciali gratiâ concederet. Hinc Rotomagensi Clero, qui sibi elegerat in Præsulem Hugonem Abbatem Radingensem in Angliâ, satis non fuit, quod Episcopus Sarisberiensis hujus Ordinarius illum concederet, sed opus fuit speciali concessione Apostolicâ, quam Clerus ipse ab Honorio PP. II. hisce verbis supplicibus imploravit: *donari eum nobis à sublimitate vestrâ requirimus, quem tanto cariorem habebimus, quanto à vestræ celsitudinis sede nobis donatum lætabimur* (a). Consimilia sunt his ea, quæ de tali rè proloquitur idem Hallier subjungens, *circà ordinatos autem à Romano Pontifice hæc observanda sunt: Primum speciatim probiberi, ne ordinati ab ipso, ab alio posteà Episcopo ad altiores ordines promoveri possint: id expressè docet Gregorius Magnus epistolâ, quam suprà laudavimus ad Heliam Abbatem Isauriæ his verbis. Filium verò nostrum Epiphanium mandastis, ut ad sacrum ordinem provehere deberemus, vobisque transmittere, sed in uno vos audivimus, in alio autem minus audire potuimus. Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hâc Ecclesiâ Ordinem sacrum acceperit, egrediendi ex eâ ulterius licentiam non habet* (b). *Cujus rei argumentum duci potest ex isto responso Joannis Tertii Mutinensi Episcopo: meminimus à nobis suppliciter fuisse postulatum, & clementèr indultum, ut quia præfatus Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus erat, mandaremus ipsum per Bononiensem Episcopum promoveri* (c). *Ex eo enim colliges ordinatum à Papâ Subdiaconum indiguisse permissione, & indulgentiâ Papæ, ut ab alio posteà Episcopo ad superiores ordines promoveretur: Constitutio autem ista singularis non esset, si obligationem tantùm recipiendi cęteros ordines ab eo, à quo primum in Clerum proprium quis electus est, & priores ordines suscepit, argueret: nam ut diximus, olim hæc communis Ecclesiæ lex erat, ut alienum Clericum nemo susciperc, & ordinare posset.*

(a) *Vide Franc. Pommeraye in Conc. Rotomag. f. 130.*

(b) *Gregor. lib. 4 indict. 13. ep. 30. Heliæ.*

(c) *Cap. cum in distribuendis de temporibus ordinat.*

34. *Verùm ob reverentiam impositionis manuum Summi Pontificis, singulare hoc constitutum fuit, ut Clericum, quantumvis à proprio Episcopo missum, eo fine, ut ad ejus Ecclesiam redeat, à Papâ consecratum, nullus posteà Episcoporum ordinare, & benedictionem super eapùt ipsius, cujus Papa impertitus fuerit, effundere audeat, sinè ejusdem licentiâ: quomodò ob reverentiam Episcopalis dignitatis, super Altare, super quod Episcopus Missam celebraverit, presbyter eodem die sacrificare, nisi de ejus licentiâ, probibetur* (d): *cum è contrà Clericum ab Episcopo suo missum eo fine, ut redeat Ecclesiam, cui eum adscripsit, nec tanquam suum retinere alius debeat, nec ullus deinceps eum ordinare, quam cui proprius ipse concessit. Verùm notat Henriquez* (e), *eum, qui à Summo Pontifice fuerit ordinatus, si ab alio posteà, de ejus licentiâ, aliquem ordinem acceperit, ad superiores quibus caret, posteà absque ullâ petitâ licentiâ; promoveri posse. Idem etiam aliud onus adjungit Diacono à Summo Pontifice ordinato impositum, ut nempè absque ejus licentiâ à Curiâ recedere ei non liceat: Cum enim tamquàm Alumnus Romanæ Ecclesiæ censeatur, nihil mirum est, si absque Summi Pontificis permissione à Romanâ Curiâ abire non possit. Nec onus istud speciale dici potest, quo compensetur ejus honos, ut dicit Henriquez, cùm obligationem Clericis omnibus ecclesiasticâ lege indictam sciamus, ut sine sui Episcopi consensu in aliam diœcesim proficisci nequeat: nisi fortè in eo singularis ista est obligatio, quod etiam si quis in Clerum Romanum minimè adscitus esset, eo tamen ipso, quo Summo Pontifice esset ordinatus, è Romanâ Curiâ sine ejus licentiâ abire non posset, quod in cæteris ab aliis ordinatis locum non habet.*

(d) *De consecrat. d. 11. 2. c. ult.*

(e) *Henriquez l. 10. c. 23. num. 5.*

35. *Observandum siquidem est quosdam à Summo Pontifice ordinatos fuisse honoris tantùm causâ, non tamen ad aliquam Ecclesiam Urbis Romæ, quod instantibus illustribus viris, aut exigentibus ordinandi meritis, aliquando contingebat, ut exemplo ordinationis Rustici à Pelagio, seù Gelasio ad preces Theodori suprà perspicuum est* (f), *alios autem, & quidem frequentiùs, à Summis Pontificibus ordinatos, & ad aliquam Romę titulum institutos fuisse, retinentibus nempè antiquissimam Ecclesiæ morem Sanctissimis illis Pontificibus juxtà quem ordinatio ab institutione minimè sejungi solebat, nec ullus ordinari consueverat, nisi qui simùl titulum Ecclesiastici*

(f) *Can in Parochiâ citato 16 q. 1.*

stici ministerii acciperet: summâ quoque moderatione ipsis utentibus, ut nec aliarum diœceseon titulos, aut Ecclesias invadere, vel de iis (quod tamèn prò amplitudine potestatis poterant) providere, nisi causâ cognitâ vellent. Quod ex verbis S.Gregorii de Epiphanio à se ordinato perspicuè omninò constat (a). Eos porrò, qui alicui Ecclesiæ urbis Romę adscriberentur, certum est ab urbe Româ, nec discedere, nec à suâ Ecclesiâ ad aliam transire potuisse, vetantibus canonibus, ne quis Ecclesiam suam desereret, aut ab unâ ad aliam, sine legitimâ Episcopi sui auctoritate migraret, illos verò, qui honoris tantum causâ à Summo Pontifice ordinati essent, quamvis Ecclesię Romanę Clerici in quibusdam censerentur, & ob dignitatem ordinantis quibusdam prærogativis gauderent, attamèn obtentâ à Summo Pontifice discedendi licentiâ, quoad cætera, Episcopis suis subditos fuisse manifestum est ex literis Innocentii III. ad Episcopum Florentinum (b).

(a) *S.Greg. supr. l.4. epist. 30.*

36. His ita se habentibus patet *primo*, quod si Summus Pontifex licitè potest Clericos omnium Ecclesiarum, vel ad se trahere, vel per alienas diœceses distribuere; debet etiam posse de bonis cunctarum diœceseon congruentèr disponere. Cur etenim hinc Clericos particularium Ecclesiarum ad se trahere, vel alibi locare valeat, & illinc potestate careat aliqua bona, seu beneficia particularium Ecclesiarum dispensandi? Nunquid majus est præbendas conferre, quam Clericos abstrahere, propter quæ præbendæ sunt institutæ? Romæ profanæ largitatem, quæ in omnes diffundebatur, Antiquitas, pro captu sui temporis, figuravit imagine Deæ Ruminæ, per totum corpus mammis tumentibus circumfusæ, quibus lac cunctis ad sè accedentibus exhibebat, hujusque Idoli meminit D. Augustinus (c). At simulacro per Christianam Religionem dejecto, Romana Ecclesia in sè suscepit officium, lac cunctis ad sè confluentibus porrigendi. Verum hæc undenam omnibus lac præbebit, si undecumque alimenta non suscipit? Vel ergo à Romanâ Ecclesiâ universi sunt extranei repellendi, nè officia, nè beneficia capere, nè Prælaturas assumere, nè Purpuras induere, nè Tiaris sè valeant adornare; vel cum admissione extraneorum, debet posse Pontifex etiam de beneficiis Ecclesiarum, in quibus extranei nati sunt, aliqua ex parte disponere. Impediant igitur Contradictores nè Ligures, Insubres, Veneti, Etrusci, Neapolitani, Siculi, Allobroges, Hispani, Galli, Germani, Poloni, Hungari, Lusitani, Angli, omnium tandem nationum Clerici Romam confluant, Romanaque officia, & munera accipiant; & tunc Pontifex sè in beneficiis omnium nationum, & diœceseon non immiscebit.

(b) *Franc. Hellier. de sacr. elect. & ordin. de ministr. ordin. cap. 3. art. 9. f. 647.*

(c) *S. August. de Civit. l. 4.*

37. Patet *secundo*, quod tàm Papa, quam inferiores Christiani, possunt Clericos extraneos ad sè trahere; diversimodè tamen: Papa absolutè, sive consentiant, sive dissentiant ordinarii, sive clerici sint simplices, sive sint beneficio residentiali devincti: sive sint jam ordinibus insigniti, sive sint ad ordines promovendi. Episcopi vero, conditionatè, nempè si clerici extranei careant beneficio residentiali, & si accedat suorum Ordinariorum consensus. Ergo saltem sub ntroque hoc conceptu, respectivè considerato, possunt clerici extranei alibi beneficia sortiri. Nec admissio extraneorum ad Ecclesiastica beneficia est juri Divino, & naturali contraria, ut exadverso supponitur, quippè si ita esset, nec Papa, nec Episcopi alienos Clericos ad sè trahere, nec Ordinarii locorum consensum respectivè præbere possent tali tractioni, & beneficiorum largitioni; quatenùs nec Papa, nec Episcopi quidquam possunt contra jus Divinum, & naturale operari. Quidquid autem dicitur de Papâ, & Episcopis, ex proportione, & similitudine rationis locum habet etiam pro aliis, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, ut & ipsi, non secùs ac Papa, & Episcopi, sub præfato conceptu, beneficia valeant extraneis elargiri. A' quo etenim principio provenit facultas residens in Episcopis, ab eodem proficiscitur etiam illa, cujus compotes sunt alii, tàm ordinarii, quàm delegati beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores, respectivè semper loquendo.

CAPUT XXX.

In quo ex Sanctis Patribus, qui Undecimo Christi Sæculo *floruerunt: Et præsertim ex Sanctis* Fulberto *Carnotensi*, Burchardo *Vvormaciensi*, Petro *Damiani*, Anselmo *Cantuariensi*, Brunone *Carthusiano*, *&* B. Ivone *Carnotensi*, *probatur libertas Ecclesiæ in conferendo beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis*,

SUMMARIUM.

1 *Laudes* D. Fulberti Carnotensis *innuuntur, Hic Tedfrido Abbati Bonæ vallis permisit, ut ad aliud cœnobium Diœcesis Bituricensis transmigraret.*

2 *Negat Decanatum Carnotensem Episcopo Silvanectensi, quià Episcopo, & fratri hujus, quià moribus immaturo, non allegato defectu indigenatus,*

3 *Restitit unà cum Carnotensibus Theodorico, quem Rex Ecclesiæ Carnotensi præficere studebat, non allegatâ extraneitate, prout potuisset.*

4 S. Burchardus *Vvormaciensis Monachatum, Præposituram, Episcopatum in diversis locis tenuit, à quibus erat extraneus,*

5 *Enumerat S. Burchardus Perigenem, Dositheum, Reverentium, Palladium, & alios plures Episcopos, qui de unâ ad aliam ecclesiam perrexere.*

6. 7. *Exemplar epistolæ Formatæ refertur, in quâ causæ proponuntur, proptèr quas conceditur, & absolvitur clericus, ut ad aliam transire possit Diœcesim.*

8 *Floruit hac ætate* S. Petrus Damiani, *qui beneficia Priorale, Abbatiale, Episcopale, Cardinalitium tenuit in locis, à quibus erat extraneus.*

9 *Ejus epistola refertur, quâ requirit Vbertum Episcopum Sarsinatem, ut adolescentem extraneum suo Clero inserat.*

10 *Alia epistola ejusdem ad Abbatem, & Monachos latini ritus Constantinopoli commorantes, Claustralia beneficia sunt actu manualia, sed aptitudine perpetua,*

11 *Clerici nullibi sunt extranei, ubi in unitate ecclesiæ consistunt: nec eis præjudicat diversitas linguæ, nisi quoad beneficia curata.*

12 *Respondet Abbati conquerenti, quod suum monachum recepisset, dicens, quod regula D. Benedicti nihil de eremitis decernit.*

13 *Monachatus est beneficium, & etiàm quando cœnobia separatìm subsistebant, licebat monachum alienum cum licentiâ sui Abbatis recipere.*

14 *Beneficiarii etiàm simplices, fiunt cives loci, in quo habent beneficium. Valet argumentum à beneficiis monachalibus ad secularia.*

15 S. Anselmus Cantuariensis, *beneficia tenuit in Normandiâ, & in Angliâ, quamquàm utrobique esset extraneus.*

16 *Lamberto consuluit Archiepiscopatum Remensem accipere, tametsi extraneo, quod consilium & aliis similibus præbuit.*

17 *Congratulatur D. Anselmus* Gundulfo, *quod beneficium Episcopale Roffense adeptus esset, quantumvìs extraneus.*

18 *Similitèr congratulatur Gisleberto Crispino Beccensi, quod Abbatiam in Angliâ suscepisset. Inscius linguæ ibidem factus est Abbas.*

19. *Non*

19 *Non approbat, quod Episcopus Ecclesiam in alienâ provinciâ suscipiat, sinè Apostolicâ auctoritate, & Coepiscoporum consensu.*
20 *Argumentum à contrario sensu est validum. Si ergo ii, ad quos pertinet, consentiant translationi Abbatis, vel Episcopi, hoc fieri potest.*
21 *Laudes, patria, initia, & varia facta* S. Brunonis *fundatoris ordinis Carthusianorum referuntur, cujus gesta favent extraneis.*
22 *D. Bruno beneficia diversa recepit in locis, à quibus erat extraneus, & tàm ipse, quàm Papa, & Rogerius Dominus Calabriæ extraneis faverunt.*
23 *Occasione donationis factæ à Rogerio Comite Calabriæ D. Brunoni, affertur decretum* Concilii Melphitani.
24 *Vult Concilium, beneficia ecclesiastica posse monachis deferri, etiàm invito Episcopo: quod & Concilium Toletanum III. decrevit.*
25 *Decretum Symmachi Papæ, & Concilii Aurelianensis II. aliique canones similia statuentes, de monachis memorantur.*
26 *Consonat canon Synodi Claromontanæ. Poterant tunc etiàm beneficiati sua beneficia monachis deferre.*
27 *Qui si nollent monachis convivere, jubet Concilium apud Illebonam, eis dari congruam potiorem ad victum.*
28 Ivo Carnotensis, *quis, & qualis fuerit. Urbanus PP. II. illum fecit Episcopum: cui obstitit Richerius Senonensis in Concilio Estampense.*
29 *Si extraneitas culpam contineret à Contradictoribus decantatam, Pseudosynodus eam Ivoni objecisset. Papa non indiget assensu Metropolitani.*
30 *Argumentum epistolæ Ivonis ad Decanum Cenomacensem est, quando Episcopus de alia Ecclesia eligendus est.*
31 *Epistola Ivonis ad Paschalem II. Papam, de* Galone *ad Episcopatum Bellovacensem electo: cui Rex resistebat.*
32 *Rex juravit se non assensurum, quod Galo Bellovacensi solio insideret. Ivo Papam sollicitat, ut hoc juramentum infirmet.*
33 *Galo cum esset Bellovacensis, ab Episcopatu propriæ Diœcesis repulsus fuit, & Parisiensi donatus.*
34 *Sæculo Christi XI. Ecclesia totâ libertate potiebatur preficiendi beneficiis etiàm extraneos; libertas hæc nèc potuit supprimi, nèc fuit suppressa.*

1. INTER præclaros undecimi sæculi Præsules, & Doctores, unus fuit *S. Fulbertus*, ex monacho Episcopus Carnotensis; *Sanctitate, & prophetâ nominatissimus* (a). *Omnium sui temporis Doctorum doctissimus* (b), & qui in quodam epitaphio dicitur, *suæ tempestatis Pontificum decus, luxque preclara mundo à Deo data &c.* (c): floruit anno Christi 1008., & vigesimo post anno interiit (d). Ex ejus epistolis plura habemus ad rem nostram facientia; & inprimis Tedfrido Abbati cœnobii Bonævallis Abbatię suę cessionem admisit, & abeundi licentiam dedit, ut ad monasterium diœcesis Bituricensium transmigraret, à quo erat extraneus; cumque hac de rè ab aliquibus carpertur, Fulbertus se ritè hoc fecisse contestatus est, ac respondere paratus, scribens Episcopo Brituricensi: *Tedfridus à suis monachis criminatus, ut scitis, apud mè de infamiâ suâ querimoniam fecit, eorumque malitiam se ferre non posse dicens, sub audientiâ meâ, & eorum, qui mecum erant, prælationi suæ perpetualitèr renunciavit, astruens Abbatem monachorum bonę vallis ulterius se non esse futurum. Sicque petitâ à nobis migrandi licentiâ, transivit ad vos &c. Si quis ergo est, qui mè super hoc facto presumptionis arguat, noverit me respondere paratum* (e).

2. In aliâ epistolâ, ad Episcopum Laudunensem datâ recenset, quod vacante Decanatu Ecclesiæ Carnotensis, optavit illo investiri Episcopus Silvanectensis, vel ejus

(a) *Vincent Bellou. bibl. l. 25. c. 25.*
(b) *Baron. an. 1007. num. 2.*
(c) *Epitaph. ante ejus epist. to. 11. Bibl. Patr. p. 2.*
(d) *Bellarm. de scrip. Eccl. in S. Fulbert. Baron. ann. 1028. n. 4. & 5.*
(e) *S. Fulbert epl. 39 to. 11. Bibl. Patr.*

ejus frater. Fulbertus autem beneficium illud utrique denegavit, unde mala ingentia profluxere. In quo facto certè Silvanectensis Episcopus, Decanatum Carnotensem postulans, vel pro se, vel pro suo fratre germano, censuit licitum esse beneficia ecclesiastica Clericis extraneis impertiri: cum ipse necessario, vel à Silvanectensi, vel à Carnotensi Ecclesia esset origine extraneus. S. Fulbertus quoque negans utrique illud beneficium, & pro causis negationis, has rationes allegens: *Nos respondimus non convenire sibi, eo quod Episcopus esset, neque fratri, ætate adhuc, & moribus immaturo* (a), quæ sunt causæ, solo jure canonum constitutæ: nihil vero loquens de extraneitate, quæ fieri non debuisset, uti divino etiam, & naturali jure in sententiâ Contradictorum damnatâ; dat intelligere, quod ipse censuit, nec indigenatum necessarium esse, nec extraneitatem impedimentum præbere, pro consequendis ecclesiasticis beneficiis.

(a) *S. Fulbert. epl. 45.*

3. Quędam paritèr ex ejus literis scriptæ sunt variis Episcopis, nomine Canonicorum Ecclesiæ Carnotensis, conquerentium quod cum eorum sedes vacaret, ipsi delegerant sibi in pastorem A. illorum Decanum, cunctis illis dotibus insignitum, quæ desiderantur in Prȩsule, sed Rex Francorum parui factâ eorum electione, Theodoricum quendam fieri volebat Episcopum, contendens libertati suę hoc inesse, ut posset quemlibet sibi benevisum eis in Antistitem destinare (b). Ibi verò totus est Fulbertus in declamando, & probando, quod nullus invitis debet præfici Antistes: nihil autem in tantâ occasione, de defectu indigenatus allegat: & quod notabile est, Odo Comes Carnotensis Theodorico illi obsistebat, & Decanus, uti suprà electus, ad monasterium perrexerat vitæ cœnobiticæ operam impensurus (c), quæ omnia simul juncta patefaciunt, & Regem, & Episcopos eum sensum habuisse, in eâque persuasione vixisse, quod extraneitas beneficiorum consecutioni non obsisteret, hocque etiam D. Fulbertus, & Canonici Carnotenses non impugnabant; sed in eo solo puncto insistebant, quod nullus invitis præficeretur Antistes: parum referente undecumque proveniret is, qui beneficio erat Episcopali donandus, dummodò nolentibus non præesset.

(b) *S. Fulbert. epl. 131 & sequent. vid. hic infr. sæc. xi. c. 31. nu. 15. & 18.*

(c) *S. Fulbert. epl. 112. & c.*

4. Magnum itidem luminare præsentis sæculi, doctrinâ, & sanctitate fulgens fuit *S. Burchardus*, in Italiâ natus, apud Confluentiam educatus (d), Monachus primum in Labacensi cœnobio, indè Præpositus monasterii S. Victoris apud Moguntiam (e), cui præfuit, & ad sacros ordines provectus est à Vuilligiso (f), qui è loco Stroningen, ubi natus fuerat in pago Saxonico, ad Moguntinas infulas jàm pervenerat (g): Ac demùm S. Burchardus Episcopus Vuormaciensis, non sine indicio divinæ voluntatis creatus fuit, ut Franconi germano illius fratri succederet (h), claruitque intèr Scriptores ecclesiasticos anno Ghristi 1010. (i). Hic non solum quoàd sè in tot locis monachatui, præposituræ, ordinibus sacris, Episcopali muneri operam dans, beneficia ecclesiastica tenuit in Ecclesiis, à quibus erat extraneus, facto suo docens, licere id quod semèl, & pluries fecit, præsertim, & magnâ doctrinâ, & ingenti sanctitate, coruscans (l); sed etiàm scriptis suis, quæ ad posterorum utilitatem congessit, idipsum docuit, & præsertim plura Conciliorum decreta in unum colligens, ad hæc facientia (m), quæ cum nos alibi præsenti operi pluribus in locis inservierimus; parcimus hic eorum repetitioni.

(d) *Vita S. Burchar. ant. ejus oper.*

(e) *Joann. Gualter. Coron. Chron. in Episc. Vuormaciens. num. 25. fol. 911.*

(f) *Vit. S. Burchard. loc. cit.*

(g) *Jo. Gualter. Chronic. Cron. Archiepisc. Mogunt. n. 18. f. 1400.*

(h) *Baron. ann. 999. nu. 10. 11.*

(i) *Bellarm. de Script. Eccl. in S. Burcard.*

(l) *Ejus Vita loc. cit. Baron. an. 1026. n. 1. 5.*

(m) *Burchard. Decret. l. 1. 4. 36. 39. 40. 41*

5. Non omittimus autem hæc, quæ de Episcoporum transmutatione asseverat: *quia vero Episcoporum plurimi ex aliis civitatibus ad alias, propter necessitatem, seu utilitatem temporum sunt migrati, & transmutati, quorum nomina hæc sunt: Perigenes in Patris est ordinatus Episcopus, sed quoniam cives ejus civitatis eum suscipere noluerunt, Romanę civitatis Episcopus jussit eum inthronizari in Corintho Metropoli, defuncto ejus Episcopo, eique donec vixit Ecclesię præfuit. Dositheum Seleuciæ Episcopum Alexander Antiochenus in Tarsum Ciliciæ transmutavit. Reverentius ab Argis Phœniciæ in Tyrum transmigratus est. Joannes de Gordolinià mutatus est in Proconixum, & ei præfedit Ecclesiæ. Palladius ab Helenopoli mutatus est in Asponam, Alexander ab alia Helenopoli in Andrinopolim mutatus est. Gregorius Na-* zian-

zianzenus, priùs civitatis Cappadociæ fuit Episcopus, quæ Sasima dicitur, deindè à B. Basilio, & aliorum Episcoporum consensu in Nazianzo constitutus est. Theusebius ab Apamiâ Asiæ transfertur in Eadoxiopolim, quæ dudùm Salambria vocabatur. Polycarpus de urbe ante Pristenâ Mysiæ, in Nicopolim Thraciæ mutatus est. Hierophilus de Trapezopoli Frisiæ transmigratus est in Platinopolim Thraciæ. Optimus ab Agardamiâ Phrygiæ in Antiochiam Pisidiæ transmigratus est. Silvanus à Philippopoli Thraciæ mututus est in Troadam (*a*). Quæ sanè mutationes Antistitum evenire non potuerunt, quin ad sacra beneficia clerici admitterentur in locis, à quibus erant extranei.

6. Alio in loco Burchardus exhibet exemplar Formatæ Epistolæ, ad normam in Synodo Nicæna præscriptam, eamque dirigit Valterio Episcopo Spirensi, favore Hermanni clerici Vuormaciensis, ubi sic ait: *Vualterio Spirensi Episcopo, ego Burchardus Sanctæ Vuormaciensis Ecclesiæ devotus, gregis Christi famulus, in Deo verò summæ felicitatis beatitudinem. Cum Sancta Catholica Ecclesia prompta sit sequi documenta Evangelica, quæ dicunt, qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, accipiet mercedem Prophetæ: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet &c. Et Apostolus jubeat hospitalitatem sectari, & necessitatibus sanctorum virorum communicare; tamen propter eos, qui cauteriatam habentes suam conscientiam, dicentes se esse simplices, cum sint astutiâ diabolicâ repleti, & pro opere pietatis dicunt se de loco ad locum transire, cum sint, suâ malitiâ faciente fugitivi: & dicunt se esse ministerio sacro insertos, cum non sint, statutum est à Sanctis Patribus neminem clericum alienum, & ignotum recipi ab aliquo Episcopo, & inthronizari in suâ Ecclesiâ, nisi habeat à proprio Episcopo epistolam, quæ in canonibus nominatur Formata* (*b*).

7. *Ideò notum facimus paternitati vestræ, quod præsens frater noster harum literarum portitor, nomine Hermannus, non prò suâ nequitiâ expulsus est à nobis, sed postulantibus fratribus, eo quod ex familiâ nostra fuit, & noster baptizatus, fecimus ei libertatem, receptam in cornu altaris canonicè, & ordinavimus eum ad gradum presbyterii, cui etiàm has dimissorias, sivè commendatitias literas facimus, & eum ad vestram dilectam fraternitatem dirigimus, ut in vestrâ parochiâ sub vestro sacro regimine, & defensione consistere valeat. Ego inquam Burchardus humilis Episcopus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & in unitate Sanctæ Ecclesiæ, in quâ Petro datum est jus ligendi, atque solvendi, absolvo Hermannum Presbyterum, de civitate Vuormaciensi, indictione X. & licentiam do vobis inthronizandi eum in quacumque Ecclesiâ vultis vestræ parochiæ. Hanc ergò epistolam græcis literis hìnc indè munire decrevimus, & annulo nostræ Ecclesię firmare censuimus &c.* (*c*). Hæc formula clarè patefacit, quod & in sententiâ Burchardi, & ejus ætate, imò & ætate, atque auctoritate Concilii Nicęni locum habuit, & habet dimissio clericorum, ut ab unâ ad aliam Diœcesim eis liceat pertransire, in eâque inthronizari, seu quod idem est, stipendiis, & beneficiis ecclesiasticis insigniri.

8. Sequitur *S. Petrus Damiani*, Ravennæ ortus in Æmiliâ (*d*), monachus, aliquandò Vivariensis, ut sentit Trithemius (*e*): Prior Eremi, quæ dicitur Ogri in territorio Saxeno (*f*): Abbas cœnobii S. Crucis ad Fontem Avellanæ, Diœcesis Eugubinæ, demùm ex Eremitâ creatus à Stephano PapâX. Cardinalis Episcopus Ostiensis, floruit anno 1060. (*g*), qui sicut & monachale, & Priorale, & Abbatiale, & Episcopale, & Cardinalitium, beneficia possedit in locis, à quibus erat extraneus; sic & prò extraneis admittendis ad ecclesiastica beneficia, non semel (tametsi alia negotia promovens) disertis apicibus comprobavit. Placet hic excerpere aliqua ex ejus dictis, quorum unum nobis est valdè domesticum, uti directum Uberto Episcopo Sarsinati, cui nunc exiguitas nostra in Cathedrâ Episcopali succedit. Degens D. Petrus Damiani apud præfatam Eremum Ogri, cujus adhùc vestigia supersunt, misit Uberto Diœcesano Antistiti pauperem adolescentu-

(a) *Burchard. Decr. l.1. post cap.233.*

(b) *Burch. Decr. l.2. cap.227. Gratian. in c. In nomine 1. dist.73.*

(c) *Burch. & Gratian. loc. cit.*

(d) *Hieron. Rub. hist. Raven. lib.5.*

(e) *Jo: Trithem. de Vir. illust. ord. S. Benedict. l.2. c.95.*

(f) *S. Leo. PP. IX. ep.18 ap. Labbè tom.9. Concil.*

(g) *August. Fortun. hist. Camald. l.5. à c.6. ad 14. & alii passim. Baron. an.1057. 18.*

scentulum, ut eum foveret, illique subsidia suæ pietatis impenderet; quæ cum Ubertus fecisset, idem S. Petrus officia repetit,& ut adolescentem illum Clero Sarsinati velit inserere, fortibus paritèr, ac dulcibus verbis exorat. En textus ipsius epistolæ.

9. *Reverendissimo Ecclesiæ Saxenatis Antistiti Uberto, Petrus peccator debitam servitutem in Christo. Dignas tibi Pater carissime gratias refero, quià pauperculum hunc, quem ad te miseram, prò amore Christi, & meâ charitate alacritèr suscepisti: & ut revera gubernator pauperum, & pupillorum pater, omne sibi humanitatis, & pietatis officium prærogasti. Nunc itaque dilectissime reverentiam tuam supplicitèr obsecro, perfice, quæ cœpisti: planta in horto Ecclesiæ tuæ surculum, quem ab omni humani adjutorii radice præcisum, sub umbrâ misericordiæ tuæ absconditum, mori usque modò non permisisti; ut quem tuæ pietatis humor ad tempus servat, æstus postmodum veniens nimiæ paupertatis exurat. Sed cur ego magistrum doceo? Sic circa illum satage dilectissime, non ut mea balbutit ignavia petere, sed sicut acutissima tua prudentia animæ suæ providet expedire* (a). Non agitur hìc de solâ eleemosynâ, non de solis manualibus, vel temporalibus subsidiis: sed de promotione ad ordines; tantundem etenim significant verba illa, *planta in horto Ecclesiæ tuæ*. Nèc est credendum, quod S. Petrus Damiani Ubertum sollicitaret ad piaculum committendum, ad crimen humano, divino,& naturali jure damnatum, quale, asserunt Contradictores, esse collationem beneficiorum extraneis; quod sanè crimen fuisset ab Uberto commissum ordinatione illius extranei adolescentis. Quippè antiquis temporibus, si non idem fuit admitti ad ordines, & ad ecclesiastica beneficia; saltèm admitti ad primos, aptitudinem in promoto excitabat, & excitat etiàm nunc, ad consequenda secunda in eâdem Ecclesiâ, in quâ suscepti sunt ordines.

10. Aliam quoque epistolam elegantem idem S. Doctor transmisit ad *M.* Abbatem, ejusque monachos Latinos, in cœnobio S. Mariæ Constantinopoli commorantes, dicens. *Gaudemus dilectissimi fratres, quià dùm intèr exteras gentes, & in peregrinæ linguę regione consistitis, à Catholicâ tamèn fide, & piis operibus, sicut famâ vulgante comperimus, non exulatis. Cives itàque sanctorum, & domestici Dei à domo propriâ non receditis, dùm intrà Sanctæ Ecclesię gremium constituti, per rectę conversationis lineam peregrè festinatis. In quâcumque nimirum regione terrarum æqualitèr patet aula cęlorum, & ubi rectę fidei, & sanctæ conversationis idem est meritum, nil præjudicat diversitas aliqua, varietasque linguarum* (b). Ipsa vis verborum ostendit, quod Abbas ille, ac monachi, cum Præposito, Priore, Decanis, aliisque officialibus; qui solent in cœnobiis reperiri, è partibus Occidentalibus perrexerant Bizantium, ubi & patriâ, & provinciâ,& natione erant extranei: nèc dubium est, quod Abbatia etiàm regularis est ecclesiasticum beneficium (c), prout & monachatus, ex pluries dictis habet rationem ecclesiastici beneficii (d), quàm multò magìs habet Prioratus (e): Et sic etiàm Decanatus, & Præpositura, quæ in monasteriis reperiuntur; tametsi non semper sint perpetua, sed manualia, quià hæc quantumvis sint manualia, nihilominus aptitudine sunt perpetua,& possunt non ammoveri (f).

11. Ubi nota, quod D. Petrus Damiani pro ratione justificante permanentiam illius Abbatis,& Monachorum, seu susceptionem, quam ipsi fecerant Constantinopoli beneficiorum Abbatialis, Monachalium, & si quæ alia concurrebant in illo cœnobio, ubi erant extranei, allegat consonantiam in fide, sive unitatem Ecclesiæ; de qua & alibi dicit, *licèt multiplex videatur Ecclesia, propter numerositatem gentium una tamen, & simplex est unius fidei, & divinæ regenerationis confœderata mysterio* (g). Et ità undecumque sint fideles, & ubicumque reperiantur, semper unum corpus inter se formant; unius corporis membra sunt, & membra de membro; nec quidquam eis præjudicat nationum diversitas, vel dissimilitudo locorum, si in fidei unitate consentiant. *Sancta namque Ecclesia licèt personarum sit multiplicita-*

(a) S. Petr. Dam. l. 4. epl. 13.

(b) S. Petr. Dam. l. 6 epl. 13.

(c) De Luca de benef. disc. 97. n. 17.

(d) Thomass. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 3. c. 13. n. 1, Barb. jur Eccl. Univ. l. 3. c. 4. n. 69, cum aliis,

(e) Barbos. loc. cit.

(f) Idem n. 70. cum aliis plur.

(g) S. Petr. Damian. opusc. 14. c. 6.

plicitate diversa, in unum tamen est Sancti Spiritus igne conflata: atque ideo etiam si per corporalem situm partibus videatur dividi, unitatis tamen intimae Sacramentum, nullatenus à sua valet integritate corrumpi (a). Quarè fideles, & praecipuè Clerici, nullibi sunt ab Ecclesiae rebus extranei, ubi in unitate Ecclesiae consistunt: sed Politici, sed Contradictores faciunt extraneos, & locorum diversitate distinctos, quos idem ordo, eadem fides, eadem ecclesiasticae observantiae ratio coagulat, ubilibetque nectit in unum. Quarè cessantibus Apostolicis privilegiis, demptisque beneficiis curam animarum habentibus, ad quae inhabiles sunt, qui locorum linguam ignorant, eo quod non ibi valeant propria munia exercere; in caeteris beneficiis, *ubi rectę fidei, & sanctae conversationis idem est meritum, nil praejudicat diversitas aliqua, varietasque linguarum* (b).

(a) S.Petr. Damian opusc. 11. cap. 6.

(b) S.Petr. Damian. ubi supr. l. 6 epl. 13.

12. Praemiserat idem S. Doctor aliam epistolam, ad quendam Abbatem datam, conquerentem, quod Petrus ipse Damiani ejusdem Abbatis monachum recepisset, ac ad Monasterium à quo discesserat remittere recusaret: aitque, *succensetis, ac nos, conquerentes arguitis, quia non debuimus vestros Monachos in eremo contrà B. Patris nostri Benedicti praecepta suscipere, dum ille decernat de noto Monasterio venientibus, apud extraneos habitationis aditum non patere, cujus sugillationis obstaculum, pace vestrâ, nos facilè propulsabimus, quià nimirum sanctus ille vir Monasteria quidem doctrinae suae mandatis instituit; super eremitas verò nullum sibi magisterium arrogavit. Enumeratis siquidem quatuor generibus monachorum, praestò subjunxit: His ergò omissis ad coenobitarum fortissimum genus disponendum, adjuvante Domino, veniamus. Qui ergo ad solàm Coenobitarum genus se contulit disponendum, patentèr innotuit, quod Eremitarum sibi non applicuit institutum. Sed ipsa beati viri hic verba ponamus, & utrum Coenobitis, an Eremitis scripserit perspicuè discernamus: Caveat, inquit, Abbas, ne aliquando de noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat, sinè consensu Abbatis sui &c.* (c).

(c) S.Petr. Damian l. 6. epl. 12.

13. Retento themate, de quo numero praecedenti, quod monachatus sit ecclesiasticum beneficium, tam in sensu Canonistarum (d), quam Theologorum (e), quicumque sint illi Monachi, sivè Coenobitae, sivè Eremitae, cum utrique Monachi sint, & de bonis ecclesiasticis stipendia, sive proventus ad eorum congruam sustentationem accipiant, uti viri Ecclesiastici, & Ecclesiae personalitèr famulantes; patet primo, quod juxta D. Petrum Damianum, Monachi Coenobitae unius loci professi, ad alium locum pergere liberè valent, ubi vitam exerceant eremiticam, quamquam ab hoc posteriori loco sint extranei. Secundò, quod etiam eo tempore, quo Monasteria feorsim, & independentèr unum ab alio regebantur, & professus unius coenobii erat prorsus extraneus à quolibet alio Monasterio; adhuc tamen Monachi, quoties eorum Abbates consentiret, liberè poterant de uno ad aliud Monasterium transire, ibique monachalia beneficia percipere, ubi alioquin fuissent extranei. Ideo vera est nostra doctrina, quod indigenatus non est ad beneficia consequenda necessarius, nec extraneitas quidquam officit pro eorumdem consecutione.

(d) Doctores ap. Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 3 c. 4. n. 69.

(e) Thomassin. loc. cit.

14. Nihil relevante si dicatur, quod monachi illi de uno ad aliud monasterium transeuntes, pristinum esse mutabant, fiebantque extranei à primo loco, & evadebant indigenae in secundo, ubi ad commorandum se recipiebant; nam si vera esset haec istantanea indigeneitas, nobis proficeret potius quam officiat; siquidem etiam Clerici saeculares unius loci fiunt indigenae alterius loci, ubi accipiunt ecclesiastica. Et de beneficiis residentialibus hoc ullum dubium non admittit; nam hi cives sunt loci beneficii, & appellatione civium illius loci veniunt omninò (f). Major difficultas esse posset de illis, qui residentiae debito carent, alibique commorantur: sed & hos nomine civium loci beneficii intelligi tradunt expresè Doctores (g). Verum hoc totum nihil refert: quippè licet Contradictores intèr se non conveniant in definiendo, an admittendi sint ad beneficia extranei, illic residere properantes, ubi erectum est beneficium, ad differentiam eorum, qui ad residendum inibi non se

(f) Bart. in l. 1 ff. ad munic. Felin. in c. Rodulphus n. 14. de rescript.

(g) Bertaz. cons. 443. n. 7. vol. 2. Belles. disqu. Cler. p. 1. de disciplin. Cler. §. 2. n. 19.

conferunt, adhuc tamen in facto esse videmus, quod à regione illâ, pro quâ ipsi scripserunt, nunc extranei repelluntur, tam quoad beneficia merè simplicia, quam quoad residentiæ debitum involuentia. Et ita vel Monachi residerent, vel non residerent in secundo Monasterio, nil refert; satisque nobis est, quod à priori ad posterius cœnobium, erat illis liberum pertransire; undè ducto argumento à beneficiis monachalibus ad sæcularia, quæ quoad hoc pari passu procedunt, patet, quod Clericis extraneis liber esse debet accessus ad ecclesiastica beneficia.

15. Floruit & hoc eodem undecimo Christi sæculo, anno scilicet 1080. currente *S. Anselmus Cantuariensis*, natione Italus, Burgundiâ oriundus, sed ortus Augustæ Prætoriæ, patre Gundulpho, quem præfata civitas *in Longombardiâ natum civem suum ex advenâ fecit* (a). Monachatum exoptans in quodam cœnobio; propter Abbatis reluctantium frustratus est oto suo: progressus idcircò in Franciam, & in Burgundiam, Monachatui operam dare iterum concupivit, dubius tamen an in Cluniacensi, an in Monasterio Beccensi. Beccum profectus, S. Lanfranco consulente, & Maurilio Archiepiscopo Retomagensi suadente, Beccense cœnobium est ingressus (b), *anno ætatis suæ 27. ubi vixit claustralis sine prælatione tribus annis: quindecim Prior &c. deindè quindecim annis Abbas extitit &c. Inde assumptus est ad Archiepiscopatum Cantuariensem, quem rexit sexdecim annis* (c). Quarè ipse beneficia Priorale, & Abbatiale in Normardiâ suscepit, & Archiepiscole in Angliâ, cum tàm in primo, quam in secundo loco, nedùm patriâ, & provincià, sed etiam linguâ, & natione esset extraneus. Quodque magis est, S. Anselmus Abbatiam teneas Becci in Normandiâ, vocatus est ad Archiepiscopatum Dorovernensem in Angliâ, tametsi Comes Normandię, & Rex Angliæ inter sè inimicias exercerent (d).

(a) *Ediner. vit. 3. Anselmi in princ. Gerard. Vossius in Archiep. Cantuar.*

(b) *Ediner. loc. cit. post init.*

(c) *Guillelm. Gemmetic. hist. Norman. l. 6. c. 9 Orderic. Vital. hist. l. 5. an. 1077.*

(d) *Vid. S. Anselm. l. 3. epl. 42. & 99. cum annot. Jo: Picardi.*

16. Sed ab his, quæ gessit, ad ea, quæ D. Anselmus scripsit pergamus. Lambertus Monasterii Cluniacensis professus, diœcesis Matisconensis, & Abbas cœnobii S. Bertini diœcesis Tarvanensis, invitatus fuerat ad beneficium Archiepiscopale Remense: dubius autem quid ageret, consuluit D. Anselmum, qui eidem suggessit, ut si à Cluniacensi Abbate præciperetur, Archipræsulatum illum accipere non abnueret (e). Similesque persuasiones acceptandi episcopatus non semel aliis quoque dedit, quando eos comperit legitimâ vocatione invitari (f). Nec quidquam metuit Lamberto consulere præfati Archiepiscopatus acceptationem, tametsi ab ea Urbe prorsus extraneo, & Abbati cœnobii S. Bertini, qui patriâ Constantiensis, & Lexoviensis in Burgundiâ celebris Asceterii professus, Tarvanensem diœcesim adiit, dictumque inibi Monasterium extruxit (g). Quo responso D. Anselmus ostendit, nec indigenatus qualitatem, ad beneficia rite consequenda esse necessariam; nec extraneitatem ab illis adipiscendis impedimentum ullum inferre. Quis enim credat S. Anselmum, preclarissimæ sanctitatis, & doctrinæ virum, voluisse Lamberto consulere crimen, quod Contradictores autumant esse divinâ, naturali, & humanâ lege damnatum?

(e) *S. Anselm. Cantuar. l. 3. ep. 139.*

(f) *Idem l. 1. epl. 115 l. 3. epl. 52.*

(g) *Martyrol. Gallic. die 3. Septembris.*

17. Alibi scribit Guillelmo Rotomagensi; *Quantâ constantiâ D. Guillelmus filius vester, & gratiâ vestrâ noster, quem Canonicum, & Decanum Ecclesiæ vestræ electum canonicè Episcopum Vvintoniensis Ecclesiæ nobis caritativè concessistis, consecrationem, à quibus eam sicut offerebatur, recipere non debebat, respuerit, & quomodo propter hoc rebus suis spoliatus, & de Angliâ expulsus sit, nullius scripto melius, quam ejus vivâ voce &c. Paternitas vestra cognoscere poterit* (h). Vide hic laudatos duos Guillelmos, Rotomagensem, & Vvintoniensem propter episcopale beneficium extraneo destinatum. Item alibi D. Anselmus congratulatur Gondulfo, quod beneficium Episcopale in Roffensi Ecclesiâ suscepisset (i). Hicque est Gondulfus, qui adolescentulus, cum aliis coętaneis suis ludens, & tentans ex revolutione foliorum libri, si quid ei esset fortunæ humanæ futurum, aperuit suâ vice fortuito textum Biblicum, obviumque babuit versum illum: *Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam* (l), prænunciante illo eventu dignitatem, quam posteà est meritò consecutus (m). Erat autem ipse Gondulfus Monachus Beccensis, in

(h) *Vid. Concilia Rotomagens. Franc. Pommaraye f. 122.*

(i) *S. Anselm. lib. 2. epl 69.*

(l) *Matth. 24. 45.*

(m) *Vvillelm. Malmesb. l. 1. de gest. Pontif. Angl.*

in Normandiâ, indè Pantochratoreni officium in cœnobio Vvestmonasteriensi propè Londinum in Angliâ exercuerat, demumque à S. Lanfranco Cantuariensi ad Ecclesiam Roffensem vocatus est (*a*): in quâ successores habuit Radulfum Abbatem Sagiensem, Ernulfum Gallum, Monachum Bellovacensem, Gualterum Archidiaconum Bajonensem, Gilbertum Archidiaconum Luxoviensem: & alios, ab illâ sede prorsus extraneos (*b*), nec quisquam nisi stultus effutiet, quod D. Anselmus congratulari voluerit Gondulfo de Episcopatu non ritè suscepto, sed de illo contra divinam, naturalem, & humanam leges invaso.

(a) *Argum epist.69 l.1.D.Anselmi.*

(b) *Series Episcop. Rofens.n.23.24.28.29*

18. Hæc quoad beneficia Episcopalia: de Abbatialibus videamus. Quadam epistolâ D. Anselmus itidem gratulatoria mittit officia Gisleberto propter Abbatiale beneficium adeptum, dicens intèr alia: *quanto igitur melius est de tuâ sanctitate in suscepto officio sperandum; tanto magis est, & securiùs de tibi concessâ gratiâ gaudendum* (*e*). Hic autem Gislebertus, cognomento Crispinus, fuit Gallus ex Neustriâ, Monachus Beccensis, & assumptus ad Abbatiale officium in cœnobio Vuestmonasteriensi, ad occidentale suburbium Londini erecto apud Anglos (*d*). Ubi & Balduinus ex Galliâ erat eâ ætate Abbas S. Edmundi diœcesis Norvicensis (*e*): & Paulus, monachus S. Stephani Cadomensis in Normandiâ, erat Abbas monasterii S. Albani martyris in Angliâ (*f*): cui D. Anselmus hæc scripsit, *quamvis barbaris vestra prælata sit sanctitas, quos verbis docere propter linguarum diversitatem non potestis, non tamen omninò vos apud districtum judicem excusare valetis, si alios lucrari Deo negligitis. Quod enim illis sermone non potestis dicere, vitâ potestis ostendere* (*g*). Vide datum Abbatiale beneficium viro adeò extraneo, ut nec linguæ loci conscius esset; vel quia cum eo fuerit super imperitiâ idiomatis dispensatum: vel quià Abbatiale officium localis linguæ notitiam necessariò non exigeret, quatenùs adiutorium aliorum, qui Abbati cooperabantur, poterat detrimentum præmemoratę inscitiæ supplere.

(c) *D.Anselm.l. 2. epl.16.*

(d) *Jo: Picard. Annot.ad epl.16.l.2.S.Anselmi.*

(e) *S.Anselm. l.2. epl.4.*

(f) *Matth. Paris. in hist.argument. epist. 70.l.1.S.Anselm.*

(g) *S.Anselm.l.3. epl.32.*

19. Monachum quoque ex uno ad aliud monasterium transferri posse insinuat, & ibi Abbatiale beneficium adipisci, dummodo proprii Abbatis accedat assensus, non vero eo deficiente. Et ità Normannum Ecclesiæ Beccensis cœnobitam, Abbatem fieri non permisit in diœcesi Ambianensi, quia consensum ejus non contulerat dimissioni. Et de Antistitum translatione has ad Henricum Anglorum Regem literas dedit: *Mandavit mihi dignatio vestra per electum Episcopum Vuintoniensem, ut sibi scriberem, utrum D. Hervæus Episcopus Bancorensis possit constitui Episcopus in Ecclesia Lexoviensi. Hoc utique facile fieri non intelligo: sicut enim nullus Episcopus sacrari debet sine assensu, & consilio Archiepiscopi, & aliorum Episcoporum totius provinciæ; ita qui sacratus est Episcopus, non potest constitui in aliâ provinciâ Episcopus canonicè, sine consilio, & assensu Archiepiscopi, & Episcoporum ejusdem provinciæ cum auctoritate Apostolicâ, nec sine absolutione Archiepiscopi, & Episcoporum provinciæ, in qua sacratus est &c.* (*h*).

(h) *S.Anselm.lib.3. epl.126.*

20. Argumentum igitur sumendo à contrario sensu, quod in sè validissimum est (*i*), quandocumque consensus eorum, ad quos spectat concurri; hujusmodi translationes, vel transitiones licitè fieri posse D. ipse Anselmus ostendit, cujus etiàm intèr epistolas legitur una, continens decretum manumissionis, quo monachi cœnobii Beccensis consensum eidem D. Anselmo præstiterunt, ut ex illorum Abbate fieri posset Archiepiscopus Cantuariensis (*l*). Hujusmodi autem transitiones, vel translationes de loco ad locum, sivè pro beneficio Abbatiali, sivè pro Episcopali, sivè pro alterius speciei assequendo, necessario involuunt admissionem extraneorum ad ecclesiastica beneficia: nam sic admissi inevitabilitèr, vel in primo, vel in secundo loco esse extranei comprobantur. Tamque ex hoc, quam ex aliis, hucusque ex eodem Sancto Doctore allegatis, multiformitèr ostenditur, quod & ejus facta, & doctrina Clericorum extraneorum negotio suffragatur, & quod ætate S. Anselmi Ecclesia totâ libertate potiebatur præficiendi sacris præbendis, non solum Clericos indigenas, verum etiam extraneos.

(i) *Vid:* Barbos. *trac. var.loc.27. per tot. cũ mult.DD.ibi.*

(l) *S.Anselm. Cantuar.l.3.ep.6.*

Episcopus unam de parochianis Ecclesiis suis monasterium dicare voluerit, ut in ea monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de consensu Concilii sui habeat licentiam faciendi. Qui etiamsi de rebus Ecclesię prò eorum substantiâ aliquid, quod detrimentum Ecclesiæ non exhibeat, eidem loco donaverit; sit stabile. Rei enim bonę statuendæ Sanctum Concilium dat consensum (*a*).

25. Usque à tempore Symmachi Papæ, S. Cæsarius Arelatensis, cohiberi exoptans improvidas fundorum ecclesiasticorum concessiones, Pontificem interpellavit prò competenti remedio. Symmachus autem vetuit Ecclesiarum bona concedi, nisi forsitan aut clericis bonorum meritis; aut monasteriis religionis intuitu, *aut certè peregrinis necessitas largiri suaserit* (*b*). Accessit paulò post Concilium Aurelianense II., approbans paritèr monasteriis Ecclesiarum bona posse concedi (*c*). Prosecutum est indè Concilium Toletanum præfatum, posteà Concilium Melsitanum, & alii canones (*d*), quorum auctoritate infinita prædia Ecclesiastica, præbendæ, & beneficia ad monasteria pervenerunt, nedùm intrà diœcesim beneficii, sed etiam longè extrà illam erecta. Certum est autem, magis esse extraneos à diœcesibus beneficiorum, monachos, præsertim in monasteriis degentes, extrà illas diœceses sitis; quàm clericos aliundè natos: vel saltèm intèr illos æqua concurrit ratio: Et ideò cum Concilium Melsitanum nedùm permittat, sed & imò permittendum esse jubeat monasteriis, sivè intrà, sivè extrà diœcesim positis, beneficia Ecclesiastica in perpetuum possidenda adipisci; multò magis ratum habuit, ut illa possint etiam clericis extraneis, ad tempus tantum tenenda, seù ad eorum vitam, prò Collatorum voluntate comitti. Quinimò cum canones eorum permissionem extendant usque ad parochias, sic ut suprà tradendas; multò fortiùs id licere voluerunt in beneficiis merè simplicibus.

26. Concilium quoquè Claromontanum subindè apud Arvernos est in Galliâ celebratum, anno Christi 1095., tempore præfati Urbani Papæ II., qui eidem Concilio præfuit, & Henrici IV. Imperatoris. In eo teste Bertholdo, *tredecim Archiepiscopi cum eorum suffraganeis fuerunt, & ducentęquinque pastorales virgę numeratę sunt* (*e*), & post confirmata statuta Concilii Placentini pridem habiti, ac vibratas adversùs Philippum Regem Galliæ Censuras, ob Uxorem ejectam, & pellicem Bertradam superinductam (*f*), trigintaduo canones fuerunt sanciti, quorum septimus talis est; *Ut altaria Congregationibus Canonicorum, vel Monachorum per personas datas, mortuis personis, libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta, vel privilegia, confirmata* (*g*): Altaria, idest beneficia, & parochias proùt interpretatur Thomassinus de novâ, & veteri disciplinâ (*h*), & ipsum Concilium fert canone præcedenti. Mos tunc temporis inoleverat, quod beneficiarii poterant, eorum vitâ durante, beneficia, quæ possidebant, monasteriis perfruenda concedere: & vel ipsi cum monachis ad convivendum migrare, vel congruam portionem prò suo victu à Rectore monasterii suscipere.

27. Legitur hoc in Concilio apud Illebonam habito, ubi sic decernitur, *quod si Presbyter cum monachis vivere noluerit, tantum det ei Abbas de bonis Ecclesiæ, undè & benè vivere, & Ecclesiæ servitium convenientèr valeat Presbyter adimplere* (*i*). Et quià quando beneficiarii moriebantur, qui beneficia ipsa monachis detulerant, eadem beneficia juncta monasteriis, ut anteà remanebant (*l*); Concilium Claromontanum, cernens hoc in Episcoporum præjudicium intolerabile vergere, prohibuit nè ultrà fieret, mandans, ut beneficia ipsa, post mortem beneficiariorum ad potestatem sui Ordinarii redirent, qui eadem beneficia sic vacantia prò suo libito, vel aliis clericis, & Presbyteris largiretur, vel novitèr, & ut ex integro illa ipsimet monasterio per suæ signaturæ chirographum impertiret. Quibus ità se habentibus, recurrit argumentum numero præcedenti propositum, quod scilicèt magis sunt extranea à Diœcesi monasteria monachorum, extrà illam posita, quàm clerici extrà illiusmet fines exorti: ergò si Concilium voluit posse monasteriis quibuscumque, sivè intrà, sivè extra diœcesim positis, beneficia ecclesiastica per Epi-

(a) *Concil. Tolet. 3. c.4. & c. si Episcopus 71. 12. qu. 2.*

(b) *Symmach. epl 5.*

(c) *Concil. Aurel. 2 cap. 15.*

(d) *Cap. ad audientiam Extr. de Ecclef. ædificand.*

(e) *Bail. to. 3. in Concil. Clarom.*

(f) *Sigebert. Gemblac. Chronogr. anno 1095.*

(g) *Conc: Claramont. cap 7.*

(h) *Thomassin. vet. et nov. Eccl. discipl. p. 3: l. 1, c. 10. n. 29.*

(i) *Concil. ap. Illebon. an. 1080. c. 28. Bail. to. 2. fol 695:*

(l) *Conc. ap. Illebon. loc. cit.*

Episcopi diploma perpetuo possidenda concedi; multò magìs admisit, ut ipsamet beneficia possint clericis etiàm extraneis, ad tempus eorum vitæ perfruenda concedi.

28. Occurrit nunc *Ivo Carnotensis* ordinis Canonicorum regularium, à S. Pio Papâ V. in Ecclesiæ tabulis Beatorum albo conscriptus (*a*), natione Gallus, professione Presbyter, & præpositus Sancti Quintini Bellovacensis (*b*), ac deindè Episcopus Carnotensis (*c*). Vir qui exiguæ conditionis fuisse videtur, proùt colligitur ex epistolâ, quàm ad Galliæ Regem direxit dicens; *quoniam præcedente divinâ gratiâ, de stercore pauper usque ad solium Principum per manum vestram elevatus sum, fateor mè post Dominum prò posse meo, cuncta vobis debere, quæ vestro congruunt honori, & saluti* (*d*). Sed quantò conditione humilior, tantò fuit insignior doctrinâ, & pietate, quibus per universam Ecclesiam mirabilitèr coruscavit (*e*), floruit autèm anno 1090. (*f*). Hic deposito per Urbanum II. Papam Gaufrido Carnotensium Episcopo, illius Ecclesiam Apostolica auctoritate suscepit (*g*): Urbano per literas Clerum, Populumque Carnotensem, necnon Richerium Senonensem, illius provinciæ Archiepiscopum, commonente, ut Ivonem libentèr in Antistitem acceptarent (*h*). At Richerius ei obstinatissimè restitit, causasque obluctandi conquirens, non aliam scivit exponere, quàm consecrationem de manu Pontificis susceptam, proprio Metropolitano preterito: ob quam Richerius collectò in urbe Estampensi Conciliabulo, ipse cum Episcopis Parisiensi, Meldensi, & Tricassino, Gaufredum sedi perditæ reintruserunt, & contrà Ivonem depositionis sententiam protulerunt (*i*), quamquàm ab ipsis Carnotensibus, consentiente Papâ delectum (*l*).

29. Functus diù fuerat Ivo munere Canonici Ecclesiæ Bellovacensis (*m*), atque Præpositi Ecclesiæ S. Quintini ejusdem Diœcesis, in provinciâ ecclesiasticâ Remensi, & Episcopatum sumendo Carnotensem, provinciæ Senonensis, beneficium ecclesiasticum acceptavit in locis, à quorum alterutro proculdubiò erat extraneus, & nedùm extradiœcesanus, sed etiàm extraprovincialis. Qui defectus extraneitatis, si damnabilem prævaricationem legis divinę, naturalis, & humanæ præsefert, proùt volunt Contradictores; mirùm profectò est, quod nec Richerius Senonensis, nèc Episcopi Pseudosynodi Estampensis Ivonem de extraneitate objurgaverint; hocque tàm enormi crimine silentii tenebris obvoluto, solùm ei vitium imputaverint, quod non de manu proprii Metropolitani, sed ex manu Pontificis Romani Episcopales infulas accepisset: apud quem, & in ejus Curiâ, cum sedes Carnotensis per Gaufridi depositionem vacasset, ad illum pertinebat, & non ad alios, viduatæ ipsi Ecclesiæ sponsum concedere: nullum in hujusmodi casu locum habente canone Nicæno, qui præscribebat, *Si quis, præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit, Episcopum esse non posse* (*n*). Nàm neque hæc, nec aliæ coęquales leges, de casu loquuntur, in quo summus Ecclesiæ Pontifex, Episcopi consecrationi manum apponens, Metropolitani vice fungatur; vel de casu, in quo Episcopatus collatio, per devolutionem ad Sedem Apostolicam, vel per vacationem in Curiâ, fit Summi Pontificis despositioni totalitèr reservata. Itàque Ivo, & suo factò, & suorum æmulorum silentio, extraneitatem, quâ erat involutus, non in eo redarguentium, ostendit, beneficia ecclesiastica posse liberè, ac licitè etiàm extradiœcesanis clericis, & extraprovincialibus sinè ullâ ambiguitate concedi.

30. Sed post Ivonis facta, quid de illius doctrinâ dicemus, quâ aliquandò probat, beneficia ecclesiastica, eorumque decimas, & oblationes ritè, & licite per monachos possideri, qui proculdubiò rationem habent extraneorum, uti fusius infrà in Arnulpho Lexoviensi ostendemus? Aliquandò etiàm totus est, ut probet, justis exigentibus causis, Episcopum esse de Ecclesiâ extraneâ deligendum; hocque argumentum est epistolæ, quàm dirigit Gaufredo Decano Cenomanensi. *Quandò Episcopus de alterâ eligendus est Ecclesiâ* (*o*), ubi docet ex canone, tunc eligendum ex alienâ, cum in propriâ, vir deest ad tantum munus idoneus, seù dignus; dignus

(a) *Andr. Saussai in Martyrol. Gallic. supplem. 20. Maii, & 24. Octobr. f. 1119. et 1183*
(b) *Sigebert. ann. 1078. Possev. Appar. sacr. in Ivon.*
(c) *Idem Sigebert. an. 1092. Baron. eodem anno.*
(d) *Ivo epist. 102.*
(e) *Orderic. Vital. hist. l. 11, an. 1103.*
(f) *Sigebert. de Illus. Eccl. scrip. c. 168. Bellarm. de scripț. Eccles. in Ivone.*
(g) *Urban. 2. epl. 8. Baron. an. 1092. n. 2.*
(h) *Urban. 2. ep. 8. & 9. Baron. loc. citat. num. 9. 11.*
(i) *Ivo Carnot. ep. 12 Baron an. 1093. n. 89.*
(l) *Urban 2. ep. 8 & 9 ap Bin. to. 3. Concil. p. 2. f. 498.*
(m) *Theatr. Vit. Human. V, Episc. 4. Illustriorum, circ. fin. f. 113*
(n) *Conc. Nicæn. 1. cap. 6.*
(o) *Ivo Carnot. epist. 120.*

dignus autèm, seù idoneus non absolutè, sed comparativè. Nàm incredibile est, quod in totâ vacantis Ecclesiæ Diœcesi, nullus neque clericus, neque monachus, aut laicus adsit, qui servatis servandis, possit ad munus Antistitis promoveri (*a*), *primumque illi reprobandi sunt, qui ibi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur*, inquit canon (*b*). Undè si esset de jure divino, naturali, & humano, ut extraneis protelatis, soli deberent indigenæ beneficiis ecclesiasticis insigniri; jàm nunquàm posset Præsul ex alienâ Ecclesiâ desumi, contrà doctrinam Ivonis. Quarè ipse admittit provectionem extraneorum ad ecclesiastica beneficia, & ab illis excludit extraneos, non absolutè, sed comparativè: neque extraneos omnes, & qua extraneos arcet; sed solos illos, quorum vita, & mores ignoti sunt, & qui ex transverso veniunt, idest vel non canonicè deliguntur, vel artificiis illaudabilibus, aut Magnatum præpotentiâ sublimantur: concludit namque, *quià per te sapis, superfluum mihi videtur te instruere, quibus auctoritatibus debeas ignotos, & ex transverso venientes refutare* (*c*). Undè patet, quod ex doctrinâ Ivonis, extranei optimè sunt ad præbendas ecclesiasticas admittendi, modò legitimè, & ab habentibus legitimam auctoritatem delecti: & indigenis præferantur, non sinè ratione, sed ex legitimâ causâ, à beneficiorum collatoribus comprobandâ.

31. Perpulchrum quoque nobis exhibet documentum vis, quâ Ivo electionem Galonis in Episcopum Bellovacensem promovit, & ut Apostolico fulciretur præsidio, sic apud Paschalem II. Pontificem peroravit. *Bellovacenses Clerici melioris famæ, & consilii sanioris, præcedente consilio vestro, consilio Optimatum diœcesis suæ, & laude populi, Dominum Galonem, virum vità honestum, liberalibusque, & ecclesiasticis disciplinis ornatum, in Episcopum sibi elegerunt: pauci tamen ex Clericis, Stephani illius repudiati complices, quos sibi pelliculis peregrinorum murium, atque aliis hujusmodi vanitatum aucupiis inescaverat, huic electioni non assenserunt, nec tamen ei aliquid, quod sacris canonibus obviet, obiicere potuerunt. Cum verò eum per sè impedire non valerent, Regem adierunt, quædam verba auribus ejus instillaverunt, quæ facilè in cor ejus eliquaverunt: videlicèt quod prædictus electus discipulus meus fuerit, apud mè nutritus, apud mè eruditus: addentes quod à Sanctitate Vestrâ fuerit electus, & quod magnus ei futurus esset adversarius, si in Regno ejus aliquandò fuerit Episcopus. Rex itàque virulentiis his verbis succensus, & ab omni bonâ voluntate turbatus, non vult electioni assensum præbere, nec electo bona Episcopalia dimittere &c. superest ergò, dilectissimè Pater, ut prò potestate, & auctoritate vestrâ, sicut cæpistis Ecclesiæ, prout Clerici rationabilitèr postulaverint, succurratis* (*d*).

32. Eandem Galonis electionem in Episcopum Bellovacensem S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis ipsi Paschali Papæ II. enixis vocibus commendavit, fidem faciens de optimis Galonis qualitatibus, Episcopali apice dignis (*e*). Quam rursus Ivo Carnotensis intrepidè sustinuit etiam adversus Ludovicum VI. cognomento Crassum, Philippi I. Francorum Regis filium, qui usque adeò ipsius Galonis provectioni obsistebat, ut jurejurando spoponderit, sè illi nunquam concessurum, ut in Bellovacensi solio sederet. Ivo namque adversus Regium jusiurandum Paschalem II. Pontificem hisce literis concitavit, *Sacramentum sacris canonibus, & omni religioni obvium, per quendam servientem suum, ad suggestionem Drogonis Cantoris, qui omni religioni quantum prævalet adversatur, dari fecit, quod Galo in ejus vitâ nunquam futurus esset Bellovacensis Episcopus. Qua in rè prudentiam vestram muniri oportet spiritu fortitudinis, quià si tali sacramento annullari potest canonicâ electio, nulla ulterius in Regno Francorum futura est, nisi aut simoniaca, aut violenta intrusio* (*f*). Paschalis ergò Papa Galonis electionem, quem sanior pars Cleri Bellovacensis ritè delegerat, &si obsisterent Ludovicus Crassus, & ejus pater Philippus Rex, approbavit (*g*), rejecto Stephano, ignavo, aleatore, ac nudiustertius ab Archiepiscopo Lugdunensi anathemate propter Adulterium percusso (*h*): quem aliqui ex Clero Bellovacensi, muneribus ut suprà capti, sibi delegerant in-

Anti-

(a) Nicol. I. PP. epi. stol ad Carol. Calv. & ad Egtionem.

(b) Cælestin. I. PP. epl 1. & 5. S. Ansel. Lucens. contrà Guiber. l. 2. § Cælestinus, cap. nullus 13. dist. 61.

(c) Ivo Carnotens. epist. 110.

(d) Ivo Carnot. ep. 49

(e) S. Anselm. Cantuar. l. 3. epl. 69.

(f) Ivo epl. 50. ad Paschal. II.

(g) Ivo epl. 49. & 50 Baron. an. 1101. n. 8. 12

(h) Ivo epl. 49.

Antistitem (*a*). Et ità Galo consecratus fuit in Episcopum Bellovacensem. Sed quià Rex ipsum Galonem infestis quotidiè vexationibus affligebat (*b*); Ivo officiis interpositis procuravit, ut Clerus, & populus Parisiensis, quorum contigit vacare tunc sedem, eundem Galonem sibi in Episcopum postularent (*c*).

33. Hoc facto, sequentes literas favore Galonis Paschali Pontifici destinavit, *Dè cætero sanctæ Paternitati vestræ supplicando suggerimus, ut Dominum Galonem Coepiscopum nostrum dè Bellovacensi Episcopatu, quem propter sacramentum Domini Ludovici habere non potest, per manum Senonensis Archiepiscopi transferri jubeatis in Parisiensem Episcopatum &c. Qualitèr autem in eum Cleri, & plebis vota conveniant, dicet vobis præsentium portitor, Parisiensis Ecclesiæ Canonicus, ut cognoscatis eum benè posse transferri, qui sedem propriam nullâ ratione prævalet adipisci* (*d*). Itaquè Ivone satagente, Galo primò ad Bellovacensis, deindè ad Parisiensis Ecclesię apicem convolavit, quarum altera in provinciâ Senonensi, altera in Remensi consistebat. Erat Galo patriâ Bellovacensis, Canonicus regularis, & Abbas Ecclesię Sancti Quintini in suburbano Bellovacensi (*e*), & ità repellebatur ab hoc Episcopatu, quamquàm esset diœcesis illius indigena: admissus vero fuit ad Parisiensem, tametsi ab eo esset extraneus, nedumque extradiœcesanus, sed etiam extraprovincialis, & quodammodò etiam extranationalis, tamquàm qui à Rege Galliæ refutabatur, nè non solum Bellovacensi, sed etiam nulli Ecclesiæ sui Regni præficeretur, ob suppositum, *quod magnus ei futurus esset adversarius, si in regno ejus aliquandò fuisset Episcopus* (*f*); undè apparet, quod præcisâ Regis suspicione, potuisset in qualibet Ecclesiâ totius Regni Gallici beneficiis Episcopalibus insigniri. Ex Ivonis ergò & operibus, & doctrinâ, & dictis, & factis lautè enitescit, viros extraneos esse beneficiorum capaces, & licèt sint extradiœcesani, & imò etiam extraprovinciales, ipseque Rex Regionis obsistat, & provinciæ etiam Metropolita obnitatur; tamen pro libito eorum, ad quos spectat beneficia ecclesiastica dilargiri, posse eadem adipisci.

34. De Ivone Carnotensi rursùs inferiùs redibit sermo. Nunc non inopportunum censemus Formatarum epistolarum formulas, quas collectioni suæ decretorum interserit, memoriam facere, alteram nomine Rathbodi Trevirensis ad Rotbertum Metensem: alteram nomine Dadonis Virdunensis ad eundem Rathbodum Archipræsulem directas, quibus datur facultas quibusdam Clericis illorum Antistitum, à propriâ diœcesi ad alienam transmigrandi, ac inibi sortiendi officia, & beneficia ecclesiastica, ubi suapte naturâ erant extranei (*g*). Quas quia superius per extensum retulimus, nos ab iteratâ earumdem transcriptione suspendimus: patet autem ex eis; patet ex aliis, quæ per Ivonis, tùm facta, tùm scripta suggeruntur; patet demùm ex cunctis, per quæ præsens capitulum compegimus, quod sęculo Christi undecimo Ecclesia pleno arbitrio potiebatur, integrâque libertate conferendi sua beneficia, tam Clericis extraneis, quam indigenis. Hæcque libertas, si cessavit, oportet, quod post præsens sæculum cessaverit: & consequentèr producenda sunt documenta, quæ libertatem Ecclesiæ, illi coævam, & connativam, insuperque per antecedentia undecim sæcula possessam, & potuerint supprimere, & de facto suppresserint. *Dà mihi ergò* (singulis Contradictorum cum D. Petro Damiani dicemus) Dà mihi hæc documenta, & quidem generalia pro totâ Ecclesiâ, vel particularia pro Regno Neapolitano, vel pro alio loco, ad quem hæc quæstio velit extendi; dà mihi hæc, *& ego dò manum, ac tè perhibeo laureandum: alioquin si dare non poteris, in hoc tè convictum per omnia necesse est, fatearis* (*h*).

(*a*) *Ivo loc. citat. & epl. 41. 44.*
(*b*) *Ivo ep. 50.*
(*c*) *Ivo epl. 169.*
(*d*) *Ivo epl. 152.*
(*e*) *S. Anselm. Cantuar. l. 3. epl. 69. & ibi Annot. Jo: Picardi.*
(*f*) *Ivo epl. 49.*
(*g*) *Ivo Carnot. Decr. p. 6. c. 434. 435.*
(*h*) *S. Petr. Damian. discept. synodal. post init.*

CA.

CAPUT XXXI.

In quo ex Summorum Principum praxi, & exemplis, ac præsertìm Imperatorum, *Regumque* Franciæ, *atquè* Angliæ, *ostenditur, quod Ecclesia*, sæculo Christi undecimo, *libera erat in admissione Clericorum extraneorum, ad Ecclesiastica beneficia, ideòque nùnc etiàm eâdem libertate potiri debet*,

SUMMARIUM.

1 *Philippus I. Rex Francorum, optans præfici Ecclesiæ Bellovacensi* Robertum *Abbatem S. Euphemiæ de Calabriâ; scribit Papę, & hic Hugoni Diensi.*

2 *Gregorius PP. VII. mandat eidem Hugoni, ut visitet Ecclesiam Bellovacensem, atque intelligat sensum Cleri, & populi super dicto Roberto.*

3 *In hoc evensu Papa, Rex, Robertus, & Hugo, diverso modo extrancis faventes, docuerunt, non obsistere extraneitatem acquisitioni beneficiorum.*

4 *Robertus hic fuit Normannus, Abbas S. Ebrulfi, posteà S. Pauli Romæ, indè S. Euphemiæ apud Calabros, & alibi: demùm Episcopus in Siciliâ.*

5 *Hugo Diensis à suâ Ecclesiâ erat extraneus, & Archiepiscopatum Lugdunensem, ac Romanum Cardinalatum suscepit, ubi non erat indigena.*

6 *Promotio Hugonis Diensis improbata est, eo quod mos non esset aliquem à Papâ ordinari, nisi in Romanâ Ecclesiâ serviret.*

7 *Christus non omnes Apostolos, sed solum Petrum, nèc Petrus cunctos reliquos Apostolos, sed quosdam tantummodò propriis manibus consecravit.*

8 *Olim ordinatus Episcopus ab alio, quàm ab Archiepiscopo, non habebatur prò Episcopo. Etsi Papa posses Episcopos ordinare; cur id non faciebat?*

9 *Urbanus PP. II. consecravit Ivonem Carnotensem, quem Richerius Senonensis deposuisset, nisi Ivo appellatione sibi cavisset.*

10 *Improbata fuit Hugonis Diensis consecratio, ut manibus Papæ facta, quià videbatur posse jurgia excitare cum Coepiscopis.*

11 *Gregorius PP. VII. contempsit dicteria, vel ostendit morem præfatum non adfuisse: nàm alios etiàm propriis manibus consecravit.*

12 *Si, quando beneficia per viam electionis præbebantur, licebat ea extraneis impertiri, id etiàm nunc licebit collatoribus, vel nominatoribus ad illa.*

13 *Constat stylum tunc fuisse Romanæ Ecclesiæ, quod ejus clerici præfici possent Episcopatibus, & quod consecrarentur à Papâ.*

14 *Ex hucusque dictis de Gregorio PP. VII. de Philippo I. Rege, & de aliis, patet libertas Ecclesię admittendi extraneos ad beneficia.*

15 *Carnotenses dolens, quod cum ipsi elegissent in Præsulem proprium Decanum, Rex Theodoricum ordinari fecisset.*

16 *Optantibus Carnotensibus habere Antistitem de gremio; Rex contendit liberum sibi esse undecumque illum accipere.*

17 *Non impugnabant Carnotenses libertatem Regis, nominandi Pręsules undecumque, sed opponebant, nullum esse præficiendum invitis.*

18 *Carnotenses electo Regio restiterunt. Ex facto Odonis Comitis patet, quod tunc* literæ naturalitatis *non habebant locum.*

19 *Sicut liberum est Regi nominatori, ità etiàm est liberum aliis nominatoribus, vel collatoribus, beneficia viris extraneis impertiri.*

20 *In Angliâ Mathildis Regina, ut Abbatiâ Malmesberiensi insigniretur Ernulfus extraneus, eâ de rè D. Anselmo scripsit.*

21 *Rex Guillelmus, transferri optans* Hervæum *Banchorensem ad sedem Lexoviensem, scripsit D. Anselmo, qui hoc licere respondit.*

22 *Studuit idem Rex aliquem Episcopatum in suâ ditione* Guitmundo *impertiri, licèt extraneo, qui illum recusavit, & cur?*

23 *Guitmundus à Rotomagensibus Archiepiscopus electus est, cui æmuli obiicienda quærentes, nihil de extraneitate dixerunt.*

24 *Multa motiva in his Guitmundi successibus contigerunt, quæ uberrimè causam extraneorum suffulciunt.*

25 *Patet enim, quod eo tempore in Regno Neapolitano extraneitas nullum obstaculum ponebat consecutioni beneficiorum.*

26 *Hermannus Contractus, & alii hujus ętatis Scriptores, plura recensent extraneis faventia. Quid de Patriarchatu Aquilejense?*

27 *Ex eodem Hermanno Henricus II. Imperator Ecclesiis Ravennæ, Constantiensi, Virdunensi, & Moguntinæ, præfecit extraneos.*

28 *Idipsum fecit Henricus III. Sanctus Anno Coloniensis erat frater Vizelonis Archiepiscopi Magdeburgensis.*

29 *Monachus Prumiensis Abbatiam Augiensem habuit à S. Henrico Imperatore. Plures Archiepiscopi alias adepti sunt.*

30 *Principes non permitterent se libertate spoliari, quâ hucusque potiti sunt deferendi beneficia etiàm clericis extraneis.*

31 *Violatur jus arctando libertatem conferentium beneficia, vel ad ea nominantium, qui in hoc sunt Organa Ecclesię.*

32 *Ad avertendam ab Ecclesiâ Dei confusionem, & ad pacem in eâ servandam, præstat nihil innovari in negotio, de quo agimus.*

1. AB illa ipsâ Ecclesiâ præsens capitulum inchoantes, à quâ conclusimus antecedens, obvium habemus tractatum, vi cujus *Philippus I. Rex Francorum* vacanti Ecclesiæ Bellovacensi Robertum Abbatem S. Euphemiæ de Calabriâ præfeci in Antistitem solers fuit. Rem recenset Gregorius Papa VII. in epistolâ ad Hugonem Diensem, in quâ sic habet: *Quid de negotio Carnotensis Ecclesię actum sit, tuâ relatione, rejecta omni ambiguitate, sicut oportuerat, cognovisse vellemus. Pervenit enim ad aures meas, tè excommunicasse, & irrecuperabilitèr deposuisse quendam juvenem illuc indignè oppositum pro Episcopo. Quod quidem si ita est, nobis multum placet, & præsenti auctoritate confirmamus. Cæterum fraternitati tuæ notum esse volumus, Philippum Regem Francorum iteratâ postulatione missionem ad nos direxisse pro Roberto Abbate Monasterii S. Euphemiæ de Calabriâ, qui & hoc anno, cum in Longobardiâ eramus, per nos transivit in Franciam, ut eum ad regimen Carnotensis ecclesiæ Episcopum probaremus, & ordinaremus (a).*

(a) *Gregor. PP. 7. epi. 11. l. 5. ap. Bin. to. 7 Conc. p. 2 f. 401.*

2. Fusiùs Pontifex prosequitur narrationem, aitque Robertum vocationem illam ad Episcopale munus refutasse, nec quidquam super hoc sine Pontificio assensu velle concludere. Adjungit, quod duo Clerici Carnotenses referebant, concives suos in Roberti provectionem voto unanimi consentire, formalem tamen electionem ejusdem non esse factam. Jubet propterea Gregorius Hugoni, ut Ecclesiam illam per sè, vel per probatum sibi visitet delegatum, *& voluntatem omnium,* inquit, *tam majorum, quam minorum super hac rè diligenti inquisitione cognoscas. Quod si causam ex omni parte, divinâ miseratione, & dispensatione, ita cooptari posse videris, ut illorum in hunc, quem supra diximus Abbatem, voluntas libera,*

libera, consideratio prudens, electio canonica, & sanctorum Patrum regulis consonans dignoscatur, quam citissimè nobis certa literarum tuarum significatione indicare procures, ut quae ad effectum hujus dispensationis sunt, Deo auctore exequi, & implere possimus (a).

3. Rex igitur Galliæ, Clerus, & populus Bellovacenses, Gregorius Papa VII. Hugo Diensis Legatus, Robertus Abbas S. Euphemiæ &c. diversâ viâ, univoco tamen incessu ad eundem scopum tendentes, quà postulando, quà consentiendo, quà authorizando, quà alitèr sua opera interponendo, admissioni extraneorum faverunt ad ecclesiastica beneficia in loco, in quo non deficiebant indigenæ, cum signantèr adesset alius ad eandem dignitatem aspirans. Et quamquam Robertus uti Monachus professione, atque Abbas apud Calabros, ratione incolatus, & suscepti Abbatialis officii factus esset Italus, adeoque à Bellovaco ex hac etiam ratione esset extraneus, nihil tamen metuit Philippus I. Rex Francorum ejusdem provectionem promovere ad illud Episcopale beneficium, quod sanè salvâ conscientiâ, & fine enormi injustitiâ, facere non potuisset; nec quisquam Rex terrenus posset idipsum facere in præjudicium indigenarum, in loco actualitèr commorantium, qui omnes prius essent excutiendi, antequam admitterentur extranei, si ratio indigenatus in obtinente ecclesiastica beneficia exigeretur juribus divino, naturali, & humano, uti contendunt Contradictores.

4. Erat hic Robertus origine Gallus, genere Normannus, ex provinciâ ecclesiasticâ Rotomagensi, Abbas S. Ebrulfi Uticensis in diœcesi Lexoviense (b), qui declinans indignationem Guillelmi II. Ducis Normandiæ, in Italiam se recepit (c), ubi prius ab Alexandro PP. II. Romę Abbatiam S. Pauli viâ Ostiensi promeruit (d), deindè in Apuliam, & Calabriam profectus, ubi operâ Roberti Guiscardi Principis, Abbatiam S. Euphemiæ adeptus est (e), successivè obtinuit etiàm Abbatiam S. Trinitatis Venusię, quam posteà Berengario Gallo Monaco Uticensi concessit, & aliam S. Michaelis, apud Mellitum, quam paritèr Vvillelmo itidem Gallo, & Uticensi Clerico, monacho verò S. Euphemiæ commisit (f). Ipse autem Robertus demum Episcopali crevit honore apud Troinam, sive Messanam Siciliæ (g). Sanè, quod hic vir beneficium episcopale in Galliâ, ubi erat originarius detractaverit acceptare; acceperit verò in Siciliâ, terque quaterque Abbatialia susceperit beneficia in Italiâ, ubi ortu erat extraneus; alio modo fuisse non potest, nisi eo quod nec indigenatum necessarium esse, nec extraneitatem obsistere cognovit pro adipiscendis ecclesiasticis beneficiis.

5. Ad hæc non omittendum, quod inter cooperatores promotionis præfatæ Roberti ad Episcopatum Bellovacensem per Francorum Regem, uti suprà diximus postulatæ, unus fuit Hugo Diensis Episcopus, & posteà Archiepiscopus Lugdunensis (h). Quem etiam fuisse Cardinalem Romanæ Ecclesiæ dubium non est; sed an Vaticanâ purpurâ donatus fuerit ab Alexandro PP. II. prout ponunt Panvinius, & Ciaconius (i), certum esse non videtur, quippè si hoc esset, vel non, vel vix possent verificari, quæ Gregorius Papa VII. circa illum fecisse legitur, sicut mox subjungemus: prænotato, quod ipse Hugo, quemadmodum & ipsi fatentur Contradictores, non fuit apud Dienses indigena, sed extraneus. Et quatenùs etiam fuisset, cum subinde beneficium Cardinalatus in Romanâ Ecclesiâ susceperit, & Archiepiscopale in Ecclesiâ Lugdunensi (l), proculdubio semèl, & iterùm beneficia ecclesiastica, & quidem altioris ordinis, adeptus est in locis, à quibus erat extraneus. Hunc Apostolicâ Legatione decoratum fuisse novimus (m), ac præfuisse Conciliis Lingonìensi, Lugdunensi, Avenionensi, & Ostionensi (n): dumque in sæculo floreret, inter varias eventuum vicissitudines vitam duxit: tanti tamen meriti, ut & miraculis coruscaverit (o), & à Gregorio præfato fuerit Cardinalibus, tanquàm dignus Pontificatu propositus (p).

6. Hic electus, prout diximus, in Presulem Ecclesiæ Diensis, dùm adhuc esset Clericus, Romam profectus est, ubi à memorato Gregorio Papâ VII. prius mino-

(a) *S. Gregor. PP. 7. lib. 5. epist. 11. loc. cit.*

(b) *Vvillelm. Gemmetic. hist. Roman. l. 7. cap. 23.*

(c) *Idem loc. cit. c. 30. Order. Vital. hist. Eccl. l. 3. f. 481. B.*

(d) *Orderic. Vital. loc. cit. f. 431.*

(e) *Vvillelm. Gemmet. l. 7. cap. 30. Gaufr. Malater. l. 2. c. 19. Vital l. 3. f. 481.*

(f) *Orderic. Vital. hist. Eccl. l. 3. fol. 484. §. præfatus.*

(g) *Gaufrid. Malat. l. 3. c. 19. Fazel. dec. 1. l. 10. Roc. Pir. Sicil. sacr. notit. 2. ad annum. 1062.*

(h) *Vide Catal. Archiepiscopor. Lugdun. num. 68.*

(i) *Catal. cit. Panvin. & Ciacon de Roman. Pontif. in Alex. 2.*

(l) *Baron. an. 1080. num. 75.*

(m) *S. Greg. 7. lib. 4. epl. 26.*

(n) *S. Gregor. 7. lib. 4. epl. 22. Baron. an. 1077 60. an. 1080 nu. 75. & 75 & an. 1094. n. 16.*

(o) *Petr. Cluniac. de Miracul. l. 1. c. 22. Baron. an. 1094 n. 21.*

(p) *Leo Ost. Chron. Cassin. l. 3. c. 64. Baron. an. 1085. n. 19.*

ribus, deindè majoribus ordinibus insignitus est, ac tandem sacrâ Episcopali unctione perfusus. Verùm hujusmodi promotionem à quibusdam Romanorum legimus improbatam, non eo quod Hugo esset à Diensi Ecclesiâ extraneus, quemadmodum comminiscuntur Contradictores (*a*), sed propter causam, quam sic Hugo Flaviniacensis exponit, *quià* Hugo *solam Clericalem Tonsuram habebat, in mense decembris, per manum ejus* (idest Gregorii VII.) *usque ad Presbyteratus gradum promotus est, cum hoc aliqui calumniarentur Romanorum, & promerent morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, neminem, licèt electum Antistitem, à Papâ ordinandum, nisi in eâdem deserviret Ecclesiâ: quod tamèn in ipso Domnus authenticâ potestate suâ fecit. Complacuerat enim sibi in illo anima ejus. In Quadragesimâ verò sabbato in Presbyterum, & sequenti Dominicâ ad Missas in Episcopum consecratus est* (*b*).

7. Morem hunc, quod Romanus Pontifex, inferiorum Ecclesiarum Episcopos ex semetipso non consecret, ab initio indè potuit effluxisse, quod nec Christus cunctos Apostolos, sed solum Petrum in Episcopum consecravit, uti latè probat Joannes de Turrecremata (*c*). Et nos etiam in hoc opere memoranus, idque indicat per hæc verba Beatissimus Papa Leo, *Hujus muneris sacramentum, ità Dominus, ad omnium Apostolorum officium voluit pertirere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principalitèr collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet* (*d*). Nèc ipse etiàm Petrus Episcopalis Ordinis Apex, & Vertex, omnes Apostolos, sed solum Joannem, & utrumque Jacobum, atque aliquos alios propriis manibus ordinavit (*e*): reliquos vero sacrandos aliis commisit. Quibus ità sè habentibus, ab antiquis usque sæculis reputatum est decere, ut Romanus Pontifex, Vicarius Christi, atque D. Petri successor, non omnes Episcopos, sed aliquos tantùm præcipuos, ac in primariis cathedris collocandos, propriis manibus consecraret, vel aliquos etiam minoris conditionis Antistites ex se ipso sacrâ unctione respergeret, si de Romanâ Ecclesiâ selecti alicui alienę Ecclesiæ præficerentur. In aliis verò Ecclesiis Præsules, vel jussu Papæ, vel cum illius consensu, fuerunt etiam antiquitus ordinati; & respectu ad Orientem, Vicarii Papę prò illo consensum congruum exhibebant: ac generalitèr in toto Orbe nullus sine Romani Pontificis auctoritate potuit etiam antiquis sæculis in Antistitem ordinari, prout patet ex epistolis Siricii, Gregorii, Martini Pontificum (*f*). A' Petro enim, inquit Innocentius Papa I. in epistolâ ad Concilium Carthaginense, *ipse Episcopatus & tota auctoritas nominis ejus emersit* (*g*).

8. His accedit, quod usque à primis Ecclesiæ temporibus, jus consecrandi Episcopos pertinuit ad eorum Metropolitas, tantâ observantiâ, ut ordinatus ab alio, quàm à proprio Metropolitano, sive de illius assensu, prò Episcopo nullatenùs haberetur (*h*). Scilicèt quoad potestatem jurisdictionis, & quoàd exercitium ordinis Episcopalis, uti apparet ex epistolis Innocentii I., & Hilari Romanorum Pontificum (*i*), ex Conciliis Antiocheno, & Lucensi (*l*), ex Arelatensi II., atque Aurelianensi III. (*m*): Nècnon ex pluribus canonibus in Juris corpore subinsertis (*n*). Ideò licèt Papa possit immediatè assumere, & creare Episcopos in qualibet diœcesi (*o*); adhùc tamen ad Ecclesiæ quietem, & concordiam intèr membra cum capite impensius conservandam, expedire censebatur tempore Gregorii VII., & circa illam ætatem, quod Papa, Episcopos, per provincias electos, ex sè non consecraret, cum interdùm quando id fecit, aliqui Metropolitani se injuriâ affici, atque eorum privilegia imminui conclamaverint: Quantumvis rè vera Pontifices aliquem promoventes, nulli injuriam facerent, sed uterentur jure suo, & ex abundanti salva servarent jura Episcoporum, ad quos promotio pertinebat, & ità Innocentius Papa III. scribens Conventui S. Leufredi de Cruce dicit, *electo à nobis* (in Abbatem) *nos ipsi munus benedictionis, salvo jure Diœcesani Episcopi, curavimus exhibere* (*p*).

9. Exemplum conquestionum, à Metropolitanis factarum, est in Pontificatu Urbani Papæ II., qui Ecclesiam Carnotensem, per depositionem Gaufridi Episcopi vacuatam (*q*), contulit, sive præberi fecit, Ivoni Prępósito S. Quintini, eumque sacrâ

(a) *Auctor libri de rè beneficiaria f. 232.*

(b) *Hugo Flaviniac.*

(c) *Joan. de Turrecrem. sum. Eccl. lib. 2. c. 32. Bellarm. de Pontif. l. 1. c. 23. in princ.*

(d) *S. Leo epl. 89.*

(e) *Vid. Bellarm. loc. cit. l. 4. c. 34.*

(f) *Siricius epl. 4. c. 1 S. Greg. l. 2. ep. 30. Martin. 1. ep. 11.*

(g) *Innoc. I ep. 91. inter epl. D. Augustin.*

(h) *Concil. Nicæn. 1. cap. 6.*

(i) *Innoc. I epl. 2. c. 1. Hilar. ep. 2. c. 1.*

(l) *Conc. Antiochæ. 19. Conc. Lucens. 2. c. 3.*

(m) *Conc. Arel. 2. c. 6. Conc. Aurel. 3. c. 3.*

(n) *Cap. quia per e. Episc. dist. 64 65. cap. placuit, de tempor. ord.*

(o) *Concil. Trid. sess. 23 c 8. Jo. 8 epl. 281. cap. ad cuiuslibet extr. de præbend.*

(p) *Innoc. 3 to. 1. epistolarum f. 321.*

(q) *Card. Baron. an. 1092. n. 2.*

sacrâ consecratione Romæ respersit, atque ad Ecclesiam suam misit (*a*). Pontificiis literis munitum, in quibus Richerio Senonensi denuntiabatur: *nostrâ licentiâ fulti Carnotenses, Ivonem in Episcopum elegerunt, cum autem à tè consecrationis gratiam prò more Ecclesiæ petiissent tua fraternitas imponere manum recusavit. Ad nos igitur ipsi venientibus, & consecrationis ejusdem gratiam poscentibus, petitioni justæ deesse nequivimus: consecratum igitur, salvâ tuæ Ecclesiæ obedientiâ, remittentes &c.* (*b*). Ad quæ audita Richerius, uti Metropolita, se contemptum, & injuriâ censens affectum; magnis ejulatibus exclamavit: convocatisque ad Concilium quibusdam Episcopis, jure suffraganeo sibi addictis; ordinationem Ivonis irritam declarare attentavit, eumque prorsus ex adepto throno evertisset, nisi Ivo appellatione, ad Urbanum interpositâ, se munisset. Scripsit ergò ad Urbanum; *mè inordinatè satis accusavit Archiepiscopus, dicens, mè in Majestatem Regiam offendisse, quia à Sede Apostolicâ consecrationem præsumpseram accepisse. Cum itàque conarentur Gaufredum depositum, contrà decretum vestrum in statum pristinum reformare, & in mè depositionis sententiam proferre; Sedem Apostolicam appellavi* (*c*). Et ad Richerium paritèr scripsit, *Irreverentissimè os vestrum posuistis in cœlum, cum benedictionem, per manus impositionem Papæ datam, & Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, non simplicem benedictionem, sed qualemcumque hostili irrisione appellatis, cum ad ipsam principaliter, & generalissimè pertineat, tàm Metropolitanorum, quàm cæterorum Episcoporum consecrationem confirmare, vel infirmare* (*d*).

(a) *Baron. loc. citat. Vid supr. cap. preced à num. 18.*

(b) *Urban. 2. epist. 8 & 9.*

(c) *Ivo Carnot. ep. 12*

(d) *Card. Baron. anno 1092. n. 6.*

10. Igitur Hugo electus Episcopus Diensis, Romam progressus est, ut ad superiores Ordines usque ad Consecrationis Episcopalis plenitudinem perveniret: tàm autem uti Episcopus inferioris Ecclesiæ, non videbatur esse talis, quem deceret, propriis manibus, à Gregorio Papâ VII. consecrari; quàm uti suffraganeus Archiepiscopi Viennensis, censebatur, quod si immediatè à Pontifice censecraretur, erat periculum indignationis ipsius Archiepiscopi, qui se contemptum, & se injuriâ reputaret affectum, undè facillimè prævidebantur oriri posse contentiones, & jurgia, non citò supprimenda: idcirco quidam Romanorum ordinationem hanc improbarunt, non quia Hugo esset indigena, vel extraneus ab Ecclesiâ Diensi, de hoc enim Romani, nec per somnium cogitarunt, sed quia Papa moris antiqui limites transilierat, suæ dignitatis gloriam quodammodò deprimebat, & Romanam Ecclesiam periculò dissidiorum cum Viennensi Archiepiscopo, & cum ejus suffraganeis exponebat. Verùm Gregorius, contemptis Romanorum dicteriis, Hugonem in Episcopum Diensem, ut innuimus, ordinavit.

11. Nèc nisi contemni merebantur ipsa dicteria: quippè oportet rè vera talem consuetudinem non adfuisse. Nàm ipse Gregorius VII. Servandum Episcopum Hipponensem, sibi à Rege Mauritaniæ missum, propriis manibus consecravit (*e*). Item quendam Abbatem, sibi à Rege Hispaniæ propositum, unxit in Episcopum (*f*) cavens alioquin, ne Metropolitarum juri præjudicium inferret; & ità Episcopum Mellitensem renuit consecrare, donec ei constitit, *ad Rhegitanæ parochiæ consecrationem non attinere* (*g*), Paschalis quoque II., qui paulò post Gregorium VII. sedit, Othonem Bambergensem propriis manibus consecravit (*h*). Quod & alios Pontifices cum aliis fecisse Præsulibus nullatenùs dubitamus. Ex his autem historiis, & signantèr ex historiâ Hugonis patet, quod cum ipse de nativo suo loco ad Diensem, & de Diensi Ecclesiâ ad Lugdunensem, atque ad Romanam transitavit, vel in secundâ, & tertiâ sede, vel saltem in alterutrâ fuit extraneus, sicque ex ejus facto perspicuè comprobatur, viros extraneos posse licitè alibi beneficia Episcopalia, & consequenter etiam alia inferioris ordinis adipisci.

(e) *S. Greg. 7. l. 3. ep. 19. 20 21.*

(f) *S. Greg. 7. l. 5. ep. 28.*

(g) *Idem l. 9. ep. 24.*

(h) *Paschal. II. ep. 8. ap. Bin. to. 7. Conc. p. 2. f. 524. A.*

12. Si dicatur ideò provectum fuisse Hugonem extraneum ad Episcopatum Diensem, quià Dienses illum communi voto elegerunt, ut ait Flaviniacensis (utens verbis D. Cypriani) *de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de Plebis, quæ tunc affuit suffragio, de Sacerdotum, & bonorum virorum collegio* (*i*); hoc non minuit, sed auget vim nostræ rationis: solum enim concludit,

(i) *Hugo Flaviniac.*

cludit, quod quoties illi, ad quos spectat beneficiarios eligere, in extraneum feruntur, hic ritè, ac licitè promovetur. Ergò sicuti quando beneficia per electionem cleri, & populi dispensabantur, electoribus in extraneum consentientibus, el ritè poterat beneficium committi; ita etiam nunc, cùm beneficia distribuuntur per collationem, factam ab ordinariis, vel delegatis eorum largitoribus, aut per nominationem jus habentium præsentandi; quoties ipsi Nominatores, vel Collatores extraneum eligere, vel nominare velint; extraneus ritè, & licitè potest promoveri. Collatores enim, & Nominatores præfati quoad hoc succedunt in locum cleri, & populi, olim beneficiarios deligentis: subrogatum quippè sapit naturam subrogati (a); Et qui substituitur uti debet jure illius, in cujus locum succedit (b). Nec relevat quod Romani provectionem Hugonis carpserint; non enim improbaverunt ejusdem electionem ad beneficium, sed promotionem ad ordines: vel non extraneitatem improbarunt, sed modum in ejusdem consecratione observatum.

(a) *Barbos. in cap. 3. n. 4. ut lite pend. l. 2.*
(b) *Barbos. tract. var. Axiom. 135. n. 9.*

13. Præterquam quod Romanorum improbatio fuit à Gregorio Papa VII. parvipensa: vel quia à merâ dicacitate populi proveniebat; vel quia tale in sè momentum non continebat, quod mereretur attendi. Quare si non meruit attendi, signum est quod nedum extraneitas, sed etiam consecratio Hugonis nullo vitio laborabat: & sic libertas pro extraneorum inauguratione subsistit. Demum si attendantur verba Hugonis Flaviniacensis, ex ejus lecturâ optimè eruitur, quod clerici ex Romanâ Ecclesiâ desumpti, sivè qui Romanæ Ecclesiæ deserviunt, licitè valent præfici beneficiis Episcopalibus aliarum Ecclesiarum, manibusque ipsiusmet Pontificis consecrari. Et ita tunc fuisse stylum Romanæ Ecclesiæ ait; taliter quod si Hugo Diensis fuisset clericus Romanæ Ecclesiæ; Romani non improbassent illius à Pontifice propriis manibus factam consecrationem: hoc enim unum est illud, de quo tunc Urbis incolæ detrahebant: nec omnes, ut inquit Flaviniacensis, sed pauci ex eis, *cum hoc aliqui calumniarentur Romanorum, & promerent morem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, neminem licèt electum Antistitem, à Papa ordinandum, nisi in eadem deserviret Ecclesiâ*.

14. Itaque tàm ex facto Phillippi I. Francorum Regis, Papam sollicitantis, ut beneficium Episcopale Ecclesiæ Carnotensis Roberto Abbati Sanctæ Euphemiæ largiretur; quàm ex facto S. Gregorii Papæ VII. votis Regiis sè inclinantis, dummodo Robertus canonice à Bellovacensibus eligeretur; nec non ex cooperatione Hugonis Diensis ad utrumque intentum Regium, & Pontificium; Demum ex facto proprio Hugonis ipsius, modo Episcopale beneficium apud Dienses, modo Archiepiscopale Lugduni, modo Cardinalitium Romæ suscipientis; ac postremo ex textu alterius Hugonis Flaviniacensis, & ex gestis præfati Roberti, beneficia, tàm in Italia, quàm in Siciliâ, multimodè suscipientis; clarè satis apparet, quod Ecclesia, illo currente sæculo, fruebatur integrâ libertate, provehendi clericos extraneos ad quælibet Ecclesiastica beneficia, etiam Episcopalia, & Cardinalitia: multo magis autem ad alia ordinis inferioris: à qua libertate, cum nunquam deciderit, oportet quod eâdem etiam nunc, uti sibi coævâ, connaturali, & à sè, saltem generaliter, inabscindibili, perfruatur. Sicque hinc non unico, sed multiformibus motivis, comprobatur libertas, quâ sustinemus potiri Ecclesiam, conferendi sacras præbendas, & Ecclesiastica beneficia, non modo clericis indigenis, verum etiam extraneis.

15. Alius Rex præcesserat *Robertus*, filius Hugonis Capeti, optimus, & pius Princeps, qui hoc eodem undecimo sæculo Ecclesiasticæ libertatis, de quâ est sermo, præclarum exhibuit argumentum. Vacabat ipsamet Ecclesia Carnotensis, ad cujus Episcopale beneficium clerus elegerat A. illius Ecclesię Decanum: At Rex Theodoricum quemdam ibi in Antistitem nominavit, cui Regina quoque favebat, & pauci etiàm quidam de Carnotensibus consentiebant. Metropolitanus proindè, Principum intentioni adhærens, Theodorico, non Decano, manum imponere promptus fuerat: Canonici verò Carnotenses eum gravibus hisce literis adjerunt:

Mul-

Multum miramur venerande Pater, quod bonis initiis tàm malos exitus habuisti, videlicet, quod nobis pastore carentibus, in altero substituendo, primum benè favisti, & postremò sententiam tuam depravasti, alium quàm nos elegeramus ordinando. Nè autèm dicas ignorasse tè electionem nostram, mandavimus tibi per diaconos nostros Odelerium, & Fortimundum, elegisse nos A. decanum cum literis nostris idipsum continentibus, qui talis nobis videbatur, qualem Episcopum ordinari debere dicit Concilium Carthaginense IV. Quod si post hæc alium tibi obtulerant, vel Rex, vel aliqui ex nostris minùs sapientibus, oportuisset tè causam diligentèr attendere, & intèr nos ipsos dijudicare, quorum sanior habetur electio (a).

16. Et interjecto decreto S. Leonis, quod occurrente scissurâ in electione, Metropolitanus præponeret, quem majora studia iuvabant, & merita, subdunt: *Volumus autèm scire tè, quod ipsam electionem nostram mandavimus Domino Regi per suos Monachos Hernaldum Priorem, & Restaldum Præpositum S. Dionysii: quibus obiicientibus nobis, de Theodorico ordinando, regiam voluntatem, injunximus, ut dicerent, Reginam id temere fieri jubere: vocaret autèm nos anteà, si sibi placeret ad curiam suam, vel suę voluntati consensuros, vel cur dissentiremus ostensuros.* His autem nihil attentis contendebat Rex, sè nullatenus cohiberi posse, ut vel decanum, vel alium de gremio Ecclesiæ provehere teneretur, sed liberum sibi esse undecumque, & qualemcumque clericum, dummodò idoneum nominare: ùnde subdunt in præfatâ epistola Canonici memorati: *His verò dictis nostris ipsè Dominus Rex contemptis, qualem sibi libuit personam, absque nostrâ petitione ordinari violentèr voluit (b).*

(a) S. Fulbert. Carnot. ep. 131. vid. supr. sac. 11. c. 20. n. 3.

17. Nèc impugnabant hujusmodi libertatem Carnotenses, optimè conscii, quod Nominatoris est quemcumque, & undecumque ad beneficia ecclesiastica nominare: sed adversùs violentiam exclamabant; nèc ullum invitis esse preficiendum in Antistitem ejulabant: allegantes in ipsâ epistolâ canones Cælestini Papæ I. & Concilii III. Carthaginensis, interdicentium, nè quis ex transverso veniens, & indiscussis articulis ei objectis, promoveatur. Tùm subjungebant: *Nobis invitis obtrudere vultis Episcopum, nèc conceditur liberum de eo nobis, qui nos recturus sit habere judicium, & cum huic qui ordinandus erat contradiceretur, minimè purgata sunt, quæ obiicebantur, nèc personæ, vel rationes contradicentium discussę (c).* Et sanè justa atque rationabilis erat Carnotensium querela: quippè tametsi liberum sit habenti jus nominandi animarum Rectores, quemlibet, & undelibet nominare; licitum tamèn non est virum odiosum, & populis ingratum, ac dè criminibus diffamatum, vel aliundè minus dignum, eligere: ideoque justè obluctabantur Theodorico, tot defectibus irretito, & quem etiàm inhabilem ad tanti muneris gloriam reputabant; qua de rè aliam quoque epistolam dederunt ad Bellovacensem, Aurelianensem, & Turonensem Antistites, declamantem,

(b) S. Fulbert. loc. cit. epist. 131.

(c) S. Fulbert. loc. cit. epist. 131.

18. *Conquerimur apud vos Patres de Archiepiscopo nostro, & Rège, qui nobis invitis Episcopum donare volunt, quendam idiotam, ut scitis, & ejusmodi officio indignum, & ignarum: precantes auxilium vestrum, ut vigiletis sicut boni Ecclesię pastores, ad portas ejus, ne introeat in illam ille talis, qui non quęsivit intrare per ostium, sed aliundè ascendere, sicut fur, & latro. Vobis tribus portas custodientibus, sciatis pro certo quartum custodem addi Odonem Comitem, & nunquàm recepturum illum in civitatem suam, nisi priùs vestro judicio examinutum, utrum recipi debeat, an non. Vigilate igitur attentius, & diligentèr inquirite causam cum vestris sapientibus clericis, & nobis famulis vestris, si dignemini: nec proptèr Regis reverentiam hoc agere pigritemini, quasi hoc pertineat ad fidelitatem ejus. Verè etenim illi fideliores eritis, si quæ sunt corrigenda in regno ejus correxeritis, & animum ejus ad eandem correctionem compuleritis &c. (d).*

(d) S. Fulbert. Carn. epl. 132.

19. Quemnam finem habuerit hæc controversia intèr Regem, & Canonicos Carnotenses: intèr Decanum indigenam, & Theodoricum extraneum, nobis est usque nunc incompertum; nec ejus exitum districtius perscrutari necesse est, cum

præ-

præcedentia sufficiant. Etenìm satis est nobis, quod Rex Francorum in eo se constantèr sensu fovebat, sibi licere, non tàm indigenam, quàm etiàm extraneum, talem tandem, *qualem sibi liberet personam*, ad beneficium episcopale Carnotense provehere. Carnotenses quoque hanc libertatem Regis non impugnabant, neque Theodoricum proptèr extraneitatem admittere recusabant, cum tamèn si hæc esset divino, naturali, & humano jure damnata, proùt contendunt Contradictores, non debuisset sileri: Sed potiùs super illâ insistendum fuisset, tamquàm super rè majoris momenti, non verò hac prætermissâ, motiva minoris ponderis allegare: nàm Theodoricum, solummodò de insufficientiâ reprehenderunt, de ingressu aliundè, quàm per ostium, de odiositate, & quod præficeretur ipsis invitis, contrà canones id vetantes. Ex hujus ergò serie facti, & Regis Francorum sensu, infertur Ecclesiæ libertas, de quâ sit sermo, & sicuti Rex, cui jus inest de beneficiis per viam nominationis disponere, illa valet nedùm indigenis, verùm etiàm extraneis impertiri; sic & eâdem libertate potiuntur, quicumque alii, vel per viam electionis, vel per viam præsentationis, vel per viam plenæ collationis, possunt de beneficiis ecclesiasticis, sivè ordinario, sivè delegato jure disponere.

20. Ex Regno *Angliæ* aliqua nunc promamus. *Mathildis* Anglorum Regina Guillelmi Nothi conquisitoris conjux, & filia Balduini Comitis Flandriæ (*a*), gratam se reddere volens Ernulfo monacho Vvintoniensi, ei beneficium Abbatiale cœnobii Malmesberiensis destinavit, ac de tali designatione S. Anselmum Cantuariensem suis literis conscium fecit, *Vestræ* inquiens, *sanctitatis favore freta Domino Ernulfo Vvintoniensi monacho, olimque sacristæ, vobis credo noto, Abbatiam Malmesberiæ in his, quæ mei juris erant, commisi: vestræ quidem donationi, & dispositioni quæcumque illius sunt ex integro reservatis; uti scilicèt tàm virgæ, quàm curæ pastoralis commissio vestræ discretionis contradatur arbitrio* (*b*). Hic sanè illa Principissa officium nominatricis explevit: Collatoris vero partes obivit S. Anselmus; & uterque, sivè nominando, sivè conferendo virum extraneum ad beneficium illud Abbatiale provexerunt. Nàm Ernulfus erat monachus Vvintoniensis, Abbatia autèm Malmesberiensis erat sita in pago Vvitensi Diœcesis Sarisberiensis, primò inchoata à Mridulfo monacho Scoto, & anno 657. maximè aucta, atque ditata à Leutherio Vvestsaxonum Episcopo, Agilberti Parisiensis Antistitis nepote (*c*).

(a) *Vuillelm. Gemmeticens. histor. Norman. l. 7. c. 25. f. 277.*

(b) *S. Anselm. Cant. l. 3. epist. 119.*

(c) *Joan. Picard. annot. ad S. Anselm. l. 3. epist. 119.*

21. Rex quoque Guillelmus Nothus Banchorensem Sedem cernens humanis eventibus consternatam, ac deturbatam, urbemque, exinanitam habitatoribus, atque splendore pristino destitutam, voluit transferre Episcopum illius Heruæum ad cathedram Lexoviensem: ut autem tuto procederet, sacrosque canones nullâ ex parte violaret, consilium super hoc petiit à D. Anselmo Cantuariensi; qui rè funditus consideratâ, respondit; translationem illam Heruæi licitam esse, dummodo, ut constitueretur in aliâ provinciâ canonicè Episcopus, id non fieret *sine consilio, & assensu Archiepiscopi, & Episcoporum ejus provinciæ, cum auctoritate Apostolicâ, nec sine absolutione Archiepiscopi, & Episcoporum provinciæ, in quâ sacratus est &c. Quamvis Episcopatus ejus ita videatur destructus, ut in eo manere non possit* (*d*). Cumque Heruæus esset ab Ecclesiâ Lexoviensi, nedùm patriâ, sed etiam provinciâ extraneus, tamque Rex, quam D. Anselmus eidem deferri posse inibi beneficium episcopale dijudicarent, nihil attento indigenatus defectu; satis hinc patet, extraneitatem nullum obstaculum ingessisse, pro consequendis ecclesiasticis beneficiis.

(d) *S. Anselm. Cant. l. 3. epl. 126.*

22. Sed memorabile est id, quod evenit præfato Regi, cum *Guitmundo Aversano*, qui floruit anno Christi 1070. (*e*), fuitque, vel natione Italus, tametsi cognomine Normandus, monachusque cœnobii S. Crucis de Avellanâ, propè Eugubium, in Umbriâ, Congregationis Columbæ (*f*); vel secundum alios, natione Gallus, & monachus cœnobii S. Laudfredi, quod Crux Heltonis, dicitur, in Normandiâ (*g*). Cujus magni viri, doctrinâ clarissimi, amore captus Rex Guillelmus, eum ad sè in Angliam accersivit, ubi eundem optans ad aliquod episcopale beneficium promovere, Guitmundus oblatam dignitatem constantissimè recusavit, mul-

(e) *Bellarm. de Script. Eccl. in Guitmundo.*

(f) *Possevin. Appar. Sacr. in Guitmundo.*

(g) *Idem, & Orderic. Vital. hist. eccles. l. 4. ann. 1070. f. 524.*

tas

tas allegans causas, quas eleganti stylo, & integrâ oratione Regi exposuit; nihil tamen intèr eas de motivo extraneitatis ingessit: quod sanè omittere non debebat, uti causam inter omnes potissimam: divino nempè, naturali, & humano jure, in sententiâ Contradictorum, à beneficiis ecclesiasticis repellentem: quibus causis expositis, tandem eloquium suum ità conclusit: *Normanniam eum vestrâ licentiâ, & optimam Angliæ prædam amatoribus mundi, quasi quisquilias derelinquo: liberam paupertatem Christi amo, quam Antonius, & Benedictus amplexati sunt, magis quam divitias Mundi, quas Cræsus, & Sardanapalus nimis amaverunt, & postmodum miserè pereuntes, hostibus suis deseruerunt* (a).

23. Obstupuit ad hæc Rex, miratique sunt ejus Proceres tantam Guitmundi constantiam, & eminentis dignitatis contemptum, nec ei audens vim facere, licentiam contulit, ut in Neustriam remearet. *Non multo post defuncto Joanne Rotomagensium Archiepiscopo, Rex, & alii plures Guitmundum ad Archiepiscopatum elegerunt: sed emuli ejus, quos idem vituperaverat, nè Archipræsul fieret, quantum potuerunt impedierunt. In tanto viro nil obiiciendum invenerunt, nisi quod filius esset Presbyteri. Ille autem ab omni avaritiâ purgari volens, & inter exteros paupertate premi, quam inter suos dissensiones fovere malens, Odilonem Monasterii sui Abbatem reverentèr adiit, & humilitèr ab eo licentiam peregrinandi petiit, & accepit. Porrò illiteratus Abbas metiri nesciebat, quantus sapientiæ thesaurus in præfato doctore latebat: ideo desiderabilem philosophum de Monasterio suo facilè dimisit, quem Gregorius VII. Papa venientem ad sè gaudens suscepit, Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfecit, & Urbanus Papa, jàm probatum in multis, Metropolitanum Adversis Urbis solemnitèr ordinavit* (b), idest fecit Episcopum Aversanum.

24. Supputetur quoad omnes numeros hoc factum, & perpendatur cur *Gullielmus* Rex Episcopatum in Angliâ detulit Guitmundo, qui sive esset Italus, sive Normannus, à Regno Angliæ prorsus erat extraneus? Cur *Guitmundus* causas hinc indè consciscens, ob quas Episcopatum in Angliâ duceret refutandum, multasque allegans, extraneitatem conticuit? Cur rursus *idem Rex* Guitmundum Archiepiscopatu Rotomagensi sategerit decorare, quamquàm ab illo esset extraneus? Cur *Æmuli* Guitmundi motiva quærentes, quibus ei assecutionem Rotomagensis Archipræsulatus impedirent, extraneitatis titulo non allegato, solùm ad id confugerunt, quod esset filius presbyteri? Cur Archiepiscopatus Rotomagensis Guitmundo denegatus *Guillelmo Cadomensi* collatus fuerit (c), qui & ipse ibi erat extraneus? Cur *Odilo* licentiam migrandi dederit Guitmundo, ut proprio monasterio relicto, ad aliud pergeret, vel alibi beneficium, sivè reditus ecclesiasticos, de quibus viveret, obtineret? Cur tandem *S. Gregorius Papa VII.* Guitmundum Cardinalem Romanæ Ecclesiæ? Cur *Urbanus II.* eum Episcopatu Aversano decoraverit? cum tamèn sivè esset natione Normannus, & Monachus S. Laudfredi; sivè esset Italus, & cœnobii S. Crucis de Avellanâ, tàm Romæ, quàm Aversæ, si non extranationalis, saltem extraprovincialis esset omninò?

25. Hæc omnia supputentur, & invenietur, quod & Pontificum, & Regis, & Cardinalis, & Episcopi, & Æmulorum Guitmundi, votis in unum collectis patet, extraneitatem tunc nullum obstaculum præstitisse, arcens nec Romæ, nec in Galliâ, neque in Angliâ, neque in Italiâ, neque in Regno Neapolitano à beneficiorum consecutione. Quarè si extraneitas ipsa nunc obstaculum ad hæc præstat, oportet quod post undecimum sæculum leges emanaverint, indigenatum indispensabilitèr præscribentes. Quis autem has leges potuerit, & voluerit edire, ac quis de facto ex eo tunc illas ediderit, & quidem generales, ac totam Ecclesiam universalitèr obligantes, vel speciales prò Regione Contradictorum, Clericos extraneos indè longius ablegantes; Contradictorum erit ostendere: nec nos etenim leges has unquam vidimus, nec quemquam alium credimus earum habuisse notitiam: nihilominus si sunt in rerum naturâ, in medium proferantur, & tunc à causâ cademus.

(a) Order. Vital. loc. cit. §. Hist. lib. f. 524.

(b) Order. Vital. loc. cit. §. Admiratus.

(c) Vid. seriem Archiep. Rotomag.

26. Nunc aliqua dicamus de Imperatoribus, qui in Germaniâ per hoc sæculum imperarunt. *Hermannus Contractus*, à membrorum attractione sic dictus, monachus Augiensis, alias S. Galli, inter Scriptores ecclesiasticos præsentis temporis satis clarus, qui floruit anno Christi 1050. (*a*): *Lambertus* quoque *Schafnaburgensis* monachus Hirsfeldensis, qui hâc eâdem ætate vixit anno 1077. (*b*): Item *Marianus Scotus* monachus Fuldensis, ejusdem temporis scriptor, qui vixit anno 1083. (*c*), & alii ævi hujus auctores, plura recensent, ad rem nostram facientia. Nam defuncto Poppone Patriarchâ Aquilejensi, cum ejus Ecclesia vacaret, Henricus II. Imperator ad illam Eberhardum Augustensem provexit: *Poppo*, inquit Hermannus, *Patriarcha Aquilejensis obiit, eique Eberhardus Augustensis Canonicus à Rege promotus successit* (*d*). Quò pariter post septennium defuncto, Getobaldus Metensis Præpositus ei est in beneficio Patriarchali suffectus. Addit proinde idem auctor, *Getobaldus Metensis Præpositus Aquilejæ Patriarcha post Eberhardum hit diebus defunctum ab Imperatore promovetur* (*e*). Tam autem Eberhardus Augustensis, quàm Gethobaldus Metensis, erant ab Aquilejensi Ecclesiâ, nedum patriâ, & diœcesi, sed etiam provinciâ, & natione extranei.

(a) *Vid. ante ejus oper. in Biblioc. Patr. & inter vet. script. Germanie. Bellarm de scr. Eccl. Honor. Augustodun. de illus. script. in Hermanno.*

(b) *Bellarm. loc. cit. in Lambert. Schafnab.*

(c) *Sigebert. de illust. script. Eccl. c. 160. Bellarm. loc. cit. in Mariano Scoto.*

(d) *Hermann. Contr. Chron. an. 1042.*

(e) *Idem an. 1049.*

27. Hæc quoad beneficia *Patriarchalia*. Quoad *Episcopalia*, narrat idem auctor de ipso Cæsare hæc, quæ sequuntur: *Circa idem tempus Imperator præsules nonnullos constituit, inter quos Ravennati Ecclesiæ Hunfridum Cancellarium suum in Italiâ; Constantiensi Theodoricum per alias provincias Cancellarium suum, & Archicapellanum, & Aquisgrani Præpositum &c. Viridunensi Theodericum Basileæ Præpositum, & Capellanum, Pontifices præfecit* (*f*). Item infrà: *Eâdem æstate Bardo venerabilis Moguntinæ sedis, ex monacho Archiepiscopus, omni pietate, & sanctitate mirabilis 3. idus Junii ab hâc vitâ subtractus multis post obitum claret miraculis, prò quo Imperator Luitpaldum Bambergensem Præpositum constituit &c.* (*g*). Tanta erat libertas, quâ Henricus II. Imperator, sivè nominando, sivè aliter sè habendo, de beneficiis episcopalibus, etiam favore extraneorum disponebat.

(f) *Idem Hermann. Contract. ann. 1047.*

(g) *Hermann. Contr. ann. 1051.*

28. Idipsum hoc sæculo fecisse Henricum quoque III. Cæsarem, non potest in dubium revocari. Nam mutuo Rumoldo, qui ex Præposito Goslariensi apud Saxones Constantiensi fuerat præfectus Ecclesiæ, Princeps ipse Carolo Thuringo Canonico Magdeburgensi, sinè Capituli consensu illam detulit Ecclesiam (*h*): Eique proptèr simonias deposito, Othonem item Goslariensem Canonicum subrogavit, de quo Lambertus Schafnaburgensis, *Episcopatum Constantiensem Rex Othoni Canonico Gotlariensi dedit, recentisque calumniæ exemplo conterritus, confestim eum consecrari fecit, nè quis scilicet adversus eum scrupulus denuò per dilationem consecrationis oriretur* (*i*). Alios Episcopos extradiœcesanos, & extraprovinciales, datos ab eodem Cæsare aliis Ecclesiis, legere est apud ipsum auctorem (*l*), qui etiam refert promotionem S. Annonis, ex Germaniâ superiori, Canonici Bambergensis, ad Archiepiscopatum Coloniensem, in Germaniâ inferiori situm, factam operâ Henrici II. sed quæ valdè fuit Ecclesiæ proficua sub regno Henrici III. (*m*), juxtà notata per Cardinalem Baronium pluribus in locis (*n*). Qui S. Anno fratrem habuit, à Mariano Scoto sub his terminis memoratum, Vizelo Magdeburgensis Archiepiscopus, frater Beati Annonis Coloniensis Archiepiscopi, cum multis aliis occubuit (*o*).

(h) *Catal. Episcop. Constant. n. 40 ap. Jo. Gualter. in Chron. Chron. f. 802.*

(i) *Lambert. Schafn. de reb. Germ. an. 1075:*

(l) *Idem ann. 1066. 1067. 1069 & alibi.*

(m) *Idem ann. 1075 & annum. Annal. Archiep. Colon. nu. 34 ap. Joann. Gualter. Chron. Chron. f. 1289.*

(n) *Card. Baron. ann. 1062. nu. 15. & 17. & an. 1064. n. 25. & an. 075. n. 31. & 32.*

(o) *Marian. Scot. Chron. l. 3 ætat. 6 anno 1078.*

29. Quoad beneficia *Abbatialia* memorat idem Hermannus Contractus, quod S. Henricus I. Imperator (cum Augiensis Abbatia vacaret per obitum Vuerinnarii, & monachi elegissent Heinricum eorum cœnobii professum; Imperator Henricus inquam, illo rejecto, Ymmonem Abbatem Gorziensem, & Prumiensem eidem Abbatiæ præfecit, reclamantibus monachis proptèr austeritatem Ymmonis: quâ cognitâ etiam Cæsar illum amovit, & Bernardum monachum Prumiensem eidem Augiensi monasterio præfecit (*p*). Narrat & Lambertus Schafnaburgensis, quod Henricus III. Imperator dedit Adelberto Archiepiscopo Bremensi duas Abbatias, Laurensem, & Corbejensem: totidem Coloniensi Archiepiscopo Malmendren, & Endan; & Moguntino Archiepiscopo unam in Selechinstat (*q*). Sed nimium longum

(p) *Herm. Contract. Chron. an. 1006 1008.*

(q) *Lamb. Schafn. de reb. Germ. ann. 1063. fol. 170.*

gum esset omnes prosequi eventus, quibus ostenditur, quod Germanici Imperatores hoc sæculo Christi XI. plenâ libertate sunt usi in admissione clericorum extraneorum ad beneficia Episcopalia, & Abbatialia suæ ditionis. Qui plura exoptat, Scriptores consulat, de Teutonicis rebus agentes: nobis ea sufficiant quæ usque nunc recensuimus. Nec opponi potest, quod Cæsares ipsi hæc egerint per nefas; nam quidquid sit de aliis respectibus; certè pro eo, quod respicit provectionem extraneorum ad beneficia, non sunt operati per nefas, quia in hoc se juribus ecclesiasticis conformarunt, admittendos esse ipsos quoque extraneos decernentibus. Et ideò illorum facta optimè probant libertatem, quâ Ecclesia hoc sæculo Christi undecimo potiebatur.

30. Porrò quæ de Imperatore, ac de Regibus Francorum, & Anglorum diximus, ex identitate rationis verificantur etiam de Regibus Hispaniæ, Hungariæ, Lusitaniæ, Poloniæ, & quibuslibet aliis magnis Principibus, quorum sit de beneficiis ecclesiasticis, vel per viam nominationis, vel quocumque alio titulo, vel privilegio disponere. Hi certè omnes sicuti poterant sæculo Christi undecimo Clericos extraneos ad beneficia, quæ à sè dependebant, admittere, sic & modo idem possunt; nec tantum id possunt, sed & id ad effectum semper, & quandocumque, pro eorum libito, & voluntate, perducunt. Nec sanè paterentur hanc sibi libertatem nunc avelli, quippè cum à tot sæculis eâ potiti sint; nec ab illâ ex tunc justitiâ deposcente deciderint; neque ulla lex supervenerit, quæ potuerit, vel voluerit eandem illis libertatem abscindere, nimium violari eorundem jura censerent, si aliquod opponeretur obstaculum, illorum alligans manus, nè possent, ut anteà de beneficiis, ad sè pertinentibus, etiam favore extraneorum disponere. Sicut autem jus violaretur auctoritativè coarctando libertatem Regum, & Principum, nè possent de beneficiis, ad se spectantibus, etiam favore extraneorum disponere; ita & jus violatur, eandem libertatem Episcopis, aliisque, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, abripiendo.

31. Et multò magìs violatur jus, eandem libertatem adimendo Summo Pontifici, qui est generalis, & supremus dispensator omnium Ecclesiæ beneficiorum (*a*). tamquàm Caput Ecclesiæ, quę usque à suis initiis, & præsertim hoc Sæculo Christi Undecimo, potita est integrâ libertate provehendi etiam clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia, prout & ex praxi Primarum sedium, & ex Conciliorum sanctionibus, & ex Patrum doctrinâ, & ex Imperatorum, ac Regum observatione, demonstravimus. Quarè non ei potest hæc abscindi libertas, quin & jus violetur, & tota confundatur Ecclesia: nisi delirando dici velit, quod minorem potestatem habeat Dominus, quàm minister: delegans, quàm delegatus: & vir qui potestatem impertit, quàm qui eam recipit. Nàm Reges, de beneficiis disponentes, vel per viam nominationis, vel aliâ quâcumque ratione, à privilegio Apostolico derivante; nil aliud in hoc sunt, quàm Organum Papæ (*b*). Et quin omnis postestas conferendi beneficia à Summo Pontifice fluere dicitur, & refluere, tamquàm à sua fonte, in Episcopos, velut in tot rivulos dimanante (*c*): Demùm quoniam omnes inferiores delegati beneficiorum collatores, vel ad illa nominatores, jure patronatus, vel ex privilegio, sunt meri Vicesgerentes Ecclesiæ, à quâ, & ab ejus Capite Romano Pontifice mediatè, vel immediatè, proximè, vel radicalitèr, suam potestatem accipiunt; hinc fit quod non potest auctoritativè detrahi Summo Pontifici libertas admittendi ad sacras præbendas clericos extraneos, quin abscindatur & Regibus, & Episcopis, & delegatis beneficiorum collatoribus, & eorundem patronis, sicque tota confundatur Ecclesia, paxque Christiana turbetur.

32. Ad avertendam ergò hanc ab Ecclesiâ confusionem: ad pacem in Christiano populo custodiendam: ad charitatem in omnes communitèr exercendam; aurea illa sententia prævaleat, quæ dicit, nihil est innovandum ab iis, quæ tradita sunt. Serveturubique mos suus: ubi extranei ex privilegio Apostolico repelli consueverunt, repellantur: ubi soliti sunt admitti, admittantur; nec evellantur ter-

(a) *Gonzal ad Regul. Cantet. 8. §. 1. proem. à n. 13 cum aliis ib.*

(b) *Card. de Luca de benef. disc. 9. n. 12.*

(c) *Gonzal. loc. cit. num. 9.*

mini, quos posuerunt patres nostri. Nè si tanta novitas hodie in aliquâ Regione proponitur; cras in aliâ excitetur: Si hodie libertas Sedis Apostolicæ impetitur; cras libertas ordinariorum Antistitum alitèr laceretur: si hodie Collatores beneficiorum; cras Nominatores, & Patroni eorum affligantur: Si hodie demùm Ecclesia; cras Respublica perturbetur. Et sicuti nunc ex provectione clericorum extraneorum ad sacras prębendas ansa sumitur reverentiam Sedi Apostolicę denegandi; sic quandoque ex eodem titulo prætextus assumatur inquietandi Reges, & Principes, eorum libertatem infringendi, eis negandi obedientiam, & mala populorum opera hoc mendicato fuco honestandi. Atque ità cunctis bene perpensis, dicendum est, liberum esse, & esse debere Ecclesiæ, illiusque ministris, ac præcipuæ Romano Pontifici Summo illius Rectori, necnon Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, ecclesiastica beneficia, non modò clericis indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI XII.

CAPUT XXXII.

In quo ex praxi observatâ in Summo Pontificatu, *in* Cardinalatu, *& in Ecclesiis* Patriarchalibus *dispensandis: Ac ex* literis decretalibus *Romanorum Pontificum: demùmque* ex Conciliis, Duodecimo Christi Sæculo, *celebratis; probatur libertas Ecclesiæ in conferendo ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Argumentum à majori ad minus validum est: hincque licitè conferuntur extraneis minora beneficia, quibus conferuntur majora.*
2 *Ex 17. Papis, qui* Sæculo Duodecimo *sederunt, soli 4. Romani fuerunt, cæteri 13. extranei, duo ex Regno Neapolis, alii aliundè.*
3 *& 4 Rex Angliæ scribit Papæ, ut in electione Cardinalium, patriam non attendat, sed merita: caveatque ne beneficia obtingant indignis.*
5 *Sequitur eadem epistola. Gaudet Rex quod ex terrâ suâ quis potuerit ad Summi Pontificatus apicem sublimari.*
6 *Paschali PP. II. in Schismate oppositus fuit Albertus Attellanus, ac Gelasio II. & Calisto II. oppositus fuit Burdinus Gallus, vel Lusitanus.*
7 *Alexandro III. oppositus est in Schismate Guido Cremensis, indè Joannes Strumensis: ità extranei elevabantur in pseudopapas.*
8 *Varii Cardinales innuuntur extranei, quos Paschalis II., Gelasius II., Calistus II., Honorius II. & Innocentius II. promoverunt.*
9 *Alii Cardinales à sequentibus Papis* Sæculi Duodecimi *creati recensentur, sinè ullâ Nationum, & Provinciarum exceptione.*
10 *Patriarchatum* Constantinopoleos *hoc Sæculo tenuerunt* Theodorus, Michael, Cosmas, Theodosius, *&* Dositheus *extranei.*
11 *Patriarchatui* Hierosolymitano *præfuere* Gibelinus, Guarimundus, Stephanus, Vvillelmus, & Fulcherus *extranei.*
12 *Patriarchatus* Antiochenus *prò Latinis fuit apud* Rodulphum, *& prò Græcis, apud* Balsamonem, *& alios extraneos.*

13 *Plu-*

13 *Pluribus in locis Balsamon tuetur, licitam esse transitionem Episcopi de unâ ad aliam sedem, quod favet extraneis.*

14 *Itàque* Sæculo Christi Duodecimo *licita fuit extraneis adeptio majorum beneficiorum, ergò licuit etiàm assecutio minorum.*

15 *Decretales literæ Pontificum ità sunt habendę, ac si voce B. Petri firmatę essent. Paschalis II. scribit Archiepiscopo Poloniæ, ac quâ de rè?*

16 *Papa transferre potest Episcopos. Paschalis II. scribit Arelatensibus de Gibelino ad sedem Hierosolymitanam translato.*

17 *Sequitur eadem epistola. Gibelinus translatus est ad sedem, à qua erat Diœcesi, Provinciâ, Regno, & Regione extraneus.*

18 *Alexander PP. III. probibuit Abbati S. Remigii, nè impediret subditos suos ducere uxores extraneas: A matrimonio carnali arguitur ad spirituale.*

19 *Sicut non potest Princeps probibere, nè subditi ducant mulieres extraneas: ità interdicere non valet, nè Ecclesia suæ ditionis detur extraneo.*

20 *Epistola Honorii II. ad Tyrienses refertur, de Vuillelmo Anglo ad Archiepiscopale beneficium illius Metropolis electo, & jàm pallio ornato.*

21 *Erat Vuillelmus Anglus natione, & Prior S. Sepulcri Hierosolymitani: Tyrus verò Patriarchatui Antiocheno suberat.*

22 *In Concilio* Trecensi *Dolenses petierunt sibi in Præsulem assignari Vulgrinum Carnotensem, extraprovincialem, ac renitentem.*

23 *Sciebat Vulgrinus se posse compelli, esseque benemerentiam recusare Episcopatum: Ecclesia tamèn invitos, vel non, vel raro compellit.*

24 *Ivo Carnotensis, interpellatus à Vulgrino, scribit Papæ, nè illum compellat Episcopatum Dolensem accipere.*

25 *Qui Ivo etiàm scribit Clero Dolensi, se non posse Vulgrinum compellere: instarent proindè apud Papam, cujus erat eum cogere.*

26 *Dabertus Patriarcha Hierosolymitanus, urbem illam sibi in temporalibus subesse contendens, jurgia habuit cum Balduino Rege, qui eum deposuit.*

27 *Dabertus Papam appellavit, à quo redintegratus, Messanæ obiit. Ebremarus ei subrogatus, fuit à Gibellino Legato depositus.*

28 *Erant tunc in Palestinâ multi indigenæ, Syri, Maronitæ &c. quibus contemptis non potuissent beneficia episcopalia extraneis conferri.*

29 *Concilium* Lateranense II. *probibet beneficia jure hæreditario possideri, quo complectitur exclusionem clericorum extraneorum à beneficiis.*

30 *Concilium* Nannetense *similia decrevit. Hildebertus Turonensis Honorio II. Papæ, & hic Episcopis provinciæ illius scribit.*

1. NORMAM hanc, quibusdam ex precedentibus sæculis observavimus, ut antè alias omnes rationes, causæ nostræ famulantes, illam afferremus, quam suggerebat methodus, in primariis Orbis Ecclesiis eo tempore custoditæ ut quoties constaret, majora, & maxima beneficia, in Christianitate contenta, non modo Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis fuisse collata; nullus esset ambigendi locus, quin & mediocria, & minora possent, tàm Clericis nativis, quàm extraneis, pro conferentium arbitrio, & libertate præberi. Et quoniam profuit sic egisse, quippè argumentum à majori ad minus validum est, & concludens (*a*), præsertim, ubi agitur de potestate: quandoquidem, qui potest quod majus est; à fortiori potest, quod minus est (*b*); Ideò & eandem methodum nunc servemus, examinando, an per totum sæculi duodecimi cursum, Ecclesia in dispensando maxima, quæ in orbe sunt beneficia, plenâ, & integrâ suâ libertate potita sit admittendi ad eadem, non solùm Clericos indigenas, verùm etiam extraneos.

(a) *Cap. si ergo 8. q. 1. c. si Paulus, & ibi glos. 32 q. 5 c. per venerabilem, qui filii sint leg.*
(b) *Alex. in l. in suis in princ. & ibi Jason. n. 2. & 24. ff. de libert. & post. Barbos. tr. par. Loc. 67. nu. 3.*

2. Flu-

2. Pluries autem diximus maximum Ecclesiæ beneficium esse Summum Pontificatum (*a*), & inter majora esse Patriarchatus (*b*), & Cardinalatus Romanæ Ecclesiæ (*c*), prout etiam sunt Episcopatus. Sed de Episcopatibus in præsenti capitulo, saltem ex proposito non agemus. Tam autem Summum Pontificatum, quam Cardinalatus, & Patriarchatus, fuisse pluries per hoc sæculum collatos viris extraneis, adeo certum est, ut vix certius esse possit. Decem & septem Pontifices in cathedrâ S. Petri sæculo duodecimo consederunt; ex quibus soli quatuor fuerunt, Romani, cæteri verò ex diversis Christianitatis partibus prodiere. Duo ex Regno Neapolitano, nempè Gelasius II. Cajetanus, & Gregorius VIII. Beneventanus; Quatuor ex Etruriâ, nimirum Paschalis II. Bleranus, Alexander III. Senensis, Lucius III. Lucensis, & Eugenius III. Pisanus. Nec non Calistus II. qui fuit ex Burgundiâ, Hadrianus IV. ex Angliâ, Honorius II. Bononiensis, Innocentius III. Anagninus, & Urbanus III. Insuber ex Mediolano (*d*).

3. Et ita nedùm ex totâ Italiâ, & ex provinciis, à Romano solo non procul absentibus, sed etiam ex regionibus Ultramontanis, electi sunt Pontifices: nihilque attentâ extraneitate, tam ratione provinciæ, quam respectivè ratione regionis, vel nationis; ipsi electi ad Pontificale beneficium ascenderunt. Placet hic inserere verba Regis (quem Jo. Busæus censet esse Henricum II. Anglum) Hadriano Papæ IV. directa (*e*), ad Ultramontanum Pontificem, noviter electum scribentis, apud Petrum Blesensem. *Gaudet sedes Apostolica viduitatis suæ solatium consecuta. Gaudent omnes Ecclesiæ, lucem novam oriri videntes, & ipsam usque ad perfectam diem crescere præstolantes. Sed gaudet præcipuè noster Occidens, quod velut Oriens novum lumen influere promeruit orbi terræ; & solem Christianitatis, qui versus Occidentem nupèr occubuit, divino munere occidens restauravit. Nos itaque Pater sanctè honori vestro magnificè collætantes, & divinæ majestatis magnificentiam devotis indè laudibus persequentes, Paternitati vestræ, de cujus fervore filiali devotione confidimus, vota nostra familiarius aperimus* (*f*).

4. Sequitur. *Sanè inter cæteras affectiones nostras non mediocritèr affectamus, quod cum divina dextera reverentissimam personam vestram, tamquam lignum vivificum in medio paradisi spiritualitèr plantandum duxerit, & de terrâ nostrâ in suum pomerium transplantandum, summoperè studeatis fructuosis operibus, & doctrinis Ecclesias omnes ita reficere, quod beatam dicant omnes generationes, vestræ Beatitudinis nationem &c. Sed & illud intimè affectamus, ut cum universarum ecclesiarum ordinatio ad vos pertineat, tales ordinare curetis sine dilationis dispendio Cardinales, qui onus vestrum sciant, & velint, & valeant supportare: non respicientes ad patriæ propinquitatem, generis qualitatem, aut potentiæ quantitatem, sed quod Deum timeant, avaritiam odiant, justitiam sitiant, & zelo ferveant animarum. Nec modicum nostrum movet affectum, ut cum Ecclesiis, suprà modum officiat indignitas ministrorum, summâ sollicitudine vigilare curetis, cùm super dignitatum, vel præbendarum collatione vestram continget requiri providentiam, ne quis indignus irruat in patrimonium Crucifixi.*

5. Et post pauca: *Si quidem, & honoris vestræ considerationis, & commoditatis communis æmulatione affectare debemus, ut qui promotione divinâ universali præsidetis Ecclesiæ, circa omnium Ecclesiarum informationem, ac reformationem, assiduè vigiletis. Confidimus autem in Domino, & speramus, quod sicut de virtute in virtutem, & de honore in honorem divinitus sublimati, secundum ipsorum exigentiam lucere curastis; sic ad Apostolicæ sublimitatis apicem evocati, subjectas Ecclesias illustrare, ac inflammare curabitis, ut non sit qui se abscondat à vestro lumine, & calore: relicturi talia post decessum vestrum vestigia sanctitatis, quod terra nativitatis vestræ, quæ de felici jucundatur origine, de felici fine poterit feliciùs in Domino gloriari* (*g*). Vide quomodo sibi, totique Occidenti Rex gratulatur, quod ex terrâ suâ, cunctisque illis regionibus, potuerit quis ad Summi Pontificatus apicem sublimari, & velut arbor domestica in Romanæ Ecclesiæ viridario transplantari, hoc autem

(a) *Marta de jurisd. p. 2. c. 30. n. 1. Laym. l. 4. tr. 2. c. 4. n. 4. Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 4. num. 47.*

(b) *Marta loc. cit. n. 7. Barbos. ubi supr. n. 49.*

(c) *Laym. loc. citat. Barbos. ubi supr. n. 52.*

(d) *Vid. Card. Baron. in Annal. Ciacon. Panvin. Plat. & alios in Pontif. Roman.*

(e) *Jo. Busæ. in notis ad epist. Petri Blesens. ep. 65. Bibl. Patr. to. 12. p. 2.*

(f) *Petr. Blesens. ep. 165. vid. infr. hic c. 35. num. 25.*

(g) *Petrus Blesens. loc. cit.*

autem fieri non potuisset, si extraneis clausus fuisset iter ad ecclesiastica beneficia. Vide quoque quomodo Rex Angliæ profitetur, universarum Ecclesiarum ordinationem ad Summum Pontificem pertinere: ac in honorum ecclesiasticorum dispensatione non *respiciendum ad patriæ propinquitatem, generis qualitatem, aut potentiæ quantitatem*, sed ad sola merita, & virtutes Promovendnrum. Ea erat Regis illius persuasio, quod cunctis, dummodo dignis, undecumque venientibus, paterent ecclesiastica beneficia.

6. Insuper adnotare præstat, quod hac ætate plura Schismata in Romanâ Ecclesiâ emersere, quibus contrà legitimos Pontifices Pseudopapæ intrusi fuerunt, à Romanâ Ecclesiâ origine extranei. Sic Paschali II. Etrusco, ex Cluniacensi monasterio, ad Cardinalatum successivè vocato (*a*), cum ad Pontificatum evectus est, fuit oppositus Albertus Attellanus, sive Aversanus, ex Regno Neapolitano, Aquini in Campaniâ à Richardo Capuano Principe, ad Antipontificatum promotus (*b*). Gelasio II. patriâ Cajetano, Regni Neapolitani, & monacho Casinensi (*c*), dum Summus Pontifex electus est, in quo brevi tempore vixit (*d*): necnon ejus successori Calisto II. natione Burgundo, qui anteà vocabatur Guido, & erat Archiepiscopus Viennensis, filius Guillelmi Comitis Sequanorum (*e*), subintrusus fuit in schismate Mauricius Burdinus, qui ex Galliâ in Hispaniam traductus à Bernardo Archiepiscopo Toletano, & ejusdem Ecclesiæ Archidiaconatu auctus in Castellæ Regno, indè ad Episcopatum Conimbricensem, ac posteà ad Archiepiscopatum Bracarensem in Lusitaniâ pervenit (*f*), Demumque Romanum Pontificatum, sub Gregorii VIII. appellatione usurpavit (*g*).

7. Paritèr eo tempore, quo Romanæ Ecclesiæ præsedit Alexander Papa III., anteà Rolandus Bandinellus Senensis (*h*), ex Metropolitanæ Pisarum canonico Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Cancellarius (*i*), plures ei superordinati sunt Antipapæ, quorum unus fuit Guido Cremensis, natione Jusuber, Pasqualis III. à suis asseclis appellatus (*l*). Alter, eo defuncto, fuit Joannes Hungarus, monachus, & Abbas cœnobii Strumensis, Callistus III. abusivo nomine nuncupatus (*m*); qui tamen, schismate relicto, Alexandri tandem pedibus provolutus, in eo Christi Vicarium adoravit, à quo vicissim Archiepiscopatu Beneventano donatus est. Si ergo, eo ipso tempore, quo mendicabantur causæ, & prætextus obsistendi provectioni Paschalis II. Gelasii II. Callisti II. & Alexandri III. ad beneficium Pontificale, nihiloppositum est illis extraneitatem concernens, imo eis superinducti sunt alii extranei, Atellensis, Cremensis, Stumenis, ex Regno Neapolitano, ex Hispaniâ, & Insubriâ, & Hungariâ; plusquam evidentèr patet, quod & Imperatores, & Principes, & Nationes, & quicumque, ex Clero, & populo hos Pseudopontifices promovebant, vel eos venerabantur; agnoscebant, Ecclesiam in eâ certitudine tunc versari, quod nec indigenatus necessarius esset, nec extraneitas, quidquam obsisteret, pro adipiscendis ecclesiasticis beneficiis.

8. Ad hæc perpendamus qualitèr, & quam frequentèr viri à Romanâ Ecclesiâ prorsus extranei, & extraprovinciales, vel extranationales respectivè, à Summis Pontificibus duodecimi sæculi Cardinalatus beneficio donati sunt. Et quia longum esset eorum nomina sigillatim hic recensere; sat sit indiculum ex aliquibus eorundem conserere. *Paschalis* Papa II. creavit Cardinales Cononem Eremitam Treceburgensem Germanum, Ulfricum Anglum, Galonem Bellovacensem Gallum, Oderisium, & Roscemanum Campanos, & Henricum Siculum decanum monasterii Mazarensis (*n*). *Gelasius* II. Cardinalibus adscivit Petrum Ruffum Neapolitanum (*o*). *Calistus* II. sacrâ purpurâ ornavit Pontium Massiliensem, Abbatem anteà Cluniacensem Gallum: Petrum, Haymericum, & Raynerium Burgundos, Joannem Daufrerium Salernitanum, Aloysium Lucidum Lucensem, & alios (*p*). *Honorius* II Cardinalatu auxit Matthæum Remensem, monachum Parisiensem Gallum, Albericum Tomacellum Neapolitanum, Anselmum Papiensem, & alios (*q*). *Innocentius* II. Purpuratorum collegio aggregavit Theodevinum Germanum, Hugonem

de

(a) *Baron. an. 1100. num. 3.*
(b) *Ciacon. & Panv. in Paschal. 2. in fine.*
(c) *Card. Baron. anno 1118. n. 3. 4. 5.*
(d) *Idem ann. 1119. num. 1.*
(e) *Sirmond. in not. ad ep. 10. l. 1. Goffr. Vindoc. Rober. de Mont. ad Sigeb. an. 1119. Ciacon. Panvi. in Calist. 2. Baron. an. 1119. n. 2.*
(f) *Roderic. Tolet. Baron. an. 1097. nu. 18. Ciac. in Callist. 2. in fin.*
(g) *Robert. de Mont. append. ad Chronic. Sigebert. ann. 1118. & 1121. Baron. an. 1118. 10. 13. Ciac. loc. cit.*
(h) *Ciac. in Alex. 3. Baron. 1145. n. 26. 27.*
(i) *Baron. an. 1164. n. 27. 28. Ciac Panvin. & Plat. in Alex. 3.*
(l) *Baron. ann. 1170. n. 56. 57.*
(m) *Ciac. & Panv. de Roman. Pontif. post Alex. 3.*
(n) *Ciac. & Panv. in Paschal. 2.*
(o) *Ciac. in Gelas. 2. Vid. etiam Panv. ibid.*
(p) *Ciac. in Calist. 2. Vid. etiã Panv. in eod.*
(q) *Ciac. in Vit. Honor. 2. Vid. etiam Panvin. in eodem.*

de S. Victore Saxonem Canonicum Regularem apud Parisios, Martinum Cibo Genuensem, Balduinum Cisterciensem Gallum, Drogonem Laudunensem, Stephanum Catalaunensem, Hugonem de Folieto Corbejensem, Raynaldum Campanum, & Petrum Casinatem &c. (*a*).

9. Itidem *Cœlestinus* Papa II. ad sacrum Cardinalium Senatum vocavit Robertum Bullenum Anglum (*b*). *Eugenius* III. Nicolaum Hastifragum, & Galfridum Arturium pariter Anglos, Hugonem Gallum, Guidonem Cremensem, & Rolandum Pisanum (*c*). *Hadrianus* IV. Joannem Pizzutum Neapolitanum, Ardricium Mediolanensem, Albertum Beneventanum, & Guillelmum Papiensem (*d*). *Alexander* III. Chunradum è Ducibus Bavariæ, Herebertum Anglum, Henricum Gallum, Oderisium Lancianensem, Guldinum Mediolanensem, Theodinum Casinatem, & alios (*e*). Sed jàm cessemus ab omnium Cardinalium memoriâ prosequendâ, quos ex remotis, dissitisque provinciis, ac nationibus, tàm citrà, quàm ultrà montes, Romani Pontifices præsentis sæculi, ad sacram purpuram evocarunt: sat sint usque nunc recensiti: qui plures desiderat, legat Auctores de his agentes (*f*). Unum est; quod Cardinalatus est ecclesiasticum beneficium (*g*), illoque insigniti sunt intrà sæculum duodecimum, non aliqui, & pauci, sed plurimi, ac penè infiniti, Extranei, Germani, Galli, Angli, Saxones, Neapolitani, Siculi, Longobardi: sine ullâ tandem nationum, & provinciarum exceptione; omnes, & quotquot digni tanti gradus apice sunt censiti, ad illum provecti sunt.

10. Idipsum contigit de beneficio Patriarchali. Et quoad Patriarchas Constantinopolitanos; mortuo Nicolao Muzalone, qui per 27. annos illi Ecclesiæ præfuit, successit *Theodorus*, ejusdem Ecclesiæ diaconus, sed patriâ Chalcedonensis, qui & Diaconale, & Patriarchale ibi beneficium suscepit, quantumvis esset extraneus (*h*). Pariter obeunti Leoni Stypiotæ, subrogatus est Michael monachus Acuti cœnobii (*i*), quod in insulâ Oxyâ situm erat, undè *Michael* dictus est Oxytes (*l*): qui & post triennium ad idem monasterium, dimisso Patriarchatu, redivit, vitæ privatæ operam daturus (*m*), eique suffectus est *Cosmas* Atticus Æginetа, sic à patriâ nuncupatus, quem Nicetas Choniates summis laudibus celebrat (*n*). Post quosdam alios in Patriarchali throno successisse legitur *Theodosius* natione Armenus, qui tandem recessit in Insulam Terebinti (*o*). Demùm intèr Patriarchas etiam effulsit, hoc sæculo ad interitum proruente, *Dositheus Studiensis monachus, Venetiis oriundus &c. qui Isacio, cui familiaris erat, privato adhuc, Imperium prædixerat, quâ prædictione eventu comprobatâ, summo honore, & auctoritate, apud hunc Imperatorem florens, Hierosolymorum Patriarcha, post Leontii viri eruditi, & virtute celebris obitum, designatus est* (*p*).

11. Ità nihil obstitit Dositheo, quin tametsi origine Venetus, & Italicus, bina beneficia Patriarchalia ritè potuerit adipisci; alterum in Thraciâ, alterum in Palæstinâ: priùs in Asiâ, & posteriùs in Europâ, cum ab utroque & patriâ, & provinciâ, & natione, esset extraneus. Nec solus Dositheus hoc tempore Patriarchatu *Hierosolymitano* præfulsit, sed alii quoque perplures, quos intèr *Gibelinus* anteà Archiepiscopus Arelatensis (*q*), *Guarimundus* Gallus ex diœcesi Ambianensi (*r*), post eum *Stephanus* Abbas S. Joannis Carnotensis (*s*), deindè *Vvillelmus* Mechlinicensis ex Belgio (*t*), Indè *Fulcherus* Aquitanus, pridem Abbas cœnobii Cællæ, atque Archiepiscopus Tyriensis (*u*). In cujus Archiepiscopali sede suffectus est Petrus Hispanus, patriâ Barcinonensis (*x*). Demum *Heraclius* antea Cæsariensis Metropolita; dum tamèn hoc eodem tempore Græci Hierosolymis suos Patriarchas haberent, nempè *Athanasium* (*y*), *Dositheum* præfatum, & post hunc *Leontium &c.* (*z*).

12. Tantundem contigit in Patriarchatu *Antiocheno*. Nàm post mortem Bernardi sedis illius Antistitis, ad ipsam ascendit Rodulphus Mamistanus Gallus, diœcesеos Cenomanensis (*aa*). Et cum deficiant alii ex Latinis, eoquod Haimericus, ferè per quinquaginta circitèr annos illi Ecclesiæ præsedit (*bb*); satis erit nomen afferre *Theodori Balsamonis*, qui sè dicit civem Constantinopolitanum (*cc*), eumque fuisse

(a) *Ciac. in Innoc.* 2.
(b) *Idem in Cœlest.* 2.
(c) *Idem in Eugen.* 3.
(d) *Idem in Hadr.* 4.
(e) *Idem in Alex.* 3.
(f) *Ciac. & Panv. de Rom. Pontif. & alii*
(g) *Mart. de jurisd. p.* 2. *c.* 39 *n.* 1. *Layman. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 4. *Barbos. jur. Eccl. Univ. l.* 3 *c.* 4. *n.* 52.
(h) *Card. Baron. an.* 1117. *n.* 16.
(i) *Choniates. Annal. l.* 7. *f.* 138 & 142.
(l) *Baron. ann.* 1143. *num.* 16.
(m) *Baron. ann.* 1146. *num.* 26.
(n) *Nicetas Chon. loc. cit. f.* 140. 2. *Baron. ubi supr.*
(o) *S. Niceph. in Chronol. Episcoporum Conspolit. in tom.* 9. *Bibl. Patr.*
(p) *Nicet. Choniat. in Isac. Angel. l.* 2 *fol.* 165. 4.
(q) *Vvillel. Tyr. l.* 11. *c.* 4 *Baron. ann.* 1107. *num.* 15.
(r) *Baron. an.* 1118. *num* 21.
(s) *Vvillel. Tyr. l.* 13. *c.* 25. *Baron. ann.* 1128. *num.* 3.
(t) *Baron. an.* 1130. *num* 67.
(u) *Vvillel. Tyr. l.* 14. *c.* 11. & *l.* 16. *c.* 17. *Baron. an.* 1138. *n.* 14 & 1146 25.
(x) *Baron. an.* 1146. *num.* 25.
(y) *Baron. an.* 1180. *num.* 35.
(z) *Baron. an.* 1188. *num* 30.
(aa) *Vvillel. Tyr. l.* 14. *n.* 10. *Baron. an.* 1136. *num* 26.
(bb) *Baron. an.* 1143. *c.* 34. & *an.* 1187. *n.* 45
(cc) *Balsam. in Addit. ad can.* 28. *Concil. Chalced. f.* 1114.

fuisse novimus nativę fuę Ecclesię Chartularium (*a*), pro cujus etiam Patriarchatu adipiscendo contendit, sed perperam (*b*). Fuit autem Patriarcha Antiochenus pro Græcâ natione (*c*), sicque Patriarchale beneficium, quod in patriâ non valuit adipisci, consecutus est extra patriam, extra provinciam, extra regionem, Antiochiæ tandem, ubi omnibus numeris erat extraneus. Qui Balsamon nedùm tam rutilanti rerum successu, & suo facto, docuit admissionem extraneorum ad ecclesiastica beneficia, sed etiam pro eâ in suis scriptis pluries peroravit: tunc præsertìm, cum dicit licitum, & liberum fuisse Patriarchæ Constantinopolitano, & Primati Carthaginensi, clericos de uno ad alium locum transuehere (*d*), prout alibi ex ejus verbis sumus fusiùs prosecuti.

13. Sed & ubi commentatur canonem 14. Apostolorum, vetantem, nè Episcopus de unâ ad aliam transgrediatur Ecclesiam, ipse Balsamon ait: *Ex hoc canone comprehenditur, quod maligna quidem à parochiâ in alicujus Episcopi parochiam invasio, condemnatur. Translatio autem, quæ justâ de causâ, & proprietate, ac religione confirmandâ, cùm maximâ Episcoporum fit adhortatione, permittitur. Quia autem dicunt nonnulli, ne à præsenti quidem canone permitti translationem, sed Episcopi tantum ad tempus evocationem, docendi gratiâ, ex hoc ostendi; dicimus &c. quod qui hoc dicit, accusat S. Gregorium Theologum, & alios sanctissimos Patriarchas, qui ex episcopatibus translati sunt ad alias sedes Patriarchales* (*e*). Porro pluries notavimus, quod hujusmodi translationes fieri non possunt, quin translatus, vel à primo, vel à secundo Episcopali beneficio, sit extraneus, & ut plurimùm est extraneus à secundo, cujus titulum assequitur dimisso priore: Quâ de rè ipsè Balsamon; *Qui vacantem Ecclesiam accipit, non ampliùs vocatur Episcopus illius Ecclesiæ, ad quam primum renunciatus est, sed ejus, quæ illi, ut vacans data est: quemadmodum Magnus Theologus non ampliùs dictus est Nazianzenus, sed Constantinopolitanus Episcopus. Nec qui proximè ordinatus est ad Amaseam, & Cerasuntem translatus &c. Amaseæ Episcopus vocatus est, sed Cerasuntis &c.* (*f*).

14. Ità Balsamon, & verbis, & gestis, ac tàm jure, quàm facto, insinuat, suo tempore licuisse, ac debere usquequaque licere, susceptionem beneficiorum ecclesiasticorum, etiam Patriarchalium, vel per viam directæ assumptionis, vel per viam transitionis de unâ ad aliam Ecclesiam, cuilibet clerico, ubicumque nato, undecumque venienti, dummodò benemerenti, & idoneo; sivè indigenæ, sivè extraneo. Quod si Sæculo Christi Duodecimo, in quo versamur, libera, & licita, fuit provectio clericorum extraneorum ad majora orbis beneficia, ad Patriarchalia, ad Cardinalitia, & ad supremum Romani Pontificatus; certè vel à fortiori (*g*), vel saltèm à pari, licita quoque fuit eorum admissio ad beneficia minoris ordinis; tum quià tàm majora, quàm minora, quoàd substantiam, equalitèr sunt beneficia: adeòque sunt similia: de similibus autèm idem est judicium (*h*), nec magis, & minùs variant rei speciem, aut naturam, uti fert commune proloquium (*i*). Tùm etiàm quià de facto, currente hoc eodem Sæculo, coequalis ratio habebatur, & habenda esse sancita est, de beneficiis minoris ordinis, ac de aliis ordinis superioris, proùt patet ex Concilio Turonensi, mandante idem servandum esse in majoribus beneficiis, ac in præbendis minoribus, quoàd illorum conservandam integritatem (*l*).

15. Plura diximus de Summis Pontificibus præsentis Sæculi quoàd facta: nunc aliqua de illorum literis decretalibus afferamus; quarum sanctiones, ad Ecclesiæ instructionem, & populorum regimen editæ, ità accipiendæ sunt, *tamquàm divinâ voce Beati Petri firmatæ sint*, inquit canon (*m*). Quippè quod Petro concessum est pro actuum luce; ad ejus successores etiàm pertinet, *quos par conversationis splendor illuminat. Quis enìm sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desunt bona, acquisita per meritum; sufficiunt quæ à loci Decessore præstantur. Aut enìm claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat* (*n*). Itàque *Paschalis Papa II.*, quem exoriens idem Sæculum in Pontificali sede reperit

(a) *Baron. ann. 1179. n. 20.*
(b) *Nicet. Choniat. in Isac. Angel. lib. 2. fol. 165. 4.*
(c) *Baron. an. 1191. num. 50.*
(d) *Balsam. in Nomocan Fotii tit. 1. c. 26 & in Synod. 7. c. 10. & in Conc. Carthag. c. 59.*
(e) *Balsam. in Can. 14 Apost. in supplem fol. 1119 Vid. hic infr c. 35 num. 13.*
(f) *Balsam. ad can. 16. Concil. Antioch. in supplem f. 1125.*
(g) *Barbos. tract. var. loc 67.*
(h) *L. non possunt. & l. seq. ff de leg Barbos. Loc. loc. 101.*
(i) *L. fin: ff de fund. instr. Barbos. Axiom. 140. n: 6.*
(l) *Conc. Turon. anno 1163. c. 1. Baron. eod. an. f. 490. B.*
(m) *Cap. sic omnes, dist. 19.*
(n) *Cap. non nos 1. dist. 40.*

rit

rit collocatum, scribens Archiepiscopo Poloniæ dicit, sè in pallii exhibitione, fidei professionem, & juramentum exigere, ad porrigendum pluribus malè factis remedium, quorum unum explicat per hæc verba: *Quid super Episcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non auctoritate Apostolicâ, sed nutu Regis præsumuntur? Propter hæc mala, & alia evitanda, hujusmodi juramentum exigitur (a).*

16. Docet hic Paschalis, posse fieri translationes Antistitum de uno ad aliud beneficium Episcopale: non tamèn nutu Regum, uti tunc in Poloniâ fieri contingebat (ea erat certitudo, quod clerici ubilibet possent beneficia ecclesiastica, non obstante extraneitate adipisci, quæ à translationibus præfatis est indivisa,) sed auctoritate Apostolicæ Sedis, ad quam spectat sacros Antistites de unâ ad aliam sedem transferre; proùt & de facto ipse Paschalis assensu suo interposito, pro trajectione Gibelini ex Arelatensi ad Hierosolymitanam Ecclesiam, hasce ad Arelatenses cives literas dedit: *Pro negotiis, & scandalis, quæ in Hierosolymitanâ Ecclesiâ fuerant, venerabilem fratrem nostrum Gibelinum, quondam Ecclesiæ vestræ Antistitem, ad partes illas cum nostrâ Legatione direximus, cujus nimirum persona ità in omnibus placuit, quod eum Clerus, & populus ejusdem Ecclesiæ unanimi voto, & communi desiderio in patrem sibi, & pastorem elegerunt. Nos enim quoniam diù Episcopali regimine fuerant destituti; electionem ipsam assertione nostrâ firmavimus (b).*

17. Sequitur: *Vestram itàque dilectionem literis præsentibus præmonemus, & hortamur in Domino, ut & vos canonicum pastorem vobis eligere properetis: nec vobis grave, & durum vehementiùs videatur. Illum enim tanto zelo, tanto ardore Hierosolymitana suscepit Ecclesia, quod eum (etsi nos omninò velimus) vobis reddere nullo modò possimus.* Non quod absolutè non posset illi obsistere translationi; sed quod non expediebat eandem, pro ratione temporis impedire. Fuit igitur traductus Gibelinus de uno ad aliud Episcopale beneficium, non in eâdem provinciâ situm, non in eodem Regno, non in eâdem Regione; sed extrà provinciam, extrà Regnum, extrà Regionem, à quâ omnimode erat extraneus. Quamquàm etsi translatus fuisset ad Ecclesiam in eâdem provinciâ constitutam; adhuc argumentum locum haberet: quippè leges, & canones, & Concilia, & documenta, & rationes tandem, quas contrà libertatem Ecclesiæ asserunt Contradictores, si quidquam probant; hoc probant, quod advenæ non solum arcendi sint ab Ecclesiis, vel beneficiis ejusdem Regionis, Regni, & Provinciæ, sed etiàm ejusdem Urbis, oppidi, & vici, à quo extranei esse inveniantur, proùt in tertio tomo fusius ostendemus.

18. Similitèr *Alexander Papa III.* Abbati S. Remigii aliquandò ità scripsit: *Perlatum est ad audientiam nostram, quod Robertum, & Martinum homines monasterii tui trahis in causam, quià de alterius dominio uxores duxerunt. Quià verò hujusmodi causa frivola omninò videtur, nec decet te indebitum alicui gravamen imponere; discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs præfatos homines, pro causâ, quàm diximus nullis agites molestiis, vel indebitè gravare præsumas (c).* Loquitur hic Pontifex de matrimonio carnali, aitque magnam esse injustitiam, velle homines pœnis plectere, ob hanc frivolam causam, quod fœminas alteriùs territorii sibi acceperint in uxores. Verum quià etiàm intèr beneficiarios, & Ecclesiam sui beneficii contrahitur matrimonium spirituale (d), quod valdè inculcant in suis scriptis Contradictores; à matrimonio autèm carnali ad spirituale validum est argumentum (e); hinc fit, quod Pontifex damnavit prohibitionem matrimonii spiritualis intèr extraneos, eo modò, quo plexit prohibitionem matrimonii carnalis intèr eosdem.

19. Et sicut Dominus temporalis licitè prohibere non potest, saltèm generalitèr, nè viro sibi subdito, sive indigenæ, jungatur mulier extranea (f), vel è contrà, (quidquid fortè alitèr esse possit aliquando in casibus particularibus, propter aliquas peculiares circumstantias rerum, vel rationes, dictantes, ità expedire,

(a) *Paschal. 2. epl. 6. Bin. to. 7. Conc. part. 2. fol. 517.*

(b) *Pasch. 2. epl. 35.*

(c) *Alex. 3. ep. 11. post epist. Petri Cellen. Bibl. Patr. to. 12. p. 2. fol. 618.*

(d) *Cap. inter corporalia de transl. Episc.*

(e) *Cap. cum inter canonicos de elect. cap. penult. & ult. de translat. prael. Barbos. trac. var. Loc. 70. cum aliis ibi Bellet. disq. Cleric. p. 1. §. 15. n. 69.*

(f) *Vid. Dian. p. 1. tr. 2. res. 57 & 128.*

ut tunc fiat;) ità non poteſt idem Dominus temporalis interdicere, nè intèr clericum extraneum, & Eccleſiam ſuæ ditionis, vel è contrà, ſpirituale conjugium contrahatur, cum matrimonium utrimque liberum eſſe debeat, & extraneitas, quæ nihil obſiſtit validitati matrimonii carnalis (*a*), officere quoque non debeat validitati, & juſtitię matrimonii ſpiritualis, quod intèr beneficiarium, & Eccleſiam contrahi certum eſt (*b*).

20. Paritèr Honorio Papa II. reſidente in ſolio D. Petri, electus eſt Archiepiſcopus Tyri in Phœniciâ Syriæ Vvillelmus, natione Anglicus, tunc Eccleſiæ Sancti Sepulcri Prior (*c*): factaque eſt electio illa à majoribus Regni Hieroſolymitani Principibus, & Patriarchâ, qui erat Guarimundus Gallus, uti diximus, ex Diœceſi Ambianenſi, necnon Rege, qui erat Balduinus Flander; his inquam omnibus convenientibus Tyri facta eſt illa electio, quàm nedùm Honorius Pontifex approbavit; ſed etiam Electo Pallium Archiepiſcopale conceſſit, haſque ad illius Eccleſiam dedit literas: *Honorius &c. Vener. fratr. ſuffraganeis Epiſcopis, Clero, & populo Tyri ſalutem &c. Venientem ad nos chariſſimum fratrem noſtrum Vvillelmum Archiepiſcopum veſtrum debitâ charitate recepimus, & quem canonicè electum, & à Venerabili fratre noſtro Guarimundo Hieroſolymitano Patriarchâ conſecratum accepimus, pallii dignitate, plenitudine videlicèt pontificalis officii decoravimus. Quià verò de perſonâ ſuâ maximum fructum matri Eccleſię veſtrę Tyri, divinâ ſuffragante miſericordiâ, credimus proventurum, ipſum cum gratiâ Sedis Apoſtolicæ, & noſtrarum literarum proſecutione ad vos duximus remittendum. Univerſitati ergò veſtræ mandando pręcipimus, quatenùs eum benignè recipiatis, & tamquàm proprio Metropolitano, & animarum veſtrarum Epiſcopo, ſubjectionem, obedientiam, & reverentiam humilitèr deferatis* (*d*).

21. Inerat Eccleſiæ Tyrienſi proprius Clerus, & populus, quibus Honorius Papa II. ſuas literas dirigit: & cum non ſit credibile, quod nullus eſſet ex eis, ad infulas Epiſcopales idoneus; multâ ponderatione dignum eſt, quod & Rex, & Patriarcha Hieroſolymitanus, & Magnates Regni, & Suffraganei Metropolis Tyrienſis, & Clerus, populuſque Tyri, non virum indigenam, non aliquem Tyri ortum, vel ibi per habitationem defixum, elegerunt, ſed Vvillelmum, qui nedùm tamquàm natione Anglus, erat ibi extranationalis; ſed etiam, tamquàm Prior Eccleſiæ S. Sepulcri Patriarchatus Hieroſolymitani, erat itidem extranationalis à Tyro; quippè hæc Urbs, ut ait alter Vvillelmus Tyrius, natione Gallus, ejuſdem Metropolis Archiepiſcopus (*e*), *A tempore Apoſtolorum, uſque ad eum diem Tyrienſis Eccleſia Antiochenæ ſedi ſubdita dignoſcitur fuiſſe* (*f*). Hæc autèm proculdubiò non aliâ ratione ſuccedere potuerunt, niſi eo, quod tam Papæ, & Regi, quam Patriarchæ, & Suffraganeis, ac Magnatibus, Clero tandem, & populo, ac omnibus quotquot ad electionem illam, vel faciendam, vel approbandam, concurrerunt, perſuaſum, firmum, atque conſtans permaneret in mente, quod tunc liberum eſſet Eccleſiæ, liberum eſſet electoribus, & diſtributoribus beneficiorum, etiam Epiſcopalium, illa quibuslibet viris, undecumque venientibus impertiri, nihil attento, qui eſſent indigenæ, vel extranei; quod ex unâ, vel ex aliâ provinciâ prodiiſſent; & quod in hoc, vel in illo Regno habuiſſent incolatum, vel ſortiti eſſent originem. Sed jam Pontificum decretales literas omittamus, & ad Concilia, quæ ſub Pontificibus duodecimi ſæculi celebrata ſunt, transeamus.

22. De Paſchali Papâ II. narrat Abbas Urſpergenſis, quod anno Chriſti 1167. *circà Aſcenſionem Domini Concilium non modicùm apud Trecas habuit, ubi inter multa, quæ pro tempore, & neceſſitate corrigenda correxit, ſententiam de liberâ Paſtorum electione, & de coercendâ laicorum in eccleſiaſticas dignitates præſumptione, juxtà Prædeceſſorum ſuorum decreta promulgavit* (*g*). Dum autem hæc fierent, Eccleſia Dolenſis, intrà provinciam eccleſiaſticam Turonenſem ſita, ſuo viduata paſtore, nuncios ad eundem Paſchalem Papam, in ipſo Concilio Trecenſi adhuc exiſtentem, direxit, quibus imploravit ſibi in Prę́ſulem aſſignari Vulgrinum Carnotenſis

(a) Cap. 1. de ſponſalibus.

(b) C. quoniam §. ſi vero, Ut. lit. nō conteſt. c. 2. & 3. & ibi DD. de transl.

(c) Vvillel. Tyr. l. 13. cap. 23.

(d) Vvillel. Tyr. l. 13. c. 23. & Baron. an. 1127 nu. 21. & 22.

(e) Baron. an. 1188, num. 3.

(f) Vvillel. Tyr. hiſt. Bell. ſacr. l. 13. cap. 23. in fin.

(g) Abbas Urſperg. in Chron. an. 1107. Bin. Bail & alii in Concil. Trecenſ. eod. anno.

tensis Ecclesiæ Clericum, & Cancellarium, provinciæ Ecclesiasticæ Senonensis: qui ad hæc audita, electioni, sive petitioni suæ resistens, à Synodo discessit, nè invitus cogeretur à Papâ episcopales infulas acceptare (*a*). Non sine mysterio est autem, quod in hoc Concilio, in quo validè, totoque conatu libera Episcoporum electio est asserta, quam Contradictores exaggerant, non esse nisi de vacantis Ecclesiæ Clero faciendam; Dolenses coram Papâ, & Concilio, nedùm non eligendum sibi ducunt in Antistitem virum de gremio illorum Ecclesiæ, sed imò sibi eligunt, vel deposcunt in præsulem Vulgrinum extradiœcesanum, & etiam extraprovincialem, reluctantem, obsistentem, declinantem onus, & honorem, ac ne Papa, cum Concilio, illum ad officium suscipiendum compellerent, aufugientem.

(a) *Ivo Carnot epist.* 200. *Bin & Bail. loc. citat.*

23. Quod in Ecclesiâ, in Civitatate, atque in totâ Dolensi diœcesi nullus esset Clericus sæcularis, vel regularis, & in horum subsidium, nullus esset laicus, qui posset ad vacantes infulas promoveri; quis credat. Quod Dolenses scirent sè teneri de jure divino, naturali, & humano, in sensu Contradictorum, ad eligendum solùm indigenam, & nihilominus votis concordibus declinaverint in extraneum, & quidem reluctantem; quis pariter credat? Certè in hoc supposito non potuissent Electores cedere juri suo in præjudicium omnium indigenarum, clericorum, monachorum, & laicorum, jus ad electionem passivam habentium, qui proculdubiò ad electionem activam viri extranei reluctantis non omnes unanimiter concurrebant. Ad hæc Vulgrino satis notos fuisse censemus canones Ecclesiæ, quorum vi sciret, sè posse ad Episcopatum suscipiendum compelli (*b*), ipsamque illius renitentiam apud cordatos, & pios viros, in titulum benemerentiæ transire: talem quippè jura volunt esse Sacerdotem, *ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas: Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitùs* (*c*). Attamen quià Ecclesia hoc non solet facere, quod alioquin posset, ut invitum quemquam promoveat; quâ in rè S. Gregorius Magnus constantissimus fuit, gaudens quidem, quod talis ordinaretur Episcopus, *cui refugienti diversis modis, vix aliquandò posset suaderi, ut electorum præberet petitioni consensum* (*d*); nullum tamen invitum volens ad suscipiendum Sacerdotium impellere (*e*); Ideò Vulgrinus petitioni Dolensium obstitit, & Ivonis Carnotensis Episcopi sui, præsidium imploravit, ut unà cum Papâ de sui libertate tractaret (*f*).

(b) *Thom. 2. 2. q. 185 art. 2. & Quodlib. 5. art. 22.*

(c) *Lex si quemquam C. de Episc. & cler.*

(d) *S. Greg. l. 4. ep. 45 & l. 6. ep. 4.*

(e) *S. Greg. l. 2. indit. 11 ep. 15.*

(f) *Ivo Carnot. epist.* 200.

24. Ivo propterea hujusce tenoris Paschali Papę literas exaravit: *Reversus à Concilio Trecensi filius noster Vulgrinus, Ecclesiæ nostræ Cancellarius, anxiè conquestus est, quod Dolensis Ecclesia, destinatis excellentiæ vestrę quibusdam Legatis suis; cum sibi in Episcopum sub præsentiâ vestrâ elegerit, & huic electioni ad eorum petitionem vestra Paternitas assensum præbuerit, nec ejus excusationibus, quamvis idoneis, adhuc aurem accomodare voluerit. Quamvis autèm sit bene literatus, & bonis moribus ornatus, multis tamèn allegationibus humilitèr insufficientiam suam prætendens; dicit se potiùs multa gravia perpessurum, quàm onus Episcopi hoc tempore subiturum. Novit autèm vestra Paternitas, quià leges sæculi, dissentiente filiofamilias, sub ejus nomine sponsalia fieri non permittunt* (*g*), *quantò magis in sponsalibus Ecclesiæ id observare convenit &c. Et ne diù verbis oneremus sanctitatem vestram, flexis genibus cordis, opportunè, & importunè imploramus Clementiam Vestram, ut nullis vinculis obedientiæ prædictum fratrem constringatis, cujus saluti, quantum possumus, providere debemus, quià eum de sacro fonte suscepimus, qui etiam eligit magis in loco humili salvari, quàm in alto periclitari* (*h*).

(g) *L. 1. ff. de nupt. l. 12. C. de ritu nupt.*

(h) *Ivo Carnot. epist.* 200.

25. Et subindè Clero Dolensi, & Stephano Comiti, qui eum de hujusmodi negotio interpellaverant, Ivo respondit: *Bonæ intentionis vestræ laudamus affectum, quod Vulgrinum filium nostrum, vitâ honestum, scientiâ clarum elegistis vobis in Archiepiscopum: sed quantum nobis videtur, frustrà laborat studium vestrum, quià nec prætaxati filii nostri voluntas est electioni vestrę acquiescere, nec nostræ potestatis ad hoc eum invitum cogere &c. Si studia vestra mutare non vultis, si in aliam personam deliberatione vestrâ declinare non vultis; non à nobis, sed à Summo Pontifice est quærendus,*

rendus, cui concessum est invitos ad hæc officia cogere, & de volentibus, & de nolentibus Ecclesiæ Dei Pontifices ordinare (a). Si divino, naturali, & humano jure prohibitum est beneficia ecclesiastica extraneis elargiri; ut quid quæso Ivo non hanc exceptionem, tam Papæ, quam Dolensibus objectavit? Ut quid Vulgrinus non eâ se tuitus est in Concilio, ne urgeretur ad beneficium Dolensis Ecclesiæ capessendum, à quâ erat prorsùs extraneus? Utquid Ivo, Dolenses non redarguit, quod jura divinum, naturale, atque humanum violassent, extraneum eligendo, cum nec ipsa jura prævaricari, nec illis cedere possent ullo modò, & præsertim in præjudicium omnium indigenarum? Cur eos falsò palpavit, quod ad Pontificem Romanum recurrerent, qui Vulgrinum cogeret ad infulas acceptandas? Sciebat enim Papæ auctoritatem ad ea, quæ juris divini, & naturalis sunt non se extendere; & idcircò nedùm non potuisset Papa Vulgrinum cogere ad Episcopatum, apud extraneos acceptandum; sed imò nec etiam ipsius acceptationem permittere valuisset, uti suppositis divino juri, & naturali legi contrariam? Ex totâ igitur hâc serie facti, nempè ex Dolensium votis, ex Paschalis Papæ, & Concilii sensibus, ex Vulgrini, & Ivonis operibus, enitescit, potuisse tunc, quando jus electionum vigebat, extraneis beneficia conferri; quantò ergò magis nunc, cum jam electionum forma est suppressa, & beneficia à determinatis Collatoribus dispensantur, ac subrogantum naturam illius sapit, in cujus loco subrogatum est (b); liberum, & licitum erit, tam Collatoribus beneficiorum, quam ad ea Nominatoribus, ipsamet Clericis non modò indigenis, verùm etiam extraneis impertiri?

26. Eodem anno 1107., ac sub eodem Pontifice Paschali II. acta est synodus *Hierosolymitana* proptèr hanc, quæ sequitur, causam. Dabertus, vel Daibertus, sive Theobertus, Archiepiscopus Pisanus, ac Sedis Apostolicæ Legatus apud Christianos, bello sacro operam dantes, captâ Hierosolymitanâ urbe, factus fuit primus sedis illius Patriarchalis Antistes (c): qui sibi deberi etiam in temporalibus illam urbem cum Godefrido Bullonio primo Rege disceptavit, intendens tamen eam à Principe, tamquam sub feudo ecclesiastico retineri. Rex verò, etsi ab initio his totaliter non acquieverit; morti tamen proximus definivit, urbem ipsam cum suis pertinentiis Patriarchæ tradendam (d). Sed Balduinus Comes Edessenus, Godefridi frater, atque in Regno Hierosolymitano successor, hæc renuit adimplere: undè inter ipsum, & Patriarcham graviora jurgia emersere, quæ usque adeò excanduerunt, ut Rex ipse Balduinus Daberto deposito, Ebremarum in ejus Patriarchalem cathedram subrogaverit (e). Erat Ebremarus ab illâ Ecclesiâ extraneus, tamquam Occidentalis, & Europæus, de quo Tyrius: *Hic simplex homo in primâ venerat expeditione, honestæ conversationis meritò cunctis acceptus: sed in hoc crassam nimis, & supinam inventus est ignorantiam habuisse, quod vivente D. Patriarcha, sedem ejus licere sibi credebat usurpare* (f).

27. Dabertus ergo depositus Romanum Pontificem appellavit, & ad eum personalitèr sè contulit, qui cognitâ injustitiâ depositionis ipsius, absolutum illum ad suam Ecclesiam remisit; ad quam nihilominus, Messanæ moriens, non pervenit (g). Ebremarus vero, audito reditu competitoris, Romam & ipse perrexit, ubi etiam illius obitum intellexit: *Quo perveniens nihil impetrare potuit, quam ut cum eo dirigeretur Legatus, qui de causâ ejus, Hierosolymis constitutus, plenius posset cognoscere. Designatus est autem ad id muneris prosequendum Dominus Gibelinus, vir senex, & grandævus, Arelatensis Archiepiscopus, qui de mandato Domini Papæ Hierosolymam profectus, convocato Episcoporum Regni concilio, de causâ Domini Ebremari cognovit plenius: cumque ei constitisset per testes idoneos sufficientes, & majores omni exceptione, quod D. Dabertus absque causâ legitimâ Arnulphi factionibus, & Regiâ violentiâ fuerat expulsus, & quod Ebremarus adhuc viventis Pontificis, & Ecclesiæ habentis communionem, sedem occupaverat, auctoritate, quâ præeminebat, eum à Patriarchatu deposuit. Sed considerans multam viri religionem, & simplicitatem miram, Cæsariensem, quæ tunc vacabat Ecclesiam ei concessit habendam* (h).

28. Non

(a) Vvillel. loc. cit.

(b) Vid. Barbos. in c. 3 n. 4. Ut lit. pend. lib. 2 & Axiom. 135. n. 1.

(c) Vvillel. Tyr. bell. sacr. l. 9. c. 15. Baron. ann. 1098. 14. 1099. 45

(d) Vvillel. Tyr. l. 10. c. 4. & l. 9. c. 17. 18.

(e) Vvillel. Tyr. l. 10. c. 7. 9. & 26.

(f) Vvillel. Tyr. l. 10. cap. 26.

(g) Idem lib. 11. c. 4. Baron. an. 1104. nu. 14. & 1107. n. 15.

(h) Vvillel. Tyr. l. 11. cap. 14.

28. Non deerant tunc temporis in Palęstinâ multi fideles nativi, & indigenæ, quorum votis, & interventionibus, Occidentalium expeditio facta est, ut non tam sacra illa loca de impiorum Saracenorum eximerent potestate; quam cleri, & populi fidelis, & catholici, qui eadem loca incolebat, occurreret infortuniis (*a*). Erant inter cæteros Maronitæ, *Natio quædam Syrorum in Phœnice provinciâ, circa Juga Libani, juxtà urbem Biblienfem habitans* (*b*), qui omnes favebant Catholicis, & saltem aliqui eorum tales erant: quorum exempla sequentes, cæteri quoque fidem Catholicam sunt amplexi (*c*). Et quidquid sit de his, certè ex oratione, quam habuit Urbanus Papa II. in Concilio Claromotano, quando in eo Christianos Occidentales ad Hierosolymitanam expeditionem allexit; patet quod tunc temporis, & Hierosolymis, & in aliis locis Terrę Sanctę erant fideles, locorum illorum indigenæ, qui adiutorium contra Barbaros ab Occidentalibus implorabant (*d*). Si aderant ergò indigenæ, non erat causa, cur & Dabertus, & Ebremarus extranei ad Patriarchale beneficium urbis Hierosolymitanæ promoverentur; & Concilium, à Legato, & Episcopis illius Regni celebratum, ipsi Ebremaro Cæsariensem Archiepiscopatum adscribentes, hoc sine gravi peccato audere non potuissent, in prejudicium indigenarum, si prorsùs esset illicitum viris extraneis beneficia sacra adipisci, vi jurium divini, naturalis, & humani, prout supponunt Contradictores.

(a) *Idem l.1.c.10.11. 12 Jacob. de Vitriac. hist. Orient. c.16.*

(b) *Veillel. Tyr. l.22 c.8 Jac. de Vitriac. c.7 & 8.*

(c) *Idem, & Baron. an.1182.n.4.*

(d) *Card. Baron. an. 1095. n.43.*

29. Celebratum quoque fuit hoc sæculo *Concilium Lateranense II.* Generale X. sub Innocentio Papâ II. anno Christi 1139. in quo triginta canones editi fuerunt, ex eisque sextus decimus, corpori etiam canonum, quoad substantiam, insertus (*e*), ità loquitur: *Indubitatum est quoniam honores ecclesiastici sanguinis non sunt, sed meriti, & Ecclesia Dei non hæreditario jure aliquem, neque secundum carnem successorem expectat, sed ad sua regimina, & successorum suorum dispensationes, honestas, sapientes, & religiosas personas exposcit. Propterea auctoritate prohibemus Apostolicâ, nè quis Ecclesias, præbendas, præposituras, capellanias, aut aliqua ecclesiastica officia hæreditario jure valeat vindicare, aut expostulare præsumat* (*f*). Jàm suprà satis ostendimus (*g*), quod collationem beneficiorum ad solos indigenas coarctare, est Sanctuarium Dei hæreditario juri subjugare, nec huic veritati probandæ ulterius immorabimur, quià id ibi satis complevimus. Unum est, quod ex hoc Concilio arguitur libertas Ecclesiæ in dispensatione beneficiorum, non modo Clericis indigenis, verùm etiam extraneis.

(e) *Cap. Apostolica 7. caus. 8. q. 1.*

(f) Conc. Later. 2. *cap. 16.*

(g) *Vid. hic supr. sæcul. 7. c. 15. à n. 15 ad 36*

30. In eundem ierat sensum *Concilium Nannetense*, tertiodecimo anno anteà celebratum, de quo Hildebertus Turonensis ad Honorium II. Pontificem scripsit. *Beatitudini vestræ Reverendissime Pater decrevimus exarandum, quod ex suggestione venerabilis Britannorum Comitis, pariterque Provincialium Concilii Episcoporum in Britanniam descenderimus, ubi preter alias mortiformes, & abhorendas enormitates, matrimonia quidem incestus; Sanctuarium autem Domini hereditaria successio polluerat. Quapropter convocatis eisdem Episcopis, & Abbatibus, multisque Religiosis, & sapientibus viris in urbe Nannetensi, triduò sedimus, in eâ Synodum celebrantes, ex quâ largiente Domino, & Ecclesię honorem, & populo magnum constat emersisse fructum &c. Prębendas, & qualibet Ecclesiæ dignitates, rigore, quo debuit, inhibitum est hereditate obtineri &c. Hęc igitur Sancte Pater significanda censuimus, quatenus acta canonicè vestra dignetur confirmare auctoritas &c.* (*h*). Confirmavit hasce sanctiones Honorius Papa II. datis literis, quæ sequuntur ad Episcopos provincię Turonensis. *Charissimus frater noster Hildebertus Turonensis Episcopus, sicut bonus pastor progrege suo vigilans &c. in Nannetensi civitate de more Metropolitico Concilium celebravit. Ibique de incestis nuptiis &c. & de his, qui quasi hereditariâ successione ecclesiastica petebant beneficia &c. corrigenda correxit, & statuenda constituit. Universitati ergò vestrę mandamus, quatenus ea, quæ ab ipso SS. Patrum cętu decreta ibi, ad honorem Domini, & salutem populi statuta esse noscuntur; irrefragabiliter observetis* (*i*). Recurrit igitur hic argumentum paulò superiùs propositum, quod cum beneficiorum consecutionem ad solos indigenas coar-

(h) *Concil. Nannet. an. 1116. ap. Bail. sum. Concil. to. 2. f. 561.*

(i) *Concil. Nannet. loc. cit.*

coarctare, protelatis prorsùs extraneis, sit hæreditate possidere Sanctuarium Dei; possidere autem hæreditariè Sanctuarium Dei, à Concilio Provinciali Nannetensi, per Pontificem approbato, prohibeatur; restat ut Ecclesia in suâ libertate sinenda sit, eadem beneficia Clericis quoque extraneis impertiendi.

CAPUT XXXIII.

In quo ex factis, & scriptis Sanctorum Patrum, *qui* Duodecimo Christi Sæculo *floruerunt, & præsertìm* B. Hildeberti Turonensis, S. Bernardi Clarevalensis, *ac* B. Petri Cluniacensis, *probatur libertas Ecclesiæ in conferendo sacras præbendas, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Laudes innuuntur* B. Hildeberti Turonensis, *qui fuit anteà monachus Cluniacensis, indè Archidiaconus, posteà Episcopus Cenomanensis.*

2 *Post Hoellum Episcopum Cenomanensem, Clerus elegit in Præsulem Hildebertum, Comes verò Goffredum, qui fuit Archiepiscopus Rotomagi.*

3 *Romam adivit Hildebertus, indè Apuliam, & Siciliam, ubi à Rogerio Principe habuit præbendam pro Canonicis Cenomanensibus.*

4 *Post 22. annos Episcopatus, translatus est ad Metropolim Turonensem. Eum coluit D. Bernardus Clarevallensis.*

5 *In hâc rerum Hildeberti serie plures Reges, Archiepiscopi, Episcopi, Clerici, Principes, diverso modo faverunt admissioni extraneorum.*

6 *Graves tribulationes perpessus est Hildebertus à Regibus Galliæ, & Angliæ, pro defensione ecclesiasticæ libertatis.*

7 *Resistentia Hildeberti docet, non eos promovendos esse quos laici, sed quos Ecclesiæ utilitas, & propria merita deposcunt.*

8 *Hildebertus gratulatur Episcopo Arvernensi, quod Archidiaconatum contulit Vuillelmo Subdiacono Cenomanensi.*

9 *Improbat abusum Arvernorum, quod Canonicatus hereditariâ successione darentur, undè excludebantur extranei.*

10 *Ostendit nullam consuetudinem posse huic abusui suffragari, ipsamque consuetudinem veritati, & rationi debere cedere.*

11 *Sequitur eadem epistola, ipsummet impugnans abusum, & ut è medio tollatur Arvernenses efficacitèr monens.*

12 *Quæ fecit, & scripsit Hildebertus, probant, extraneos quoquè præficiendos esse ecclesiasticis beneficiis.*

13 *Laudes* D. Bernardi *referuntur: Regula Cisterciensis loquitur de monachis ad Episcopatum vocatis, qui etiàm D. Bernardo fuit oblatus.*

14 *Cum Rex Galliæ impediret Petro de Ciatrâ consecutionem Episcopatus Bituricensis, S. Bernardus sollicitavit Innocentium II. Papam, ut ei resisteret.*

15 *D. Bernardus ad tres Cardinales scribit, & juramentum Regis de non admittendo Petro injustum dicit, cui resistendum asserit, & ignoscendum ejus pueritiæ,*

16 *Seri-*

16 *Scribit etiàm Regi, quem dicit in Petro resistere Regi Regum, cujus & jusjurandum vocat juramentum Herodianum.*
17 *Aliâ epistolâ D. Bernardus Josleno Suessionensi, & Suggerio Abbati Regis consiliaris scribit, in servitutem redigi ecclesiasticam libertatem &c.*
18 *Petrus quoque Cluniacensis Papam rogavit, ut excusaret juvenilem Regis inconsiderationem. Petrus de Clatrâ erat extraneus.*
19 *Rex impediebat electiones Antistitum, vel electos variis thecnis arcebat. Volebat, ut Bituricenses eligerent Cadurcum.*
20 *Repellebatur à Rege Petrus de Ciatrâ, tamquàm extraneus: Papa ei obstitit, & ut Petrus prævaleret, omnem conatum adhibuit.*
21 *Si unius clerici exclusio locum non habuit; quid erit de generali clericorum exclusione, hac præcisâ futili de causâ extraneitatis?*
22 *D. Bernardus admonet Eballum Catalaunensem, nè cuidam cœnobio præficiat in Abbatem monachum de gremio, sed alium extraneum.*
23 & 24 *Idipsum alias quoque factum esse scribit Bernardus eidem Eballo.*
25 *Utimur his documentis, quià Contradictores quoque pluriès allegant documenta, de Abbatiis regularibus loquentia.*
26 27 28 *D. Bernardi de Cardinalibus verba referuntur, quales debeant esse, & quod undecumque sint assumendi.*
29 *Cur ad Cardinalatum, & beneficia Romanæ Ecclesiæ nulli etiàm extranationali, ratio extraneitatis obsistit, obest verò è contrà pro alienis beneficiis?*
30 *De toto orbe eligendos esse Cardinales, monent D. Bernardus, Concilium Tridentinum, Sixtus V. ac Eugenius IV. in suis Bullis.*
31 *Verba D. Bernardi de potestate Romani Pontificis in toto orbe, & nedùm super oves ovilis Christi, sed etiàm super Pastores.*
32 *Papa est Episcopus universalis, eique nullus clericus est extraneus, nec ullum beneficium est extradiœcesanum.*
33 *Sicut potest Papa beneficia etiàm extraneis impertiri; ità idipsum possunt alii Collatores beneficiorum, vel ad illa Nominatores.*
34 *Laudes* Petri Cluniacensis. *Abbas Cluniaci cum Casinensi, de titulo Abbatis Abbatum contendebat, tantę erat dignitatis.*
35 *Cum Cluniacensibus ademptæ essent decimæ à Claravallensibus, indulto Innocentii PP. II. Petrus jura sua strenuè defendit.*
36 *D. Bernardo impugnanti Cluniacenses, quod parochialium decimas, & prædia possiderent, Petrus opposuit auctoritatem Ecclesię.*
37 *Decimę vel sunt, vel reducuntur ad ecclesiastica beneficia. Monachi Molisnenses recusarunt dimittere beneficia, quę tenebant.*
38 *Callistus II. exemit Cluniacenses à quibusdam decimis persolvendis, eo quod eleemosynas peregrinis, & pauperibus erogabant.*
39 *Si licitum est beneficia monachis in perpetuum possidenda largiri, multò magis ea licet clericis extraneis ad vitam retinenda conferre.*
40 *Tempore B. Petri Cluniacensis plures ex illo cœnobio facti sunt alibi Abbates, Episcopi, Cardinales, de quibus ipse loquitur.*
41 *Monachos suos Petrus Cluniacensis per diversas Provincias, & Regna, perpetuò moraturos, mittebat. Pluresque concessit D. Bernardo.*
42 *Piam habuis de monachis alienis suscipiendis cum D. Bernardo contentionem, qui eos non esse suscipiendos urgebat.*
43 *Monachos quoque de noso monasterio venientes, suscipi posse probat Petrus Cluniacensis, justis dè causis.*
44 *Si non liceret extraneis conferre beneficia, Petrus Cluniacensis non potuisset sinè culpâ multa facere, quę fecit:*
45 *Ex monasterio Cluniaci plures Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Papæ prodierant.*

 46 *Idem*

46 *Idem Petrus alibi agit de Præsulibus Aurelianensi, Arelatensi, & Bellovacensi, ad illos Episcopatus provectis, quamvis extraneis.*

47 *Petrus Cluniacensis, nomine Regis Hispaniæ, rogat Papam, ut Episcopum Salamantinum Compostellam transferat.*

48 *Cœnobium Cluniacense, præter plures Ecclesias, earumque reditus, tenebat quoque præbendas in pluribus Cathedralibus.*

49 *Ex tot, & tantis, quæ fecit, scripsit, docuit B. Petrus Cluniacensis elucet, quod clericis extraneis patet aditus ad beneficia.*

50 *Ex D. Bernardo quoque, & Hildeberto patet, liberè, ac licitè provehi posse clericos etiam extraneos, ad ecclesiastica beneficia.*

1. REFULSIT ut sidus nobilissimum, in Ecclesiæ Cœlo, hoc Christi Sęculo duodecimo, B. *Hildebertus Turonensis*, in Martirologio Gallicano vocatus, *magna Ecclesię columna, & sonora Christi tuba, cujus testamentum ęternum indelebilibus paginis propugnavit &c. de hoc quidem jure usurpari potest insigne id, quod dudum S. Hieronymus de B. Cypriano elogium publicavit: tanti ingenii superfluum est indicem texere, cum sole clariora sint ejus scripta. Sed non minus fuit pastorali zelo, sacerdotali vigore, puritate vitæ, religionis cultu, justitię studio, patientiæ merito, atque omnis sanctimoniæ gratiâ conspicuus* (a). Floruit anno Christi 1125. (b). Hic ex Lavardinensi castro mediocribus ortus parentibus (c), qui & Hildebertus de Lavarcejo alicubi dicitur (d), monachus fuisse fertur, & discipulus S. Hugonis Abbatis Cluniacensis (e), cujus vitam scripsit, Pontio, ejusdem monasterii Abbati, directam (f). Crescentibus in eo meritis, & virtutibus creverunt & gradus honoris: nàm ab Hoello Cenomanensi Episcopo prius magister scholarum factus est, deindè Archidiaconus suæ Ecclesiæ (g).

2. Quo *Hoello*, Natione Britone, dudum anteà episcopalibus infulis apud urbem Canomanicam, operâ Guillelmi Angliæ Regis, & Ducis Normandiæ, insignito, tandemque defuncto, ac jam illius Episcopali beneficio vacante, Helias Cenomanensis Comes *Goiffredum Britonem decanum ejusdem Ecclesiæ ad Episcopatum elegit, sed præveniens clerus Hildebertum de Lavarcejo Archidiaconem in cathedrâ pontificali residere compulit, & altę vocis cum jubilationes ripudians cantavit, Te Deum laudamus, &c. quæ usus in electione Præsulis exposcit ecclesiasticus. Quod Helias, ut comperit, valdè iratus resistere voluit. Sed Clericis dicentibus illi: Electionem tuam ecclesiasticę præferre non debes electioni: reveritus, quià Deum timebat, siluit, & ne læthale in membris Ecclesiæ schisma fieret, Canonicis consensit* (h). Goiffredus verò *Judicail*, Pontificis Alectæ frater, post obitum *Guillelmi Cadomensis* Archiepiscopi Rotomagensis, Metropolitanæ illi Ecclesiæ præfectus est (i).

3. Sedem Cenomanensem sub Paschali Papâ II. B. Nildebertus obtinuit (l), quem etiam personalitèr adivit, ab eoque benigniùs exceptus est. Indè in Apuliam, Siciliamque processit, ubi Rogerius Princeps *illum maximo honore, & reverentiâ suscepit, & dedit ei centum uncias auri ad faciendum opus B. Juliani: & ad victum Canonicorum decem libras monetæ dedit* (m). Hinc Canonici Cenomanenses in Galliâ, beneficium ecclesiasticum, ex decem illis monetæ libris constans, in Apuliâ, vel Siciliâ, eidem Rogerio subjectâ, percipiebant, nec nova erat ibi tunc quæstio, quæ nunc tanto apparatu, & tot conatibus confovetur, non posse bona, & præbendas ecclesiasticas viris extraneis, sine læsione divini, naturalis, & humani juris conferri, Ad propria reversus Hildebertus, excellentiâ Doctrinæ ubique clarissimè rutilavit, quâ & promeruit, ut S. Anselmus Cantuariensis disputationem, à se cum Grecis habitam in Concilio Barensi, de processione Spiritus Sancti à Patre, & filio, in volumen extenderit, eique transmiserit (n): quà de rè adhuc extat ipsius Hildeberti epistola, tanti muneris accepti testatrix (o).

(a) *Martyrol Gallic, & ibi Andr. Saussay die 29. Decembr. to. 2. fol. 1022.*
(b) *Bellarm. de scrip. Ecclesi. in Hildebert. Turonens.*
(c) *Gesta B. Hildeb. ap Jo: Picard: in annot. ad Epist. S. Anselm. l. 3. ep. 53.*
(d) *Orderic. Vital. hist. Eccl l. 10. an. 1098. & præterea f. 770. C.*
(e) *Chron. Cluniac. & de S. Hug. I. Abb 6. f. 1642. E. Martyrol. Gall. die 29. Aprilis.*
(f) *Martin. Marrier. Bibliot. Cluniac. f. 413.*
(g) *Gesta B. Hildeb. loc. cit.*
(h) *Orderic. Vital. hist. Eccl. l. 4. an. 1073. f. 531. & 570.*
(i) *Idem, & series Archiep. Rotomag. n. 47. 48.*
(l) *Baron. an. 1088. num. 19.*
(m) *Gest. B Hildeb. ap Jo. Picard. loc. cit.*
(n) *Vuillelm. Gemmetic. hist. Normann. l. 6. c. 9. ante fin. Baron. an. 1097. n. 149.*
(o) *Hildeb. Turonen. ep. 22. in Bibl. Patr. to: 22. vel ap. Baron. loc. cit. vel inter epistolas S. Anselm l. 3. ep. 53.*

4. Cum-

4. Cumque jàm per 22. annos Hildebertus Cenomanicæ præfuisset Ecclesiæ, ad Turonensem translatus est, eo modo, quo recenset Ordericus Vitalis, dicens: *Eâdem septimanâ, quâ Callistus Papa hominem exeessit, Gislebertus Turonensis Archiepiscopus, qui pro ecclesiasticis negotiis Romam perrexerat, illic obiit. Quod audientes Turonici Hildebertum Cenomanensem probatum præsulem, sibi adsciverunt, & Honorii Papæ permissu gaudentes in Turonicæ metropolis cathedram transtulerunt. Ibi ferè 7. annis honorificè vixit, & subjectis profecit: Cenomannis verò Guiumarum Britonem Episcopum consecravit* (a). Hanc translationem factam esse, *concedente Ludovico Grosso Francorum Rege*, asseritur ingestis ejusdem Hildeberti (b). Quem etiam coluit D. Bernardus Claravallensis, dum Ecclesiæ Turonicæ præsidebat, ut constat ex inscriptione ad epistolam, sub hisce terminis ei directam: *magno sacerdoti, & excelso in verbo gloriæ Hildeberto Dei gratia Turonensium Archiepiscopo, Bernardus Claravallensis Abbas &c.* (c).

(a) *Orderic. Vital. hist. Eccl. l. 12 an. 1125.*

(b) *Gest. Hildebert. ap. Jo: Picard. in annot. ad l. 3. ep. 53. S. Ansel. Cantuar.*

(c) *S. Bernard. epist. 124.*

5. Inclyti hujusce Præsulis commemoratio, quam hic fecimus, magnam secum traxit congeriem nominum, nunc iterum summatim memorandorum. *Hildebertus* Lavardinensis Archidiaconali priùs, posteà Episcopali beneficio potitus in Ecclesia Cenomanensi; deindè Archiepiscopali in metropoli Turonensi. *Hoellus* ex Britanniâ accersitus, ut Episcopatu Cenomanico præfulgeret. *Goiffredus* itidem ex Britanniâ Cænomanensi Decanatu ornatus, & ad Episcopatum ipsius Ecclesiæ ab Heliâ Comite destinatus, nec respondente tunc vobis effectu, Archiepiscopatu tandem Rotomagensis metropolis decoratus, *Judicail* frater Goiffredi, & consequenter Brito, factus nihilominus Episcopus Alectensis. *Clerici Cenomanenses*, promoventes Hildebertum ad eorum Episcopatum. *Clerici Turonenses* ipsum ad eorum metropolim advocantes. *Clerici* rursus *Cenomanenses* præbendam suscipientes, sibi à Rogerio Siciliæ, atque Apuliæ Principe assignatam. *Rogerius* ipse eandem assignans. *Ludovicus Grossus* Rex Francorum translationi Hildeberti à Cenomanicâ ad Turonensem Ecclesiam concurrens. *Helias* Comes Cenomanensis, operam dans, ut Goiffredus ad Cenomanicam, indè ad Rotomagensem sedem promoveretur. *Guillelmus* Rex Angliæ Hoellum Cenomanensibus infulis condecorans. Hi omnes inquam Reges, Episcopi, Archiepiscopi, Clerici, Principes &c. quà recipiendo, quà nominando, quà aliter cooperando, ut beneficia Archidiaconalia, Decanalia, Episcopalia, Archiepiscopalia, ad extraneos pervenirent; non unâ, sed multiplici voce succlamant, liberè, & licitè patere Clericis extraneis aditum ad ecclesiastica beneficia.

6. Sed à gestis Hildeberti Turonensis ad ejus doctrinam transitum jàm faciamus. Graves habuit Beatus hic Antistes cum Henrico I. Rege Angliæ controversias eo tempore, quo Cenomanicæ præsidebat Ecclesiæ, quàm ideò dimittere in manibus Pontificis peroptavit (d). Causaque contentionis fuit defensio ecclesiasticæ libertatis, nolens turres Ecclesiæ diruere, quas sibi Rex autumabat esse suspectas: Undè ipsi Regi animo imperterito resistens, idcircò afflictiones, atque anxietates, usque ad carceris macerationem constantissimè toleravit (e). Extatque Ivonis Carnotensis epistola, quâ ipsum Hildebertum, à Rege vexatum, confortat, nè suam innocentiam ignis experimento probaret, quemadmodùm idemmet Rex Angliæ deposcebat (f). Ab his eductus tribulationibus, cum jàm ad Turonensem cathedram pertransisset, in alias, & quidem graves, cum Francorum Rege contentiones impegit, de quibus ad Honorium Papam scripsit: *His premor angustiis, quià zelo zelatus sum legem Domini Dei: quià non sum transgressus terminos, quos patres nostri posuerunt: quià dignitates ecclesiasticas, nec ex Regis præcepto disposui, nec ei disponendi facultatem indulsi. Sciens enim quià oportet magìs domino obedire, quàm hominibus, personas elegi, quæ in exequendis Ecclesiæ negotiis, pondus diei portarent, & æstus. Alteri igitur Archidiaconatum, alteri Decanatum dedi* (g).

(d) *Hildeber. Turon. epl. 24 ad quemdã Abbatem in to. 12. par. 1. Bibl. Patr. f. 317. & ejus gesta loc. cit.*

(e) *Hildebert. Turon. epl. 29. 39. 40. Baron. ann. 1107. n. 23. 24.*

(f) *Ivo Carnotensis epl. 91. Baron. an. 1107 n. 14.*

(g) *Hildeb. Turon. epl. 67.*

7. Quorsum tenderet hæc sedulitas, vel conatus Regis, adeò fervidè adver-

sus Hildebertum se incitantis, proptèr dispensationem Archidiaconatus, & Decanatus Turonensis, aliorumve beneficiorum, an Rex vellet illa dari extraneis, vel indigenis: an his, aut illis; nobis ignotum est: & id etiàm scire parum refert: hoc refert scire, quod Hildebertus censuit, non esse Principis, in distribuendis præbendis ecclesiasticis sè immiscere: quod in eorum collatione sola meriti ratio habenda est, iique ad beneficia promovendi sunt, non quos laici suggerunt, non quos Magnates, & Principes mandant provehi, sed quos Ecclesiæ utilitas, & Accipientis benemerentia, necnon prudentia Collatoris, & Nominatoris, dictat esse beneficiis ecclesiasticis investiendos: quidquid sit de genere: quidquid sit de natione.

8. Celebris posteà est epistola, quâ Hildebertus gratulatus est Episcopo Arvernensi proptèr Archidiaconatum suæ Ecclesiæ, collatum Vuillelmo Subdiacono Cenomanensi: pergens improbare pravum usum Arvernensis Ecclesiæ, quod inibi Clerici in beneficiis, vel præbendis Canonicalibus hæreditario jure succederent: *Melius*, inquit, *mè cucurristis, consequuti bravium, ad quod anhelare disponebam. Vuillelmo siquidem de Lonlegio benefacere decreveram? Sed animadverti meliùs, providente Domino Jesu Christo, à vobis idem Vuillelmus audire meruit, Amice ascende superiùs. Sanum profectò consilium, quò factum est, ut in Ecclesiâ Claromonensi Archidiaconus ille assignaretur, cui ad fructum scientia, & ad gratiam mores exuberant. Ortus ejus nec lege reprobabilis, nec abiectus parentelâ, ex eo nulla juveni nota venit, nulla ex obscuritate generis confusio: qui conversatione hominis familiarius, eam intùs, & mansuetam prædicant, & honestam, foris integrum, & splendidum testimonium. Indè factum est, ut ad gradum Subdiaconatus eum ducerem promovendum, non magis literaturæ ipsius deferens, quàm vitæ. Bonam gero spem, quia seipsum præbebit vas in honorem; vas ad omne opus bonum in domo domini præparatum. Gratias igitur Beatitudini vestræ de collato agens beneficio, eundem Vuillelmum, vobis, & vestræ commodo Ecclesiæ, ab eâ, quàm Consecratori suo debet obedientiam, liberum omninò, & absolutum. Ex abundantia est, prò eo intercedere apud vos, quem fecistis ultrò, non quodlibet membrum corporis Ecclesiæ, sed oculum* (a).

(a) Hildeb. Turon. epist. 55.

9. Sequitur indè, & subjungit: *Audivimus autèm, & ultrà, quàm credi possit, admirati sumus, in vestrâ matre Ecclesiâ, hæreditario jure canonicas obtineri; perniciosa hæc, & exhæredans hæredisas. Canonica namque stipendium est gratiæ, non hæreditatis principatus: undè & hæreditate Canonicum fieri, exire de Ecclesiâ est, non Ecclesiam introire. Qui enim dicunt hæreditate possideamus Sanctuarium Dei, nec cohæredes sunt Dei, nec cohæredes Jesu Christi. Væ illis, quando Judex sedebit cum Senatoribus terræ! Væ inquam illis, quos tunc non ex altari vixisse, sed ex raptu, verbera docebunt, non verba: obumbrata enim rapina est, ea, quæ electionis sunt, hæreditate vendicari. Fallitur autem quisquis Episcopos tantum electione dixerit assumendos: electio, tàm sub lege, quàm sub gratiâ, Sanctuarii respicit dignitatem. Deus ipse, Moysen, Moyses autem ex præcepto Domini, septuaginta viros ex Senioribus Israel elegit. Non enim preterit nos, Dominum sic locutum Moysi: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes sint, & magistri, & duces ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tecum, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent onus populi tecum, & non solus tu graveris. Deindè quales, & ex quâ Tribu Sacerdotes assumerentur, aut etiam Levitę, seù etiam cęteri, qui tabernaculo deservirent, non fuit arbitrii, sed precepti: non hęreditatis, sed legis. Cùm enim solam Tribum Levi Dominus hâc sorte dignaretur; nulli tamèn ex eâdem Tribu licuit ultrò, vel indifferentèr, ad quàm vellet irrumpere dignitatem, sed quę essent vocandę ad tabernaculi obsequium, descripta est proprietas personarum. Hęc autèm omnia, sicut scribit Apostolus, in figurâ contigebant illis. Lex enim, & preconium gratiæ fuit, & exemplum. Indè etiam est, quòd universę dignitates Ecclesię suam quærunt*

querunt electionem. Si Apostolos consideremus: de illis Dominus ait: Nonnè ego vos duodecim elegi? Si septuaginta duos; illos etiam à Christo fuisse designatos, Lucas meminit. Stephanum, & cum eo sex Diaconos, nulli dubium est Apostolos elegisse. In his, & eorum successoribus præscripta est Ecclesię forma, quam in electione, vel consecratione summorum, & inferiorum Sacerdotum, seù etiam Diaconorum non custodiri, causalis est, & vicinus ruinę provectus. Ceteros quoque gradus ad minimum usque Clericum, prò Episcoporum deliberatione substituendos, & distribuendos, judicandos, & reformandos, canonica censent, & prejudicant instituta. Perit autèm, solis Pontificibus collata hęc à Domino potestas, si substituendi Canonicum, vel aliud in Ecclesiâ disponendi hereditas alicui facultatem acquirat. Quid enim Episcopo in commissâ licebit Ecclesiâ, in quâ clericus arbitrio assignetur alieno? Quid ibi sacrę poterunt sanctiones, ubi nascitur, non fit Canonicus: ubi plùs nuptiis debetur, quàm meritis: ubi plùs genituræ; quàm gratię: plùs foro; quàm Cælo? Nunquid oblaturus est gratum sacrificium Deo, cui Altaria cubile destinat? Cui Sacerdotium natales despondent; non mores: parentela, non scientia: laicus generans; non præsul adoptans? Quem non moveat in Ecclesiâ Christi, laicum principari, qui dùm in eâ substituit heredem, Pontificis evacuat libertatem? Attamèn quod laicis ad disponendas res ecclesiasticas nullum paraverit authoritas accessum; Stephanus Papa, & martyr his ostendit verbis. Laicis, quamvis Religiosi sint, nulli tamèn de Ecclesiæ facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas, neque deinceps permittimus. Si quis ergò Principum, vel laicorum, dispositionem, seù dominationem rerum, sivè possessionum ecclesiasticarum sibi vendicaverit; ut sacrilegus judicetur: Clerici verò, seù Monachi, qui eas per eorum potestatem susceperint, excomunicationi subiiciantur.

10. *Porrò hæreditariam illam Canonicorum substitutionem, consuetudine velle tueri, vel ignorare, vel persequi est, sanctorum tenorem regularum. Voluit ille noxiam consuetudinem abolere, & iritum fieri usum, cui nec authoritas adest, nec ratio suffragatur. De hoc Augustinus in primo lib. de Baptismo, sic ait: frustrâ, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obiiciunt: quasi consuetudo major sit veritate, aut non sit spiritualibus sequendum, quod in meliùs à Spiritu Sancto fuerit revelatum. Idem in 3. libro de unico Baptismo, sic ait: veritate manifestâ, cedat consuetudo veritati, planè quis dubitet veritati manifestæ consuetudinem cedere? Idem in lib. de Baptismo: in Evangelio Dominus inquit; ego sum veritas, non dicit ego sum consuetudo: Itaque veritate manifestâ cedat consuetudo. Rçvelatione igitur factâ veritatis, cedat error veritati, quià & Petrus, qui circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cum Christus veritas sit; magis veritatem, quàm consuetudinem sequi debemus, quià consuetudinem ratio, & veritas semper excedit. De eodem Cyprianus: quælibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omninò est postponenda: & usus, qui veritati est contrarius, abolendus est. Isidorus in Synonimis lib. secundo. Usus authoritati cedat: pravum usum lex, & ratio vincat. Quià igitur noxiæ consuetudini tàm multa resistit autoritas, vobis beatissime præsul incumbit, de domo Domini hæreditarium amoverę piaculum, in quod negligentèr agere pontificem, pontifici cedit ad pœnam.*

11. Inde, converso ad Aruernenses sermone, ait: *Fratres mementote, quià dùm facitis forensem de Ecclesiâ possessionem, debitum de gratiâ constituitis ędificium, cui nullum suppositum est fundamentum. Super arenam fratres charissimi, ędificatis: vestrum hoc ędificium, veritatis testimonio, ruinam pollicetur: testimonio veritatis, pluvia descendet, venient flumina, flabunt venti, & irruent in ædificium, & cadet, & erit ruina magna. Nolite filii, nolite partem vestram ponere cum his, qui dixerunt, hæreditate possideamus Sanctuarium Dei. Deus ultionum persequetur eos in tempestate suâ, & in irâ suâ turbabit eos. De vestro quoque, Reverendissimè Præsul, de vestro, inquam, agitur periculo, nisi explantare satagetis plantationem, quàm non plantavit Pater vester cœlestis; nec assumpta est de ligno, cujus folium non de-*

defluet, & omnia quæcumque faciet, semper prosperabuntur. Plantatio hęc, plantatio lęthalis, nec suo plantatori perniciosior, quàm ei, cujus negligentiâ jam plantata coaluit: non enim immunis est à malefacto quisquis Antecessoris malefactum, cum possit, non corrigit. De hoc enim Hilarius Papa sic ait: Quisquis commisit illicitum, aut à decessoribus suis invenit admissum; si proprium periculum vult evitare, damnabit. Item idem: non in ullo volumus severitatem ultionis exercere; sed qui in causis Dei, vel contumaciâ, vel aliquo excessu deliquerit, aìt ipse, quod perperam prędecessor ejus fecit, abolere noluerit; ipse quidquid in alio non resecavit, inveniet. Porrò si quis eradicantem manum vestram, vel contumaciâ, vel quolibet ausu, quod absit, reprimere tentaverit; ipse debitum sacrilegii experietur ultionem. De hujusmodi namque Stephanus Papa his scribit verbis: sunt quidam, qui vel violentiâ, vel favore, non permittunt Ecclesias regularitèr ordinari; hos etiam decrevimus, ut sacrilegos judicandos. Hæc vobis scripsimus, fratres charissimi, exhortandi gratia potiùs, quàm docendi, quæ dùm exaravimus, exoravimus scrutantem renes, & corda, nè pateretur vos in eam declinare opinionem, ut asseriberetis jactantię, quod impensum est charitati. Hoc excessu libera est anima mea, licèt sè gravioribus delictis obnoxiam non audeat diffiteri. Vicem mihi rependetis, si diligitis me, & oratis prò me (a).

(a) Hildeb. Turon. epist. 55.

12. Duo hinc elicimus, causæ nostrę ineffabiliter deservientia: primum est, quod Vuillelmus Subdiaconus Cenomanensis Ecclesiæ, sitæ in provinciâ ecclesiasticâ Turonensi, Ducatus Britanniæ, Archidiaconatum Ecclesiæ Claromontensis est assecutus, in provinciâ Ecclesiasticâ Bituricensi, Ducatus Aquitaniæ, ubi erat nedùm extradiœcesanus, sed etiam extraprovincialis, & imò etiam extranationalis, quatenùs tunc Britannia Regi Angliæ, & Aquitania Regi Galliæ in temporalibus subdebatur. Quem quidem Vuillelmum, Hildebertus nedum non objurgavit ob acceptum, & Episcopum Claromontanum non coarguit, ob collatum ei Archidiaconatum, sed utrumque laudibus affecit, & Vuillelmo discedendi, Episcopo verò eum Archidiaconatu augendi liberam contulit potestatem. Quarè tàm Hildeberti Cenomanensis, quam Claromontani Episcoporum voto constat, inesse Ecclesię libertatem sua beneficia, etiam viris extraneis conferendi. Ad hęc Hildebertus improbat, quod apud Arvernos beneficia ecclesiastica hęreditario titulo conferrentur, Episcopumque Claromontanum conscientię stimulis exagitat, ut tantum abusum à suę diœcesis limitibus relegaret, quę dum facit, & adeò prolixâ elocutione facit, non solam perculit successionem in prębendis, à jure sanguinis postulatam, sed etiam omnem aliam hęreditariam successionem in beneficiis adipiscendis, condemnavit. Cum autem nedùm successio gentilitia, sed etiam substitutio patrimonialis in beneficiis, ad solos indigenas coarctata, quoties, & ubi deest indultum Ecclesię, ità disponens, contineat in se vim hęreditarię successionis, indigenęque, talitèr necessariò provisi, partem habeant cum iis, *qui dixerunt hæreditate possideamus Sanctuarium Dei (b)*; hinc fit, quod ex hoc quoque capite, in sententiâ Hildeberti Turonensis beneficia non sint solis indigenis conferenda. Igitur, & verbis, & gestis, & opere, & doctrinâ Hildeberti Turonensis, favore libertatis ecclesiasticę peroratur, multimodèque probatur, Ecclesiam esse liberam in potestate largiendi suas prębendas, tàm indigenis, quàm extraneis; & per consequens, si eo tempore Ecclesia in hoc erat libera, libera nunc etiam esse debet, & prò liberâ reputanda, nisi doceatur potuisse hâc libertate privari: & de facto fuisse illâ privatam, respectu locorum, à quibus prętendunt Contradictores, Clericos extraneos esse ab ecclesiasticis beneficiis elongandos.

(b) Psalm. 82:13.

13. Inter sidera quoque primę magnitudinis, quę seculum duodecimum illustrarunt, est S. Bernardus, natione Burgundus, patriâ Fontanellensis, professione monachus ordinis Cisterciensis, & primus Abbas Caravallensis (c), vir sanctissimus, & doctissimus, qui eloquii suavitate Doctor Mellifluus est appellatus (d), & miraculorum frequentiâ, Thaumaturgus Occidentis est dictus (e), clarus Legationibus Apostolicis ad Mediolanenses (f), ad Genuenses (g), & ad Principem Aquitanum

(c) Guillelm. Abb. S. Theodoric. in Vit. S. Bernard.
(d) Petr. Annat. Method. Theol. l. 4. art. 43.
(e) Idem loc. cit.
(f) Bernard. de Bonaval. Vit. S. Bernard. l. 2. c. 2.
(g) Bernard. ep. 129. ad Januenses.

tanum peractis (*a*): Nec non memorabilis, ob generalatum militum cruce signatorum, ei in Concilio Carnotensi commissum (*b*), qui & in Concilio Estampensi, Schismaticos vicit (*c*): In Remensi, Gilbertum Porretanum confudit (*d*): In Senonensi, Petrum Abailardum confutavit (*e*): Arnaldistas quoque compescuit (*f*): Hereticos dictos Apostolicos debellavit (*g*): Qui paces tandem inter populos sancivit (*h*): Pontifices juvit (*i*), omnibus benefecit. Verè Vir Apostolicus (*l*), & omni preconio major: floruit autem anno Christi 1130. Hic tamquam Cisterciensem Regulam secutus, ea etiam, quæ in illâ expresè cauta sunt, proculdubiò est professus, ajunt enim: *Illis autem, quibus per Sedis Apostolicæ gratiam, seù per electionem concordem Canonicorum alicujus vacantis Ecclesiæ fuerit provisum, vel providebitur in futurum dè Episcopatus Officio &c.* (*m*); Loquitur ibi regula Cisterciensis dè illis Monachis, quibus dabitur beneficium Episcopale, sive per electionem canonicam, sivè per designationem liberè à Papâ factam, vultque, quod utroque modo fratres, dictam regulam professi, possint ad Episcopatum ubilibet pervenire, etiam si indè essent extranei; prout de facto D. Bernardo modò Archiepiscopatus Januensis, modò Mediolanensis, modò aliæ infulæ fuerunt oblatæ (*n*), à quibus erat extraneus, extradiœcesanus, extraprovincialis, quantùm distant Gallia ab Italiâ; Burgundia à Liguriâ, & Insubria; ac Cistertium, sivè Claravallis, à Januâ, & Mediolano.

14. Et quoad ipsius D. Bernardi doctrinam hæc attendantur, Petrus de Castrâ, sivè ut alii dicunt de Ciatra consanguineus Cardinalis Cancellarii Romanæ Ecclesiæ, mortuo Alberico Bituricensi ad ejusdèm Ecclesiæ Archiepiscopatum, jam annum secundum vacationis suæ numerantem (*o*), à Capitulo, annuente Innocentio Papâ II. assumptus est, & sacro oleo solemnitèr consecratus (*p*). Infremuit ad hæc audita Ludovicus VII. Galliarum Rex (*q*), & jurejurando spopondit, sè nunquàm permissurum Petro ejusdem Ecclesiæ possessionem (*r*): quibus cognitis D. Bernardus epistolam ad Innocentium Papam dedit, illumque sollicitavit, ut Regem, Petro Archiepiscopo adversum, & Theobaldo Comiti Campaniæ satis infestum, quià obediens Apostolicæ sedi, dictum Archiepiscopum receptaverat, debitâ coercitione reprimeret. *Quid meruit*, ait, *Comes Theobaldus? Quid peccavit homo ille? Si peccatum est, quod diligit justitiam, & odit iniquitatem, non potest exculpari*, tamen Rex violentias multas in Comitem committebat. *Si peccatum est, quod reddit Regi, quæ Regis sunt, & quæ sunt Dei Deo; non potest excusari. Si Archiepiscopum Bituricensem suscepit ad imperium vestrum, hoc est maximum, & primum peccatum. En sanguinis ille de manu ejus exquiritur. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahunt ei, quoniàm sequitur bonitatem. Multi clamant ad vos in toto corde suo, ut injuriam filii vestri, & oppressionem Ecclesiæ dignâ animadversione vindicetis, & artifices hujus sceleris, cum ipso eorum capite, cui quidquid libuit, licuit, Apostolico vigore coerceatis, ut in verticem ipsius iniquitas ejus descendat* (*s*). Misit ergò Innocentius in Gallias Ivonem Cardinalem S. Laurentii in Damaso, qui sollicitudine, præcibus, & officiis nihil proficiens; Regnum ecclesiastico suppofuit interdicto (*t*). Sed Rex non indè melior effectus, in sui jusiurandi pertinaciâ sè consovit.

15. Inflammatus ad hæc D. Bernardus, itâ ad Albericum Ostiensem, Stephanum Prænestinum, Ignarum Tusculanum Episcopos, & Gerardum S.R.E. Cardinales hæc intèr cætera scripsit; *Dè duobus non excusamus Regem: nàm & juravit illicitè & perseverat injustè. Verùm id non voluntate, sed verecundiâ. Nàm probro ducitur, sicut optimè nostis, apud Francigenas, juramentum solvere, quamlibet malè publicè, juratum sit, quamvis nemo sapiens dubitet, illicita juramenta non esse tenenda. Verùm nè in hoc quidem excusari posse fatemur, neque enim excusare nos, sed veniam postulare suscepimus. Vos videte, an excusare aliquatenùs eum possit ira, ætas, majestas. Poterit sine dubio, si misericordiam judicio superexaltandam decernatis; quatenùs videlicèt talis aliqua consideratio in Rege, & puero habeantur, ut hac ei vice, tali* qui-

(a) *Bernard. de Bonaval. l. 2. c. 6.*
(b) *Bernard. ep. 258. Baron. an. 1146 n. 4. 5.*
(c) Baron. an. 1130. num. 59.
(d) *Petr. Annat. loc. cit. Baron. an. 1148 num. 13.*
(e) *Baron. an. 1140. 3. Annat. loc. cit.*
(f) S. Bernard. epist. 195. 196.
(g) *S. Bernar. ser. 66. in Cant. Baron. ann. 1147. 21.*
(h) *Baron. an. 1134. n. 8. & 1153. n. 13.*
(i) *Baron. an. 1130. n. 59 & 1145. n. 4.*
(l) *Baron. an. 1145. n. 29. & an. 1153. n. 14.*
(m) *Monast. dist. fol. 639. Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 2. c. 60 n 10. in fine.*
(n) *Brev. Rom. in ejus legend. die 20. Augusti & alii in ejus vita*
(o) *Thomassin vet. et nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 2 c. 51. n. 1.*
(p) *Baron. an. 1141. n. 3. & 1142. 1.*
(q) *Robert. de Monte append. ad Sigebert. ann. 1141.*
(r) *Chron. Nangi in spicileg. to. 1 f. 425.*
(s) *S. Bernard. epistol 216.*
(t) *Idem ep. 216. Baron an. 1142. n. 2.*

quidem tenore parcatur, quo tale aliquid dè cætero non præsumat. Parcatur sanè, dixerim, si fieri possit, salvâ in omnibus Ecclesiæ libertate, simul Archiepiscopo debitâ veneratione servatâ, quem manus Apostolica consecravit. Hoc ipse Rex humilitèr petit, hoc nostra universa citramontana, nimium jàm afflicta, Ecclesia supplicitèr deprecatur (a). En quàm rotundis verbis Divus Bernardus resistentiam Regis, promotioni Petri ad Archiepiscopatum Bituricensem, contrariam libertati Ecclesiæ, & injuriosam ipsi Archiepiscopo declarat. Juramentum quoque ipsiusmet Regis, injustum esse dicit, nec voluntate, sed opinione à Rege defendi; quem veniam postulare asserit, & cum totius Gallicanæ Ecclesiæ voto, ætati ejus ignosci posse proponit.

(a) S. Bern. ep. 219.

16. Tumque ad Regem conversus S. Bernardus, illum hisce literis interpellat: *Nolite quæso, nolite Domine mi Rex Regi vestro, imò omnium conditori, tàm evidenter in suo regno, & in suâ possessione audere resistere, & manum extendere, tàm frequenti, & temerario ausu, adversus terribilem eum, qui aufert spiritum principum, terribilem apud Reges terræ. Acriter loquor, quià acriora vobis formido, quod non ità vehementer timerem, nisi vos vehementer diligerem* (b). Et alibi: *Si autem persistitis, quod absit, non acquiescere sanis consiliis; mundi sumus à sanguine vestro, Deus non permittet Ecclesiam suam, sive à vobis, sive à vestris, diutiùs conculcari* (c). Attendant Contradictores Divo Bernardo, vocanti resistentiam Regis provectioni Petri Bituricensis, *resistentiam Regi Regum*, in *Regno suo*, in *suâ possessione*, ac *Ecclesiæ conculcationem*. Et alibi, jusjurandum Regis, de non admittendo Petro ad Episcopatum Bituricensem, nuncupat *Herodianum Juramentum* (d). Sunt ne hæc pauca? Sunt nè obscura Sancti illius Patris eloquia? Sunt nè parùm legentis animum convincentia?

(b) S. Bern. ep. 220.
(c) Idem ep. 225.
(d) S. Bern. ep. 224.

17. Attendamus adhùc quid ad Joslenum Episcopum Suessionensem, & ad Sugerium Abbatem S. Dionysii, Regis consiliarios, S. Bernardus, eandem causam agens, inclamat. *Scripseram*, inquit, *Regi arguens eum super malis, quæ fiunt in Regno ejus, ipsius sicut dicitur, assensu &c. Adhùc suspensi manent Episcopi nostri, adhùc terra nostra suspensa est: Quasi verò cujusdam ecclesiastici interdicti ad Comitem Theobaldum pertineat &c.* (obtendebatur enim, quod res ob Theobaldi contumaciam manerent in Regno turbatæ, & post initam pacem intèr Regem, & Comitem, *jàm occasiones quærebat rex quomodò recederet ab Amico* (e); cum tamen interdictum non ob ipsum Comitem, sed ob exclusionem Petri ab Archiepiscopatu Bituricensi, fuisset in illis terris appositum): prosequiturque Bernardus. *Denique esto, quod omninò malè meruerit Comes; sed Ecclesia Dei quid meruit? quid, inquam, meruit non jàm sola Ecclesia Bituricensis, sed & Cathalaunensis etiam, & Remensis etiam, & Parisiensis? Habeat Rex adversus Comitem jus, sed de quò jure præsumit, ut Ecclesiarum possessiones, & terras devastet, ut Christi ovibus pastores præfici non permittat: ut his quidem electorum promotionem prohibeat; aliis, quod adhùc inauditum est, dilationem electionis indicat, donec universa consumpserit, donec diripuerit pauperum facultates, donec penitùs desoletur terra? An vos ei consulitis talia? Mirum valdè si contrà vestrum consilium fiunt hæc: mirum magis, & malum, si vestro consilio fiunt. Etenim consulere talia manifestè schisma fabricare est, Deo resistere, Ecclesiam ancillare, & novam in servitutem ecclesiasticam redigere libertatem. Si quis Ecclesiæ filius est, profectò stabit, & opponet sè, quoad poterit, murum prò Domo Dei. Nàm & vos ipsi, si pacem desideratis Ecclesiæ, sicut oportet filios pacis: quomodò non dicam, tractatis ea, sed vel interestis consiliis, tàm malignis; quidquid enim mali fecerit, meritò non Regi juveni, sed Consiliariis senibus imputatur* (f).

(e) Idem ep. 224.
(f) S. Bern. ep. 222.

18. Dè hoc eodem eventu Petrus Cluniacensis ad Innocentium Papam II. literas dedit, rogans, & admonens, ut proficuâ condescensione Regi deferret adolescenti, & juvenili inconsideratione in negotio Archiepiscopi Bituricensis agenti. *Prò Domino*, inquit, *Rege Franciæ, magno, nobili, & speciali filio vestro, benignitatem Apostolicam deprecor, ut quià non solùm Rex, non solùm magnificus Re-*

ctor Christiani populi est, sed etiàm, quià opus manuum vestrarum est, quem ad Regnum provexistis, quem sacris manibus vestris inunxistis, quem Galliis nostris potentiorem patribus Regem designastis, si quid fortè adhuc, ut ętate juvenis inconsultè agit, ei condescendatis, & ejus fortè errorem sapientię vestrę velamine contegatis: Est enim patris, ut filii, & maximè tanti, & errorem emendet, & honorem conservet. Hoc prò dissidio, quod intèr ipsum, & Dominum Bituricensem Archiepiscopum est, dico: est enim sicut sensi, res non levis, & nè dè gravi incepto, graviorem vergat in exitum, multùm cavenda (*a*). Ergò & Petrus Cluniacensis exclusionem Archiepiscopi Bituricensis vocat *juvenilem Regis inconsiderationem*, & S. Bernardus, *Herodianum juramentum*. Judicet itàque Dominus intèr nos, & Contradictores, an licitè extranei ab ecclesiasticis beneficiis repellantur. Petrus ad Bituricenses infulas promotus erat extraneus, extradiœcesanus, extraprovincialis, & extranationalis, & tamèn D. Bernardus, ac venerabilis Petrus Cluniacensis, eum à beneficio Episcopali Bituricensi, altè clamant, non posse, sinè juvenili inconsideratione, & sinè Herodiano jurejurando, repelli. Erat inquam Petrus de Ciatrâ, sivè de Chastrâ electus, Bituricensis, extraneus, non indigena, nempè Burgundus. Nàm si consanguinitate tangebat Aymericum Cardinalem, & Cancellarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui D. Bernardus plures scripsit Epistolas (*b*); certè cum hic Aymericus, & ipse natus ex familiâ de Chastrâ, sivè de la Chastre, fuerit natione Burgundus (*c*); oportet quod & Petrus, Bituricensibus infulis decoratus habuerit eandem cum illo patriam in Burgundiâ. Cui regioni quià tunc proprii principes præerant, nempè Ducatui Burgundiæ Odo III. filius Hugonis II. (*d*), & Comitatui Burgundiæ, Reginaldus II. (*e*); hinc fit, quod idem Petrus de la Chastre, tamquam ex alienâ regione ortus, ab Ecclesiâ Bituricensi nedum erat extradiœcesanus, verum etiam extraprovincialis, atque imò ibidem rationem extranationalis habebat: quamvis proptèr propinquitatem Burgundiæ cum Ducatu Bituricensi, & etiam quia Petrus literarum studiis incubuerat apud Albericum Archiepiscopum Bituricensem, cujus discipulus fuit (*f*), potuerit ab aliquibus censeri, vel patriâ, vel natione Bituricensis.

19. Porrò Rex Galliæ, uti vidimus ex D. Bernardo, eò pervenerat, ut vel Antistitum electiones non permitteret in Ecclesiis celebrari, vel electos variis thecnis, & vanis causationibus ab Episcopatibus consequendis arceret (*g*), sicque libertatem Ecclesiæ suo arbitrio subjugaret. Bituricensem sedem fecerat perbiennium vacare, permisâque demum Antistitis electione quemdam Codurcum provehi voluit, quem & clerus elegit (*h*), & individuè nè Petrus de Chastrâ ad illas infulas proveheretur, interdixerit; qua de rè Nangius: *Rex concesserat Ecclesię Bituricensi libertatem eligendi Episcopum, quem vellent, excepto Petro, publicèque juraverat, quod sè vivente non erat futurus Archiepiscopus* (*i*). Non est in dubium hìc ponendum, an Regi jus competeret præbendi electionibus Antistitum suum assensum; id enim D. Bernardus supponere visus est, cum in hac ipsâ causâ, eidem Ludovico Regi perscripsit: *In quò alio regia majestas imminuta dicatur? Electio ritè celebrata est, electus fidelis est: Non autem esset fidelis, si vestra, & non per vos habere vellet. Needùm ad vestra manum extendit, needùm civitatem vestram ingressus est, needùm prorsùs sè intromisit de aliquo, quanquàm invitatio cleri, & populi, & oppressorum afflictio, & vota bonorum id ab eo vehementissimè flagitaverint* (*l*). Et clariùs in epistolâ ad eundem Regem, loquendo de Episcopo Altisiodorensi: *Volui ego unquam in aliquo imminui honorem Regis, dignitatem Regni? Ego ego electioni Altisiodorensis interfui: Consors fuit, quià clerici, qui antè hac in partes dissilierant, sinè contradictione nunc tandem, Deo miserante, convenerunt. Electum benè novimus, testimonium ei perhibemus, quonià̀m bonus est. Neminem prorsùs arbitror affuisse illi celebritati, qui de assensu vestro dubitaret, cum jam idem assensus vestris literis teneretur* (*m*).

20. Exigebatur ergò assensus Regius ad electionem Antistitum Galliæ, nè ali-

(a) *Petr. Cluniac. l. 4. epl. 3.*

(b) *S. Bernard. epl. 19. 20. 48. 51. 52. 53. 54. 151. 157. 164. 181. 332.*

(c) *Victorel addit. ad Ciacon. in Callist. 2. n. 9. Pannuin. de Pontific. max. in eod. Callist. 2. Plat in. vulgar. in Cardinalibus Callisti 2.*

(d) *Jo. Gualt. in Chron. Chronic. polit. in Ducib. Burgund. fol. 908. num 20.*

(e) *Idem loc cit. in Comitib. Burgund. n. 5. fol. 914.*

(f) *Thomas. Vet. & Nov. Ecclef. discipl. p. 2. l. 1. c. 51. n. 1.*

(g) *Idem loc. cit.*

(h) *Idem loc cit.*

(i) *Nang. in Chron. Spicil. to. 1. f. 425.*

(l) *S. Bern. epl. 170.*

(m) *Bernard. epl. 282*

quis Regi suspectus, qui posset statum politicum, & Regni pacem perturbare, Ecclesiis Episcopalibus præficeretur. Exigebatur pro electione Archiepiscopi Bituricensis, nec dubitamus Petrum pro assensu adipiscendo Regem interpellasse, sed Rex illum Petro negavit, non quià de illius fide dubitaret: ait enim D. Bernardus: *electus fidelis est*; sed quia erat extraneus, nempè Burgundus: Rexque operam dabat, ut ad Codurcum Archiepiscopale beneficium perveniret: propterea igitur Petrum expressè, & individualitèr refutavit. Innocentius verò Papa II. sciens rationabilem non esse, nec sinceram, sed mendicatam refutationem Petri, benemerentis, Regique fidelis; & si posset jam uti jure devolutionis, quatenùs ob non factam intra tempus congruum Antistitis electionem in Metropoli Bituricensi, provisio erat ad Sedem Apostolicam devoluta (*a*): Considerans quoque simùl totam rationem refutationis Petri, in ejus extraneitatem refundi, nec justum esse, ut viri extranei, principi alioquin fideles, & ei rationabilitèr non suspecti, ab Episcopalibus beneficiis repellerentur; eisque ex hâc solâ causâ assensus Regius denegaretur; prudentèr, sapientèr, ac zelantèr Ecclesiam illam ipsi Petro contulit, sivè ut à Bituricensibus eligeretur, indulsit, nec ab inceptis destitit, donec plenum suum, atque integrum adipisceretur effectum.

(a) *Thomassin. loc. cit.*

21. Hinc, arguendo à minori ad majus, qui est optimus arguendi modus (*b*), perpendat benignus lector, quantâ execratione digna sit prohibitio, quæ cunctis extraneis accessum ad ecclesiastica beneficia interdicit; si unum virum tantum, idoneum, & benemerentem, ex hac precisâ causâ repellere, quod sit extraneus, vel ei proptèr hoc assensum Regium denegare, Innocentium Papam II. movit ad hanc prohibitionem, à Rege Galliæ adversus Petrum de Chastrâ factam strenuè retundendam, censurâ Interdicti plectendam, & omnibus modis, quibus potuit, abolendam (*c*): Si B. Petrus Cluniacensis, obsistentiam Regis *juvenilem inconsiderationem* vocavit, & S. Bernardus, jusjurandum ejusdem Regis, *juramentum Herodianum* nuncupavit. Conatus ergò Regis, ejusque reluctantia, in id solùm collimavit, ut Petrum de Chastrâ præcisè quà extraneum, ab Archiepiscopatu Bituricensi repelleret: & è contrà vis Pontificiæ constantiæ, & declamationes Divi Bernardi, ac Petri Cluniacensis in id solùm tetenderunt, ut ostenderent, non posse licitè Petrum Bituricensem, & in eo Clericum extraneum, etiam extranationalem, prout erat ille, præcisè quà extraneum à beneficiorum consecutione repelli, nè libertatis Ecclesiasticæ jura conculcarentur, & nè Rex Regum in suo Regno, & in suâ possessione turbaretur. Igitur, & Innocentii Papæ II. & D. Bernardi, & Petri Cluniacensis voto, inest Ecclesiæ libertas sua beneficia prò libito collatorum, etiam extraneis elargiendi: & si illicitum est, vel unum solum virum extraneum, præcisè, quà extraneum à beneficiis Ecclesiasticis repellere, illivè ad hoc assensum regium denegare; quanto fortiùs magis illicitum est, & injustum generalitèr omnes extraneos, hac merâ futili ratione, quod extranei sint, à beneficiis ipsis repellere?

(b) *Auth. multo magis C. de Sacros. Eccl. Barbos. tract. var. loc. 73.*

(c) *Spondan. an. 1142*

22. Perpulchram quoquè doctrinam D. Bernardi, est legere in ejus epistolâ ad Eballum Episcopum Catalaunensem. Certum est Antistites hujus Ecclesiæ jus habuisse, ac usque ad D. Bernardi tempora conservasse, constituendi Abbates in monasteriis, quæ intrà eorum Diœcesim continebantur (*d*). Vacante autèm tunc unâ ex dictis Abbatiis, scissa vota sunt monachorum, aliis eligentibus quemdam Clericum religiosum, sed extraneum: Aliis verò interpellantibus Eballum Episcopum, ut possent alium eligere de illorum gremio, sivè indigenam, in quem intenderant, eumque prædicabant, quod esset affabilior, non extraneus, sed civibus gratus, & cognitus, morum patriæ gnarus, & rebus Ecclesiæ tractandis idoneus. At Divus Bernardus Eballum sollicitat, ut à requirendo dè meritis Clerici præfati, tametsi extranei, non desistat, quem sperat futurum monasterio proficuum: nec attendat monachorum contranitentium sensus, neque consilia. Qui si dictum Clericum dignum, & sufficientem, non mererentur in patrem, & Abbatem habere; Eballus alium aliundè conquireret, exemplo Vvillelmi antecessoris sui, qui bis

(d) *Thomassin. vet. & nov. Ecclesiæ discipl. p. 2. l. 1. c. 16. num. 16.*

Clu-

Cluniacum, & semèl Divionem, longi itineris labore superato, perrexerat, ut inde duos insignes monachos asportaret, quos duobus cœnobiis suæ Diœcesis Catalunensis præficeret. Ità quantumvìs in monasterio, de quo agitur, adesset vir idoneus, indigena, affabilior, civibus tàm gratus, quàm cognitus, morum patriæ gnarus, & rebus tractandis idoneus; tamèn D. Bernardus consulit Eballo, ut præfatum Clericum, etsi extraneum monasterio præficiat: sin minùs alium aliundè conquisitum Abbatem in cœnobio ipso constituat.

23. *Miror*, inquit Bernardus, *quâ ratione, quâve securitate à Clerico illo, qui à religiosis personis, vir, ut ajunt, religiosus, eidem Ecclesiæ electus est, requirendo desistitis, etiàm si hoc quorundam, qui in ipsâ Ecclesiâ sunt, incuria, vel desidia, non mereatur. Qui ut audivimus, illum, qui electus est nolentes, nec aliud, nisi quod religiosus est afferentes, de eligendo alio vestram quoque. ausi sunt compellare gravitatem: quasi qui videatur esse communior, & affabilior, qui non sit extraneus, sed civibus tàm gratus, quàm cognitus, morum patriæ gnarus, rebus Ecclesiæ tractandis idoneus &c. Non sunt audiendi, sed potiùs, velint, nolint, omnimodò satagendum est vobis, ut is, qui boni testimonii est, Ecclesiæ desolatæ quantocyùs perquiratur, quoniàm si talis est, qualis prædicatur, Deus proculdubiò eum ipso erit, qui suam ei gratiam ministrabit, placentem omnibus, efficacem in omnibus. Quod si hunc, istis non merentibus, fortasse nullo modo haberi posse contigerit; alius de aliâ qualicumque domo religiosâ, qui videatur idoneus, provideatur, non qualem isti volunt, qui nisi, quod suæ carnalitati blanditur, volunt; sed qui sic sciat negotia disponere rerum exteriorum, ut norit per omnia præponere curam animarum.*

24. *Certè duobus monasteriis S. videlicèt Petri, & S. Urbani, pastorali aliquandò solatio similitèr destitutis, bonæ memoriæ prædecessor vester D. Vuillelmus, non longi itineris laborem, non byemis reputans asperitatem, bis, ni fallor, Cluniacum, semel Divionem, per se ipsum adiit, hincque virum bonum Dominum Hugonem, qui post defunctus est; illinc virum venerabilem, qui adhùc superest Dominum Radulphum, vix multis precibus impetratos, abducens, singulum singulo præposuit monasterio: tutum videlicèt non arbitrans cuiquam monachorum domesticorum illam committere curam. Quod ideò vobis in exemplum adduxi, ut vestram charitatem commonefaciam, qualitèr, & in hoc, quod nunc in manibus est, oportet eam esse, non minùs cautam, quàm sollicitam* (a). Non videt hic lector, sed palpat manibus indigenam idoneum, à beneficio Abbatiali, S. Bernardi consultatione repulsum, ut ei præponeretur Clericus extraneus: & quatenùs huic beneficium non obtingeret, sollicitatur Eballus, Abbatem ex aliâ religiosâ domo extraneum accersire, indigenâ refutato.

(a) *S. Bernard epi* 18.

25. Et quod suadet Bernardus verbis, exemplis comprobat Vuillelmi Catalaunensis Episcopi, qui ter monachos extranationales, & Burgundos, ex cœnobiis Cluniacensi, & Divionensi susceptos, monasteriis S. Petri, & S. Urbani, Diœcesis Catalaunesis præfecit. Cluniacense, namque monasterium erat, & est erectum in Galliâ, in provinciâ ecclesiasticâ Lugdunensi, in Diœcesi Matisconensi, & in Ducatu Burgundiæ: In quo etiam Ducatu situm erat cœnobium Divionense. Natioque tunc Burgundica propriis principibus obtemperabat. Monasterium verò, de quo hic loquitur S. Bernardus, in urbe Catalaunensi Galliæ Belgicæ, & provinciæ ecclesiasticæ Remensis erat conditum, cui provinciæ tunc præerant, & nunc etiam præsunt Francici Reges. Igitùr Hugo, & Rodulphus à cœnobiis Cluniacensi, & Divionensi Catalaunum transvecti, ut ibi Abbatialibus beneficiis, in monasteriis sibi creditis, potirentur, erant ibi nedùm extranei, & extradiœcesani, atque extraprovinciales, sed etiam extranationales: quorum promotionem cum D. Bernardus altè commendet; patet, quod ipse nullam indigenatus, nullam nationalitatis, voluit attendendam esse rationem in beneficiis adipiscendis, & ad hæc non minùs extraneos, quàm indigenas esse habiles: & quod doctrinâ prodidit, exemplis, ut innuimus, omni exceptione majoribus, comprobavit. Quid autèm est

hoc, nisi facto, & dogmatæ perorare, pro libertate Ecclesiæ, in conferendo beneficia ecclesiastica Clericis etiam extraneis. Allegavimus hic D. Bernardi, allegavimus alibi aliorum doctrinam de Abbatibus, & Abbatiis loquentem, quià etiam Abbatiæ, tametsi Regulares, sunt ecclesiastica beneficia (a): Tùm etiam, quià sępè Contradictores similia referunt documenta, illisque utuntur, ut pro posse repellant Clericos extraneos ab ecclesiasticis beneficiis.

(a) *De Luca de benefic. disc. 97. num. 17. Barbos. jur. eccles. univ. l. 3. c. 4. num. 69.*

26. Alibi etiam D. Bernardus, de paralogismis Petri Abailardi dans epistolam ad Episcopos, & ad Cardinales Romanæ Curiæ, ait: *Nulli dubium, quin ad vos specialitèr spectet tollere scandala de Regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas* (b). Mox in libris de Consideratione ad Eugenium Papam III. inquit: *Veniamus ad collaterales, & coadjutores tuos &c. Tuum est undecumque evocare, & adsciscere tibi, exemplo Mysi, Senes, non Juvenes, sed Senes, non tàm ætate, quàm moribus, quos tu nosti, quià senes populi sunt: An non eligendi de toto Orbe, Orbem judicaturi* (c)? Subindè calamo, veluti penicillo, delineat perfectissimos Cardinales, dicens, *quærendi sanè, quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, utpotè jàm perfecti. Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes. Etiam coge illos, & compelle intrare. In talibus, ut opinor, requiescet spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati: qui præter Deum timeant nihil; nihil sperent, nisi à Deo. Qui adventantium non manus attendant, sed necessitates. Qui stent virilitèr pro afflictis, & judicent in æquitate prò mansuetis terræ. Qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in judicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti: zelo sobrii, in misericordiâ non remissi, in ocio non ociosi, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, in curâ rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, ubique, & in omnibus circumspecti* (d).

(b) *S. Bernard. epl. 188.*

(c) *S. Bernard. de Consid. l. 4.*

(d) *Idem loc. citat.*

27. *Qui legatione prò Christo fungi, quoties opus erit, nec jussi renuant, nec non jussi affectent. Qui quod verecundè excusant, obstinatiùs non recusent. Qui missi, post aurum non eant, sed Christum sequantur: qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui Regibus Joannem exhibeant, Egyptiis Moysen, fornicantibus Phinees, Heliam Idololatris, Helisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant: divites non palpent, sed terreant: pauperes non gravent, sed foveant: Minas Principum non paveant, sed contemnant &c. Qui orandi studium gerant, & usum habeant, ac de omni rè orationi plus fidant, quàm suæ industriæ, vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit: quorum sermo, ædificatio: quorum vita, justitiâ: quorum præsentia grata: quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant, non verbo, sed opere: reverendos exhibeant, sed actu, non factu. Qui humiles, & cum innocentibus Innocentes, duros durè redarguant, malignantes coerceant, reddant retributionem superbis. Qui non de dote Viduæ, & patrimonio Crucifixi, sè vel suos ditare festinent, gratis dantes, quod gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui &c. afferant &c. pacem Regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (e).

(e) *S. Bernard. loc. cit.*

28. Ità ad apicem Cardinalatus S. Romanæ Ecclesiæ voluit D. Bernardus, provehi viros, virtutibus præditos, & recensitis meritis eminentes, quos indè accipiendos esse docuit, ubi haberi possunt: nec tàm accipiendos, quàm quærendos, quàm compellendos, atque ex toto Orbis ambitu colligendos. His autèm Divi Doctoris principiis innixi, nos hic duo petimus à Contradictoribus: primò cur

quęsò

quæsò beneficium Cardinalatus in Ecclesiâ Romanâ omnes, ex universo Christiano orbe; Clerici, Galli, & Hispani, Angli, Theutonici, Hungari, Bohemi, Scoti, Hiberni, Græci, Dalmatæ, Syri, Sveci, Dani, Sarmatæ, Thraces, cuncti tandem, qui Clericali charactere sunt insigniti, undecumque sint orti, etiàm si ab Ecclesiâ Romanâ sint origine extranei, & imò extradiœcesani, extraprovinciales, & extranationales, ab ipsis demùm ultimis Christianitatis partibus prodeuntes; cur, inquam, hi licitè possint Cardinalatum in Romanâ Ecclesiâ suscipere, & non possint alia beneficia ecclesiastica, sivè residentialia, sivè merè simplicia, in aliarum Ecclesiarum diœcesibus acceptare? Cur amabò majora beneficia majoris Orbis Ecclesiæ patent etiàm extraneis, & non eis patent minora in minoribus?

29. Secundò quærimus, cur ad Cardinalatum, & ad alia beneficia Romanæ Ecclesiæ consequenda, nullis orbis Clericis, undecumque sint orti, etiàm extraprovincialibus, & extranationalibus, ratio extraneitatis obsistat; & ex opposito Cardinalibus, & Clericis Romanæ Ecclesiæ extraneitas tàm dirè obsistat, ut non possint in aliis orbis Ecclesiis beneficia sacra adipisci? Hæc justum est, esse correlativa; & quod de uno prædicatur, debet etiàm prò altero mutuâ correspectivitate valere (*a*). *Scbytæ*, inquit quidam Græcus Anacharsidi, è Schytiâ progenito, *Scbytæ in Græciâ prò Barbaris habentur*; cui Anacharsides, *At etiàm Græci in Scbytiâ prò Barbaris computantur* (*b*); Sic si cunctis orbis Clericis, beneficia Romanæ Ecclesiæ possunt licitè conferri, vice versâ etiàm Clericis Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum debent beneficia patere. Hocque tacitè docet S. Bernardus, dùm ad Cardinalatum dicit esse ex toto orbe viros dignos, & idoneos provehendos: nempè ut & viceversâ Cardinales, & Clerici Romanæ Ecclesiæ aliarum Ecclesiarum possint consequi beneficia; quod in idem recidit, ac effari, beneficia ecclesiastica esse generaliter, non modo indigenis, verùm etiam extraneis conferenda, nisi ubi aliud privilegia particularia deposcunt.

(a) *Barbos. tract. var. Ax. an. 61.*

(b) *Laertius l. 2. c. 9.*

30. Notentur etiam illa D. Bernardi verba, de Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ loquentis: *an non eligendi de toto orbe, orbem judicaturi?* Per quę clarissimè ostenditur, ideò ex universâ Ecclesiâ esse Clericos idoneos ad Cardinalatum adsciscendos, quià Cardinalium est unà cum Summo Pontifice universam orbis Ecclesiam judicare, in quo sensu etiam Concilium Tridentinum Pontifices admonuit, ut Cardinales, ex omnibus Christianitatis nationibus, quantùm commodè fieri poterit, assumant (*c*): Et alibi: *quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem &c. & ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit, quorum consilio, apud Sanctissimum Romanum Pontificem, eum universali Ecclesiæ administratio nitatur; nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplinâ, eos fulgere, quæ meritò omnium in sè oculos convertant* (*d*). Hâc eâdem ratione Sixtus Papa V. dè Cardinalibus loquens, ait, quod *ad altissimum gradum evecti, eum ipso Romano Pontifice communi patre, ac pastore, ad quem ex omnibus undique gentibus, ac nationibus in gravissimis, maximèque arduis rebus, fideles omnium generum, omnium ordinum, summi, infimi, quotidiè confluunt, tanti ponderis molem, atque onus populorum sustinent, & prò animarum salute, prò fide, prò justitiâ, prò unitate assiduè invigilant, ac laborant, qui circà ipsum universali Ecclesiæ serviendo, singularum Ecclesiarum commoditatibus sè impendunt: quorum consilio idem Pontifex agenda disponit: quorum opera, & necessaria, & plurimum fructuosa, universæ Reipublicæ Christianæ, in secundis rebus ornamento, & commodo, in dubiis præsidio, & adjumento esse possunt* (*e*). Et antè Sixtum, Eugenius Papa IV. de Cardinalibus pronuntiavit, quod *non privatæ unius patriæ præsunt utilitati, sed publicę totius populi Christiani*, & quod *cum Sede Apostolicâ universas regunt Ecclesias* (*f*).

(c) *Concil. Trid. sess. 24. de ref. c. 1. in fin.*

(d) *Concil. Trid. sess. 21. de ref. c. 1.*

(e) *Sixtus V. Const. 50. in progm.*

(f) *Eugen. IV. Const. 15. §. 14.*

31. De Romano autem Pontifice gratum sit Bernardum audire: *Quis es?* alloquitur Eugenium III., *Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Chri-*

Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii Cæli janitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum, tu unus omnium Pastor. Undè id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè, totæ commissæ sunt oves? Si mè amas Petre, pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populos Civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas inquit. Cui non planum, non designasse aliquos, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil &c. Ergò juxtà canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es: aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt &c. Indè est, quod Petrus, instar Domini, gradiens super aquas, unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet. Si quidem aquæ multæ, populi multi. Ità cum quisque cæterorum habeat suam, tibi una commissa est, grandissima navis, facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia toto orbe diffusa (*a*).

(a) *S. Bernard. de Consider. lib. 2. c. 8.*

32. Romanus ergò Pontifex est Episcopus universalis, & quidem non solo nomine talis, sed etiam rè, & jurisdictione, tàm super omnibus hominibus, componentibus universalem Ecclesiam, quàm super cunctis bonis, quibus universa per orbem Ecclesia ditata est: quà proptèr Papæ, uti Episcopo universali, nullus Clericus est extraneus, quià nullus Clericus ab illius exemptus est potestate. Nullum quoque beneficium est ei extradiœcesanum, quia nullum beneficium extradiœcesim Summi Pontificis est erectum: habet enim Papa totum orbem pro diœcesi, & cunctos orbis Clericos, pro Clericis diœcesanis; sicque tàm dè orbis cunctis Clericis, quàm dè cunctis bonis ecclesiasticis totius orbis potest semel, & sempèr pro suo rationabili arbitratu disponere. Nec nisi ut Episcopus universalis, & uti summus, ac supremus omnium Ecclesiarum orbis rector, notissimas illas reservationes beneficiorum edidit, quæ jam à quingentis propè annis sunt in juris corpore clausæ, vel respectivè in regulis Cancellariæ contentæ, ac totius Christianitatis observantiâ venerabiles prorsus factæ. Tamquam Episcopus ergo universalis, potest Pontifex beneficia sacra, pro suo libito, quibuslibet Clericis benemerentibus impertiri, sive in hac, sive in illâ orbis plagâ progenitis; sive indigenarum, sive extraneorum apud alios nomine recensitis: quia Papæ, ut innuimus, nec ullum beneficium, nec ullus Clericus est extraneus; nec ullum Regnum exterum est ab illius Pontificali jurisdictione (*b*).

(b) *S. Petr. Damian. to. 3. opusc. 5. 6. noverit*

33. Et si hoc potest Pontifex quoàd se, idipsum, potest etiam quoad alios, quibus suam facultatem impertit. Nimirum id poterunt omnes illi, quibus, vel a jure, per Pontificem approbato, vel ex privilegio Apostolico datum est beneficia ecclesiastica, conferre, vel ad ea nominare, quia hoc agendo, vicem Pontificis tenent, & in illius locum succedunt (*c*). Ideò sicuti Papa potest ipsa beneficia quibuslibet Clericis, tàm extraneis, quam indigenis elargiri; sic & illud possunt facere dicti privilegiati. Hacque præsertim ratione, ut putamus, Principes aliqui dant extraneis literas naturalitatis, ut hi fiant capaces beneficiorum, quæ ad suam pertinent dispositionem, ideſt vi privilegii Apostolici, quo datum est illis, posse de beneficiis ipsis disponere: nàm cum ex privilegio præfato succedant in locum Summi Pontificis; quo jure liberum est illis beneficia extraneis dare, eodem etiam jure, liberum est illis naturalitatis literas extraneis impertiri. Quâ paritèr ratione etiam Episcopi, & omnes alii, vel ordinarii, vel delegati beneficiorum collatores, sive ad illa nominatores ex jure patronatus, quia facultatem suam à jure sortiuntur, & consequentèr à Summo Pontifice, à quo habent jura suam approbationem, & auctoritatem faciendi jus commune; non aliâ de causâ possunt ecclesiastica beneficia, tàm indigenis, quàm extraneis tradere, nisi quia vocati in partem sollicitudinis pastoralis, quâ Pontifex per universum orbem plenissimè pollet, possunt eo modo de bene-

(c) *De Luca de Benef. disc. 9. n. 12.*

beneficiis disponere, quo potest Pontifex: qui cum ea valeat æquè extraneis, ac indigenis conferre, hinc fit, ut etiam alii, ejusdem facultate utentes in beneficiorum distributione, ipsa beneficia valeant pro eorum libito, etiam extraneis impertiri. Itàque de primo ad ultimum multifariam multisque modis, ex doctrinâ D. Bernardi optimè elucet, liberum, & licitum esse Ecclesiæ sua beneficia quibuslibet impertiri, sive in unâ, sive in aliâ regione ortis; tàm extraneis, quàm indigenis, dummodò benemerentibus, dignis, & ad beneficia suscipienda idoneis, atque utilibus: habitâ semper ratione ad loca, tempora, & personas: atque ut cæteris paribus, indigenæ extraneis præferantur.

34. Non modicum quoque splendorem dedit huic Sæculo *B. Petrus Cluniacensis*, natione Aquitanus, Cognomento Mauricius (*a*), patriâ Arvernensis (*b*), professione primò miles, deindè monachus, & postmodum Prior Viziliacensis, indè Prior de Dominâ, demùmque Abbas celebris cœnobii Cluniaci (*c*), siti in Burgundiâ, intrà limites diœcesis Matisconensis (*d*). Vir eximiæ probitatis, & ingentis literaturæ, Regibus carus (*e*), Pontificibus amabilis (*f*), Hæreticis metuendus: Titulo tandem *Venerabilis Petri* communitèr decoratus: floruit anno 1135. ætate S. Bernardi, proùt ex eorum epistolis ultrò citròque missis, apparet. Hic vir sanctitate celeberrimus (*g*), prætereà, quæ in suffragium causę nostræ protulit, paulò superiùs recensita (*h*), cum quoàd sè natus esset Arverniæ in Aquitaniâ, provinciæ ęcclesiasticæ Bituricensis, & ditione, temporali Regis Francorum, monachale tamèn Priorale, & Abbatiale beneficium alibi adeptus est, & præsertìm Cluniaci, diœcesis Matisconensis, provinciæ ecclesiasticæ Lugdunensis, in ditione temporali Ducis Burgundiæ, ubi nedùm erat extradiœcesanus, sed etiam extraprovincialis, & extranationalis, cum tamen, si illicitum est beneficia extraneis impertiri, eis neque ad monachales, neque ad Priorales, neque ad Abbatiales præbendas patere deberet accessus. Abbatia autèm Cluniacensis erat quodammodò plusquàm beneficium ęcclesiasticum: nàm paulò antè Petrum, Abbas magni illius cœnobii, dè titulo Abbatis Abbatum, cum Abbate Cassinensi contendit, uti fusè narrat Leo Ostiensis (*i*). Proprio ergò facto docuit Petrus Cluniacensis, posse extraneos beneficiis ecclesiasticis insigniri, dùm ipse, licèt extranationalis, Abbatiam in cœnobio Cluniaci est adeptus.

35. Ipse autèm Petrus, audito privilegio, quod Innocentius Papa II. contulerat monachis Claravallensibus, ne inposterùm penderent monachis Cluniacensibus decimas, quas illis anteà persolvebant; indoluit, & cum comperisset exemptionis præfatæ titulum, ad prodigiosas illas Cluniacensium divitias referri, quas fama circumferebat, & ad ingentem Claravallensium paupertatem; Petrus ostendit, quod si sui cœnobii necessariæ, & inevitabiles detraherentur expensæ, opes Cluniacensium parum à Claravallensium paupertate distabant (*l*): hocque est argumentum, quo etiam S. Joannes Chrysostomus carptores divitiarum Ecclesiæ Constantinopolitanæ retudit, sic è suggesto declamans, *quandò ejus facultatum videris magnitudinem, cogita etiam pauperum greges, ægrotantium multitudinem, expensarum &c. sumus etiam parati vobis reddere rationem. Sumptus non sunt minores proventibus, sed aliquandò majores* (*m*). Itàque B. Petrus Cluniacensis causam sui monasterii tuendam validè aggressus, & ad Innocentium II. Papam (*n*), & ad Haymericum Cardinalem literas dedit, querimoniis inspersas (*o*); & adversùs etiam ipsos Claravallenses aliquandò calamo decertavit (*p*).

36. Claravallensium jura tuebatur S. Bernardus, eorum Abbas, qui quandòque sic adversùs Cluniacenses, decimas Ecclesiarum exigentes, invexit: *Ecclesiarum parochialium primitiarum, & decimarum possessiones, quæ ratio vobis contulit? Cum hæc omnia non ad monachos, sed ad Clericos canonicâ sanctione pertineant. Illis quippè, quorum officium est baptizare, & prædicare, & reliqua, quæ ad animarum pertinent salutem gerere, hæc concessa sunt, ut non sit eis necesse implicari sæcularibus negotiis: sed quia in Ecclesiâ laborant, de Ecclesiâ vivant, ut Domi-*

(a) *Vita Vener. Petri Cluniac. quæ est in Chron. Cluniacens.*
(b) *Ibidem & Card. Baron. an. 1125. nu. 4.*
(c) *Vita Vener. Petri Cluniac. loc. cit.*
(d) *Giaber hist. Franc. l. 3. cap. 5. Martinus Marrier. in Bibliothec. Cluniacens.*
(e) *Baron. an. 1119. nu 18 an. 1139. nu. 17. & 20.*
(f) *Idem an. 1126. 7 & an 1130. 37. 1143. 12. 1150. 1. 2. 1145. 34.*
(g) *Martyrol. Gallican. die 25. Decemb.*
(h) *Vid. supr. in hoc Capit. nu. 18.*
(i) *Leo Ostiens. Chron. Cassin. l. 4. c. 62.*
(l) *Petr. Cluniac. l. 1. epl. 33. & 34.*
(m) *S. Joan. Chrysost. homil. 21. in epist. ad Corinth.*
(n) *B. Petr. Cluniac. l. 1. epl. 33.*
(o) *Idem l. 1. epl 34.*
(p) *Idem l. 1. epl. 35.*

Dominus dicit: Dignus est operarius mercede suâ. At vos quarè hoc usurpatis, cum nihil eorum, quæ diximus facere debeatis: & cum illum non feratis laborem, cur laboris suscipitis mercedem? (a) Petrus verò Cluniacensis, his auditis, talitèr redargutionem excussit: *Subjungitis interrogando, quæ ratio possessiones Ecclesiarum parochialium, primitiarum, & decimarum nobis contulerit; cum hæc non ad monachos, sed ad Clericos canonicâ sanctione pertineant. Nos verò sicut in supradictis, sic & in istis Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem prætendimus: atque ipsius sanctionibus nos parochiales Ecclesias, & idcircò ipsarum primitias, & decimas legitimè possidere confirmamus. Nàm si Tribui Levi hæreditas intèr fratres suos data non est, ut expeditiores ad Dei cultum, & circà Divina misteria redderentur, neque ab eis sæcularibus impedimentis revocarentur, atque ideò primitiis, decimis, & oblationibus aliorum alerentur; rectè eadem monachis conceduntur, qui sicut illa Tribus, rerum temporalium hæreditate privati sunt, ac divinis servitiis die, noctuque insistunt &c. Quià ergò monachi ex maximâ parte, fidelium saluti invigilant, licèt sacramenta minimè ministrent; æstimamus ipsorum primitias, decimas, & oblationes, & quæque beneficia eos dignè posse suscipere, quoniàm, & reliqua populò Christiano necessaria à præsbyteris, & clericis faciunt exhiberi* (b).

37. Porrò decimæ vel sunt, vel reducuntur ad ecclesiastica beneficia, tamquàm quid continens jus spirituale, atque spiritualibus adnexum (c), ac debitum ecclesiasticum ministris, ratione administrationis Sacramentorum (d), & sinè dubio sunt partes ecclesiasticorum beneficiorum: adeoque illis natura, & definitio beneficiorum competit, saltem eâ proportione, atque arguendi ratione, quæ se habet à toto ad partem, & è contrà (e). Sed propter decimas, alibi etiàm idem Petrus Cluniacensis affirmat monasteria sui ordinis innumerabiles ferè Ecclesias, etiàm parochiales pacificè possidere; itàut solus Episcopus Genevensis *sexaginta & eò ampliùs ecclesiarum reditus diversis ad Cluniacum pertinentibus monasteriis in perpetuum dederit* (f). Quorum exemplo alii quoque monachi sè licitè possidere beneficia ecclesiastica, eorumque decimas, & primitias, fassi sunt; præsertim monachi Molismenses, qui Roberto eorum Abbati, saragenti, ut abiicerent beneficia, quę possidebant, & ea Clericis sæcularibus retrocederent, responderunt, *Nos & ordine, & officio clerici sumus, & clericale servitium Summo Pontifici, qui penetravit Cœlos, offerimus: Ecclesiastica igitur beneficia jure possidemus, & communi sanctione semper tenere decernimus* (g). Tota autem ratio, quâ Petrus Cluniacensis sè, suosque justificabat in retentione beneficiorum, hęc est, *Nos Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem prætendimus* (h): quam auctoritatem, non profusè, non intemperantèr, non irrationabilitèr interponi ostendit etiam D. Bernardus, sed prudenter, opportunè, ac justissimè, quià Ecclesia, proventus, & bona Deo dicata, *Ecclesiasticâ lege charitatis communicare potest, non tantùm monasteriis, sed etiam Xenodochiis, infirmis, & peregrinis &c. Licèt enim decimæ, & oblationes principalitèr Clericali debeantur militiæ, potest tamen Ecclesia omne, quod habet, cum omnibus pauperibus habere commune: quantò magìs, cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis, non in angariâ bajulantes Christi crucem, sequuntur pauperem Christum* (i).

38. Hoc eodem intuitu Callistus Papa II. Cluniacensibus ipsis privilegium exemptionis concessit à decimis persolvendis, quas Episcopis prò bonis propè cœnobia positis, impendere tenebantur. *Decimę laborum vestrorum, prò quibus tàm vos, quàm alios monasticæ religionis viros, inquietare Episcopi consueverunt, illorum videlicèt, quos Dominicaturas appellant, qui vestro sumptu à Monasteriis, & cellæ vestræ clientibus excoluntur, sinè omni Episcoporum, & Episcopalium ministrorum contradictione deinceps quietiùs habeatis, qui vestra peregrinis fratribus, & pauperibus erogatis* (l): ratio ergò, proptèr quam Cluniacensibus, aliisque Monachis, datum est beneficia ecclesiastica possidere, est *auctoritas Ecclesiæ*, & *ecclesiastica lex charitatis*, quæ bona sacra *communicare potest, non tantùm monasteriis, sed*

(a) Petrus Cluniac. l.1.epist.28.

(b) Idem loc. cit.

(c) Genes. 8 Levit. 27 Num. 18. Deuter. 14. S. Thom. 2.2. q. 87. ar. 3.

(d) Barbos. Jur. Eccl. Univ. l. 3 c. 26 n. 1. 2. 3

(e) Barbos. tr. var. loc. 82. 114.

(f) Thomas. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. l. 1. c. 10. n. 8.

(g) Orderic. Vital. Eccl. hist. l. 8. an. 1094. & ad hæc fol. 713. A.

(h) Petrus Cluniac. l. 1. epi. 28.

(i) Bernard. epist. 207. inter epist. Ivonis Carnot.

(l) Callist. 2. epist. 22.

sed etiam Xenodochiis, infirmis, & peregrinis. Ratio, propter quam Papa exemit Cluniacenses à decimis persolvendis, est, quià sua *peregrinis fratribus, & pauperibus erogabant*.

39. Ex utroque igitùr hoc titulo patet, primò, quod si auctoritate Ecclesię, & ecclesiasticâ lege charitatis, licitum est beneficia monachis, possidenda in perpetuum, elargiri; multò magis licitum est eadem Clericis extraneis, temporalitèr solùm perfruenda, concedere: quià magis extranei sunt monachi à beneficiis hùc illùc, per eorum monasteria, sivè communitatem possessis, quàm Clerici aliundè nati à beneficiis, quę extrà propriam diœcesim naturalem accipiunt, proùt latiùs infrà probabimus, dum de Arnulfo Lexoviensi loquemur. Secundo patet, quod si ejusdem Ecclesię auctoritate licitum est beneficia Xenodochiis, ad peregrinos alendos in perpetuum deputare; multò magis est licitum eadem Clericis extraneis, ad tempus tantùm, ad eorumque vitę spatium, destinare. Nunquid enim non sunt magis extranei viro vagantes, & viatores, hàc illàc peregrè proficiscentes, quam Clerici, hoc solo titulo extranei, quod aliunde à loco beneficii sint nati?

40. Sed & alia, tàm ex factis, quàm ex doctrinâ B. Petri Cluniacensis audiamus. Dum ille Cluniaci Abbatis officio fungeretur, inter alios monachos, qui ibidem vitæ cœnobiticæ operam dederunt, hi numerantur: *Natalis*, Abbas anteà Resbacensis: *Geraldus* Prior monasterii de Altojugo: *Raynaldus* Abbas Vigiliacensis, & posteà Archiepiscopus Lugdunensis: *Alberlcus*, qui deindè honore Cardinalis Episcopi Albanensis, & Apostolici Legati in partibus Hierosolymitanis effulsit (*a*): Et super alios eminentissimus, *Matthæus*, natione Gallus, provinciâ Remensis, ex Clerico Laudunensi, subindèque Canonico Remorum Metropolis, monachus Cluniacensis, Monasterii S. Martini Campestris professus, Prior Cluniaci, demumque Cardinalis, & Episcopus Albanensis, meritorum, & sanctitatis gloriâ celeberrimus (*b*): De quo idem B. Petrus Cluniacensis fusè loquitur in suis libris de Miraculis (*c*). Quique Petrus etiàm de aliis ejusdem cœnobii Alumnis ad Petrum Abbatem S. Augustini Lemovicensis scribit: *Non estis secuti quosdam nostri temporis homines, qui de congregatione nostrâ, aut in Abbatias assumpti, aut Episcopatibus decorati, ut corpore, sic & mente, à nobis diffugiunt* (*d*).

41. Alibi memorat se Innocentii Papæ II. jussu Abbatem, & monachos, ex Cluniaco misisse ad inhabitandum, & reparandum Luxoviense monasterium, à regulari disciplinâ delapsum (*e*). De mandato paritèr Lucii Papę II. se Romam direxisse tredecim ex suis fratribus, cum duobus, qui genere Romani erant, ut S. Sabę Monasterium incolerent (*f*). Petrum Gajanensis monasterii præpositum Atoni Trecensi Episcopo, ut apud eum Prioris officio fungeretur, concessit (*g*). Alium misit ad regendum monasterium, quod in Regno Siciliæ Cluniacus habebat (*h*). Memorat & monasterium Civitot appellatum, juxtà Constantinopolim, quod usque tunc Cluniacus habuerat, sed Cluniacensibus monachis indè abscedentibus illud, alii occupaverant cœnobitæ, rogatque Imperatorem, & Patriarcham Regiæ illius urbis, ut Asceterium ipsum Cluniacensibus restitui faciant (*i*). Sic monachos suos B. Petrus Cluniacensis ad alibi commemorandum, ubi erant extranei, transmittebat: & ut ad aliena monasteria, etiam nihil secum commune habentia transirent, perpetuò dimitttebat: undè D. Bernardo scripsit: *Cur unus saltem mihi per mensem conceditur, cùm ego Petrum, cùm Robertum tibi sanguine proximos, cùm Guarnerium, cùm quosdam alios, tractus amore tui, non mense uno, sed perpetuò concesserim? Quot ego Abbates, quot monachos aliis, ne dicam alienis Ecclesiis, literis tuis, vel consiliis victus concessi? Nec me pœnitet amico cessisse, cui & adhùc in pluribus paratus sum cedere; sed justum est, ut & ipse vicem reddas: justum, ut semper sibi cedenti; & ipse aliquando cedat* (*l*).

42. Quam sanè vicissitudinem sicut in mittendis, & credendis suis fratribus exercuit, sic & in alienos, sive monachos, sive clericos suscipiendo servavit, ut in Natali Abbate Resbacensi contigit, de quo superiùs (*m*), & in Clerico Catalaunensi,

(a) *Ex vit. Petr. Clun. in Chron. Clun. & ant. ejus oper. in to. 12. Bibliot. Patr.*

(b) *Martyrol. Gallic. die 25. Decembr. & Vita Petr. Clun.*

(c) *Petr. Cluniac. l. 2 de Mirac. c. 4. 5. 6. 7.*

(d) *Idem l. 5. ep. 1.*

(e) *Idem l. 1. ep. 23. & l. 4. ep. 3. in fin.*

(f) *Idem l. 4. ep. 24 & 25.*

(g) *Idem Petr: Clun. l. 1. ep. 7.*

(h) *Idem l. 3. ep. 3.*

(i) *Idem l. 1. ep. 39. & 40.*

(l) *Petr. Cluniac. l. 6 epl. 35.*

(m) *Idem l. 3: epl. 5*

(a) Idem l.1. ep.41. nensi, quem Prioratus honore decoravit (a). Quâ de rè piam etiam contentionem cum D. Bernardo Claravallensi habuit, ità uni ex objectionibus ejus respondens: *De illis dicitis, qui post semèl promissam alibi stabilitatem &c. rursum alio in loco stabilitatem &c. Sub alio Abbate promittunt; atque priorem fidem irritam, quantum in ipsis est, faciunt. His nos subjungimus. Cum pro regulâ* (D.Benedicti) *vos agere dicatis, quarè contra eam vos esse monstratis? Et quam nos non tenere arguitis, quare nos ab ipsius tramite sequendo repellitis? Sic enim legimus* (in regulâ) *ubi de monachis peregrinis, qualitèr suscipiantur, tractatur: si vero posteà, inquit, voluerit stabilitatem suam firmare; non renuatur talis voluntas. Ecce quem ante, utpotè monachum, certum erat stabilitatem suam alibi firmasse, si rursum firmare alio in loco voluerit, non prohibetur: quin potius ne talis voluntas renuatur, præcipitur. Quem si reatu desertæ primæ professionis teneri cognovisset; certum est, quia* (D. Benedictus), *hoc minimè laudasset: certum est, quia nullo modo permisisset: certum, quia omnimodis prohibuisset* (b).

(b) Petr. Cluniac. l.1 ep.28.§ nec, Vide hic jac.6.c.13 n.8.9.

43. Et infrà, ad aliam objectionem: *Cur autem noti monasterii monachos sine proprii Abbatis permissione, aut literis commendatitiis suscipiamus, aut quam indè rationem prætendamus, quæritis: atque nos in hujusmodi rè contra charitatem fraternam agere dicitis. Nos verò, sicut defendimus ea, quæ recta putamus; sic nunquam excusandas excusationes in peccatis, assumere volumus. Scimus namque non debere aliquem alicujus monachum absque ejus permissione suscipere, quamdiù ut verus pater filio, & ut bonus pastor ovi propriæ cuncta, tàm animæ, quam corpori necessaria, ea scilicèt, sine quibus nec anima salvari, nec corpus sustentari potest, providerit. Quod si horum aliquod defuerit, licet fratri, etiam invito Abbate, locum sibitam inutilem, imò tàm noxium, & perniciosum deserere, atque suæ animæ interitum modis omnibus declinare, locumque alium, in quo hoc, quod prius non poterat, implere possit, quærere &c. Imò arguendus potius esset, & dignus morte judicandus, si tantæ rei dispendium parvipendens, mortem suam stultâ patientiâ sustineret.*

44. *Hinc Ecclesia Cluniacensis ab Apostolicâ sede concessionem retinet talitèr ad se venientes recipere: quod tamen non ut privatum, aut singulare, sed velut omnibus commune, & licitum obtinet* (c). Profectò nec proprios monachos ad aliena monasteria transmittere, ut ibi cœnobialia, Prioralia, & Abbatialia beneficia susciperent, quæ omnia, uti alibi ostendimus, inter beneficia ecclesiastica computantur: nec eos aliis Ecclesiis tradere, ut inibi Episcopalia, Archiepiscopalia, & Cardinalitia possent beneficia adipisci: nec professos alterius monasterii, noti, vel ignoti; propè, aut longè distantis, recipere, apud sè retinere, & in proprio monasterio ad monachalia, prioralia, & abbatialia beneficia promovere; hæc inquam subsistere alitèr non possunt, nisi sub supposito, quod licitum sit Clericis extraneis ubilibet, in quâcumque Ecclesiâ, in quocumque cœnobio, in quocumque demùm loco beneficia sacra suscipere: cum ità missi, vel recepti, necessariò ab altero illorum duorum locorum, nempe vel à primo, vel à secundo, essent extranei.

(c) Petr. Cluniac. l.1 ep.28 §.cur autem

45. Quam verò frequentes essent provectiones monachorum Cluniacensium ad alienas Ecclesias, aperit ipse Petrus in aliâ epistolâ ad D. Bernardum, scribens; *revertenti mihi nupèr de Pictaviensi pago, Lingonenses Canonici occurrerunt, & nil tale suspicanti, unum ex fratribus nostris, eum universo Clero, & populo Ecclesiæ suæ in Episcopum concorditèr, & canonicè elegisse, Lugdunensi Metropolitano, id consulente, & confirmante, dixerunt. Institerunt toto nisu, tàm precibus suis, quàm mandatis, & literis Domini Lugdunensis, ut quia monachus noster erat, quod de eo fecerant, & ipse confirmarem. Hæsi aliquantum, nolens carere utilitate personæ: concessi ad ultimum, cedens importunitati petentium &c.* Et quoniam aliqui hujus electionis effectum perturbabant, adjungit: *Nec æstimet sanctitas vestra, mè ad defendendum monacho nostro episcopandi gradum hoc dicere: quoniam episcopari monachos nostros, nec novum, nec admirabile nobis est, eum tot, ut ipsi nostis, de Ecclesiâ illâ, famosâ Ecclesiarum fulserint, & fulgeant sidera. Sed quia malum*

nomen

nomen diffamari super filia Israel, nec verus Israelita facere, nec verus Israelita potest sufferre: &c. Quid indecens si religiosæ Ecclesiæ, religiosus sapiens, literatus monachus, indè in Pontificem Lingonensem electus est, undè Episcopales, Archiepiscopales, Patriarchales, & ipsa omnium vertex Ecclesiarum, Apostolicâ Romanâ Sedes, Patres sibi assumere consueverunt (*a*).

(a) Petr. Cluniac. l. 1. epist. 29.

46. Alibi Petrus Cluniacensis rogat Innocentium II. Papam, ut Heliam Abbatem S. Sulpitii, ab Aurelianensibus in Antistitem electum, admittat (*b*). Alibi Eugenio Papæ III. de Archiepiscopo Arelatensi scribens, ait: *Noverit Arelatensem natum in diœcesi Nemausensi, nutritum à puero usque ad juvenilem ætatem in Ecclesiâ Nemausensi, Canonicum fuisse Ecclesiæ Nemausensis. Et postquam Episcopus Agathensis factus est, & postquam in Arelatensem Archiepiscopum promotus est, semper defendisse negotia Ecclesiæ Nemausensis* (*c*). Alibi consultus à D. Bernardo, num Henricus Claravallensis monachus deberet acceptare beneficium episcopale apud Bellovacenses, nec nè? respondet: *si concors electio &c. Si Metropolitani, & Coepiscoporum assensus &c. Si insupèr Domini Papæ voluntas, quantum hoc ei placuit, ipsius epistola Domino Remensi, ut audivi, directa testatur: Quid ergò restat vir venerande, nisi ut voluntati Dei, quæ tot indiciis se declarare videtur, vestram subiiciatis &c.* (*d*). His addenda sunt officia, quæ pro Rege Hispaniæ apud præfatum Innocentium Papam interposuit, ut Episcopus Salamantinus ad Compostellanam metropolim transferretur. Ait enim.

(b) Idem l. 1. epist. 31.
(c) Petr. Cluniac. l. 5. epist. 4.
(d) Idem l. 5. epist. 8.

47. *Imperator Hispanus, magnus Christiani populi princeps, devotus majestatis vestræ filius, licèt apud pietatem vestram multum possit &c. me ad præsens mediatorem, & apud vos intercessorem elegit &c. Electionem Domini Salamantini Episcopi in Archiepiscopum S. Jacobi, ab omni clero, ab omni populo, canonicè, pacificè, communitèr factam, prædictus Imperator per humilitatem meam Majestati Apostolicæ repræsentat. Et quia illa Ecclesia, ad quam electus est, tanti Apostoli corpore gloriosa, tot Sedis Apostolicæ privilegiis sublimata, inter omnes Hispanas Ecclesias caput extulit; nobilem, prudentem, honestam, probatam personam præ aliis terræ illius Ecclesiis requirebat. Quam se invenisse tandem in isto lætata, eum sibi, ut dictum est, concorditèr in pastorem elegit. Unde si quis post illam communem, & solemnem electionem, alicui proprio commodo inservire volens, ab illo descivit; provideat sollicitudo paterna, nè illi liceat ob provatum lucrum bona publica impedire &c. Astat igitur ad fores vestræ misericordiæ: manu nostra pulsat Imperator Hispanus, Sancti Jacobi clerus, & populus, ut electum suum &c. ad vos venientem suscipiatis &c. & quod potestatis vestræ solitum est, translationem ejus de Salamancâ ad urbem S. Jacobi Apostoli concedatis* (*e*).

(e) Idem l. 4. epist. 9. vid. hic infr. cap. 35. num. 17.

48. Quid plura? pratèr Prioratus, Decanatus, & Cellas, Parochias demum, & Ecclesias, quas cœnobium Cluniacense hùc illùc per diversas diœceses possidebat, eorumque reditus ad se trahebat, asserit Petrus, quod etiam præbendas canonicales in diversis Cathedralibus obtinebat. Audiantur ejus verba: *Dominus Trecensis Episcopus &c. paratus est, ut dicit, dare nobis in Ecclesiâ suâ unam præbendam, sicut Carnoti, vel Aurelianis antiquitus datæ sunt, ut reditu illius multa Cluniacensium fratrum indigentia relevetur* (*f*). A quibus Canonicalibus præbendis, in Galliâ constitutis, quam essent extranei monachi Cluniacenses, professione cœnobitæ, diœcesi Matisconenses, provinciâ Burgundi; superfluum est inculcare. In epistolâ ad Hugonem Rotomagensem Petrus scribit. *Airaldum Clericum, naturâ nostratem, beneficio vestratem, ex parte meâ monete* (*g*). Demum Heliosę, quæ illi scripserat sic, *memineritis & amore Dei, nostri Astralabii, ut aliquam ei, vel à Parisiensi, vel ab alio quolibet Episcopo præbendam adquiratis* (*h*). Respondet: *Astralabio &c. mox ut facultas data fuerit in aliquâ nobilium Ecclesiarum præbendam libens adquirere laborabo* (*i*).

(f) Idem l. 1. epist. 2
(g) Idem l. 6. epistola 32. in fin.
(h) Idem l. 6. epistola 21.
(i) Idem l. 6. epist. 22.

49. Perpendat benignus lector hæc omnia, quæ *B. Petrus Cluniacensis*, & fecit, & scripsit, & docuit: modo suos monachos ad aliena cœnobia, & Ecclesias

quoque sæculares transmittens, ut in eis operam darent ecclesiasticis ministeriis,& Abbatias, Prioratus, Decanatus, alteriusve speciei, beneficia, seu reditus officiorum, quæ exercebant, susciperent; modo alienos clericos, & monachos ad sè trahens, & in monasterio Cluniacensi, vel decanatu, vel prioratu, vel aliis munerans ministeriis, quæ totidem beneficia sunt regularia; modo concedens monachos suos Ecclesiis Cathedralibus, ut ibi Episcopali beneficio præfulgerent; modo consulens, modo verba interponens, ut aliunde sumpti clerici, vel monachi, alibi præbendas, Ecclesias, Episcopatus haberent; aut de unâ ad aliam sedem transferrentur. In quibus omnibus cum contingerit conferri beneficia Prioralia, Decanalia, Abbatialia, Canonicalia, Episcopalia &c. Clericis, qui a locis ipsorum beneficiorum, prorsus & omnino erant extranei, nil aliud inferri potest, nisi quod idem sanctus vir in eâ constans fuerit sententiâ, quod non solum indigenis, verum etiam extraneis accessus pateat ad ecclesiastica beneficia.

50. Nec dissimili attentione perpendantur ea,quę in præsenti capitulo ex Beatis *Hildeberto Turonensi*, ac *Bernardo Claraevallensi* congessimus, & invenietur, eos in eodem sensu cum *B. Petro Cluniacensi* pro libertate Ecclesiæ in præbendarum dispensatione convenire, de ipsisque sanctis Doctoribus hic accomodè dici potest cum S. Prospero, sivè quisquis est auctor librorum de vitâ contemplativâ: *Isti, tam sancti, & tam perfecti viri*, & doctrinâ, *& factis evidentèr clamant posse,& debere fieri,quod fecerunt: qui utique homines, tàm secularium, quàm divinarum rerum sinè ambiguitate doctissimi* (a). Si scivissent, illicitum fuisse clericos extraneos ad beneficia Ecclesiastica promovere, nunquam ipsi eadem suscepissent, nunquam aliis præbenda docuissent, nunquam tandem ipsi fecissent, vel scripsissent, quod in aliis reprehendendum esse agnovissent. Sæculo igitur duodecimo, in quo isti Sancti Doctores floruerunt, Ecclesia Dei, totâ, & integrâ libertate fruebatur, admittendi extraneos ad ecclesiastica beneficia: quarè si eam libertatem perdidit, oportet ab illâ post hæc tempora decidisse. Quod autem, & quando ab eâ deciderit, & decidere potuerit, hoc opus, hic labor est probare: spectatque ad Contradictores hoc probare, independentèr ab Apostolicis privilegiis, quę fortè aliquibus locis particularibus sint collata.

(a) S. Prosp. de vita contempl. l. 3. cap. 9.

CA-

CAPUT XXXIV.

In quo ex aliis Patribus, *&* Scriptoribus Ecclesiasticis, *qui* Duodecimo Christi Sæculo *floruerunt*, *& præsertim ex* Hugone de S. Victore: *ex* Philippo *Bonæ spei* : *ex* Goffrido Vindocinensi : *ex* Petro Cellensi, *ex* Stephano Tornacensi : *ex* Petro Blesensi: *& ex* Arnulpho Lexoviensi: *probatur Ecclesię libertas, in admittendo Clericos extraneos ad Ecclesiastica beneficia.*

SUMMARIUM.

1 *Quis, & undè fuerit* Hugo de S. Victore; *inter illius laudes est, quod in septem scientiis excelluit.*

2 *Docet Hugo mutationes Episcoporum ex causâ necessitatis, vel utilitatis, auctoritate Papæ fieri posse, hocque favet extraneis:*

3 Philippus Abbas *Bonæ spei synchronus D. Bernardi, cum eo habuit piam contentionem ob monachum Præmonstratensem Claramvallem professum.*

4 *Verba ejusdem Philippi referuntur super hac rè, & de mutuâ conventione inter Abbates utriusque ordinis, ac de vi privilegii Apostolici.*

5 *Sequuntur ejusdem verba, de Papâ, qui suggessit Abbati Præmonstratensi, ut licentiam cuidam monacho discedendi conferret.*

6 *A beneficiis regularibus ad sæcularia, valet argumentum. Contendebat S. Bernardus, sibi licere accipere alienum monachum.*

7 *Pugnant quandoque inter se laudabilitèr sancti viri ex Facundo Hermianensi, & ità S. Bernardus, & Philippus disceptabant.*

8 *Si Papa tunc poterat extraneos ad regularia beneficia habiles reddere; cur non potest facere sæcularium capaces?*

9 Goffridus Vindocinensis *Abbatiale beneficium, indè Cardinalatum adeptus est, quamquam extraneus. Variis Pontificibus opitulatus est.*

10 *Abbates Vindocinenses illustri privilegio hoc habuerunt, ut essent Cardinales Romanæ Ecclesię tituli S. Priscę.*

11 *Simile privilegium habuerunt Abbates Cluniacenses, nàm Cardinalatu Romano fulgebant: quorum primus fuit Pontius Abbas.*

12 *Varia motiva ex scriptis Goffridi Vindocinensis educta recensentur, quæ probant libertatem Ecclesiæ in præficiendo beneficiis Clericos extraneos.*

13 Petrus Cellensis *beneficia Monachale, Abbatiale, & Episcopale suscepit in locis, à quibus multimodè erat extraneus.*

14 *Fulconem monachum suum, factum Episcopum Estonensem in Sveciâ, commendat Alexandro III. Papæ, Carolo Svecorum Regi, & Eschilo Archiepiscopo Lundensi.*

15 *Monasterium Cellense habebat Prioratum in Angliâ. Et cœnobium D. Remigii Remensis possidebat præbendas in Diœcesi Leodiensi.*

16 *Plura scribit Petrus Cellensis de Willelmo Remensi, & de Joanne Saritberiensi, qui beneficia in locis, à quibus erant extranei susceperunt.*

17 *Pro*

17 *Promotionem Joannis Sarisberiensis Anglì ad Episcopatum Carnotensem in Galliâ, ex ipso motivo extranationalitatis commendat.*

18 Stephanus Tornacensis, *antè præfectus B. Eburcii Aurelianensis, fuit posteà Abbas S. Genovefæ Parisiensis, & demùm Episcopus Tornaci.*

19 *Commendat Papæ Clericum pro canonicatu in patriâ, vel extra patriam. Dicit de plenitudine Sedis Apostolicę omnes accipere.*

20 *Indulget unum ex suis Canonicis, ut fieret Episcopus in Daniâ, & alium, ut fieret monachus S. Dionysii.*

21 *Laudat electionem Cantoris Parisiensis in Episcopum Tornacensem, tametsi factam absquè necessitate,*

22 *Se promptum declarat conferre Canonicatum Tornacensem Clerico Remensi, & commendat quemdam Canonicum S. Victoris.*

23 *Scribit Laudunensibus de Michaele Meldensi, quem sibi elegerant in Decanum, Parisienses verò illum Decanum suum fecerunt.*

24 *Dicit Ecclesiam Dei unam esse, & minoribus Ecclesiis quidquid inest proprium, esse tamen toti Ecclesiæ commune.*

25 Petrus Blesensis *Cancellarius Cantuariensis, plura beneficia tenuit Carnoti, Rotomagi, Bathonię, Londini, & alibi.*

26 *Ex epistolis ejus patet, quod bis ad Episcopatum Roffensem vocatus est. Et semèl ad Archiepiscopatum Neapolitanum.*

27 *Neapolitani tunc censuerunt, liberum esse Ecclesiæ, viros extraneos præficere beneficiis, & id etiam politicè expedire.*

28 *Memorat Anglos Episcopos in Siciliâ. Improbat, quod Abbas utatur Pontificalibus.*

29 *Monet Joannem Sarisberiensem, nè in collatione beneficiorum postponat nepotes suos extraneis.*

30 *Quis, & qualis fuerit* Arnulphus Lexoviensis, *frater Episcopi Sagiensis. Illius pietas, & eruditio. Tandèm dimisit Ecclesiam.*

31 *Rogat Papam, nè in Ecclesiâ Sagiensi introducantur sæculares Canonici, sed regulares aliundè illùc transferantur.*

32 *Ex variis epistolis Arnulphi, dignoscitur, quod suo tempore Clericis promiscuè hinc indè beneficia committebantur.*

33 *Scribit Arnulphus Papæ contrà monachos S. Ebrulfi, usurpantes sibi parochias & beneficia, sinè Episcopali assensu.*

34 *Invaluerat usus, quod beneficia, & Ecclesię præberentur monachis: hocque plures Sanctos Episcopos fecisse constat. Quid de monasterio Bethlemitico?*

35 *Plura Concilia vetantia, nè Ecclesiæ aliter, quàm de manu Episcopi susciperentur, & nè emerentur à laicis &c.*

36 *Magìs extranei sunt à beneficiis monachi, quàm clerici à beneficiis, quæ in alienâ Diœcesi obtinent.*

37 *Monasteria olim, & nunc quoque coalescunt ex viris diversarum nationum. In monasteriis Ægypti erant extranei, non intelligentes idioma.*

38 *Sæpe beneficia unius Diœcesis, sunt unita monasteriis alterius. Cœnobium Cluniacense per totum ferè orbem beneficia possedit.*

39 *Si beneficia uniri possunt monasteriis ad usum monachorum extraneorum, multò magìs conferri possunt Clericis extraneis.*

40 *Alii Auctores præsentis sæculi addi possent, sed hi sufficiant, quod ipsi enim tenent, & nos tenemus,*

1 Præ-

1. PRÆSENS Capitulum inchoamus ab *Hugone de S. Victore*, viro qui & Germanicam, & Gallicam nationem suis scriptis, atque meritis decoravit, quippè *in scientiâ septem artium liberalium nulli suo tempore secundus fuit* (a): & in doctrinâ D. Augustini adeo versatus, ut communitèr *lingua Augustini* fuerit appellatus (b). Patriam habuit in Saxoniâ, & monachatum primò professus est in monasterio Hammerslave, non longè ab Halberstadio: Ex quo Parisios pergens, monasterium S. Victoris propè illam urbem, ingressus est; ubi & Priorali officio præfulsit (c), ac usque ad Abbatialis ministerii gradum ascendit (d). Floruit autem anno Christi 1130. (e), & octennio, vel decennio post, diem clausit extremum (f). Hic præter ea, quæ suis gestis nos docuit, faciendo transitum de monasterio Hammerslaviensi ad Victorinum, de Germaniâ in Galliam, & de Saxoniâ Parisios, ibi beneficia ecclesiastica Priorale, & Abbatiale sumendo, ubi & patriâ, & provinciâ, & natione erat extraneus; intèr *multa, & penè infinita opuscula*, quæ scripsit (g), opportunè ad causam nostram hæc, quæ sequuntur, dictavit.

2. *Mutatio Episcoporum de suis locis ad alia loca, nullâ ratione debet fieri, nisi pro magnâ utilitate, vel necessitate cogente. Et hoc quidem non per ipsos fieri oportet, sed consilio, & invitatione Coepiscoporum, atque auctoritate Romani Pontificis. Mutatio similitèr Clericorum, sive presbyterorum, non sine magnâ discretione fieri debet, cum consilio, & auctoritate Episcoporum suorum* (h). Sane mutatio Episcoporum fieri non potest, quin Mutatus, beneficium Episcopale consequatur (vel ob terminum à quo, vel ob terminum ad quem) in loco, à quo sit extraneus: & sæpè sæpius extraneus, nedum patriâ, sed etiam provinciâ, & quandoque etiam natione; quæ mutatio, tametsi fieri non debeat privatâ auctoritate, ac sine alterâ ex his duabus causis, nempè vel necessitatis, vel utilitatis; tamen si alterutra ex ipsis causis concurrat, & auctoritas Romani Pontificis id admittat, eam fieri posse apertè Hugo de S. Victore demonstrat: quodque de beneficiis episcopalibus affirmat, multò magis est verum de beneficiis minoris ordinis. Cui rei sustinendæ non immoramur, quia hujusmodi argumentum alibi sumus latius prosecuti, probans intentum nostrum, nedum respectu ad beneficia episcopalia, verùm etiàm a similitudine rationis, respectu quoque ad alia beneficia ordinis inferioris.

(a) *Tritbem. in Chron. Hirsaug. an. 1140.*

(b) *Possevin. Apparat in Hugon. de S. Vict.*

(c) *Paul. Langius in Chron. Citizensi anno 1123.*

(d) *Thomas. Garzon. in ejus vita, ante ejus opera,*

(e) *Bellarm. de script. Eccl. in Hug. de S. Victor. Henric. de Gandau. de illust. Ecclesiæ Script. c. 25.*

(f) *Siffrid. Epitom. l. 2. an. 1138. Tritbem. loc. cit.*

(g) *Tritbem. de Scriptor. Eccl. in Hugon. de S. Victor.*

(h) *Hug. de S. Victor. tom. 1 lib. 2. de Sacrament. par. 3. c. 24. f. 449.*

3. Clarvit pariter hoc eodem tempore *Philippus Abbas* Bonæ Spei, ordinis Præmonstratensis, de quo nil aliud nobis innotuit, nisi quod fuit synchronus D. Bernardi (i): cum eoque quia piam quamdam habuit contentionem, propter monachum Præmonstratensem, à Claravallensi Abbate susceptum, absque proprii Abbatis concessione: monachatus autem, ut pluries diximus rationem, habet ecclesiastici beneficii (l), adeòque monachus unius cœnobii ad aliud transiens, beneficium ecclesiasticum monachale suscipit in loco, a quo erat extraneus; ideo verba illius epistolæ, quam super hac rè dedit ad D. Bernardum, optimum hic reputamus inserere. Dolet ergò Philippus atque valde conqueritur, quod quidam monachus Bonæ Spei, non veniâ, non licentiâ petitâ, quinimò & invito proprio Abbate, ad monasterium Claravellense proficiscens, ibi à D. Bernardo fuerit monachorum suorum albo conscriptus: aitque, *Indè Pater reverende, nostra provincia scandalizatur, nostra Ecclesia perturbatur &c. Novit enim bonæ memoriæ Papam Innocentium imperasse, & hoc idem imperium scripto memori commendasse, ne sine licentiâ Abbatis, & Capituli nostri, quisquam fratrum nostrum à nobis recedere, recedentem, quisquam præsumat retinere.*

(i) *Ex frontispic. oper. Philippi Abbat. & Martyrol. Gallic in Suppl. die 13 Aprilis*

(l) *Thomassin. p. 1. l. 3. c. 13. n. 1. Barbos. Jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 4 n. 69.*

4. *Novit etiam, quod inter Abbates nostri, & vestri ordinis est condictum, & pacis gratiâ conservandæ diligentiùs interdictum, ne alter alterius fratrem præsumat retinere, nisi ille Abbatis sui licentiam potuerit obtinere &c. Sic enim habetur in scripto* (Papæ Innocentii): *Fratrum vestrorum, qui stabilitatem, & obedientiam promiserunt, sine proprii Abbatis, & capituli sui licentiâ, nullus discedere, discedentem*

dentem nullus præsumat retinere. Eidem ergò sententiæ subjacebit, & discedens, & qui discedentem sine licentiâ retinebit: nec majoris culpæ est in recipiendo fratrem, mandatam cognitum non tenere, quam receptum, post acceptam mandati notitiam, retinere. Ad quid enim Apostolicorum, vel scripta, vel privilegia dicemus invalere, nisi ut eorum munimento cuique liceat, quæ sua sunt in pace debita possidere: Et si fortè ea, vel per violentiam, vel per ignorantiam alter invaserit, celeriùs restituat, cum Apostolica scripta cognoverit &c.

5. *Denique cum, quibusdam vestrorum suggerentibus, Dominus Apostolicus Abbatem nostrum faceret sibi Parisiis præsentari, & cum præsentatum, ut daret fratri licentiam dignaretur verbis suis humilibus adhortari; Abbas noster, sicut nostis, respondit, quia si hæc illi ab eo licentia conferretur, nostræ provinciæ, nostræ Ecclesiæ, toti etiam ordini non parvum scandalum inferretur, & ideo nullo pacto, nullo consilio hanc ipse licentiam largiretur, nisi fortè præcepto inevitabili cogeretur. Verum Dominus Papa misericorditèr agens, ne videretur, vel nostram Ecclesiam, vel nostrum ordinem aggravare, & si commonuit, noluit imperare, & cum posset oneri esse, ut Christi Apostolus, acceptam potestatem noluit exercere &c. Quod si eos* (nempè Præmonstratenses) *dicitis adversus vos injustè commoveri, & quod agere voluistis, ab eis nec debere, nec posse probiberi, quia in recipiendo fratrem nostrum Domini Apostolici assensum habuistis, cui & ipsi non contradicere, & vos satisfacere debuistis: sciunt profectò, ut ajunt, quia & vos ad recipiendum Dominus Apostolicus non impegit, & ipsos ad dandum ei licentiam, eâ discretione, quæ sua est, non coegit &c.* (*a*).

6. Sane retento themate, quod monachatus, ut innuimus, sit ecclesiasticum beneficium, illiusque species, & omninò sit dispositio ad consequenda beneficia regularia, quæ quamvis manualia, aptitudine tamèn sunt perpetua, & verè inter beneficia ecclesiastica recensentur (*b*): Quodque à beneficiis regularibus ad sæcularia ritè arguatur, quemadmodum, & sæpè faciunt Contradictores; cernimus hic D. Bernardum contendere, se potuisse in suo monasterio recipere monachum Præmonstratensem, alienæ provinciæ, alieni cœnobii, alieni ordinis, in quo sè futurum esse perpetuum professus erat, adeoque, apud Claramvallem erat prorsùs extraneus; contenditque sè illum potuisse recipere, vigore Apostolici assensus id ei permittentis. E contrà audimus Philippum Abbatem Bonæ Spei declamantem, quod non potuerit D. Bernardus illum monachum recipere, primò quià obstabat Indultum Apostolicum, vetans Præmonstratensibus transire ad aliena monasteria, sinè sui Abbatis assensu. Secundò, quià inter Præmonstratenses, & Claravallenses specialis pactio fuerat constituta, nè alter alterius ordinis monachum, sinè consensu reciperet memorato. Tertiò, quià Abbas Bonæ Spei apud Pontificem accersitus, ut monacho illi assensum præberet, abnuerat assentiri; & quamvis Innocentius II. Pontifex illum potuisset ad assensum præstandum adigere, vel alitèr ipse assensum illum suâ auctoritate supplere, sivè super eo dispensare; discretisimè tamèn id præcipere recusaverat.

7. In quâ piâ contentione prævalet laudabilis ille sensus, quem exposuit Facundus Hermianensis, ad Justinianum Imperatorem: *Vides, quod pro eâdem religione, quâ rectè colitur Deus, non solùm dissentire à sè invicem, verùm etiàm laudabilitèr pugnare adversum sè religiosi, ac rectissimi possunt, dum eos non ratio divini cultus, sed alterius alterum latet intentio &c. Quære intentionem, & invenies, utramque partem pro divino cultu fuisset sollicitam* (*c*). Optimo zelo ferebatur S. Bernardus, quià putabat sibi suffragari assensum Pontificium: nec minus optimo zelo ferebatur Philippus, quià Apostolicum privilegium sibi favere putabat: & uterque non super jure, sed super facto disceptabat. Uterque etiàm in hoc conveniebat, quod posset summus Pontifex, quoties vellet auctoritatem præbere, ut monachus unius cœnobii, & provinciæ, atque ordinis, ad aliud alterius ordinis, & provinciæ cœnobium posset liberè pertransire, ibique beneficium monachale actualitèr

(a) *Philip. Abb. Bonæ Spei epl. 10.*

(b) *Barbos. Jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 9. n. 70. cum aliis ibi.*

(c) *Facund. Hermianens. l. 7. c. 6.*

litèr suscipere; & aptitudinalitèr ad alia beneficia regularia secundi illius cœnobii habilis fieri, puta ad Prioratum, Decanatum, Præpositurām, Abbatiam &c. tametsi ab eo loco, & origine, & propter præcedentem professionem esset extraneus: quod idem est, ac beneficia ecclesiastica viris extraneis impertiri.

8. Et ità si Summus Pontifex, ætate D. Bernardi, & Philippi Abbatis, poterat Religiosos extraneos ad beneficia ecclesiastica regularia admittere, habilesve reddere; non est cur non posset alios quoque viros extraneos, idoneos, & capaces reddere beneficiorum secularium. Si autem id poterat tunc, eccur non idipsum poterit modò? Quis enim ei suam abstulit potestatem? Rursùs si ad impediendum, ne quis alienum religiosum apud sè ad monachatum, sivè ad monachale beneficium, valeret admittere (undè & ad cætera majora beneficia cœnobitica suscipienda capax fieret, atque idoneus) opus fuit, primò speciali privilegio Pontificio, interdicente, ne professum Premonstratensem ullum aliud cœnobium susciperet; vel susceptum retineret; Secundò fuit opus speciali pactione, ultrò citròque inter Premonstratenses, & Claravallenses condictâ, ne alter alterius monachum receptaret; patet quod, cessantibus pactione, & privilegio præfatis, recipi poterat; & sic ex doctrinâ Philippi Abbatis, nonuno, sed multiplici medio probâtur libertas Ecclesiæ proficiendi Clericos etiam extraneos ecclesiasticis beneficiis.

9. Per hæc eadem tempora effulsit in Ecclesiâ Dei, etiàm *Goffridus Vindocinensis*, patriâ Andegavensis (*a*), provinciæ Ecclesiasticę Turonensis, qui primâ ætate inter monachos cœnobii Vindocinensis adscriptus est, siti in diœcesi Carnotensi, provovinciæ ecclesiasticæ, nunc Parisiensis, tunc Senonensis: Ubi dum adhùc adolescens, & in solo esset Diaconatus ordine constitutus, Abbas renunciatus est (*b*). Montes, qui Galliam ab Italiâ dividunt, non semèl, aut bis, sed duodecies transcendit, ut Ecclesię Romanæ, operâ, & consiliis prodesset: cui & pecuniâ opitulatus est, ad redimendum Lateranum, turrimque Crescentiam favore Urbani Papæ II. pro quo, & successoribus adjuvandis, ter etiàm est ab adversariis tetro carceri mancipatus (*c*). Pervenit ætate usque ad Honorium Papam II. ad quem binas scripsit epistolas (*d*), adeoque non obiisse oportet antè annum Christi 1130. circiter. Nec tantummodò Abbatiale beneficium Goffridus assequutus est in cœnobio Vindocinensi, à quo natalium ratione, extradiœcesanus, & extraprovicialis erat, sed etiàm Presbyterale, & Cardinalitium acquisivit, in Ecclesiâ Romanâ, à quâ erat extranationalis, nedùm extraneus.

(a) *Goffrid. Vindoc. l. 4. epl. 26. Jacob. Sirmond. in vit. Goffrid. Vindoc. antè ejus opera.*
(b) *Sirmond. loc. cit.*
(c) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. disc. p. 1. l. 3. c. 4. n. 20. Sirmond. loc. cit.*
(d) *Goffrid. Vindoc. l. 1. epl. 14. 15.*

10. Pluribus in locis profitetur, se fuisse ab Urbano Papâ II. ordinatum Romæ presbyterum (*e*), nec qualemcumque presbyterum; sed Presbyterum Cardinalem Sanctæ Priscæ, cujus investituram sè ab eodem Papâ recepisse affirmat (*f*): & in opusculo ad Callistum II. sè Cardinalem B. Priscæ denominat (*g*). Nec dignitas Cardinalitia S. Priscę illi solo inhæsit, sed fuit etiàm cunctis sibi succedentibus in Abbatiæ Vindocinensis administratione communis. Quippè ista Ecclesia S. Priscę, cùm anteà in jure, ac potestate monachorum S. Pauli de Urbe esset, ab Hildebrando, cœnobi illius Rectore data est Abbati Vindocinensi, hâc lege, ut in eâ 12. vel saltem 8. de suis monachis residerent (*h*). Qui quoniam Guiberto Antipapæ obstitere, titulum ipsum, seu Ecclesiam amiserunt. Eam ergò Urbanus Papa II. Goffrido veluti postliminio restituit, cum Cardinalatus honore. Nam, ut ait Sirmondus: *B. Priscæ Ecclesiam, titulum Presbyteri Cardinalis in Monte Aventino, Abbatibus Vindocinensibus, cum dignitate Cardinalis, primus illustri, & inusitati exempli prærogativâ concessit Alexander II. itaùt quicumquem legitimi Vindocini Abbates forent, iidem Romanæ Ecclesiæ hujus tituli Cardinales essent* (*i*).

(e) *Goffrid. Vindoc. l. 1. epl. 14. & 27.*
(f) *Idem l. 1. epl. 14.*
(g) *Idem opusc. 3.*
(h) *Sirmon. in not. ad epl. 13. Goffrid. Vindoc.*
(i) *Sirmond. in notis ad epist. 9. Goffrid. Abbatis Vindoc.*

11. Similè privilegium nulli anteà, neque post fuisse concessum legimus, nisi Abbati Cluniacensi, ex indulto Callisti Papæ II. de quo in Chronico Cluniacensi, habetur: *Eâdem die* (quâ canonizavit S. Hugonem) *communi suorum assensu assidentium largitus est Papa idem Callistus Cluniacensi Ecclesiæ speciali, & propriæ suę, ut Abbas Cluniacensis semper, & ubique Romani fungatur officio Cardinalis. In*

cujus signum manu propriâ ipse Callistus Papa Pontium Abbatem Cluniacensem annulo tuo vestivit (*a*). Et ità tam Goffridus ex Vindocino, patriâ Andegavensis, quam Pontius ex Cluniaco, patriâ Massiliensis (*b*), vel ut aliis placet, Merguliensis, (*c*), eorumque in præfatis Abbatiis legitimi successores, nedùm Abbatiali beneficio potiebantur in locis, à quibus erant extradiœcesani, & extraprovinciales; verum etiam beneficio Cardinalatus in Ecclesiâ Romanâ, à qua erant extranationales. Quomodo autem subsistere possit, quod quis simul, & semel, duo beneficia, & quidem insignia, retineat in duobus dissitissimis locis, à quorum altero sit extraprovincialis, ab alio verò extranationalis, & non liceat beneficia ecclesiastica Clericis extraneis impertiri; perpendat benignus lector, & judicet.

12. Ad Goffridum Vindocinensem redimus, qui alicubi memorat, quod ejus cœnobium, in diœcesi Carnotensi, uti diximus, constitutum (*d*) Ecclesias, etiam parochiales, in alienis diœcesibus obtinebat, & præsertìm in Andegavensi (*e*). Alibi satis indicat, sè posse licentiam discedendi uni ex suis monachis impertiri, si debitæ obedientiæ officia humilitèr adimplesset (*f*). In epistolâ ad Pontium Cluniacensem declamat, nè susciperetur Petrus Goscelinus quidam, è Vindocinensi monasterio Cluniacum transgressus, tamquam de noto monasterio, & sine proprii Abbatis licentiâ illùc profectus (*g*). Rainaldum Archiepiscopum Remensem interpellat, eò quod Ecclesias, ab eo, dùm esset Episcopus Andegavensis, Vindocinensibus impertitas, Ulgerius ejus in Episcopatu successor subtrabere moliretur (*h*): Quæ omnia simul juncta, imò & singularitèr ponderata, ritèque applicata, præbent materiam plura consiscendi argumenta, in boc solita per nos resolvi, quod Ecclesia prorsùs libera sit in admissione Clericorum, non modo indigenarum, verùm etiàm extreneorum ad ecclesiastica beneficia.

13. Hâc eâdem ętate floruit *Petrus Cellensis*, coevus Petri Cluniacensis, ad quem scripsit epistolam (*i*), & D. Bernardi, à quo literas suscepit (*l*), ac de quo Cisterciensibus scribit: *recolat sanctissimum vestrum Collegium, unum me esse de alumnis beatissimi Bernardi* (*m*): Undè indicium est, Petrum ab initio fuisse monachum Claravallensem. Abbatię subindè honore potitus est in monasterio Cellensi, ad suburbium Tricassinę urbis posito, provincię ecclesiasticę Senonensis, quod etiàm monasterium insulæ Germanicę, vel cœnobium Cellę Bobini dictum est (*n*). Posteà monasterium S. Remigii acquisivit, eique prefuit in munere Abbatis, apud Urbem, & in provinciâ ecclesiasticâ Remensi (*o*). Demumque Carnotensem Episcopatum obtinuit (*p*), constitutum in provinciâ ecclesiasticâ, tunc Senonensi, nunc Parisiensi. Adeoque monachale beneficium suscepit, apud Claramvallem diœcesis Lingonensis in Burgundiâ, provincię ecclesiasticę Lugdunensis: Abbatiale apud S. Remigium, diœcesis, & provincię Remensis: & Episcopale apud Carnotum, provincię tunc ecclesiasticę Senonensis: terque proindè beneficia diversa consecutus est in locis, à quibus, & patriâ, & provinciâ erat extraneus: imò, & natione, & temporali ditione: Remensis enim urbs tunc suberat Ludovico Francorum Regi; Tricassina verò, proprio Comiti, qui tunc erat Henricus maritus Marię dicti Regis filię (*q*).

14. Hęc quoad sè. Quoad alios, Monachum habuit, nomine Fulconem, cœnobii priùs Cellę professum, deindè monasterii S. Remigii, à quo extractus, factus est Episcopus Estonensis in Sveciâ: de eoque Petrus Cellensis bis epistolas dedit ad Alexandrum III. Pontificem (*r*), & alias ad Carolum Svecorum Regem (*s*), atque ad Eschilum Archiepiscopum Lundensem (*t*). Quarè hic Fulco, monachatu priùs Tricassinus, deindè Remensis, & natione Gallus, episcopali beneficio insignitus in Sveciâ, non est, qui non videat, qualitèr, & quantum indè esset extraneus. Petrus autem Cellensis, certè non ausus esset illum, & Papę, & Regi, & Primati Regni Svecię commendare, si provectio extraneorum ad ecclesiastica beneficia esset divino, naturali, & humano jure interdicta: nec Papa, neque Rex, neque Primas illi assensum dedissent, alitèr ve eidem sè immiscuissent. Alio in loco eundem Papam inter-

(a) *Chron. Clun. de Pontio 1. Abbate in Bibliot. Clun. f. 1644.*

(b) *Ciacon. de Rom. Pontif. in Callist. 2 n. 4.*

(c) *Andr. Quercet. in notis ad Bibl. Clun. f. 69.*

(d) *Goffrid. Vindoc. l. 2. epl. 15.*

(e) *Idem l. 2. epl. 3.*

(f) *Idem l. 3. epl. 21.*

(g) *Idem l. 4. epl. 2.*

(h) *Idem l. 2. epist. 32. cum notis.*

(i) *Petr. Cellens. l. 2. ep. 1. in Bibl. Patr. to. 12. p. 2.*

(l) *S. Bernard. epl. 293.*

(m) *Petr. Cellens. l. 9. epl. 8. & l. 8. ep. 8.*

(n) *Sirmond. in notis ad epist. Petri Cellens. in princ.*

(o) *Jac. Sirmond. ante, & in notis post epist. Petr. Cellensis.*

(p) *Ex Kalend. Carnot. 9 Kal. Martii, & vid. ante epist. Petri Cellens. f. 544.*

(q) *Sirmond. in notis ad Petr. Cellens. l. 5. epl. 8.*

(r) *Petr. Cellens. epl. 20. l. 5. & l. 6. epl. 6. & ibi Sirmond. in notis, ac l. 6. epl. 15.*

(s) *Petrus Cellens. l. 6. epl. 8. cum notis ibi Sirmond.*

(t) *Idem l. 6. epl. 25. cum notis ibi.*

interpellat, ut Henrico Claravallensi Abbati permittat recusare Archiepiscopatum Tolosanum, ad quem fuerat electus (*a*): Alibique altis ejulatibus deplorat defectionem celeberrimi monasterii Cluniacensis, de quo exclamat: *Nonne hęc est urbs fortitudinis nostrę, de quâ egrediebantur mille per Episcopatus, per Abbatias, per Regum, & Principum curias, & nunc paucissimi sunt incolę ejus* (*b*)? Fortè post mortem Petri Cluniacensis nimium fervor monasticus ibi tepuerat.

15. A Prioratu Lapelecensi diœcesis Cestrensis in Angliâ submovit unum è monachis suis, qui inibi Priorali perfungebatur officio; multaque de illius malâ administratione audiebantur (*c*), ac Episcopo Cestrensi scripsit: *Amovemus tàm Priorem illum, quàm fratrem suum à Prioratu illo, & subrogamus bonos, ut credimus fratres, quos vestræ paternitati attentiùs commendamus* (*d*). Vide quod cœnobium Petri, Prioratum in Angliâ possidebat: quod Petrus indè Priorem amovet, non quià extraneum, sed quià malè administrantem, quodque demùm illi substituit alios fratres, & Priorem, missos ex Galliâ. Possidebat quoque monasterium D. Remigii diœcesis, & provinciæ ecclesiasticæ Remensis, præbendas Ecclesiæ de Marsna, diœcesis Leodiensis, in provinciâ ecclesiasticâ Coloniensi, de quibus ità lòquitur: *Dominus Papa privilegium suum Ecclesiæ nostrę indulsit, in quo specialitèr expressit Caomas, seù præbendas de Marsna, & quas in usus proprios jàm à multis retro temporibus retinemus, tenendas in perpetuum confirmavit. Quæ etenìm quondam fuerunt Canonicorum præbendæ, à longissimis retro temporibus, donatione Episcoporum Leodiensium, & confirmatione Papæ Innocentii, in proprietatem transierunt, & possessionem monasterii nostri* (*e*). Si monasterium D. Remigii licitè poterat extra propriam diœcesim, & provinciam beneficia Canonicalia in perpetuum possidere; nunquid non ea, vel similia, poterat, potestque modo Clericus extraneus, ad tempus suæ vitæ tantummodò possidenda, adipisci?

16. Dignus est quoque audiri Petrus Cellensis, ubi loquitur de Joanne Sarisberiensi: dùm enìm Abbatis S. Remigii officio fungeretur, de illo scribit Richardo Cantuariensi, D. Thomæ in eâ cathedrâ successori: *Sanctissimę memoriæ prędecessor vester Archiepiscopus Theobaldus, de gremio, & sinu nostro magistrum Joannem Carnotensem Episcopum, inopem, & pauperem suscepit* (*f*): & alibi, *Senonensis Archiepiscopus*, Vvillelmus, anteà Episcopus Santonensis, & Cardinalis S. Sabinæ (*g*), *factus est Remensis*: *Magister Joannes Sarisberiensis, quondam Clericus noster, factus est Episcopus Carnotensis* (*h*). *Vvillelmus*, inquàm, priùs episcopale beneficium Santonicum provinciæ ecclesiasticæ Burdegalensis obtinuit: deindè Archiepiscopale in diœcesi, & provinciâ ecclesiasticâ Senonensi: demumque aliud Archiepiscopale in diœcesi, & provinciâ ecclesiasticâ Remensi: cum etiam Cardinalitium S. Sabinæ in Romanâ Ecclesiâ esset adeptus. *Joannes* quoque, natione Anglus, & patriâ *Sarisberiensis* (*i*), priùs monachatum apud S. Remigium in Galliâ, deindè Clericatum in Ecclesiâ Cantuariensi in Angliâ exercuit: postremòque Episcopale beneficium apud Carnotum nactus est, tunc provinciæ Senonensis, nunc Parisiensis: fuitque in illâ sede immediatus præcessor Petri Cellensis, de quo loquimur (*l*).

17. Qui Petrus Cellensis ejusdem Joannis Sarisberiensis promotionem recensens, nedùm non eam carpit, sed imò eandem, ex ipso motivo extranationalitatis commendat: præfato etenìm Vvillelmo ità congratulatur. *In insigni electione Carnotensi de Magistro Joanne, stellam matutinam produxit Deus de thesauris suis &c. Deus tibi laus, tibi gratiarum actio: Archiepiscope tibi merces, tibi ęterna remuneratio. Hoc opus de raritate admirabile, de singularitate incomparabile, de puritate commendabile, de bonitate speciali omnibus imitabile &c. Nunc superlativè hominem de aliâ gente amore Dei tantummodò ductus in Ecclesiâ Carnotensi substituisti. Ubicumque hoc Evangelium prædicabitur, dicetur, quod sis amicus sponsi, cum tàm verax sis, & fidelis, non jàm in quærendâ uxore Isaac, sed in inveniendo Joseph virum, Mariæ &c.* (*m*). Ex his omnibus, tàm factis, quàm di-

(a) *Idem l. 8. epl. 8. cum notis.*

(b) *Idem l. 8. epl. 23*

(c) *Idem l. 6. epl. 28 cum notis.*

(d) *Idem l. 7. epl. 8. cum notis.*

(e) *Idem l. 8. epl. 15. & seq.*

(f) *Petrus Cellens. l. 7. epl. 21. & l. 4 epl. 10 cum not.*

(g) *Vide Seriem Arpor. Senonens. n. 69. & Arporû Remens. n 52.*

(h) *Petr. Cellens. l. 7. epl. 6. cum notis.*

(i) *Jo: Trithem in Jo: Sarisb. aut. hujus oper.*

(l) *Sirmon. in notis ad l. 7. epl. 6. Petri Cellens.*

(m) *Petr. Cellens. l. 7. epl. 8.*

ctis Petri Cellensis, enitescit ejus animi sententia, respectu admissionis extraneorum ad ecclesiastica beneficia. Non enìm tantum admitti posse declarat, sed imò admittendos esse, ut Ecclesiarum profectui consulatur: & uti manibus palpatur ejus ætate, nec per umbram ambigebatur, quin paterent viris extraneis quoque ecclesiastica beneficia.

18. Introducimus hic nunc opportunè *Stephanum Tornacensem*, virum celebrem, & scriptorem egregium, qui epistolis suis posteritati relictis, nomen proprium illustravit (*a*). Ubinam ortum habuerit nobis non constat; certum est autem, quod se Clericum Aurelianensis Capituli profitetur (*b*), quodque habuit Avunculum Archiepiscopum urbis Remorum (*c*): fortè Vvillelmum, ad quem scribit, & se illius Clericum nominat (*d*). Ipse verò Vvillelmus, uti superiùs innuimus, Cardinalitiâ purpurâ D. Sabinæ præfulsit, atque à Santonicâ ad Senonensem, & à Senonensi ad Remensem sedem transitum fecit. Videtur quoque fuisse Stephano fratrem, beneficio ecclesiastico insignitum apud Parisios, de quo loquitur in epistolâ ad Fulconem Abbatem S. Germani (*e*): quem etiam Hugoni Abbati S. Dionysii apud eandem urbem commendat, ut promissam ei annuam pensionem exhibeat (*f*). Utcumque sit Stephanus quoad munia ecclesiastica, priùs fuit præfectus B. Eburcii Aurelianensis ad Ligerim, deindè Abbas S. Genovesæ Parisiensis, ac tandèm Episcopus Tornacensis (*g*): qui propterea & Clericatu, & regulari professione, & dignitatibus sacris, prout suprà notatur, in pluribus, dissitisque diœcesibus, & provinciis beneficia ecclesiastica possedisse dignoscitur, nihil attentâ indigenatus, vel extraneitatis ratione.

(a) Sunt in Bibl. Patr. tom 12. p. 2.
(b) Steph. Tornac. epl. 131.
(c) Idem epl. 136.
(d) Idem epl. 191.
(e) Idem epl. 210.
(f) Idem epl. 204.
(g) Vide Titul. ant. ejus epist. loc. cit.

19. Quodque ad ejus doctrinam refert; pleno calamo in suis epistolis dat intelligere, quod ecclesiastica beneficia non, modò patent indigenis, verùm etiàm extraneis: nàm inter cætera scribit Alexandro Papæ III. *Parata sedes vestra Pater, ut de plenitudine ejus omnes accipiant, & profectum parvulis, & statum provectioribus pollicetur. Hæc de vestrâ misericordiâ præsumens juvenis quidam bonæ, ut nobis videtur, indolis, Joannes in Aurelienensi nutritus Ecclesiâ, & eruditus, devotè à vobis, & consilium petit, & auxilium expectat. Scimus enìm de legitimo matrimonio, & honestis parentibus natum, qui etsi non sint facultatibus divites, sed moribus sunt insignes. Credimus eum idoneum, qui vel in Aurelianensi, vel in aliâ Ecclesiâ stipendia Canonica mereatur* (*h*). Si Joannem hunc, patriâ Aurelianensem, dignum pronunciat, qui vel in Aurelianensi, vel in aliâ Ecclesiâ præbendam Canonicalem accipiat, ergò definit, ei licere beneficia ecclesiastica nedùm in patriâ, sed etiam extrà patriam adipisci, & sic non tantum ubi erat indigena, quantum etiam ubi erat extraneus. Si Papæ est, ut de plenitudine ejus omnes beneficia ecclesiastica accipiant, ejus etiam esse debet, ut ipsius plenitudo de omnibus Ecclesiis beneficia dispensanda sibi reservet: Ecquę enìm plenitudo ejus erit, quàm plenitudinem habebit, quam exercebit; si potestate frustrerur sibi reservandi beneficia, quæ Clericis, ad se confluentibus, impertiatur?

(h) Steph. Tornac. epl. 23.

20. Alibi quoque Petrum Canonicum Regularem cœnobii S. Genovefæ, cujus tùnc Stephanus erat Abbas, Archiepiscopo Londensi, Primati Daniæ, concedit, ut illum in suis partibus Episcopali augeat beneficio: ait enim: *Si per Dei misericordiam, & opem simul, ac operam vestram ab humiliori ad sublimiorem gradum, à scabello ad cathedram, à pulvere subjectionis ad speculam regiminis eum vocare contigerit; in hoc laudabili profectu, & provectu plenam ei absolutionem indulgemus, plenam concedimus libertatem* (*i*). Alteri quoque ex suis canonicis regularibus D. Augustini licentiam dat meandi ad cœnobium D. Dionysii, atque ibi propositum monasticum exercendi, scribens Abbati illius loci. *Ut vestræ petitioni, & ardentissimæ fratris satisfaciamus voluntati, liberum, & absolutum vobis eum concedimus &c. ut vobiscum in habitu monastico Deo deserviat, & ex eo fructum capiat B. Benedictus, cui sacræ religionis primitias Sanctus contulit Augustinus* (*l*). Sanè cum interdictum esset canonicis istis ad monachatum transire, sinè Abbatis, & Capituli sui con-

(i) Steph. Tornac. epl. 154. & 164.
(l) Idem epl. 151.

consensu (*a*); erat hic plusquam extraneus à cœnobio S. Dionysii, & tamen ibi ad monachale beneficium admissus est. Petrus ille quoque præmemoratus plusquam extraneus erat: erat enim extranationalis à Regno Daniæ, & nihilominus ibi beneficio Episcopali potuit decorari.

(a) *Vid.eundem ep.1.*

21. De Cantore Parisiensi, tunc provinciæ ecclesiasticæ Senonum, in Episcopum Tornacensem electo, tunc provinciæ ecclesiasticę Remensis, nunc Cameracensis, Archiepiscopo Remensi scribit: *Vir est, cujus per omnes Ecclesias famæ suavis diffunditur opinio, qui gemina scientiâ efficacissimè clarens, & doctrinam monitis ornat, & moribus disciplinam &c. Si quid minùs ordinatè in electione ipsius à Tornacensibus Clericis factum est, nec absentis ignorantiam tangere, nec innocentiam justi lædere debet &c. concurrunt in electione illâ quatuor; quæ à Leone primo dicta sunt, vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum* (*b*). Nulla erat necessitas Cantorem Parisiis evocandi, pro Episcopatu Tornacensium dispensando, cum nec Tornaci, ne in tota ejus diœcesi Clerici, & monachi deessent, ad infulas capessendas idonei: sed tamèn quià sufficiens electorum portio in Cantorem consentiebat, hoc sufficere ajebat Stephanus, ad illum beneficio Episcopali decorandum: tacitè docens, nulli extraneitatem obsistere in beneficiis consequendis; si ipse idoneus sit, & illi, ad quos spectat beneficium conferre, eundem ad beneficium ipsum promoveant.

(b) *Steph: Tornac: epl:171.*

22. Sed non omittenda est declaratio, quâ se promptum exhibet præbendam Tornacensem conferre, sivè transferre de Bonifacio in Clericum Remensem, & consequentèr Tornaci extraneum: de quâ literas dat ad Vvillelmum Remensem: *Quod de conferendâ, vel transferendâ donatione præbendæ Tornacensis, à D. Bonifacio in L. Clericum vestrum, dubitare visus sum, coegit me auctoritas primi mandati vestri, novitas secundi, reverentia D. Bonifacii, reverentia promissi frangendi: Nunc verò pleniùs intellectâ voluntate vestrâ, paratus sum facere, quod mandastis sinè simulatione liberalitèr, sinè dissimulatione libentèr. Veniat prædictus L. quando voluerit, volentes nos inveniet quando venerit* (*c*). Eidem Vvillelmo aliâ epistolâ commendavit *R. Canonicum S. Victoris, in Administratorem Abbatiæ S. Vincentii Silvanectensis concorditèr electum* (*d*). Vides hic brevitèr tàm Canonicale, quàm Abbatiale beneficia Clericis extraneis impertita. Ut verò auream, multisque præconiis dignam, Stephani afferamus sententiam, scriptis expressam, audiatur quid de Michaele Decano Meldensi, facto priùs Decano Laudunensi, & posteà Parisiensi, loquatur.

(c) *Steph.Tornac.ep. 101.*

(d) *Idem epist. 185.*

23. *Admirabilis*, scribit ad Laudunenses, *& amabilis est Ecclesiarum ludus, quoties fraternâ charitate supplet altera defectum alterius, non pecuniarum ratiocinio, sed commercio personarum. Una est columba Domini, inconsutilis est tunica ejus, & in uno corpore partes, ità sibi deservientes consentiunt, ut quod est commune omnium, proprium æstiment singularum. Eodem religionis artificio, eodem spiritu charitatis, eodem studio providentiæ, quo Laudunensis Ecclesia Meldensem sibi Decanum assumpserat, Parisiensis festivo paritèr, ac festino saltu sibi præripuit eum, non rapinam se se arbitrata facere, si eum, quem sibi priùs instituerat Canonicum, sibi consequentèr institueret & Decanum. Non moveatur in aliquo sancta æmulatio vestra, quasi Parisiensis Ecclesia injuriam vobis fecerit, quæ in hoc sibi consuluit: aut persona tamquam levitate, vel ambitione ducta sit, quæ in hâc electione sequuta est, non voluntatem propriam, sed violentiam alienam. Raptus est è Concanonicis suis maximè ambiendus, quia minimè ambitiosus. Congaudete personæ, congaudete Ecclesiæ: quia hic, & ibi vester erit, vobis deserviens, vobis obediens, vobis in omnibus ad obsequium vestrum paratus, & parens* (*e*).

(e) *Stephano Tornac.epist.175.*

24. Docet hic Stephanus Tornacensis, unam esse Dei columbam, unam Christi tunicam inconsutilem, unam nimirum Ecclesiam, ex pluribus minoribus compactam, & quod Ecclesiæ, quidquid proprium posidere videntur, commune cum aliis habere debent: tenetque in iis Ecclesia Dei, tamquam quid unum omne, quod

inest

ineſt ſingulis Eccleſiis inferioribus ut diſtinctum. Quare Clerici, & ſi addicti uni minori Eccleſiæ, non ei tamen taliter ſunt affixi, quin alia quoque minor Eccleſia illis valeat uti, eâ ratione, qua omnium Eccleſiarum alumni ſunt unius Eccleſiæ filii, nec attenditur inter eos diſtinctio localis, neque differentia originis, aut diſcordantia nationis: quippè omnes ſunt æqualiter ejuſdem Eccleſiæ Chriſti concives, & indigenæ, *non hoſpites, & advenæ, ſed cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu* (a). Et ità quamvis Michael Eccleſiæ Meldenſis filius eſſet in provinciâ tunc eccleſiaſtica Senonenſi, tamen licitè potuit in Decanum aſſumi ab Eccleſia Laudunenſi provinciæ eccleſiaſticâ Remenſis; iterumque in eodem gradu accerſiri ab Eccleſiâ Pariſienſi, tunc Senonenſi Eccleſiæ ſuffraganeâ, quia Eccleſiâ Dei una eſt, una omnium charitate coaleſcit, nec eſt diſtinctio inter Clericos, extranei, vel indigenæ:

(a) *Ephes.2.n.19.*

25. Stephani Tornacenſis epiſtolas intermittimus, & alias ſumimus, quas *Petrus Bleſenſis* poſteris dereliquit: Petrus inquam Bleſenſis, ità dictus à patriâ, quam habuit apud Bleſas in Galliâ, claruitque circa annum Chriſti 1177. (b). Aulam prius Guillelmi II. Neapolis, ac Siciliæ Regis ſecutus (c), & poſteà Henrici II. Regis Angliæ (d), Ad Eccleſiam deindè Richardi Cantuarienſis Archiepiſcopi tranſmigravit, cujus, pluribus in locis, ſè perhibet Cancellarium (e). Canonicatu in Eccleſiâ Carnotenſi potitus eſt (f): Ubi & conqueritur ſibi à quibuſdam ſuis æmulis Præpoſituræ illius Eccleſiæ dignitatem fuiſſe impeditam (g). Habuit quoquè Archidiaconatum Bathonienſem in Comitatu Somerſetano in Angliâ (h): Poſt quem & Archidiaconatum Londonienſem poſſedit (i). Fuit & Decanus Eccleſiæ Vulchranitenſis in diœceſi Ceſtrenſi (l). Habuiſſe quoque videtur præbendam in diœceſi Rotomagenſi, quam ſe dolet Heliæ cuidam commendaſſe, nec ullum reditum habuiſſe (m). Addunt Centuriatores Petrum Cantuarienſi Archidianatu, & Archiepiſcopatu Rotomagenſi effulſiſſe (n), verum hoc ab illis perperam effutiri probat Joannes Buſæus in ejus vita (o).

(b) *Bellarm. de ſcrip. Eccl. in Petro Bleſenſ.*
(c) *Petr. Bleſ ep. 46. & 66. Fazel. c. 5. lib. 7. dec. ad. 3.*
(d) *Petr. Bleſ. ep. 128*
(e) *Idem epiſt. 38. & 130.*
(f) *Idē ep. 49 & 70.*
(g) *Idē ep. 49 & 130*
(h) *Idem ep. 149.*
(i) *Idem ep. 151.*
(l) *Petr. Bleſ. ep. 152.*
(m) *Idem ep. 241.*
(n) *Centuriat. Magdeburg. hiſt. Eccl. Cent. 12. c. 16.*
(o) *Jo. Buſæus in Vit. Petr. Bleſenſ. ante ejus opera.*

26. Bis vero Epiſcopatum Roffenſem, ultro ſibi delatum, refutaſſe legitur (p): & præter alias Eccleſias, etiam Archiepiſcopatum Neapolitanum ſibi oblatum recuſavit. De quibus aliquando locutus eſt: *quidam æmuli, machinantes mè à familiaritate Regis excludere, procuraverunt ut Eccleſia Neapolitana, mè in Archiepiſcopum eligeret, ac per majores capituli ordinationem meam communi decreto, & voto unanimi poſtularet. Vocatus autem non ivi: rogatus, & tractus multiplicitèr non conſenſi. Epiſcopatus quoque Roffenſis bis mihi oblatus eſt, oblatum renui, & honorem ex onere metiens, motus ambitioſos ad ſobrios mediocritatis terminos limitavi* (q). Et alibi querelas effundens adverſus infidum ſocium, ità in illum invehit; *Recolo quantas inſidias æmulorum in palatio Regis Siculi Guillelmi ſecundi quandoque expertus ſum, qui eum multiplicitèr à regis latere ſtuduiſſent, & non poſſent avellere, prius ad unum epiſcopatum, & alterum, demum ad Neapolitanam metropolim poſtulari, & ſolemnitèr eligi me fecerunt. Ego autem ad hoc, nullo potui fraudis artificio inclinari: ſciebam enim quod ad hoc, & circa hoc tota eorum verſutia verſabatur, ut ab auleâ converſatione remotum, apertâ perſecutione obruerent. Tu è contrario poſt unam, & alteram præbendam, quibus me fraudulentèr emunxeras, mihi præpoſituram etiam ſupplantaſti* (r).

(p) *Petr. Bleſ ep. 131 Poſſevin. appar. ſacr. in Petr. Bleſ.*
(q) *Petr. Bleſ. ep. 131*
(r) *Idem ep. 72.*

27. Vide primò quot, & quales præbendas, ac beneficia eccleſiaſtica, Canonicalia, Archidiaconalia, Decanalia, Epiſcopalia, Archiepiſcopalia, in quotque, ac quam diſſitis locis, & provinciis, in Galliâ, in Angliâ, & in Italiâ, Petrus Bleſenſis habuit volens, vel non habuit, quia noluit, quamquam à locis ipſis eſſet, vel extradiœceſanus, vel reſpectivè extraprovincialis, ac extranationalis. Vidè ſecundò, quomodo tunc Siculi, ac Neapolitani (quorum tunc unum, & idem erat Regnum, in duo poſteà ſeparatum) rebantur, & in eâ ſe confovebant ſententiâ, quod politicè loquendo bonum eſſet, ut in Regno eorum extranei admitterentur

ad

ad ecclesiastica beneficia, tamquam quo medio multis posset occurri eventibus: & honesto, ac honorato remedio variis provideri successibus, quibus alioquin perdifficile esset opportunè consulere. Et ità hac viâ Petrum Blesensem à Regis latere fategerunt accellere: nec dubium est, quin & pluries idipsum, si voluerunt cum aliis, melioribusque auspiciis, vel perduxerint, vel perducere potuerint ad effectum.

28. Intèr epistolas Petri Blesensis, una est ad Richardum Syracusanum Episcopum, quem in Angliâ natum esse commemorat (a). Alia est ad Gualterium Archiepiscopum Panormitanum, quem paritèr certum est fuisse natione Anglum, vel Normannum (b), qui & prius Cancellarius fuerat Regni Siciliæ, ac Neapolis, sub Guillelmo II. Rege, cognomine Bono (c). Alteram dat ad Guillelmum fratrem suum Abbatem Maniacensem in Siciliâ, cui scribit: *retulit mihi quidam nuncius vester, qualitèr D. Papa vos Mitrâ proprii capitis, & aliis ornamentis Episcopalibus insignivit: de benedictione gaudeo, sed insignia episcopalis eminentiæ in Abbate, nec approbo, nec accepto. Mitra enim, & annulus, atque sandalia in alio, quam in Episcopo, quædam superba elatio est, & prosuntuosa ostentatio &c. Per salutem itaque patris, qui nos genuit, & per ubera, quæ suximus in eâdem matre, frater, unicè vos adjuro, & deprecor, ut in signum plenæ humilitatis, Pontificalia resignetis insignia: aut si hoc sine scandalo fieri nequit, renuncietis in manu D. Papæ monasterii administrationem, & substituto ibiad instantiâ vestram pastore idoneo, vos ad claustrale otium, & salubrem militiam convertatis* (d). Ità tunc Abbatialia, & Episcopalia, & Archiepiscopalia beneficia, nedum indigenæ, sed etiam Galli, & Angli, adeoq; omnes extranei, in Regno Siciliæ, ac Neapolis sub Guillelmo II. Rege, poterant adipisci.

29. Impensè quoque laudat Petrus Blesensis electionem Odonis de Soliaco in Episcopum Parisiensem, ex Cantore metropolis Bituricensis, fratreque Henrici hujus Ecclesiæ Archipræsulis (e): cum necessario, vel Hericus à Bituricensi, vel Odo à Parisiensi Ecclesiâ esset, nedum diœcesi, sed provinciâ etiam extraneus. Monet insupèr Reginaldum de Moucon, nepotem Comitis Blesensis, & Thesaurarium metropolis Turonensis, qualiter sè gerere debeat in Episcopatu Carnotensi, provinciæ ecclesiasticę Senonensis, ad quem fuerat recentèr electus (f). Successit hic in Episcopatu Joanni Sarisberiensi, cui nihil obstitit esse Anglum, ne possent beneficium illud consequi in Galliâ, cuique dum promotus est, Petrus ipse gratulatorias dedit epistolas (g). Sed & ipsum Joannem Sarisbeniensem sic aliquando commonuit, pro Roberto Nepote suo secundum carnem: *Nepoti vestro, dum honestus est, & ecclesiasticis idoneus beneficiis, minus aptum, aut deteriorem, quæso ne præferatis extraneum &c. Vestra discretio non ignorat, quod extranei, & honesti admittendi, & beneficiandi sunt, sed nunquam honestis nepotibus præferendi* (h). Nota hic autem, quod per extraneos Petrus Blesensis non intelligit alienigenas, sed potius indigenas quantum ad patriam, & originem; exteros vero quantum ad sanguinem; contraponit eos enim Roberto nepoti suo, docetque hunc tametsi patriâ extraneum, ideft Anglum, sed junctum sanguine, alioquin benemeritum, præferendum esse aliis, indigenis quidem illius diœcesis, quantum ad originem, sed extraneis ab Episcopo, quantum ad Sanguinem. Quâ sanè doctrinâ totque aliis documentis, hic in unum congestis, patet, eam fuisse Petri Blesensis mentem, & theorica, & praxi multiplicitèr explicatam, quod suo tempore, & in Siciliâ, & in Regno Neapolitano, & in Galliâ, & in Angliâ, & consequentèr ubilibet libera esset Ecclesia in suarum præbendarum dispensatione, liberèque, & licitè, tàm Clericos extraneos, quàm indigenas, ad beneficia ecclesiastica posset admittere.

30. Inserimus hic tandem ultimo loco *Arnulphum Lexoviensem*, natione Gallum, & provinciâ Normannum (i), Archidiaconum Sagiensem, & fratrem Episcopi ejusdem urbis (l). Qui beneficio Episcopali apud Lexovienses potitus est, cum tamèn tàm ipse, quàm frater ejus, vel à Sagiensi, vel à Lexoviensi Ecclesiâ essent extranei. Vir fuit ecclesiasticæ disciplinæ zelo, rerumque gerendarum dexteritate conspicuus; nec non pietate, & eruditione satis clarus (m), Alexandri Pa-

pæ

(a) *Idem ep. 46.*
(b) *Idem ep. 66. & Roc. Pir. Sicil. sacr. notit. 1. ad an. 1111.*
(c) *Jo. Busæus in not. ad ep. 46. & 66. Petr. Blesens.*
(d) *Petr. Bles. ep. 90.*
(e) *Idem ep. 126.*
(f) *Idem ep. 15. cum notis Busæi.*
(g) *Idem ep. 114.*
(h) *Idem ep. 70.*
(i) *Arnulph. Lexov. in Carm. ad nepot. suum.*
(l) *Idem ep. ad Alex. 3. Papam.*
(m) *Baron. an. 1181. num. 10.*

pæ III. in Angliâ Legatus (*a*): & inter Ludovicum VII. Franciæ, & Henricum II. Angliæ Reges pacis Caduceator, & Sator (*b*): qui post rectam per 40. annos Ecclesiam Lexoviensem, illam dimisit, profectus Parisios, ubi in cœnobio S. Victoris privatam egit vitam (*c*). Hic in epistolâ ad eundem Alexandrum Papam insinuat, qualiter frater suus Sagiensis Antistes, in eâ Ecclesiâ Canonicos regulares, de corpore cœnobii S. Victoris Parisiensis sumptos, pro canonicis sæcularibus introduxerat: doletque, quod modernus Episcopus pro regularibus iterum sæculares canonicos ibidem intrudere avidius æstuaret: rogat ergò, & obtestatur, & clamat, ne id fieri permittatur, & nè plantatio, quam frater suus tanto sudore serverat, tàm brevi, ac taliter evelleretur.

31. *Sed hunc ipsum*, addit de Episcopo illo Sagiensi, *pietatis specie palliabit affectum, dicturus Ecclesiam illam idoneas non habere personas, quæ talibus sufficere probentur officiis, tamquam si sanctæ simplicitati prævalere debeat sæcularis astutia: aut de Ecclesiâ S. Victoris, aut S. Rufi, vel aliis similibus, personæ non possint, auctoritate vestrâ, ad hæc officia dispensanda transferri. Et ego quidem Ecclesiæ illius Archidiaconus extiti* (*d*). Nota autem, quod Arnulphus, paulò ante dixerat, Ecclesiam Sagiensem inter Gallicanas de nobilioribus æstimari: quare defectus Clericorum, qui fierent ibi Canonici regulares, nec subsistebat, nec nisi tamquam prætextus ab illius moderno Antistite poterat allegari, cum diœcesis Clericis abundaret, nec deessent laici idonei, quos facile erat ad Clerum admittere, & præbendis capitularibus pedetentim augere: præter potestatem, qua stipatus erat Summus Pontifex, transferendi de cœnobio S. Victoris Parisiensis, provinciæ tunc ecclesiasticæ Senonensis, vel de Asceterio S. Rufi apud Valentiam, provinciæ ecclesiasticæ Viennensis, Canonicos ad Capitulum Sagiense, provinciæ ecclesiasticæ Rotomagensis, quod multiformitèr involuit libertatem Ecclesiæ, provehendi ad ecclesiastica beneficia, tàm indigenas, quàm etiam extraneos.

32. Memorat quoque Arnulphus in suis epistolis Ricardum, priùs Constantiensem Archidiaconum, & posteà Episcopum Abrincensem (*e*). Ægidium Rotomagensem Archidiaconum, & subinde Antistitem Ebroicensem: alium ex Episcopo Ebroicensi, factum Archiepiscopum Rotomagensem &c. (*f*), quæ satis clarè demonstrant, tunc promiscuè, ac plenâ libertate, consuevisse hinc indè, atque hùc illuc, vocari Clericos ad ecclesiastica beneficia, nullo attento indigenatus, vel extraneitatis discrimine. Novaque prorsùs est, & Arnulpho Lexoviensi, atque aliis Patribus, & Scriptoribus ecclesiasticis Sæculi Duodecimi omninò ignota, hæc exclusio extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis, quæ non minùs destruit ecclesiasticam libertatem, quàm charitatem Clericalem subuertat; discordias serit, & pacem Christianam perturbat: digna proindè, ut quàm citò aboleatur, & à cunctis Ecclesiæ liminibus arceatur.

33. Adversùs quosdam monachos posteà, à recti tramite declinantes, aliquandò concitatus Arnulphus Lexoviensis, hæc intèr cætera memorato Alexandro Pontifici, suis literis inculcavit: *Est quiddam, quod tàm meam, quàm alias vehementèr angit Ecclesias, quorundam scilicèt rapax, & intemperans audacia monachorum, qui, quo liberius affluant, sæcularis potentiæ præsidia redimentes, primò Episcopis omnem obedientiam subtrahunt, & parochiales Ecclesias cum altariis, & decimationibus, cęterisque beneficiis de manu laicâ recipere pactis quibuslibet sacrilegâ temeritate præsumunt. In his ergò ab eis nec Canonicus ordo, nec Episcopalis assensus exigitur, sed devoratis ad proprietatem omnibus, mercenarios in tantâ paupertate ibi constituunt Sacerdotes, ut ad exhibitionem suam, & ad onera Ecclesiæ portanda, non habeant quod Opilioni sufficeret, aut Cursori. Generale est hoc, sed in Episcopatu meo, vehementius est hæc grassata malignitas, nec jàm nobis cujuslibet rationis obtentu, sed fallaciis, ac muneribus nobis, præsidioque violentiæ sæcularis obsistunt &c.* Loquitur de monachis, & Abbate cœnobii Sancti Ebrulfi (*g*).

34. Longe antè hunc Auctorem invaluerat usus tradendi monachis, & cœnobiis

(a) *Baron. an.* 1160. *n.* 3. & 41.
(b) *Baron. an.* 1173. *n.* 17.
(c) *Sigebert. in Chron. an.* 1185.
(d) *Arnulphi Lexoviens. epl.* 25. *ad PP. Alex.*
(e) *Arnulph. Lexov. epl* 33. *ad Alexandr. PP.* 3.
(f) *Idem epl.* 67. *ad eundem.*
(g) *Arnulph. Lexov. epi.* 71. *ad Alex* 3. *Pp Vid. infr. sæcul.* 13. *c.* 37 *num.* 46.

biis beneficia ecclesiastica, etiam parochialia, cum suis prædiis, juribus, & pertinentiis: hocque ut plurimùm fiebat ex largitate Episcoporum, qui novis monasteriis, Ecclesiarum reditus deputabant, ut indè monachi necessarium caperent alimentum. Sic S. Meinuercum Episcopum Paderbornensem fecisse legitur (*a*). Sic S. Rigobertum Remensem (*b*). Sic S. Lanfrancum Cantuariensem (*c*). Sic alios alibi Episcopos: resque, si altiùs repetatur, à Severo Sulpitio discemus, S. Hieronymum, dùm in partibus Palęstinæ moraretur, Ecclesiam parochialem rexisse, Monasterio Bethleemitico unitam: ait enim, *indè digressus Bethleem oppidum petii, Ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit. Nam parochia est Episcopi, qui Hierosolymam tenet* (*d*). Qui Hieronymus, quantùmvis etiam rè vera non fuisset ibi parochus, tamen quià *quinque presbyteri erant in monasterio, qui suo jure poterant baptizare*, ut ipse testatur, in epistolâ ad Pammachium, adversùs errores Joannis Hierosolymitani (*e*); patet, quod monasterio inerat cura parochialis. Hunc certè morem non improbabat Arnulphus, quià legitimum, quià antiquum, quià legibus Ecclesiæ consentaneum, quià divino servitio proficuum; sed infandum illud vitium carpebat, quo monachi Ecclesias parochiales, à laicis occupatas, ac militari manu detentas, recipiebant, & independentèr ab Episcopali superintendentiâ retinebant, licèt hoc strictissimè interdixissent canones ecclesiastici, & signantèr Concilium Moguntinum hoc statuens; *Nullus monachorum parochias ecclesiarum accipere præsumat, sinè consensu Episcopi. Dè ipsius verò titulis, in quibus constituti fuerint, rationem Episcopo, vel ejus Vicario reddant, & convocati ad Synodum veniant* (*f*).

(a) *Surius in Vit. S. Mainverc. c. 48. die 1 Jan.*
(b) *Flodoard. hist. Remens. l. 2. c. 12.*
(c) *Thomassin. Vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. l. 2. c. 2 n. 11.*
(d) *Sever. sulpic. dialog. 1.*
(e) *S. Hieron. ad Pammach.*
(f) *Concil. Mogunt. ann. 847. c. 14.*

35. Idipsum prohibuerant Concilia Claromontanum (*g*), Melfitense, ac Romanum (*h*), sed cum adhùc Arnulphi tempore fœdissimus ipse abusus non esset excisus; ipse apud Alexandrum Pontificem, ut stirpitùs eradicaretur institit. Beneficia ergò, tàm parochialia, quàm merè simplicia, & ut ipse loquitur, *Parochiales Ecclesias, cum Altariis, & decimationibus, cæterisque beneficiis*, de manu Episcopi legitimis, & canonicis modis, posse à monachis recipi, non abnuebat Arnulphus, sed nè illa dè manu laicâ fordidis, & simoniacis pactionibus, sacrilegâ temeritate reciperent, inclamavit, dè quibus in Concilio Pictaviensi, *Abbates, Monachi, Canonici, Ecclesias, quas nunquam habuerunt, non emant, nec alio modo sibi vendicent, nisi consentiente Episcopo, in cujus fuerint diœcesi. In illis verò, quas hactenùs absque calumniâ habuerunt, reditus, beneficiaque obtineant. Presbyteri tamèn dè curâ animarum, & de christianitatis ministerio Episcopo respondeant* (*i*). Si autem licitum esse censuit Arnulphus monachis beneficia ecclesiastica suscipere; profectò & licitum esse censuit Episcopis beneficia ipsa iisdem monachis impertiri. Quo posito; nunquid & non eadem Clericis extraneis licitè conferri posse consensit?

(g) *Concil. Clarom. ann. 1095. c. 7.*
(h) *Concil. Melfitens. c. 5. Conc. Roman. ann. 1099.*
(i) *Concil. Pictaviens. ann. 1078 c. 6.*

36. Certè magìs alieni sunt à Clero alicujus urbis monachi, hìnc indè pluribus ex locis in unum collecti, ad regularitèr in eodem cœnobio convivendum, quam Clerici sæculares, intitulati ad beneficium, erectum in ipsâ urbe, licèt aliundè progeniti, præsertim cum monachi à suâ origine, nec bona ecclesiastica possiderent, & imò nec etiam essent Clerici, quos ideò Concilium Arelatense III. vocat *Monasterii laicam multitudinem, vetatque nè ex eâ sibi Episcopus quidquam vendicet, aut aliquem ex illâ Clericum, nisi Abbate petente* promoveat; *sed laica omnis monasterii congregatio ad solam, & liberam Abbatis proprii, quem sibi ipsa elegerit ordinationem, dispositionemque pertineat* (*l*). Qui licèt nunc, & bona ecclesiastica possideant, & passim usque ad sacrum presbyteratus honorem proficiant; tamen nunc etiam potissima eorum portio, nempè Oblati, Novitii, & Conversi, sunt clericalis characteris expertes; & uti monasterii pars fructibus beneficiorum, cœnobiis unitorum, potiuntur. Sed uti laici, & uti à primordiis suæ regulæ ad vivendum dè opere manuum, non dè bonorum fructibus, destinati; magìs sunt ab ipsis beneficiis extranei, quàm Clerici aliundè nati, & beneficiis sibi legitimè collatis incardinati, ex naturâ suâ, ad vivendum dè Altari deputati. *An dè Clericis*, clama-

(l) *Concil. Arel. 3. in to. 1. Concil. Gall. f. 120. 196.*

clamabat D. Hieronymus ad Heliodorum, *aliquid audeam dicere, qui certè in suis urbibus commorantur? Absit ut dè his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus &c. Sed alia monachorum est causa, alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor. Illi de Altario vivunt, mihi quasi arbori infructuosæ securis ponitur ad radicem, si munus ad Altare non defero &c.* (*a*).

(a) *Hier. epl. ad Heliodor. de vit. Eremit.*

37. Accedit, quod plerumque monasteria, usque à suo initio, ex multis, hinc indè, à diversis, & remotis regionibus, in unum confluentibus, viris coalescebant, itaùt in uno, atque eodem cœnobio, & Græci, & Latini, & Asiatici, & Europæi, & aliarum nationum monachi, simùl vitæ asceticæ incumberent: quemadmodum D. Hieronymus Europęus in monasterio apud Bethleem Palęstinę in Asiâ monachale exercuit institutum: Et in Regulam S. Pachomii, dicit, sè accepisse literas à Sylvano presbytero Alexandrino, in quibus *ajebat, quod in Thebaide, & in monasterio Metanotę, quod dè Tanabo in pœnitentiam felici nominis conversione mutatum est, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorant Ægyptiacum, Græcumque sermonem, quo Pachomii, & Theodori, & Oresiesis præcepta conscripta sunt, qui per Thebaidem, & Ægyptum cœnobiorum fundamenta jecerunt &c.* Quarè ipse dictam Regulam in postulatum vertit idioma (*b*). Tanta ergò erat monachorum in aliquibus Asceteriis extraneitas, ut nec linguam regulæ monachalis intelligerent: Et quod ita tunc eveniebat, nunc quoque potest pari modo succedere, & succedit quoque in monasteriis, & cœnobiis, etiàm quæ singulariter vivunt, & cum aliis communicationem non habent; admittuntur enim in eis diversarum urbium, provinciarum, & quandoque etiàm nationum originarii ad vitam monasticam exercendam.

(b) *Vid. Præfac. in Regul. S. Pachomii in Bibliot. Patr.*

38. Rursùs persæpè succedit, ut beneficia ecclesiastica unius diœcesis reperiantur unita monasteriis alterius, & præbendæ unius provinciæ, aut regionis, monasteriis alterius provinciæ, seù regionis sint adnexa, itaùt beneficiorum Italicorum fructus, aliquandò monasteria Gallica, vel Germanica, vel alia, & è contrà percipiant, quà de rè sufficiat unum pro multis indicare cœnobium Cluniacense, quod in cunctis orbis regionibus parochias, Decanatus, Prioratus, & Ecclesias, usque ab antiquis temporibus dignoscitur possedisse (*c*). Magìs autèm sunt extranei monachi, & monasteria præfata à talibus beneficiis, seù ab eorum diœcesibus, quàm Clerici alibi nati: præsertim cum Clericis ab extrà venientibus dentur beneficia, ad tempus tantùm perfruenda, nempè ad eorum vitam; Monachis verò memoratis, & eorum cœnobiis, non ad tempus, sed in perpetuum beneficia ipsa sint adnexa, & inseparabilitèr dedicata, juxtà præceptum Concilii Chalcedonensis: *quæ semèl ex voluntate Episcopi dedicata sunt monasteria, perpetua maneant monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, monasteriis reservari oportet, nec posse ea ultrà fieri sæcularia habitacula* (*d*). Imò & nec prohiberi posse per Episcopos, nè beneficia ecclesiastica monasteriis unirentur perennitèr possidenda, decrevit Concilium Melsitense: alias hujusmodi unioni consensus, per Episcopos negatus, auctoritate Romani Pontificis traderetur, ait enim: *Nullus laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut quidquid Ecclesiastici juris est, sinè consensu Episcopi, vel Romani concessione Pontificis, monasteriis, aut Canonicis offerre presumat. Quod si quis Episcopus, improbitatis, & avaritiæ causâ, consentire noluerit; Romano Pontifici nuncietur, & cum ejus licentiâ, quod offerendum est, offerat* (*e*).

(c) *Martin. Marrier. in Bibl Cluniac. in Catal. Abbatiarum à f. 1076.*

(d) *Conc. Chalcedon. c. 23.*

(e) *Concil. Melsit. an. 1090. c. 5.*

39. His ergò ità sè habentibus, si ecclesiastica beneficia, etiam parochialia, datum est, ut licitè monasteriis extraneis, ad usum monachorum extraneorum, etiam Clericatu carentium, in perpetuum possidenda conferantur; multò magis eadem beneficia, & præsertim merè simplicia, datum est, ut Clericis sæcularibus, licèt extraneis, ad eorum tantummodò vitam perfruenda, possint liberè, ac licitè tradi. Hancque fuisse mentem Arnulphi Lexoviensis, & identitas, atque majoritas rationis, & ejusdem verba, seriò ponderata, decantant. Sed his etiam silentibus, ipsius

ipsius Arnulphi facta id exposcunt: quandòquidem cum ille primò Archidiaconatum in Ecclesiâ Sagiensi, & deindè Episcopatum in Ecclesiâ Lexoviensi tenuerit; certè vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ fuit extraneus. Et ità si sè censuit posse licitè beneficia residentialia in iis Ecclesiis assequi, à quibus erat extraneus, profectò non dubitavit in eisdem etiam beneficia merè simplicia posse adipisci. Quarè tàm ex dictis, quàm ex factis Arnulphi, probarur libertas Ecclesiæ in conferendo sua beneficia, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis.

40. Aliorum Patrum, & Scriptorum ecclesiasticorum, qui præsenti duodecimo sæculo floruerunt facilè possemus hic nomen, & doctrinam adjungere; sed quemadmodum longum esset ipsos singulos hâc de causâ percurrere; sic & nimium lectoribus onus afferret eorum omnium dicta, vel facta sigillatim exscribere. Sat sint illi, quos hucusque allegavimus: tot enim sunt numero, & tales pondere, ut eorum auctoritas multorum seriem adæquet. Nosque dum *quod tenent tenemus: quod docent docemus: quod prædicant prædicamus* (a), profectò veritati servimus. Et quia ipsorum testimonio, tàm scriptis expresso, quàm operibus comprobato, docemus, quod sæculo Christi duodecimo currente, Ecclesia prorsùs erat libera in provectione extraneorum ad ecclesiastica beneficia; sustinemus etiam, illam compari nunc libertate gaudere, donec per Contradictores probatum fuerit, cur, quomodo, quâ, & cujus auctoritate, post illud tempus hac libertate fuerit denudata. Rebusque in hoc statu manentibus, nunc semèl, bis, & iterum replicamus, liberum, & licitum esse Ecclesiæ, illiusque ministris, & in primis Romano Pontifici: nec non & Episcopis, aliisque omnibus, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa nominatoribus, ipsamet beneficia, non modo Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis, impertiri.

(a) *S. Aug. l. 1. contr. Julian. c. 8.*

CAPUT XXXV.

In quo ex dictis, diplomatibus, & factis Imperatorum Occidentis, *&* Orientis, *necnon Regum* Hispaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Angliç, *&* Scotiæ, *qui* Sæculo Christi Duodecimo *claruerunt, probatur Ecclesię libertas, in conferendo ecclesiastica beneficia, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis.*

SUMMARIUM.

1 *Privilegium innuitur* Conradi III. *& aliud* Friderici I. *Imperatorum, confirmantium monachis S. Remigii Remensis possessiones, quas alibi habebant.*

2 *Episcopi Leodienses concesserant monachis S. Remigii præbendas Marsnę, qui super illis etiàm privilegium Apostolicum impetrarunt.*

3 *Remensis urbs est in Galliâ, cujus Præsulis est coronare Reges Francos, eorumque nuptiis benedicere. Leodium verò est urbs Belgii.*

4 *Imperatores roborantes literis suis præfatos monachos in possessione prębendarum de Marsnâ, faverunt admissioni extraneorum.*

5 *Discordantibus Canonicis Magdeburgensibus in electione Archipræsulis, Imperator illis destinavit Guicmannum extraneum, & cur?*

6 *Eugenius III. Papa recusavit transferre Guicmannum è Cicensi ad Magdeburgensem sedem, non quia extraneum, sed quia causa deerat.*

7 *Patet ex his sensus Imperatoris, & Episcoporum Germaniæ, pro admissione extraneorum ad beneficia.*

8 *Guido Blandratensis Romanæ Ecclesiæ Clericus, operâ Friderici I. Imperatoris electus fuit in Archiepiscopum Ravennæ.*

9 *Fridericus I. Imperator requirit Hadrianum PP. IV. ut Guidonem Blandratensem Ravennati sedi præficiat.*

10 *Responsio Papæ ad Imperatorem, quâ varias allegat causas, cur Guidonem Ecclesiæ Ravennati præficere detrectat.*

11 *Imperator pro ratione suæ petitionis allegat, decere, ut Romana Ecclesia filios suos per alias Ecclesias distribuat.*

12 *Respondet Papa, esse morem Romanæ Ecclesiæ trahendi ad se viros meritis fulgentes, non verò eisde facili se spoliandi.*

13 Isacius Angelus Imperator *Constantinopolitanus, ut Dositheus ad Patriarchatum transferretur, quâ arte Balsamonem deluserit.*

14 *Balsamon tot quot potuit leges, & canones colligavit, probans licere translationem Præsulis de unâ ad aliam sedem.*

15 *Imperator, ac Episcopi suis factis docuerunt, licere provectionem extraneorum ad beneficia, prout contigit Dositheo.*

16 *Innocentius PP. II. contulit Alphonso VII. Regi Hispaniæ titulum* Imperatoris Hispaniarum. *Rex optavit, ut Episcopus Salamantinus Compostellam transferretur.*

17 *B. Petrus Cluniacensis Papam rogat, ut exaudiat Alphonsum, translatione Episcopi Salamantini ad sedem Compostellæ.*

18 *Rogat instantissimè nomine Regis, & Cleri, fieri translationem præfatam, quam à solo Papâ compleri posse fatetur;*

19 *Cum translatus, vel à primâ, vel à secundâ sede sit extraneus, Rex, & Clerus censuerunt, etiam extraneis patere beneficia.*

20 *Paschalis PP. exigit juramentum ab Archiepiscopo Gnesnensi, ne in Poloniâ translationes Antistitum fierent sine Apostolicâ auctoritate.*

21 *Græcis Imperatoribus adulatio Græcorum indulgebat facere, translationes etiam Antistitum. In Poloniâ sè his Reges immiscebant.*

22 *In Hungariâ quoquè Reges idipsum aliquando fecerunt, donec indè talis abusus fuit sublatus.*

23 *In Angliâ Henricus II. Rex hac ętate, plures ad Episcopatus promovit extraneos, ratus extraneitatem nihil eis obsistere.*

24 *Anglia genuit Hadrianum Papam IV. qui plura beneficia tenuit in locis, à quibus erat extraneus.*

25 *Ex Epistolâ scriptâ Hadriano Papę à Rege Henrico, patet quod ipse pro certo habuit, patere clericis extraneis beneficia.*

26 *In Scotiâ orta est gravis contentio ob Archiepiscopatum S. Andreę, quem Joannes de gremio, & Hugo extrà gremium optantes.*

27 *Uterque Candidatus Romę personaliter causam suam promovit; quæ quomodo fuerit terminata?*

28 *Constat ex hucusque allegatis, quod Ecclesia sęculo duodecimo liberè admittebat, etiàm extraneos ad beneficia: nec hanc libertatem amisit.*

1. Ex

1. EXORDIMUR præsens Capitulum ab Imperatoribus Occidentis; occurritque nobis primò loco *Conradus III.* Friderici Sueviæ Ducis genitus, qui fratres monasterii S. Remigii Remensis hoc diplomate decoravit: *D. Odo venerab. Abbas S. Remigii Confessoris, & Francorum Apostoli, nostram præsentiam apud Trajectum ulterius visitavit, possessiones Ecclesiæ suæ, quæ in Regno nostro adjacent, nostro petiit privilegio confirmari. Marsnam videlicèt cum omnibus appenditiis suis &c. Præbendas quoque Marsnenses in usus monachorum decedentibus monachis transmutatas. Nos itaque, tàm religiosi viri petitionibus diligentèr obtemperavimus, & tàm possessiones supradictas, quàm præbendas, in usus monasticos conversas, regiæ majestatis sigillo corroboravimus.* Factum est hoc anno 1145. (*a*). Septennioque post illud confirmavit *Fridericus I. Ænobardus* ejusdem Conradi nepos, & in Imperio successor (*b*), de quo Petrus Cellensis ad Joannem Sarisberiensem scribit: *Imperator indulsit nobis bona nostra de Marsnâ* (*c*). Ipse verò in suo diplomate exponit: *Eidem B. Remigii Ecclesiæ regali munificentiâ adiicientes confirmamus, ut præbendæ Clericorum Marsnensis Ecclesiæ in usus monachorum decedentibus Clericis, sine ullâ contradictione, de cætero cedant* (*d*).

(a) Privil Conrad. 3. ap. Sirmond. in not. ad Petr. Cellens. lib. 8. epl. 15.
(b) Baron an. 1152. n. 3.
(c) Petr. Cellens. l. 6. ep. 11. cum notis ibi.
(d) Privil. Frider. I. ap. Sirmond. loc. cit.

2. Erant hę præbendæ de Marsnâ totidem Canonicatus in Ecclesiâ Marsnæ diœcesis Leodiensis, quas ab initio sæculares Clerici possidebant, eas verò Episcopi Leodienses cœnobio, & monachis præfatis S. Remigii possidendas perpetuò concesserunt. Habet de illis sermonem Petrus Cellensis ad Albertum Cardinalem, & Cancellarium Sedis Apostolicæ, scribens: *Hoc anno D. Papa vestro interventu, privilegium suum Ecclesię nostræ indulsit, in quo specialitèr expressit Canonias, seu prębendas de Marsnâ, & quas in usus proprios, jàm à multis retrò temporibus retinemus, tenendas in perpetuum confirmavit. Quæ enim quondam fuerunt Canonicorum præbendæ, à longissimis retrò temporibus donatione Episcoporum Leodiensium, & confirmatione Papę Innocentii, in proprietatem transierunt, & possessionem monasterii nostri* (*e*). Similia Papæ Alexandro III. repræsentat, de quibusdam Teutonicis loquens: *Dominum Imperatorem frequentèr solicitaverunt, ut de præbendis Marsnæ aliquam subripere possent: quas olim à multis retrò temporibus, concessione Leodiensium Episcoporum, & tàm privilegio pię memorię prædecessoris vestri Innocentii, quàm vestro confirmatas habemus* (*f*). Ne autem per subreptionem, vel obreptionem, turbarentur monachi S. Remigii super pacificâ possessione præfatarum præbendarum; impetrarunt prædicta privilegia, Apostolicum, & Imperialia.

(e) Petr. Cellens. l. 8. ep. 15.
(f) Petr. Cellens. l. 8. ep. 16.

3. Neminem latet, quod urbs Remensis est Civitas Galliæ, quàm *Regni Francorum caput* nominavit Gerbertus (*g*), totidemque penè verbis Ludovicus Crassus Rex Franciæ (*h*). Illius quoque Antistitem jus habere coronandi Reges Galliæ, & Regum nuptiis benedicendi (*i*), esseque summum Regni Cancellarium, in antiquis legitur monumentis (*l*). Quare dubium non est, quin hæc Civitas ad Regnum Franciæ semper pertinuerit, & præsertim sæculo hoc duodecimo, de quo loquimur, ac tempore Ludovici VII. Regis, qui fuit contemporaneus Conradi III. Cæsaris, & Friderici Ænobardi. Leodium verò est urbs Belgii ad Mosam, in finibus Eburonum, cujus episcopatus in provinciâ ecclesiasticâ Coloniensi continetur, illamque Civitatem tunc ad Regnum Germanicum pertinuisse, disertis literis in suo diplomate Conradus præfatus Cæsar exponit. Quare præbendæ, sive canonicatus de Marsnâ, in Regno, sive Imperio Conradi, & Friderici, erectæ; collatæ sunt monachis cœnobii S. Remigii, in Regno Franciæ positi, qui proculdubiò ab Ecclesiâ Leodiensi, seu Marsnensi erant nedum extradiœcesani, & extraprovinciales, sed etiam extranationales.

(g) Gerbert. ep. 159.
(h) Ap. Duchesn. to. 4. f. 445.
(i) Ivo Carnot. ep. 13. 70. & 116.
(l) Duchesn. to 4 f. 16.

4. Cumque magis extranei sint monachi unius cœnobii, & diœcesis à loco alterius diœcesis, in quo percipiunt beneficia, & præbendas, eorum monasterio perpetuò unitas, quam Clerici alibi nati; à beneficiis, quæ ad tempus, nempè ad

eorum vitam alibi adipiscuntur, uti sub fine precedentis capituli demonstravimus; sequitur, quod si Conradus, si Fridericus Imperatores, suis literis roborarunt monachos D. Remigii Remensis, tametsi extranationales, & ad Regnum Francicum pertinentes, in perpetuâ possessione præbendarum de Marsnâ Leodiensis diœceseos; multò magis in eo sensu fuerunt, quod similes præbendas, & beneficia possent Clerici extranei in eorum Imperio temporaneè possidere. Quodque præfati monachi præbendas illas perpetuò suas fecerint, patet ex eodem Petro Cellensi, referente, quod cum Papa perpetuæ illius concessionis oblitus, mandasset unam ex dictis præbendis dari cuidam Clerico Imperiali, responsum est ei, hoc fieri non posse, nec esse talem hanc præbendam, quæ illi posset conferri: *Nupèr verò D. Papa, rem ut credimus ignorans, jàm secundò scripsit Præposito nostro de Marsnâ, ut daret præbendam cuidam Clerico Imperatoris, cum nec Præpositus dare possit, nec sit præbenda, quæ dari possit* (*a*): nunquam etenim vacare videbantur ipsæ præbendæ, nisi eo solo ordine, ut quoties unus de fratribus, illi Ecclesiæ famulantibus moreretur, alter è D. Remigii monasterio, in defuncti locum subrogandus, Marsnam transmitteretur.

(a) *Petr. Cellens. l. 8. epist. 15.*

5. Sed & alia documenta, in eisque sensus *Friderici I.* Imperatoris habemus, hoc propositum respicientes. Nàm cum vacasset Ecclesia Magdeburgensis, metropolis Saxoniæ, & in electione successoris Vocales non concordarent, aliis Decanum, aliis Præpositum ejusdem Capituli promoventibus; Imperator post eos perperam ad concordiam persuasos, Guicmannum Cicensem Episcopum in Archipresulem destinavit, eique regalia ejusdem Ecclesiæ concessit (*b*), & se id posse legitimè facere contendit, supponens, quod in concordiâ dudum ante complectâ inter Callistum II. Papam, & Henricum V. Imperatorem, super investiturâ Episcoporum; id fuerit constitutum, quod si fortè in eligendo novos Antistites, eligentium vota sic scinderentur, ut non convenirent in unum; tunc in arbitrio Imperatoris esset, quem vellet, in Præsulem destinare (*c*). Ipse propterea, tali utens facultate, Guicmannum prædictum, tametsi extraneum, uti Episcopum Cicensem, seù Naumburgensem, in Misniâ in Magdeburgensem Archipræsulem designavit: & ut ab Eugenio III. Papâ confirmaretur, tres Archiepiscopi, & octo Episcopi Germaniæ, literas ad sedem Apostolicam direxerunt.

(b) *Otto Frising. in Frider. l. 2. c. 6.*

(c) *Otto Frising. loc. c. l. c. 8.*

6. Verùm Eugenius designationem illam renuit approbare, non quia Guicmannus extraneus esset ab Ecclesiâ Magdeburgensi, nec de præfatâ potestate in Imperatore disceptans; sed ex eo, quod Guicmannus jàm Ecclesiæ Cicensi defixus erat, nec poterat ejus translatio fieri, nisi vel necessitate, vel utilitate id exposcente, quarum neutra in hoc eventu concurrebat, imò reluctantia majoris partis Cleri, Guicmanno contradicentis, nè fieret obsistebat. Memoratis proindè Presulibus Eugenius, prætèr alia respondit: *Cum translationes Episcoporum, sinè manifestæ utilitatis, & necessitatis judicio divinæ legis oraculum non permittat, cum etiam multò amplior, quam in aliis electionibus, Cleri, & populi eas debeat prævenire concordia; in faciendâ translatione de venerabili fratre nostro Guicmanno Cicensi Episcopo nihil horum est, sed solus favor Principis expectatur, & nec inspectâ necessitate illius Ecclesiæ; nec consideratâ utilitate personæ, Clero nolente, imò ut dicitur, ex parte maximâ reclamante, in Magdeburgensi eum dicitis Ecclesiâ supplantandum &c.* qua rè mandat, ut ab incepto desistant, & Principem retrahant ab hujus causæ prosecutione (*d*).

(d) *Baron. ad. 1152. num. 7 & 9.*

7. Quantumlibet autem provectio Guicmanni ad Archiepiscopatum Magdeburgensem tunc non habuerit effectum, tamèn pro eo, quod ad rem nostram pertinet, detegendi qualis essent animi sensus, & sententia Imperatoris, ac Episcoporum Germaniæ, quoàd promovendos extraneos ad ecclesiastica beneficia; hæc nobis evidentissimè constat ex contrario sensu eorum, quæ in hoc eventu acciderunt: estque hic optimus arguendi modus (*e*). Itaque si vera fuisset potestas, quâ se præditum autumabat Imperator, designandi, quem mallet Antistitem, quoties electores

(e) *Barbos. Tract. var. loc. 27. per totum.*

ctores in ejusdem determinatione non convenirent: si Fridericus non Clericum, jàm uni Ecclesiæ devinctum, sed liberum, designasset: vel si pro hujus translatione faciendâ utilitas, aut necessitas concurrisset; nec Clerus contrà hujusmodi translationem pro parte maximâ calcitrasset; optimè statim habuisset locum Guicmanni designatio, tametsi nedùm extradiœcesani, sed etiam extraprovincialis: Magdeburgum enim, ut innuimus, ad provinciam sæcularem Saxoniæ inferioris pertinet; Naumburgum vero, sivè urbs Cicensis, ad provinciam sæcularem Misnensem Saxoniæ superioris. Et ità quantum ad sensum Imperatoris, & Episcoporum Germaniæ patet, quod ipsi in eâ fuere sententiâ, quod ad beneficia Episcopalia, & multò magis ad inferiora, locus esset admissioni, non solum indigenarum, sed etiam extraneorum, quod invalescit ex facto; nàm biennio post Guicmannus, annuente Anastasio Papâ IV. in sede Magdeburgensi locatus est, & pallio Archiepiscopali donatus (*a*).

8. Pergamus ulteriùs, & ab alio ejusdem temporis eventu sensum Friderici Cæsaris deducamus. Guido quidam Blandratensis Comes, cliens erat, & addictissimus Imperatoris: qui & interfuit concordiæ inter Eugenium III. Papam, & ipsum Fridericum Cæsarem stipulatę, atque Octaviano Antipapę adersùs Alexandrum III. Papam, ut Imperatori obsecundaret, adhæsit (*b*). Patriam habuit in Liguriâ: quâ de rè Guntherus Ligurinus, cecinit, *utile consilium Guido Blandratensis agebat: hic Comes eximius, Ligurum concivis, & idem charus erat Regi* (*c*). Jacobus verò Spiegelius in Scholiis ad eundem Auctorem, existimat eum fuisse ex oppido Blanderato in Subalpinis (*d*). Utcumque sit, filium habuit, eodem cum Patre nomine nuncupatum, quem Guido Pater fecit per Imperatorem Hadriano IV. Papæ impensiùs commendari, ut Clericatu in Romanâ Ecclesiâ insignitus, ibi ad eos ordinum, & honorum gradus ascenderet, ad quos ei videbatur posse rationabilitèr pervenire. Viduatâ verò interim Archiepiscopali sede Ravennatense; Fridericus Guidonem ipsum juniorem, seù filium, eligi fecit in ejusdem metropolis Archipræsulem.

9. Tùm Papæ scripsit sub hisce terminis: *Anselmo bonæ memoriæ Ravennensis Ecclesię venerabili Episcopo defuncto, nè Curia nostra diutiùs tanto careret Principe, operam dare curavimus, loco ejus talem subrogare personam, quæ pro tempore ad resarcienda Ecclesiæ illius damna, & ad nostrum peragendum servitium, apta videretur &c. Filium Comitis Blandatensis, quem vos in clericum Romanæ Ecclesiæ, & filium nostrâ petitione assumpsisse recordati sumus, vicissim ad honorem vestrum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, altius sublimari intendimus, In eâ præsertìm Ecclesiâ, quam post Sanctam Romanam Ecclesiam, aut maximam, aut unam de maximis habemus: nostræque voluntatis proposito, divinâ favente clementiâ, in electione illius personæ concorditèr, & voluntariè universa Ravennas convenit Ecclesia &c. & quidem decentissimum est Sanctam Romanam Ecclesiam, tamquam matrem omnium Ecclesiarum, filios, qui sunt fructus ventris aggregare, & aggregatos, ad decorem Domus Dei, per Domos, & familias distribuere, quibus etiam nostrum Imperium, tamquam ab utero, & gremio matris nostræ progredientibus, debeat, & velis congruum honorem impendere* (*e*).

10. Verum Hadrianus Papa IV. tunc Ecclesiæ præsidens, votum Principis adimplere fortissimè recusavit, his motus rationibus, quas in epistolâ ad Fridericum rescripsit: *Qualitèr superni conditoris intuitu, & tàm excellentiæ tuæ, quam dilecti filii nostri Guidonis Blandratensis Comitis interventu, dilectum filium Guidonem Subdiaconum nostrum, ejusdem Comitis filium, olim in familiaritatem, & in nostrum consortium recceperimus: qualitèr etiam intuitu probitatis ejusdem, atque pro honore, & utilitate Sacrosanctę Romanæ Ecclesiæ, tamquam si in Diaconum jam fuerit ordinatus, Ecclesiam ei specialitèr assignaverimus, & nos profectò memores, & à serenitatis tuæ memoriâ non credimus excidisse. Nunc autem honestatem ipsius considerantes, & profectum scientiæ, si ei vita comes fuerit attendentes; intelligentes*

etiam

(a) *Baron. & Spondan. an. 1154 n. 1.*

(b) *Baron. an. 1152. num. 4. 5. & an. 1059. §. interea.*

(c) *Ligurin. de gest. Frider. l. 8 f. 395. 55.*

(d) *Jac. Spiegel. in Ligurin. l. 2. f. 310. 2.*

(e) *Card. Baron. an. 1159. n. 1.*

etiam quanta per eum, ac per nobiles, & potentes parentes ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ adhuc potuerint commoda provenire, & ad quantum dignitatis apicem in eâdem Romanâ Ecclesiâ ipse valeas, vitâ generi concordante conscendere, cum à Sede Apostolicâ in Subdiaconatus officium sit promotus, & ei tamquam si jàm Diaconus esset (sicut superiùs dictum est) à nobis sit Ecclesia specialitèr assignata; communicato fratrum nostrorum consilio, à nostro latere tàm pretiosum pignus, juxtà petitionem excellentiæ tuæ, non potuimus removere, sed ipsum, opportunitate acceptâ, Deo auctore, in Romanâ Ecclesiâ, ad honorem ejusdem Ecclesię, & Imperii, intendimus ordinare, ut vel in eâ, prout divina gratia proposuerit, quandoque ad sublimiora conscendat, vel ex indè ad alterius ecclesiasticę fastigium dignitatis, ipsum contingat, auxiliante Domino, pervenire. Convenientiùs siquidem est, ut qui filius, & Clericus est Romanę Ecclesiæ, ab ejus gremio non recedat, & ipsa ei circa se locum dignitatis conferens, eidem indè provideat altiora. Ipsa etenim viros, & moribus, & scientiâ adornatos, præditos honestate, & sanguinis nobilitate præclaros, ad se libentèr evocat, & alios aliundè consuevit admittere, non se talibus, cum ipsos in gremio suo habet, facilè spoliare (a).

(a) Baron. an. 1159. num. 3.

11. Notemus hic, Imperatorem pro ratione suæ petitionis obtendere, quod decens est, Romanam Ecclesiam filios suos per domos, & familias distribuere, nempè per alias Ecclesias: quâ loquendi phrasi, nescimus an clariùs valeat explicari, justum esse, quod beneficia ecclesiastica conferantur etiam extraneis, modò dignis: quippè Clerici Romanæ Ecclesiæ proculdubiò erant origine extranei ab aliis Ecclesiis, per quas distribuendos esse Cæsar inculcat. Qui paritèr, quando ab initio interpellavit Pontificem, ut Guidonem juniorem, sivè Blanderatæ in Subalpinis, sivè alibi apud Ligures ortum, Romanæ Ecclesiæ insereret, prout in eâ insertus est, Ecclesiâ speciali, seu beneficio ecclesiastico, necnon ordine, & officio Subdiaconali decoratus, quamquam indè esset extraneus; necnon quando institit, ut idem à Romanâ Ecclesiâ ad Ravennatensem metropolim transferretur, à quâ paritèr esse extraneus noscebatur; certè docvit Ecclesiam Dei plenâ, & integrâ libertate potiri, præficiendi beneficiis sacris extraneos, alioquin ille semèl, & iterum non sategisset, ut vir Pedemontanus, aut Ligur, modò Romæ, modò Ravennæ, beneficiis ecclesiasticis augeretur, à quibus, & Diœcesi, & provinciâ, & temporali quoque ditione, citrà dubium erat extraneus.

12. Notanda est etiam responsio Pontificis, Friderico I. Imperatori rescripta: Continet enim, se complacere de Guidonis admissione in Ecclesiâ Romanâ, & de illius provectione ad ordinem Subdiaconalem, & ad Ecclesiam, seu beneficium ei peculiatèr assignatum, seque adhuc intendere aliis eundem gradibus sublimare, nihil relevante extraneitatis obstaculo. Declarat etiam, esse usum Sedis Apostolicę Clericos hinc indè moribus, & scientiâ ornatos, ad se vocare, proprioque Clero inserere, nec se talibus viri facilè debere spoliare: quarè abnuit Guidoni Blandratensi transitum de Romanâ Ecclesiâ, in quâ jàm defixus erat, ad Ravennatem permittere: quippè disposuerat illum, vel Romæ ad sublimiora provehere, vel alibi alterius dignitatis præeminentiâ decorare. Sicut autem Guidoni quidquam non obstitit extraneitas, quin beneficium Subdiaconale in Romanâ Curiâ valuerit obtinere; sic & nihil obstitisset (si jàm Romæ non fuisset peculiari Ecclesiæ defixus) quin posset, pro voto Cæsaris, apud Ravennatem metropolim beneficium Archiepiscopale adipisci: totumque obstaculum in primam affixionem refundebatur; satis alioquin patefacto sensu Cæsaris, atque Pontificis, quod Clericis extraneis æquè, ac indigenis liberum, & licitum esset ecclesiastica consequi beneficia, effectu etiam id comprobante; nàm de facto Guido Archiepiscopatum ipsum successivè adeptus est (b).

(b) Ex Tabul. Archiepiscoporum Ravennat.

13. Imperatoris Occidentis votum aperuimus: nunc sensum quoquè *Orientalis* Cæsaris detegamus. *Isacius Angelus* Imperium Constantinopolis retinebat, quod, ut diximus, ei prædixerat *Dositheus quidam Studiensis monachus, Venetiis* orlun-

oriundus, & patre Viticlino, ut ferebatur, natus &c. Quâ prædictione eventu comprobatâ, summo honore, & auctoritate apud hunc Imperatorem florens, Hierosolymorum Patriarcha, post Leontii viri eruditi, & virtute celebris obitum, designatus est (*a*). Dositheo autem ipso Patriarchalibus infulis Hierosolymitanæ metropolis effulgente, Isacius Leontium Patriarcham Constantinopolitanum dejecit; optansque in ejus locum substituere Dositheum, hâc arte usus est, quàm Nicetas Choniates talibus coloribus lineavit. *Theodorum Balsamonem, magnæ Antiochiæ Episcopum, virum eâ ætate jurisconsultissimum, astu circumvenit, & in privato colloquio indignationem simulat, quod Ecclesia, pii, ac doctis viris ità destituatur, & monastica virtus ità obsoleverit, atque evanuerit, ut nemo sit, qui universalem sedem* (nempè Constantinopolitanam) *non secus ac solis irrequietus circuitus orbem terrarum illustret, cœtumque fidelium, quàm optimè gubernet. Hæc & id genus alia, non sinè dolore præfatus, subjunxit, olim fuisse sibi in animo illum ex Antiochenâ sede in Oecumenicam, ut illustrem legalis puritatis lucernam transferre. Sed ab eâ mutatione veterum canonum, & ecclesiasticarum sanctionum interdicto deterreri. Si verò ipse, ut legum, & canonum peritissimus, translationem ut olim, ità nunc quoque habere locum demonstrare, ac vulgo persuadere possit, se omninò id in lucro deputaturum, eumque modò liceat incunctantèr designaturum* (*b*).

(a) Nicet. Choniat. in Isacio. Angel. lib. 2. fol. 163 4.

(b) Nicet. Choniat loc. cit.

14. Theodorus Balsamon his auditis, speque illectus Patriarchale solium Constantinopolitanum adipiscendi, Antiocheno relicto, cui solo nomine præsidebat, quippè tùnc Latini Antiochiæ dominabantur (*c*); omnes leges, & canones quot quot potuit, colligavit, aptavit, inflexit, ut Antistitem de unâ ad aliam sedem licitè transferri posse probaret: sed illusus, ac spè frustratus remansit: nàm Imperator his auditis, non eum de Antiocheno, sed Dositheum, de Hierosolymitano ad Constantinopolitanum Patriarchium transvehi fecit (*d*). *Theodorus*, inquit Choniates, *omnia rata fore affirmavit. Postridie Concilio Pontificum in æde sacrâ indicto, & quæstione illâ agitatâ; translatio statim concessa, & literis Imperatoris confirmata est: ac Antiochenus ut antè fuerat, ità mansit Antiochenus. Dositheus verò à sede Hierosolymitanâ Constantinopolim est translatus, cum tàm frequenti, & splendido comitatu, ut haud dubiè regium triumphum æquaret* (*e*). Ità Isacius Imperator, & votum suum complevit, & Balsamonem delusit, & Dositheum omni, quo potuit honoris cumulo, decoravit.

(c) Card. Baron. an. 1191. nu. 50.

(d) Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 1. l. 2. cap. 26. nu. 4.

(e) Choniat. loc. cit.

15. Hic nec modum, ab Isacio adhibitum, commendandum suscipimus; nec an translatio fieri debuisset, nec nè, definimus: sed scientes esse certum, & inconcussum apud sacros canones, quod Antistitum translationes de uno ad aliud beneficium episcopale licitè, ac laudabilitèr fieri possunt, quotiès justa causa utilitatis, vel necessitatis, conjunctivè, sivè disjunctivè, concurrat (*f*), nec legitimi superioris desit auctoritas (*g*); dicimus, quod sensus Isacii Imperatoris, & Episcoporum Constantinopoli, pro Patriarchâ illius urbis designando coassidentium, viri extranei translationi favens, fuit sacris Canonibus consentaneus: & quod sicut liberam esse censuit Ecclesiam Imperator in provectione Clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia, quando præfatum Dositheum in *Hierosolymitanâ* sede locari fecit, quantumlibet indè esset, & origine, & provinciâ, & ecclesiasticâ defixione prorsùs extraneus; ità declaravit, ipsam Ecclesiam eâdem perfrui libertate, quando memoratum Dositheum, in Concilio Episcoporum, Balsamone perorante, ac legibus, & Canonibus translationes fieri posse probante, à Hierosolymitanâ ad *Constantinopolitanam* sedem transvehi procuravit, à quâ Translatus originariè erat extraneus. Nec enim Imperator propriâ auctoritate illum transtulit, sed sanctione Synodali transvehi procuravit: quod agendo, nec quid contrà canones, nec rem insolitam attentavit: neque id fieri curasset, nisi pro certò habuisset, quod, non modo Clericis indigenis, & nativis, sed viris extraneis quoquè pateret accessus ad ecclesiastica beneficia. Et quod dicitur de translationibus, quoad episcopalia beneficia; ex identitate, vel similitudine rationis, verificatur etiam de

(f) Cap. mutationes cum trib. sequen. 7. qu. 1. c. sciat. 8. qu. 1. cum aliis capit. in tit. de trasl. Episcopor.

(g) Cap. mutationes & cap. sicut alterius in fin. 7. qu. 1.

translationibus quoad beneficia ordinis inferioris (*a*), concomitante semper, vel ut plurimum extraneitate ipsasinet translationes.

16. Ab Oriente retrocedamus in *Hispaniam*. Regnabat in eâ sæculo Christi duodecimo Alphonsus VII. vir egregius, ac pacis, & belli dotibus præclarus, cui Innocentius Papa II. *Imperatoris* titulum largitus est, triplicique illum fecit diademate coronari, primò in Toletanâ, secundò in Legionensi, ac tertiò in Compostellanâ urbibus: eâ intentione, ut quemadmodum Germania, sic & Hispania Imperatorem proprium haberet, cui cæteri regionis illius Reges, & honorem exhiberent, & homagium facerent, & soluerent quoque feudali more tributum, ac sub eo jungerent vires, ad Mauros, & Infideles, armis bellicis debellandos (*b*). Dum Alphonsus ergò præfatus regnaret, contigit beneficium Archiepiscopale Compostellanum vacare, ad quod satagens aliquem virum eximium, & plenum meritis promoveri; fecit ut successoris electio in Episcopum caderet Salamantinum: cui quia obsistebat primæ Ecclesiæ connubium; Rex interposuit apud Papam preces B. Petri Cluniacensis, ut Salamantinum ipsum, à vinculò primæ sponsæ absolutum, Compostellanæ Sedi præficeret in Pastorem.

17. Audiamus verba ipsius Beati viri ad Pontificem, quorum partem alibi quoque transcripsimus: *Imperator Hispanus, magnus Christiani populi Princeps, devotus majestatis vestrę filius, licet apud pietatem vestram multum possit, & posse debeat; tamen quià intèr modernos Reges præcipuus amicus, & benefactor Cluniacensis Ecclesiæ est, mè ad præsens mediatorem, & apud vos intercessorem elegit &c. Sed non ego pro Rege Hispano, non pro Romano, non pro quolibet mortalium preces funderem, si id justitiæ repugnare cognoscerem. Undè licet earum rerum, quibus non interfui, testis esse non possim, sapientum tamen multorum, magnorum, probatorum etiam virorum testimonio, non minus, quam oculis meis, vel auribus credere compellor. Horum itaque omnium attestatione, ex quibus multi Clerici, quidam monachi, nonnulli Episcopi sunt, electionem Domini Salamantini Episcopi in Archiepiscopum S. Jacobi, ab omni clero, ab omni, populo, canonicè, pacificè, communitèr factam, prædictus Imperator per humilitatem meam, majestati Apostolicæ repræsentat. Et quia illa Ecclesia, ad quam electus est, tanti Apostoli corpore gloriosa, tot Sedis Apostolicæ privilegiis sublimata, inter omnes Hispanas Ecclesias caput extulit; nobilem, prudentem, honestam, probatam personam præ aliis terræ illius Ecclesiis requirebat. Quam se invenisse tandem in isto lætata, eum sibi, ut dictum est, in Pastorem elegit.*

18. *Undè si quis, post illam communem, & solemnem electionem, alicui proprio commodo inservire volens, ab illo descivit; provideat sollicitudo paterna, ne illi liceat ob privatum lucrum bona publica impedire, vel eâ de causâ pacem tantæ Ecclesiæ perturbare. Astat igitur ad fores vestræ misericordiæ, manu nostrâ pulsat Imperator Hispanus, Sancti Jacobi clerus, & populus, ut electum suum, non sublimitèr, non superbè, sed humilitèr, & mansuetè ad vos venientem suscipiatis, & vinculum Apostolicę severitatis, quod modestè pertulit, resolvatis: & quod potestatis vestrę solius est, translationem ejus de Salamancâ, ad urbem S. Jacobi Apostoli concedatis* (*c*). Agebatur hic de translatione Episcopi de unâ ad aliam sedem; quam sicuti sacri canones, jàm soli potestati Pontificis Romani reservant (*d*); Sic & B. Petrus Cluniacensis fatetur, eam posse à solo Innocentio II. Papâ compleri. Et quemadmodum jura concedunt, istas translationes justè fieri posse, quoties rationabilis causa id exposcat. (*e*); ità præfatam translationem justam esse declarat idem B. Petrus; verbisque disertissimis profitetur, se pro eâ non scripturum, si non agnosceret ipsam justitiæ consonam esse, ac Regem pro illâ instantem, æqua, & rationabilia deposcere.

19. Proculdubiò autem Episcopus Salamantinus, ad Compostellanum Archiepiscopatum transferendus, vel à Salamantinâ Ecclesiâ, in quâ beneficium episcopale possidebat; vel à Compostellanâ, in quâ beneficium Archiepiscopale consequi satagebat, erat extraneus. Et tamen Alphonsus VII. Rex Hispaniæ, toto conatu pro ejus provectione ad secundam sedem institit, hocque faciens, tàm ipse, quàm clerus

(a) *Cap. Episc. de loco 7. q. 1. §. sine except. 32. qu. 2.*

(b) *Forest. Map. hist. to. 4. p. 3. l. 8. in Alfon. 7 Re. 50.*

(c) *Petr. Cluniacen. lib. 4. ep. 9.*

(d) *Cap. 1. 2. 4. & ibi glos. de translat. Episc.*

(e) *Cap mutationes 34. & sicut 35. 7. q. 1.*

clerus Compostellanus, ingenuè sunt professi, patere aditum extraneis ad ecclesiastica beneficia: non enim tanto rerum apparatu hanc translationem promovissent, si extraneis interdicta beneficia ecclesiastica credidissent: vel si eis esset ad illa clausus aditus jure divino, naturali, & humano, prout supponunt Contradictores. Quod si fortè dicas Episcopum Salamantinum fuisse nativum ejusdem provinciæ ecclesiasticæ Compostellanæ, adeòque ab hac metropoli non extraneum; id nihil proficit: nàm inprimis hoc esset probandum non supponendum: & quatenus etiam probaretur, inutilis esset labor: quippè cum rationes, & doctrinę, per Contradictores allegatæ, probent (si quid probant), quod beneficia solis diœcesanis, & localibus conferri debeant; jàm excluduntur ab eis, non solum qui extra, sed etiam qui intra eandem provinciam nati sunt, si non sint simul, & semel etiam diœcesani, & propterea nec Rex, neque clerus præfatus urgere potuerunt pro translatione Episcopi Salamantini ad Archiepiscopatum Compostellanum, nisi sub inconcusso supposito, quod liberum sit Ecclesiæ beneficiis ecclesiasticis Clericos etiam extraneos insignire.

20. Quoad Poloniam, dum in eâ regnaret Boleslaus III. & Romæ in D. Petri Cathedrâ consideret Paschalis Papa II. Pontifex epistolam suam quandam direxit Archiepiscopo Gnesnensi, seu Poloniæ, abnuenti fidei Sacramentum Sedi Apostolicæ in Pallii susceptione jurare: ac obtendenti Regem, & Regni majores, magnâ esse super hoc admiratione permotos. Paschalis verò varia insinuat ibi motiva, cur hoc juramentum exigeret, ac inter cætera sequens allegat. *Quid super Episcoporum translationibus loquar, quę apud vos, non auctoritate Apostolicâ, sed nutu Regis pręsumuntur? Propter hæc mala, & alia evitanda, hujusmodi juramentum exigitur* (*a*). Improbat Pontifex translationes Antistitum, quæ in Poloniâ fiebant, non auctoritate Apostolicâ, sed Regali; cum tamen hoc, non ad Regiam potestatem pertineat, sed ad solam Pontificiam (*b*). Ideoque benè Sacramentum præfatum exigi ostendit, ne similes translationes inposterum, inconsultâ Sede Apostolicâ, compleantur: ad quam ipsas unicè, ac privativè pertinere, illâ ætate toti Ecclesiæ persuasum erat, nec jàm in dubium vocabatur, quod posset ipsa sola easdem authorizare (*c*).

(a) *Paschal. PP. II. ep. 6. Bin. to. 7. Conc. p. 1 fol. 517. D.*

(b) *Cap. mutationes, cum seq. 7 q. 1. cap. inter 2. cum aliis de translat. Episcopor.*

(c) *Thomassin de vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 64. n. 3. & 4.*

21. Et quidquid esset de Græcis, apud quos adulatio introduxerat, ut Imperatores Constantinopolitani, transvectiones Antistitum de unâ ad aliam sedem, non solum procurarent Ecclesiæ auctoritate fieri, sed etiam ex se ipsis, si ità vellent, avderent: Quâ de rè Simeon Thessalonicensis, ità conqueritur. *Ista non tàm ab Imperatoribus, quàm ab adulatoribus fiunt, qui eos commovent ad majora perpetranda, itaut audeant & promovere Episcopos, & translationes facere &c.* (*d*); Quidquid, inquam, esset de Grecis; absque dubio in cæteris Christianitatis partibus eâ ætate nullibi Reges, translationes ipsas audebant ad effectum perducere, nisi in Poloniâ, ubi ut is evelleretur abusus Paschalis Pontifex solers fuit. Sed seposito nunc in partem abusu, modum respiciente, quo translationes in Poloniâ fiebant; quantum ad rem nostram pertinet; certum est, quoad substantiam rei, quod justis causis intercedentibus, & legitimâ superioris auctoritate accedente, poterant, possunt, poteruntque semper, absque ambiguitate compleri (*e*). Et Boleslaus III. Rex Poloniæ illis manus apponens, proculdubiò professus est, Clericos extraneos posse beneficiis ecclesiasticis insigniri, quippè translationes ipsæ fieri non possunt, quin translatus sit, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ prorsùs extraneus.

(d) *Simeon. Thessal. de sacr. ordin. c. 8.*

(e) *Thomassin. de vet. & nov. Eccl discipli. l. 2. c. 60 n. 6. 7. c. 61. n. 6 7. 8. c. 62. n. 1. 3. 5. c. 63. n. 2. 6. 8. & 14.*

22. Invaluerat etiam hic abusus in *Hungariâ*, quod Rex propriâ auctoritate Antistites de uno ad aliud beneficium episcopale transferret; sed hanc pravam introductionem Reges ipsi à se religiosè absciderunt, tempore Romanorum Pontificum Alexandri II. & III. Est in Annalibus ecclesiasticis apud Cardinalem Baronium diploma H. Regis Hungariæ, confirmantis piam resignationem G. Regis, qui eum ante præcesserat, ubi Romano Pontifici pollicetur, *quod sine auctoritate, consilio ejus, vel successorum suorum depositionem, seu translationem Episcoporum* *non*

(a) *Baron. ann. 1169. fol. 616. E. 10. 11.*

non faceret, vel fieri permitteret (*a*). Super quo recurrit argumentum numero antecedente conceptum, nempè quod quamvis quantum ad modum improbandæ sint translationes solâ Regiâ auctoritate attentatæ; tamen pro eo, quod pertinet ad rem nostram; translationes illæ in substantiâ fieri poterant, sed cum executioni mandari non valerent absque eo, quod translatus esset, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ extraneus, necessariò consequitur, quod Reges Hungariæ illas promoventes, omninò censuerunt, extraneis quoque patere debere ecclesiastica beneficia.

23. Respectu ad *Angliam*, narrat Rogerius, quod ortæ simultates intèr Henricum II. Regem, & Henricum III. ejus filium, acriùs invalescebant: Rexque pater omnia, quæ filio, in promotione Antistitum displicere censebat, libentissimè adimplebat, ideoque varia beneficia Episcopalia clericis, quà extranationalibus, quà alibi aliis Ecclesiis addictis, largitus est: *Henricus*, inquit, *Rex Angliæ pater, contrà prohibitionem Henrici Regis filii, & post appellationem factam ad D. Papam dedit Richardo Priori de Dovuere Archiepiscopatum Contaurięnsem, & Reginaldo filio Joannis Sarisberiensis Episcopi episcopatum Bathoniensem, & Richardo de Juceestre Pictaviensi Archidiacono episcopatum Vvintoniensem &c. & Gaufredo Ridel Cantuariensi Archidiacono episcopatum Cliensem &c.* (*b*). Qui omnes divisim, ac separatìm considerati, vel à secundâ Ecclesiâ, in quâ beneficium episcopale nacti sunt, vel à primâ, in quâ alteriùs speciei beneficia retinebant; erant extranei, & respectivè Archidiaconus Pictaviensis in Galliâ erat extranationalis ab episcopatum Vvintoniensi: Nihilominus Rex eosdem uti supra promovit, ratus extraneitatem nihil pro beneficiis adipiscendis obsistere.

(b) *Roger. ap. Baron. an. 1173. nu. 18. &c.*

24. Hujus Regis tempore vixit Nicolaus Brekspear, seu Hastifragus, Anglus, ex Villâ Malviesbiriâ, Oppidi Virulamii, seu S. Albani, Bathoniensis diœcesis, filius Roberti monachi, ex legitimo matrimonio, qui Nicolaus præ inopiâ, qua laborabat, ut victum sibi acquireret, in Galliam profectus, primo clericus fuit Ecclesiæ S. Jacobi de Melgerio, Magalonensis diœcesis, provinciæ ecclesiasticæ Narbonensis, deindè Canonicus Regularis, & Abbas cœnobii S. Ruffi Valentinæ diœcesis, provinciæ ecclesiasticæ Arelatensis: posteà S. R. E. Cardinalis Episcopus Albanensis, ac Romæ tandem ad Summum Pontificatum evectus est, sub nomine Hadriani IV. (*c*). Hic ergò beneficia Clericale, Canonicale, Abbatiale, Cardinalitium, Episcopale, demumque Papale adeptus est in tot, & tàm diversis provinciis, atque regionibus, à quibus, & patriâ, & provinciâ, & natione, erat extraneus. Cui etiam Angliæ Rex, jam assumpto ad Pontificatum, gratulatoriam dedit epistolam, quam superiùs ex Petro Blasensi exscripsimus, & ideò non eam hic inutilitèr replicamus (*d*).

(c) *Ciac. Panvinius Forellus, Platina, & alii in Hadrian. 4.*

(d) *Baron. an. 1154. nu. 3 & 5.*

25. Non possumus tamèn non iterum recensere verba illa, quibus Rex asseverat, quod Hadrianum, *Divina dextera, tamquam lignum vivificum, in medio paradisi spiritualitèr plantandum duxerit, & de terrâ nostrâ in suum pomœrium transplantandum*: monetque illum, ut in honorum dispensatione, *non respiceret ad patriæ propinquitatem, generis qualitatem, aut potentię quantitatem, sed quod Deum timeant, avaritiam odeant, justitiam sitiant, & zelo ferveant animarum* (*e*). Quæ tametsi directè proferat de Cardinalibus eligendis; quia tamen similitudo rationis, etiam in aliorum dispensatione beneficiorum locum habet; hinc fit, ut satis constet, quod Rex ille Angliæ non in aliâ sit opinione versatus, nisi quod pro beneficiis ecclesiasticis adipiscendis, debeat omnibus, & quibuslibet clericis esse apertus accessus; nihil relevante extraneitatis, vel indigenatus ratione: cum benemerentia, virtutes, dotesque mentis, & corporis, non origo localis, vel qualitas nativi soli, dignos faciat clericos ipsis ecclesiasticis beneficiis.

(e) *Petrus Blesens. epl. 165. vid. supr. c. 32 nu. 3*

26. Ex Regno quoque *Scotiæ* documenta non desunt, ob schisma ortum in Metropoli S. Andreæ, proptèr electionem Archiepiscopi, qui Richardo succederet, mortuo anno 1180. Canonici namque illius Ecclesiæ de proprio gremio elegerunt *Joannem*, cognomento Scotum: sed Guillelmus Rex Scotorum elegit *Hugonem* Capel-

Capellanum suum, undè facta est scissura, quę Regnum illud non modicè conturbavit (*a*). Repetitę legationes in Scotiam ab Alexandro III., & Lucio III. Romanis Pontificibus missæ sunt: cognitâque justitiâ electionis Joannis, & intrusionis Hugonis; Joanni adjudicata est Ecclesia: sed Rege obsistente, nec interdicti, neque ullius censuræ metu ab inceptis desistente; dissensio, pro eo, quod cessaret, magis recruduit, & aliquando sic est, Rege annuente, composita, *quod Hugo abjuraret Episcopatum S. Andreæ, & Joannes Episcopus eundem episcopatum quietum clamaret, à calumniâ ipsius, & loco illius haberet episcopatum de Dunkelden, & omnes reditus, quos ipse ante electionem suam habebat, & Cancellariam Regis, & quadraginta marcatas reditus de episcopatu S. Andreæ in vitâ suâ. Hugo tamen cum requisitus esset à Domino suo Rege Scotię, quod abjurasset episcopatum S. Andreæ, respondit sè malle suscipere judicium in Romanâ Curiâ, quam sic abjurare episcopatum &c. & appellavit ad Romanum Pontificem* (*b*).

(a) *Baron. anno 1180. nu. 4*

(b) *Baron. anno 1182 nu. 3.*

27. Uterque igitur competitorum Romam properavit, & quilibet eorum pro suo jure coram Pontifice peroravit: cumque neuter alteri cedere vellet; *Papa de communi fratrum suorum consilio abjudicavit episcopatum illum utrique, & ipsi in manu Pontificis resignaverunt præfatum episcopatum S. Andreę liberè, & absolutè, & sic à Curiâ recesserunt, expectantes Summi Pontificis misericordiam. Et post paucos dies, & per consilium universorum Cardinalium Summus Pontifex reddidit Hugoni Episcopo episcopatum S. Andreę, & confirmavit, & concessit Joanni Episcopo episcopatum de Daukelden cum universis supradictis, quę ei ex parte Regis Scotię oblata fuerant &c.* (*c*). Ita res pro voto Guillelmi Regis Scotiæ successit; ejusque tandem opera factum est, ut Joannes non posset consequi beneficium Archiepiscopale Ecclesiæ S. Andreæ, de cujus corpore fuerat electus, adeòque ibi erat indigena; & reciperet beneficium episcopale Dunkeldense, à quo saltem, quoad patriam, ac diœcesim, erat extraneus. Viceversâ beneficium Metropolitanum Sanctandreense collatum est Hugoni Aulico Regis, qui indè erat extraneus, si non aliter, saltem ex eo, quod de gremio illius Ecclesiæ non erat. Hæc autem quam clarè demonstrent Regem in eâ fuisse certitudine, quod beneficia ecclesiastica etiam clericis extraneis conferri possent, est superfluum inculcare, cum res vel ipso sit intuitu manifesta.

(c) *Baron. anno 1183 nu. 1*

28. Jàm ergò hic in unum collectos habemus, & *Papas*, & *Cardinales*, & *Patriarchas*, & *Episcopos*, & *Sanctos Patres*, & *Doctores*, ac *Scriptores ecclesiasticos*, & *Imperatores*, *Orientis*, ac *Occidentis*, & *Reges Hispaniæ*, *Poloniæ Hungarię*, *Angliæ*, *Scotię*, qui Duodecimo Christi Sæculo claruerunt, simùl in unum, & factis, & dictis: & theoricâ, & praxi; & auctoritate, & doctrinâ conclamantes, quod eorum ætate Ecclesia Dei, usquequaque per totum orbem diffusa libera prorsùs erat in suorum dispensatione beneficiorum, hęcque poterat pro suo arbitrio Clericis sibi bene visis ea conferre, sivè indigenis, sivè extraneis: & ità dogmate, & ità praxi tunc universalitèr observabatur. Operępretium est ergò, quod. si à tàm amplâ, & constanti libertate decidit, deciderit post Duodecimum Christi Sæculum. Contradictorum erit igitur probare, quomodò, & quibus Auctoribus Ecclesia potuerit hanc libertatem amittere, & quandonam de facto illam amiserit. Hoc probato rationibus, & documentis authenticis, & locum illum tangentibus, à quo autumant libertatem ipsam esse proscriptam, victores erunt canentque triumphum. Sed Deo dante deficient in cogitationibus suis: nec illis proderunt indulta Apostolica, si quæ allegabunt, pro locis particularibus exarata, quippè hæc de loco ad locum non extenduntur, neque de personâ, ad personam, etiam ex identitate, imò etiam ex majoritate rationis (*d*). Strictè namque, non latè intelligenda sunt (*e*), & uti gratię privatę non faciunt legem communem (*f*).

(d) *Fagnan. in cap. ne pro dilatione nu. 32. de pænit. l. 5. & in cap quoniam nu. 2 & cap. quod nonnullis n. 2. & 25. de privil. l. 5. Barbos. in c. Sane nu. 1. & 2. eod. titul.*

(e) *Felin. in c. postulasti nu. 9. de rescript. Sanch de matrim. l. 8. disp. 1. nu. 29 Barbos. in c. porro 7. de privil. l. 5 de Luca de Jurisd. discurs. 35. nu. 10. & de servit disc. 61 nu. 3.*

(f) *Cap. hinc. est. 16. qu. 1. cap non exemplo 16. qu. 2. Barbos. in cap. sane nu. 2. & 10. de privil. l. 5 & in c. Abbate 25. nu. 3. verb signif.*

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI XIII.

CAPUT XXXVI.

In quo ex Sacris Conciliis, habitis Sæculo Christi Decimotertio, *& præsertìm ex* Lateranensi IV. *ex* Turonensi, Vvestmonasteriensi, *& ex* Bituricensi, *necnon ex praxi servatâ in provisione* Patriarchatuum, Cardinalatuum, & Summi Pontificatus, *probatur Ecclesiæ libertas in admissione Clericorum extraneorum ad Ecclesiastica beneficia.*

SUMMARIUM.

1 *Concilium* Lateranense IV. *generale, anno* 1215. *quàm fuerit numerosum, ex Abbate Urspergensi, & quot Regum ei adfuerint Oratores.*

2 *Septuaginta canones, in hoc editos Concilio, Græci in eorum linguam transtulerunt, ipsos pro regulâ cum Latinis habituri.*

3 *Jubet Concilium eligi Præsulem intrà tres menses, aliàs electio devolvatur ad superiorem, qui eligat de ipsâ Ecclesiâ: & quando de alienâ?*

4 *Concilium, non præceptivè, sed consultivè suggerit, eligendum esse Clericum de gremio, cum eligi quoque possit extraneus.*

5 *In eodem Concilio Papa confirmavit electionem Episcopi Vigorniensis extraprovincialis, ad Archiepiscopatum Eboracensem.*

6 *Concilium* Turonense, *sivè ad* Castrum Guntherii, *decrevit, ne quis curam animarum sortiatur, nisi loci illius intelligat idioma.*

7 *Quià exceptio firmat regulam in contrarium; ad beneficia carentia curâ animarum non exigitur intelligentia idiomatis, ut exponit Rebuffus.*

8 *Papa dispensat super defectu intelligentiæ idiomatis, adeòque capaces reddit extraneos parochiarum: multò magìs beneficiorum simplicium.*

9 *Papæ inest potestas dispensandi, nedùm super inscitiâ idiomatis, sed etiam super quolibet alio defectu. Potestas enìm dispensativa est in Ecclesiâ.*

10 *In quâlibet juris dispositione excepta intelligitur potestas Papæ, ut in Concilio Londinensi hujus temporis cautum fuit.*

11 *Epi-*

11 *Episcopi quoque in pluribus rebus dispensare possunt, imò renuentibus ipsis dispensare, id facit interdùm Metropolitanus.*
12 *Cæteris paribus indigenæ præferendi sunt, sed cęterorum paritas non ab aliis, quàm à dispensatoribus beneficiorum judicanda est.*
13 Concilium Vvetmonasteriense *celebratum est in Angliâ à Stephano, cui ne fieret Archiepiscopus Cantuariæ, Rex obstabat.*
14 *In isto Concilio tractatum est de duabus præbendis, quas Papa petebat in singulis Cathedralibus. Quid ad hoc responderint Angli?*
15 *Angli non negarunt prębendas petitas, si in aliis regnis idipsum fieret. Tergiversarunt autem politicè, ne primi essent.*
16 *In urbe Bituricensi convocatis Galliæ Præsulibus, Legatus Papæ duas poposcit, ex quâlibet Cathedrali prębendas, cui Prędules obstitere, & cur?*
17 *Simon de Briâ (qui fuit posteà Martinus Papa IV.) cum esset Legatus in Galliâ, tenuit Concilium Bituricense, super electionibus Canonicis.*
18 *Textus præfati* Concilii Bituricensis *mandat liberè eligi ad beneficia personas idoneas*, undecunque *oriundę sint.*
19 *Sequitur textus ejusdem Concilii; quod non ità decrevisset, si jus humanum, vel divinum extraneos à beneficiis repelleret.*
20 *Non loquitur Concilium Bituricense de oriundis undecumque ex Galliâ, quià tunc exteri in Galliâ, & Galli extrà eam beneficia possidebant.*
21 *Nulla lex unquam fuit edita in Ecclesiâ, quę praeceptivè disponat, beneficia restringi ad aliquam nationem.*
22 *Ex decem, & octo Papis, qui sederunt Sęculo XIII. soli tres fuerunt Romani, ceteri extranei, & inter hos quinque ultramontani.*
23 *Duo ex dictis Papis fuerunt Ligures, & tres ex Regno Neapolitano, nimirum S. Cælestinus V. Gregorius IX. & Alexander IV.*
24 *Præfatos Pontifices non est credendum, quod nescierint, & scientes contempserint, suppositam culpam extraneitatis.*
25 *Varii Cardinales ab Innocentio III. Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IV. creati, extranei fuerunt ab urbe Româ.*
26 *Alii extranei Cardinales, ab aliis Papis eodem sæculo promoti, probant libertatem Ecclesiæ, muncrandi beneficiis extraneos.*
27 *Patriarchæ Antiocheni hujus ætatis, non solum Latini ritus, erant extranei, verum etiam alii ritus Gręci.*
28 *Sed & Boemundus Princeps Antiochiæ bis in pactum deduxit, de Patriarchis Antiochenis à Constantinopolitanâ Ecclesiâ mittendis.*
29 *Enumerantur alii Patriarchę Antiocheni Latini ritus extranationales, qui Sæculo XIII. illi Ecclesię pręfuerunt.*
30 *Recensentur nomina plurium Patriarcharum Ecclesię Hierosolymitanæ, tùm Latini, tùm Græci, qui erant extranei.*
31 *Series refertur Patriarcharum Constantinopolis hujus sęculi: Nicephorus Blemidas scripsit de processione Spiritus Sancti.*
32 *Alii nominantur Patriarchę Constantinopolis, & pręsertìm Joannes Bechus, fortis assertor fidei Catholicæ contrà Schismaticos.*
33 *Alii adduntur Constantinopolis Patriarchę, qui omnes hoc sæculo sedentes fuerunt XIII. & ex illis plures extranei.*
34 *Latini quoquè Patriarchę Constantinopolis fuerunt extranationales: magnę scissurę in electione illorum nascebantur.*
35 *Cum omnes hi Patriarchę extranationales essent, nullus tamèn de illorum extraneitate mussitavit, vel ipsam impugnavit.*
36 *Si Papatus, si Cardinalatus, si Patriarchatus capaces sint extranei; nunquid non capaces erunt beneficiorum minorum?*

1. Ta-

1. TAMETSI Ecclesia, Sæculo Christi Decimotertio, non multum frequens fuerit in Conciliis, aliqua nihilominus celebravit numero Patrum, & dignitate præclara: quippè quorum tria sunt Generalia, quædam Nationalia: & aliqua Provincialia, in diversis Christiani orbis partibus congregata (*a*). Verum ex illis primi ordinis fuit *Concilium Lateranense IV.* Romę, in Laterano celebratum anno Christi 1215. tempore Innocentii Papæ III. constans Episcopis 400. (*b*), vel 412. ut ait Abbas Urspergensis, hæc scribens: *Anno ab Incarnatione Verbi celebrata est sancta, & universalis Synodus Romæ, in Ecclesiâ Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, mense Novembri, præsidente Domino Innocentio Papâ Tertio, Pontificatus ejus anno 18., in quâ fuerunt Episcopi 412., intèr quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicèt Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus. Antiochenus autèm, gravi languore detentus, venire non potuit, sed misit prò se Vicarium Antheradensem Episcopum: Alexandrinus verò, sub Saracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens prò se Diaconum suum germanum. Primates autèm, & Metropolitani 71. Cæterum Abbates, & Priores, ultrà 800. Archiepiscoporum verò, & Episcoporum, Abbatum, & Priorum, & Capitulorum absentium, procuratorum, non fuit certus numerus comprehensus: Legatorum verò Regis Siciliæ, in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani, Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Hungariæ, Regis Jerosolymitani, Regis Cypri, Regis Aragoniæ, nec non & aliorum Principum, & Magnatum, Civitatum, aliorumque locorum, ingens fuit multitudo* (*c*).

2. In hoc Concilio septuaginta canones editi sunt, tantæ existimationis, & pretii, ut Græci, Synodo adstantes, eos in Græcam linguam transtulerint, ipsos prò normâ habituri, & prò regulâ uniformitèr, cum Latino Clero observandâ, de quibus Gabriel Cossartius ita loquitur; *Græca verò translatio, eâdem ætate facta, utriusque concordiam Ecclesiæ demonstrabit. Aderant siquidèm Concilio Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus Patriarchę: Miserunt Legatos suos Alexandrinus, & Antiochenus: ex iis Patriarchatibus Metropolitæ, aliique Episcopi multi convenerant, qui, ut secum decreta Concilii referrent, Græcam in linguam &c. translata sunt* (*d*). Alia plura de dignitate hujus Concilii Oecumenici, omnium, quæ unquam fuerunt in Europâ celeberrimi (*e*), pronuntiat Laurentius Surius: Ostendens illud verè fuisse universale; nec ejus fidem, actoritatem, ac dignitatem ullâ ex parte nutare, tum proptèr negotia religionis in eo summâ concordiâ intèr Latinæ, & Græcæ Ecclesiæ Præsules tractata; tùm proptèr ingentem Patrum multitudinem, qui ad eam Synodum confluxerunt (*f*). Juxtà calculum enim Binii fuerunt Patres numero 2212. (*g*).

3. Intèr canones autèm præfatos, unus est, qui sub his terminis est conceptus; *Statuimus, ut ultrà tres menses, Cathedralis, vel Regularis Ecclesia Prælato non vacet. Infrà quos, justo impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant eâ vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximè præesse dignoscitur, devolvatur. Is verò, ad quem devoluta fuerit potestas, Dominum habens præ oculis, non differat ultrà tres menses, cum Capituli sui consilio, & aliorum virorum prudentium, viduatam Ecclesiam de personâ idoneâ, ipsius quidèm Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illâ, canonicè ordinare, si canonicam voluerit effugere ultionem* (*h*). Præcipit ergò Concilium, ut Devolutarius, seù Metropolitanus, ad quem in casu præfato devoluta sit auctoritas eligendi, seligat aliquem de Ecclesiâ vacante, si adest idoneus, sin minùs, ad extraneum se convertat, & ab aliâ Ecclesiâ promovendum suscipiat: idest eligat indigenam (si esse de gremio idem hic esse dicatur, ac esse de gremio: cum tamèn interdum sit de gremio, etiàm qui secundum originem est extraneus) eligat, inquam, indigenam, non perceptivè, sed consultivè, seù de honestate: sivè indigenam eligat, non

(a) *Vid. Bin. Labbè Bail Coriolan. & alios, in Concil. sæc. 13.*

(b) *Bail. sum. Conc. to. 1 ad Concil. later. 4. in princ.*

(c) *Conrad. Ab. Ursperg. in Chron. ann. 1215.*

(d) *Cossart. to. 11. Conc f. 142.*

(e) *Genebrard. in Chron. l. 4 an. 1215.*

(f) *Surius in præfation. ad hoc Concil.*

(g) *Bin. in not. ad Conc. Later. 4. §. Undè*

(h) *Concil. Later. 4. c. 23.*

non absolutè, sed cęteribus paribus; in quo & nos convenimus cum Contradictoribus. At ex hoc nihil omninò detrahitur libertati Ecclesię, quin possit etiàm extraneum, prætermisso indigenâ, beneficio insignire: & si de facto ità faciat; electio sinè ambiguitate subsistit.

4. Rem in clarissimo statu ponit *Glossa ad Capit. nè prò defectu, de electione, & electi potestate*, quod ex canone, per nos hic ventilato, Concilli IV. Lateranensis est sumptum, & Juris communis corpori insertum. Asserit enim, quod Concilium (ubi Devolutario, seù Metropolitano præscribitur electio Prælati de vacante Ecclesiâ facienda) loquitur non præceptivè, sed consultivè, seù de congruo: neque Devolutario strictiorem legem apponit, quàm haberent primi electores, ab eligendi potestate cadentes: qui sicuti non nisi de congruo debebant Clericum de gremio ad Ecclesiam viduatam provehere; sic neque ad id tenetur Devolutarius. *Hic præcipitur*, inquit Glossa, *ut de eadem Ecclesiâ eligat. Sed nonnè ad Metropolitanum devoluitur idem jus, quod habuit Capitulum? Sed Capitulum potuit eligere undecumque vellet; supr. eod. cap. intèr Canonicos; &c. cùm nobis; & cap. in causis; ergò, & Metropolitanus? Dico quod, primò debet inquirere personas Ecclesiæ vacantis, & eligere de gremio ipsius Ecclesiæ, & illud debuit fieri per illa jura 61. dist. c. obitum & c. nullus, & 18. qu. 2. quam sit. Sed si hoc non fecerit, nihilominùs valebit electio: nàm multa fieri non debent, quæ facta tamèn tenent, 27. qu. 1. nuptiarum; & 27. dist. si vir. Et nusquàm invenies, quod proptèr hoc cassetur electio* (a). Igitùr Concilium hôc Generale, & solemnissimum, Latinis pariter, atque Græcis acceptum, & pręcipuorum Ecclesiæ Principum consensione satis celebre, noluit electionem Pręsulum ad solos Clericos de gremio Ecclesiæ viduę coarctare, seù ad solos indigenas ex necessitate restringere, sed tantùm eam velut rem de congruo proposuit, non verò de necessitate faciendam: docuit ergò, quod de rigore, etiàm extranei sunt beneficiorum capaces.

(a) *Glos. in cap. ne pro defectu V. ipsius 41. de election.*

5. Et quod Synodus illa juribus decrevit, factis quoq; pariformitèr comprobavit. Nàm in hoc Concilio actum est de beneficio Archiepiscopali Eboracensi ordinando, quod vacabat per obitum Galfridi Plantaginetæ, filii naturalis Henrici II. Regis Anglię, qui ex Ecclesiâ Lincolniensi provinciæ Ecclesiasticę Cantuariensis, in Chathedrâ Eboracensi fuerat collocatus (b). Canonici enim Eboracenses pręsentarunt Innocentio III. Papæ Simonem de Langetonâ, sed eum Pontifex abnuit approbare, jubens ipsius Canonicis, ut statim alium eligerent, sin minùs ipsemet Pontifex illi Ecclesiæ Præsulem auctoritate Apostolicâ præfecisset. Canonici ergò postularunt Vualterum de Grai, Episcopum Vvigorniensem, anteà Episcopum Conventrensem, seù Lichfeldensem, provinciæ præfatæ Ecclesiasticæ Cantuariensis (c), quem Papa confirmavit, & approbavit, ac pallio Archiepiscopali protinùs insignivit; isque à Concilio discedens, tamquàm Archiepiscopus Eborocensis in Angliam remeavit: nihil impugnante Concilio, Pontifice nihil impugnante illius extraneitatem, cum certè, vel à primâ, vel à secundâ, vel à tertiâ Ecclesiâ esset, nedùm extradiœcesanus, sed etiam respectivè extraprovincialis (d). Et ità non tàm jure, quàm facto, & Innocentius PP. III. & Concilium Lateranense IV, ab eo celebratum, cum immensâ Patrum illorum serie, ac numeroso choro Regiorum Oratorum, pro libertate Ecclesiæ, de quâ sermonem habemus, eloquentissimè perorarunt.

(b) *Vid. seriem Archiepiscopor. Eborac. n. 32.*

(c) *Vid seriem Episcopor. Conventrens. nu. 43. Episcopor. Wigorniens. nu. 39. Eborac. nu. 31.*

(d) *Vid. Matth. Paris. ann. 1213.*

6. Sextodecimo post anno, nempè Æra Christi 1231. habitum est *Concilium Turonense*, sivè Antistitum provinciæ Turonensis, ad *Castrum Guntherii*, tempore Gregorii Papæ IX., & Federici II. Imperatoris, in quo hujusmodi formatum est decretum: *ne quis instituatur in aliquâ Ecclesiâ, cui sit cura animarum annexa, nisi loci illius loquatur, & intelligat idioma. Si contrà præsumptum fuerit, & institutus privetur beneficio, & instituentes potestate instituendi careant illâ vice* (e). Æquitatis, & justitiæ plenus est iste canon, quià justum omninò est, ut parochi, cæterique, regimen animarum habentes, idioma subditorum intelligant, & ab iis vicissim intelligantur. Cum enim eorum sit ovile pascere, cui præsident; pasce-

(e) *Conc. Turon. seu ad Castr. Gunther. ann. 1231. n. 16.*

pascere autèm non possint, si neque intelligantur, neque intelligant; sequitur quod plusquam justè Concilium dictis Rectoribus animarum necessitatem indidit intellectionis idiomatis: in hocque Concilium ipsum coincidit cum Regulâ 20. Cancellariæ Apostolicæ, quę sic se habet; *Item voluit, quod si contingat, ipsum Papam alicui personę de parochiali Ecclesiâ providere, seù mandare provideri, vel gratiam expectativæ concedere; nisi dicta persona intelligat, & intelligibilitèr loqui sciat idioma loci, ubi hujusmodi Ecclesia consistit; provisio, seù mandatum, & gratia desupèr, quoad parochialem Ecclesiam, nullius sint roboris, vel momenti* (a).

(a) *Regul. Canc. num. 20.*

7. At quia Concilium, & Regula præfata, de solis Ecclesiis loquitur, seù beneficiis, regimine animarum præditis, hocque se habet per modum exceptionis, exceptio autem, ex notissimis, firmat regulam in contrarium (b), sequitur, quod ex vi hujus canonis, intelligentia idiomatis ad consequenda beneficia, regimine animarum carentia, non exigitur. Hancque illationem egregiè deducit Rebuffus ex allegatâ Regulâ Cancellariæ, sic dicens, *Quartò requiritur, illam Ecclesiam esse parochialem, ergò non haberet locum in præbendâ, & beneficio simplici, nec in dignitate non curatâ, quia in his non habent locum rationes hujus regulę* (c): rationes, inquam, quas paulò antè sic expresserat, *quia Curatus præfectus Ecclesiæ parochialis, tenetur audire confessiones suorum parochianorum, & illis pœnitentiam injungere prò qualitate peccati, C. omnis de pœnis. & remiss. & tenetur eos docere, ac prędicare C. inter de Off. ordin. & C. ecce. 95. dist., quæ præstare non posset ignorans illorum idioma* (d). Corruit ex his unum de præcipuis fundamentis Contradictorum, referentium debitum beneficia conferendi solis indigenis, obligationi, quam canones ingerunt beneficiario, intelligendi linguam loci, in quo erectum est beneficium, nàm præterquamquod etiam extranei aliquandò peritiâ idiomatis non carent, quo casu ratio Contradictorum non afficeret; certum est canones obligantes beneficiarios ad intelligentiam idiomatis, de solis beneficiarijs loqui, animarum curam habentibus, & sic quidquid sit, an in sensu Contradictorum, beneficia curata sint danda solis indigenis, seù linguæ peritiâ non carentibus; certè reliqua beneficia, vel merè simplicia, vel residentialia, sed à parochiali onere exempta, poterunt etiam extraneis, seù nescientibus idioma conferri.

(b) *L. quæsitum §. denique ff. de fund. instr. Decius in c. cum dicta n. 6. & 7. de confirm. util.*

(c) *Rebuff. prax. benef. reg. 20. glos. 2. n. 10.*

(d) *Rebuff. loc. citat. §. 1. vers. ratio.*

8. Accedit ad hęc auctoritas Papæ, qui valet supèr contentis in dictâ regulâ dispensare, hocque, licet in Regionibus, speciali privilegio suffultis, exclusivo extraneorum, locum non habeat, uti de Franciâ exemplificat idem Rebuffus; tamen ait in aliis locis, coæquali indulto carentibus, prout sunt provinciæ, quæ in Galliâ, *patriâ obedientiæ* vocantur, Pontificem esse solitum dispensare: *In patriâ obedientiæ, soles huic Regulæ Papâ derogare* (e). Si ergò defectus peritiæ idiomatis extraneos à beneficiis excludit, cum super eo Pontifex valeat dispensare; sequitur, quod possit etiam extraneis beneficia largiri: Et si id potest facere Papa, quoad inscitiam idiomatis loci, pro beneficiis curatis; multò fortiùs id facere poterit, seù dispensare pro beneficiis, animarum curâ carentibus, ut ad extraneos perveniant. Imò, si pro his ultimis beneficiis necessaria esset dispensatio, ut possent extraneis conferri; dicendum esset, quod prætèr Papam, idipsum etiam tacitè, vel expresè prçstare possint quicumque, vel ex privilegio Apostolico, vel à jure per Pontificem authorizato, habent ut ecclesiastica beneficia conferant, aut ad ea præsentent, in hoc enim isti vice, & loco Papę succedunt; qui si non directè dispensant, indirectè tamèn quidquam æquivalens facere videntur, quatenus Papa, concedens eis jus conferendi, vel alitèr elargiendi ecclesiastica beneficia, si ad hæc extraneis committenda, necessaria esset dispensatio, censeretur eisdem dare facultatem implicitè dispensandi, vel ipse Papa ex integro, per eorum organum dispensare: illi enim sunt velut organa, per quę potestas, & voluntas Summi Pontificis explicatur. (f)

(e) *Rebuff. loc. citat. Reg. 20. glos. 2. §. ideo.*

9. Et quidem *quod Papam*, nullus negabit, quod sit præditus facultate dispensandi, tum super defectu idiomatis, tum super quolibet alio defectu, vel canonico impedimento, quoties id existimet expedire. Nàm potestas dispensandi est proculdubiò

(f) *Gonzal. ad Reg. Cancel. 8. §. 1. proem. n. 9. 12. 20. Lotter. de re benef. l. 1. q. 6. n. 46. 47. de Luc. de benef. disc. 9. n. 13.*

dubiò in Ecclesiâ, de quâ ex proposito S. Bernardus (*a*), atque Goffridus Vindocinensis (*b*), propinqui, ac preclari doctrinâ, & pietate horum temporum Scriptores, præter Theologos, & Canonistas, passim de hujusmodi materiâ tractantes: Ista vero Ecclesiæ potestas dispensandi, si non residet in Papâ; in quo residebit? Si non exercetur à Papa; quis eam exercebit? Ostendimus, & ostendemus, quod exclusio Clericorum extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis non est neque de jure naturali, neque de jure divino, super quibus solis non potest Pontifex dispensa re (*c*). Imò & neque est de jure communi positivo: quippè nullibi in jure disponitur preceptivè de ipsâmet exclusione. Sed quatenus etiam per hypothesim hec esset de jure communi; quis nescit, quod Papæ integra, & totalis potestas competit super ipso jure communi (*d*)? Tum quia ab ipsomet Papâ suam auctoritatem suscipit jus commune (*e*); Tum quia jus commune Summi Pontificis potestatem nullis valet vinculis alligare (*f*).

10. Eo vel maximè, quod in quâcumque juris dispositione semper Pontificis Romanis facultas excepta intelligitur (*g*). Imò, & in Conciliis hâc ætate celebratis, & præsertim in *Londinensi*, quod generale dictum est à Rogerio (*h*), nimirum nationale, quatenus à Primate Angliæ, cum universis illius Regni Episcopis, est celebratum (*i*); expressis verbis eam legimus exceptam. Nàm in fine singulorum canonum adjecta specificatur hæc declaratio: *salvo in omnibus Sacrosanctę Romanæ Ecclesię honore, & privilegio* (*l*). Unusque ex illius Canonibus, nempè quartodecimus favet extraneis: quippè admittit, posse Priores de uno ad aliud beneficium priorale transferri, à quorum altrerutro ex necessitate erant extranei. Hinc fit, quod in jure communi Papa potest pro suo arbitrio dispensare (*m*), nedum cum causâ; sed etiam sine causæ cognitione (*n*), itàut stet pro causâ illius sola voluntas (*o*); cujus rationem non debet dare hominibus, sed soli Deo. Quapropter si, ut innuimus, exclusio extraneorum esset de jure communi; Summus Pontifex posset super eâ dispensare, & extraneos pro suo arbitrio beneficiis ecclesiasticis insignire, Multò ergò magìs dispensare valet super hâc rè, cum non sit de jure communi. Et sicubi est de jure particulari, fundato super aliquod privilegium Apostolicum; adhùc Pontifex super ea potest dispensare: quandoquidem in concessione privilegiorum, semper præservata censetur potestas dispensativa Pontificis, qui gratuita privilegia, etiam prorsùs tollere potest (*p*), Et qui semper majorem apud sè potestatem retinet, quàm aliis fuerit impertitus (*q*).

11. Quoad *Episcopos* quoquè, quod in pluribus rebus à jure statutis valeant dispensare, certò certius est apud Doctores (*r*). Imò in aliquo casu, si renuant dispensare, justaque concurrat ratio dispensationem exposcens; hanc poterit Metropolitanus veluti suppletivè interponere (*s*). Et in dividuo potestatis episcopalis dispensandi cum extraneis ad ecclesiastica beneficia, est textus rutilans in jure, ab Honorio Papa III. editus, hoc ipso decimotertio sæculo, quod excurrimus, in epistolâ, ad Regiensem Episcopum directâ, in quâ sic ait: *Te nobis proponente didicimus, quod quidam Prelati Ecclesiarum tue jurisdictionis, in Ecclesiis sibi commissis, sine conscientiâ tuâ, clericos de alienis episcopatibus instituere non verentur. Attendentes igitur, id eis nullâ ratione licere, cum sit honestati contrarium, & à Sanctorum Patrum institutionibus alienum &c. Inquisitioni tuæ talitèr respondemus, quod tibi licet eos exindè removere, nisi aliquos ex dispensatione, in eisdem Ecclesiis duxeris dimittendos* (*t*).

12. En quomodo provectio Clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia, non est contra jus divinum, neque naturale, neque humanum, sed solum ad summum *contrà honestatem*, quæ dictat, cæteris paribus, indigenas esse extraneis præferendos, Verum ista cæterorum paritas, neque à populo, neque à Clero, neque à Laicis cujuscumque ordinis, quantumvis sibi videantur doctrinâ, & potestate præstantes, definienda est, vel judicanda, sed ab eo solo, ad quem spectat de vacantibus beneficiis disponere: præterquamquod nedum Summus Pontifex, sed etiam quilibet Episcopus, per textum juris expressum, potest super ipsâ honestate dispen-

(a) *S. Bern. to. 1. tr. de prec. & dispens. c. 4 & seq.*
(b) *Goffrid. Vindoc. Opusc. 5.*
(c) *Barbos. Jur. Eccl. univers. l. 1. c. 2. nu 66. & 120. 122. Fagnan. in c. Henricus n. 30. de Cler. pugn. in Duel. l. 5.*
(d) *Cap. per venerabilem, qui fil. sint legit. Barbos. loc. cit n. 95 Fagnan. in c. nimis nu. 15 de fil. presbyt. l. 1.*
(e) *Cap significasti 4 & ibi glos. V. auctoritatem de election.*
(f) *Cap. innotuit 20 de elect.*
(g) *Cap significasti 4 & ibi glos. V. excipiatur de election. Paschal. 2. epist. 6.*
(h) *Roger. rer. Anglican.*
(i) *Raynald. an. 1102. num. 16. & 17.*
(l) *Conc. Londin. ann. 1200. c. 1. & seq.*
(m) *S. Thom. Quodlib. 4 art. 13. Sayr. Clau. Reg. l. 3. c 10. n. 6. Barbos. l cit n. 95. 128.*
(n) *Fagnan. in c. cum ad Monasterium n. 78. de Stat. Mon. l. 3. Barbos. de off. Episc. alleg. 33. nu. 6.*
(o) *Fagnan. in c. quia in tantum n. 15. de preb. lib. 3.*
(p) *L. qui fundum C. de omn. agr. desert. Felin. in c quæ in Ecclesiarum n 61 de Constit. Barbos. jur. Eccl univ. l. 1. c. 2 n. 116.*
(q) *C. dudum c. quamvis de præben. DD. ap. Barbos. loc. cit. n. 129.*
(r) *Barbos. de off & pot. Episc. p. 2 alleg. 33 34. 35. 37. 38. Fagnan. plur. in loc. de quib. vide in suo Indice V. Episcop. quod dispensat.*
(s) *Barbos. de offic. Episc. p. 1. tit. 4. n. 24.*
(t) *Cap. te nobis 4. de Cler. peregr.*

dispensare, & Clericos extraneos, ea non obstante, ad beneficia sacra provehere, sicque vel per viam sibi insitæ potestatis, vel per viam facultatis dispensativę, si verè dispensatio necessaria esset, hoc unum evidens est, quod Ecclesia, totali, & integrâ libertate potitur admittendi Clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia. Sed ad iter, à quo defleximus occasionalitèr, revertamur: & Concilia, quæ sęculo decimotertio, habita sunt, perpendamus.

13. Celeberrimum est *Concilium Vvestmonasteriense*, in Angliâ celebratum anno 1226. per Stephanum Archiepiscopum Cantuariensem (*a*). Hic est *Stephanus Lanthonus*, qui tametsi ortu Anglus, & monachus Dorovernensis, Cancellarii, tamèn Accademiæ Parisiensis munere functus est, & in hac ipsâ Urbe canonicale beneficium Ecclesiæ S. Marię est adeptus (*b*). Successivè ab Innocentio Papâ III. Cardinalatum S. Grysogoni in Romanâ Curiâ promovit. Mortuo autèm Huberto Sarisberiensi, qui Cantuariensi Ecclesiæ præerat; & Joanne Rege Angliæ satagente, ut ad illam sedem transferretur Joannes Grap Episcopus Norvicensis, cui opponebatur quidam Reginaldus; Pontifex utroque reprobato, fecit ut idem Stephanus in Archipræsulem eligeretur (*c*). Joannes verò Rex, id ægrè ferens, omnem lapidem movit (*d*), nè Stephanus posset illam cathedram adipisci. Innocentius tamèn illum Viterbii propriis manibus consecravit, & episcopali pallio exornatum, ad suam sedem transmisit: quam nihilominus, nonnisi post plures annos, Rege minis, ac censuris territo, consecutus est (*e*), tenuitque per annos viginti duos (*f*), doctrinâ summopere florens, quâ plurimis voluminibus nomen suum illustravit, intèr pręclaros Scriptores Anglię computatus (*g*).

(a) Binius, Bail. & alii in Conc. Vvestmonast. ann. 1226.

(b) Ciac. Vita Innoc. III. inter hujus Cardinales nu. 24.

(c) Raynal ann. 1207 16. Ciac. loc. cit. Vid. seriem Archiepiscopor. Cantuar. n. 41. 42.

(d) Raynald. loc. cit. nu. 17. Victorel. addit. ad Ciac. loc. cit.

(e) Raynald. an. 1208 26. 1211. 10 & 1213. 73.

(f) Series Archiepiscopor. Cantuar. loc. cit.

(g) Jo. Piseus de illust. Angl. script. ad ann. 1228. Ciacon. & Victorel. loc. cit.

14. Dum ergo Stephanus Cantuariensi Metropolitanæ præesset, præfatam Synodum, apud Vvestmonasterium convocavit, in quâ de his, quæ sequuntur tractavit, sic summatim à Matthęo Parisio narratis. *Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus, vocatis ad Concilium cunctis, apud Vvestmonasterium, post Pascha, quos negotium tangebat; recitari fecit literas supradictas* (Honorii Papæ III.) *de beneficiis Romanæ Ecclesiæ conferendis, coram Rege, & Prælatis Angliæ, qui ad ejus vocationem plenè convenerant &c. Tunc Rex* (Henricus III.) *convocatis seorsum Prælatis, & quibusdam Magnatibus, hoc Archiepiscopo dedit responsum: Ista, quæ suadet nobis Dominus Papa, universam Christianitatis latitudinem respiciunt: & quia nos, quasi in extremis orbis constituti sumus partibus; cum viderimus qualitèr cætera Regna erga tales se habuerint exactiones; Dominus Papa, cum ab aliis Regnis habuerimus exemplum, in obsequiis nos inveniet promptiores. Et his dictis concessa est omnibus licentia recedendi* (*h*).

(h) Matth. Paris. ann. 1226.

15. Ponderamus, quod Rex, & Prælati Anglicani, Pontificiæ petitioni non responderunt, se non posse illi acquiescere, eo quod jura divinum, naturale, & humanum, à Contradictoribus decantata, Clericis extraneis obsisterent, ne valerent ecclesiastica beneficia adipisci; sed è contra, se promptos esse dixerunt, binas postulatas prębendas Romanæ Curię, sivè illius Pręlatis, concedere, quoties idipsum alia quoque Regna complerent. Agnovit ergo Rex, agnoverunt Patres, totum agnovit Vvestmonasteriensem Concilium, jura præfata extraneis non resistere. Cum præter alia, & ipse Stephanus, Concilii convocator, Canonicatum Parisiis tenuisset, & adhuc Cardinalatum in Romanâ Ecclesiâ retineret, à quibus erat extraneus: ingenuèque fassi sunt, posse in quolibet regno provehi extraneos ad beneficia: non id autèm fieri posset, nec potuissent Angli id permittere, si divinum, naturale, & humanum jus Ecclesiasticum id vetassent: quandoquidem in nullo istorum dispendi vim habebant, neque Rex, neque Magnates Anglicani. Sola ergo politica ratio votis Pontificiis obstaculum interposuit, duplici excitata motivo; primò, quod Angli nolebant esse primi in hoc assensu præstando: tergiversabant propterea, aliorum exempla pręstolantes. Secundò quod optimè sciebant, anno pręterlapso, comparem postulationem fuisse à Gallis constantissimè refutatam.

16. Etenim anno 1225. Legatus Pontificius Præsules Gallicanos in Bituricensi Urbe

Urbe vocavit, ab eisque petiit, ex qualibet Ecclesiâ Cathedrali Galliæ duas prębendas destinari, Romanæ Curiæ applicandas, cui petitioni Pręsules totis viribus obstiterunt (*a*), altè ejulantes, se nunquàm adhęsuros, Regemque, ac omnes Principes paratos esse, usque ad sanguinis effusionem resistere, ac decertare; adeoque interpellantes Legatum, ut ab hâc postulatione desisteret (*b*). Ratio autèm tam constantis eorum renitentię, non fuit ulla persuasio, quod Clericis extraneis interdictus esset accessus ad ecclesiastica beneficia, cum optimè scirent id nullâ lege pręceptivè disponi, eodemque ipso tempore, & extraneos in Galliâ, & Gallos extrà Franciam, Romę, Constantinopoli, Hierosolymis, & alibi beneficia sacra obtinere: sed quia agebatur de Canonicatibus, & prębendis Cathedralium residentialibus (non verò de beneficiis merè simplicibus) pręvidebantque, primò, quod si hę darentur Clericis Romanę Curię; illi ad residendum non sè facilè contulissent, carerentque Ecclesię ambobus illis ministris. Secundò, quod prębendę illę semper, vel ferè semper, vacassent in Romanâ Curiâ, nec amplius Episcopi, vel Capitula, de illis conferendis se potuissent ingerere. Tertiò, metuebant nè processu temporis, ex collativis fierent non collativę, & de prębendis choralibus se verterent in annuas exactiones, à Pontificiâ Camerâ percipiendas. Proptèr has ergò, similesvè rationes, Galli fortissimè postulationi Pontificię restiterunt.

(a) *Concil. Bituric. ann.* 1225. *Baul. to.* 2. *f.* 444.

(b) *Thomassin. Vet. & nov. Eccl. discipl. p.* 2. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 7.

17. Nec certè res alitèr esse potuit, si perpendantur ea, quę favore extraneorum, in alio Concilio Bituricensi, hoc eodem est sęculo constitutum. Nam anno 1276. Romanâ Sede vacante, Simon de Briâ Campanus, diœcesis, & provincię ecclesiasticę Senonensis, anteà Canonicus, ac Thesaurarius D. Martini, diœcesis, ac provinciæ Ecclesiasticę Turonensis, posteàque Cardinalis S. Cęcilię, ac demum Summus Pontifex, Martinus nomine IV. cum adhùc Legati munus obiret in Galliâ, à Gregorio Papâ X. susceptum, & sub aliis quoque Pontificibus continuatum (*c*); *Concilium Bituricense* celebravit (*d*), in quo adversus malitiam eorum, qui electiones canonicas promovendorum ad Episcopalia, Prioralia, & Abbatialia, vel similis speciei beneficia, turbabant, impressiones faciebant, seditiones, conspirationesve movebant, vel alitèr quomodolibet impediebant, nè ipsę electiones liberè exercerentur, hæc quę sequuntur decrevit, & Auctores illarum turbationum, pręter aliàs pœnas, etiàm diri anathematis vinculis alligavit.

(c) *Ciacon. in Urban. IV. n.* 10. *& in Martin. IV.*

(d) *Concil. Bitur. an.* 1226. *Bail. to.* 2. *f.* 390.

18. *Quoniam*, inquit, *novis morbis nova convenerit antidota pręparari, nè morbus, eum perniciosiùs obrepat, ex sui contagione trahatur à posteris in exemplum; sacri provisione Concilii duximus statuendum, quod quicumque de cætero per seditiosam conspirationem, vel conventionem, habitam simul cum aliis, quacumque firmitate vallatam, impedimentum latens, vel patens pręstiterit, quominus Ecclesiis sęcularibus, vel regularibus, dignitatibus, personatibus, aut administrationibus quibuslibet, per illos, quos locorum ipsorum, vel dignitatum, seu administrationum, per viam electionis, seu postulationis spectat provisio, eisdem locis dignitatibus, personatibus, administrationibus, de personis idoneis, undecumque extiterint oriundę, & aliàs liberè per electionem, aut postulationem canonicam valeat provideri; incurrat excommunicationis sententiam, quam in ipsos proferimus ipsofacto. Et si Clerici, vel regulares extiterint, nos privantes eosdem ecclesiasticis beneficiis, dignitatibus, vel administrationibus, seu personatibus, si quos eos contigerit obtinere; decernimus fore inhabiles, & indignos ad quęvis beneficia, administrationes, & honores ecclesiasticos ulteriùs assequendum.*

19. *Si verò Laici sint, pręter dictam excommunicationis sententiam, ipsorum familię interdicto sint ecclesiastico subjectę, nullaque eorum posteritas, usque ad quartam inclusivè progeniem, si sęcularis fuerit, prelaturam, dignitatem, personatum, prębendam, seu aliud quodcumque beneficium ecclesiasticum; aut si regularis extiterit, administrationem quamlibet regularem, in civitate, vel diœcesi, in quâ excessum hujusmodi admitti contigerit, in perpetuum valeat obtinere. Illi autèm, qui prædicti facinoris terminis non contenti, populum, aut turbam, potentesque quoslibet concita-*

citaverint, ut in dicto facinore opem ferant, quomodocumque datâ operâ, suggestione, vel consilio, populus, turba, aut cum armis, aut sine, ad hoc convenerit, pænis similibus sint subjecti. Hæc Concilium (*a*). Notentur verba illa: *Undecumque extiterint oriundæ*, non clanculum, nec in angulo parvi alicujus tugurii, exposita, sed palam, in propatulo, in Concilio nationali, coram cunctis, vel pœne cunctis, totius Galliæ Prelatis, doctrinâ, pietate, ac prudentiâ celeberrimis pronunciata, inter quos non est supponendum, nullum fuisse, qui sciret, & scientem, qui non liberè vocem extolleret, clamaretque, electionem, non ex *undecumque oriundis*, sed de solis esse indigenis celebrandam, si divinum, vel naturale, vel humanum jus extraneos arcerent ab ecclesiasticis beneficiis.

(a) Concil. Bituric. ann. 1276. ubi supr.

20. Si dicatur, Concilium loqui de oriundis undecumque, sed intrà Galliam; respondemus, hoc non supponendum esse à Contradictoribus, sed probandum: alioquin, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus (*b*): Ubi lex generalitèr loquitur, non tamquàm limitatè loquens est reputanda; nec voluisse præsumitur id, quod facilè potuisset exprimere, & non expressit (*c*). Præsertim cum hoc sæculo currente Clerici extranei beneficia possiderent in Galliâ, uti paulò suprà exemplo Stephani Cantuariensis, Canonici apud Lutetiam ostendimus (*d*), & de Philippo Sebaudo constat, qui circà ea tempora, erat Archiepiscopus Lugdunensis (*e*), ac de aliis, Galli quoque tunc apud aliàs nationes idipsum faciebant, præsertim Hierosolymis, ubi Jacobus Pantaleo Tricassinus paulò antè fuerat Patriarcha (*f*): Romæ, ubi permulti purpurâ Cardinalitiâ fulgebant (*g*); In Angliâ, ubi Ancherus Trecensis erat Archidiaconus Londinensis, Guillelmus Blesensis, paulò antè fuerat Episcopus Lincolnensis, & Philippus Pictaviensis Episcopatu Dunelmensi potitus est, ac alii alibi (*h*). Quarè palmaritèr innotescit, quod Concilium Bituricense, non de oriundis undecumque intrà Galliam, sed de *oriundis undecumque* per totum orbem locutus est, dummodo essent *personæ idoneæ*.

(b) L. non distinguemus ff de recept. arbitr. l. Præses ff. de off. præsid. cap. solitæ de major. & obed. c. quia circa 22. de privil. &c. Barbos. Axiom 136. 4.

(c) Cap. ad audientiã 2. de Decim c. 2 de transac. l. un. § sin autem &c. C. de Cadur. tollen. Barbos. loc. cit. n. 5. 6.

(d) Vid. hic supr. nu. 13.

(e) Ciacon. in Urban. Pap. IV.

(f) Idem in Martin. IV. nu. 1. 2. 3. 4. 5 &c.

(g) Vid. seriem Archiep. Lugdun. nu 84.

(h) Ciac. in Urban. IV n 5. Vid. seriem Episcopor. Lincolnen. ad ann. 1201. & Dunelmens. nu. 33.

21. Nec aliam capit interpretationem præsens hæc sanctio Conciliaris; quià nullus in toto juris Corpore, neque in Conciliis, neque in aliquibus ecclesiasticis definitionibus, legitur canon, provisiones beneficiorum, generali lege ad unam restringens nationem, sed si qui sunt canones huc facientes; limitant electionem (consultivè tamen) ad Ecclesias, & loca peculiaria, non ad Nationes, & Regna: Et ità non potest intelligi Concilium Bituricense, quod jubendo, ut electio fieret liberè *de personis idoneis undecumque extiterint oriundæ*, significaverit oriundos undecumque de Natione, vel Regno Gallico, si nec id expressit: nec ullus canon unquam fuit in Ecclesiâ, similè quid pro aliquâ Natione, vel Regno, generali lege decernens. Sed jam satis de Conciliis sæculi decimi tertii: ad alia transeamus; & quià non est facilè documenta multiplicia congerere, de minutioribus beneficiis eloquentia; illa proferamus in medium, quæ de altioribus agunt, quippè à majori ad minus, in hoc rerum genere, prout pluries advertimus, est validissimum argumentum (*i*). Si enim licuisse probamus hoc tempore beneficia conferre Patriarchalia, Cardinalitia, & ipsum Supremum Pontificale; proculdubiò satis etiam probamus, liberè, & licitè potuisse quoque conferri beneficia ordinis inferioris.

(i) Jura, & DD. apud Barbos. tr. var. Loc. 67. à nu. 1. ad 5.

22. Et quidem hoc ipso currente Sæculo Decimotertio, decem & octo Pontifices in Divi Petri Cathedrâ consederunt, ex quibus tres soli fuerunt *Romani*, nempè Honorius III., Nicolaus III., & Honorius IV. cæteri fuerunt à Romanâ urbe prorsùs extranei, extraprovinciales, & respectivè extranationales: unus *Burgundus*, nempè frater Petrus de Tarantasiâ, ordinis Prædicatorum, Innocentius V. nuncupatus Archiepiscopus Lugdunensis, & Cardinalis Ostiensis. Alter *Lusitanus*, nempè Joannes XX., anteà dictus Joannes Petrus Ulyssiponensis, Cardinalis Episcopus Tusculanus. Tres Galli videlicèt Urbanus IV., anteà Jacobus Pantaleo Trecensis, Canonicus Tricassinus, Archidiaconus Laudunensis, Episcopus Virdunensis, & Patriarcha Hierosolymitanus. Clemens IV. de S. Ægidio, Narbonensis Diœcesis, anteà Guido Grossus, Archidiaconus Podiensis, Episcopus

Ani-

Aniciensis, Archiepiscopus Narbonensis, & Cardinalis Episcopus Sabinensis. Martinus IV. Campanus in Galliâ, diœcesis Senonensis, anteà Simon de Briâ, Canonicus, ac Thesaurarius Ecclesiæ Turonensis, & Cardinalis S. Cæciliæ (*a*).

23. Paritèr duo *Ligures* fuerunt, nimirum Innocentius IV, anteà Sinibaldus de Flisco Genuensis, Canonicus Ecclesiæ Parmensis, & Cardinalis S. Laurentii in Luciná. Necnon Hadrianus V, anteà Ottobonus de Flisco, ipsius Innocentii IV. nepos, Archidiaconus Cantuariensis, & Cardinalis Diaconus S. Hadriani. Duo fuerunt *Insubres*, nempè Cælestinus IV. anteà Gaufridus de Castilione Mediolanensis, Cardinalis Episcopus Sabinensis, & Gregorius X. Placentinus, anteà Theobaldus Vicecomes, Archidiaconus Leodiensis, in Syriâ degens. Tres *è statu Ecclesiastico* prodierunt, nempè Lotharius de Comitibus Signiæ Anagninus, Cardinalis Diaconus SS. Sergii, & Bacchi, Bonifacius VIII. itidem Anagninus, anteà Benedictus Cajetanus, Cardinalis Presbyter S. Martini in Montibus. Et Nicolaus IV. Asculanus, anteà fr. Hieronymus de Asculo, Generalis Ordinis Minorum, & posteà Cardinalis Episcopus Prænestinus. Demùm tres alii in *Regno Neapolis* nati sunt, nempè S. Cælestinus V. anteà Petrus de Morone, Æserniæ in Samnitibus natus, monachus, & Abbas S. Mariæ de Faifelis diœcesis Beneventanæ, demumque Prior Eremi Majellæ apud Sulmonam. Gregorius IX. anteà Hugolinus de Comitibus Signiæ, ortus Capuæ, Cardinalis Episcopus Ostiensis. Et Alexander IV. anteà Raynaldus de iisdem Comitibus Signiæ, natus Sessæ in Campaniâ, Cardinalis Episcopus Ostiensis (*b*).

24. Ex his Summis Pontificibus nemo nescit quantâ morum sanctitate floruerint Cælestinus V. Innocentius paritèr V. Gregorius X. & Clemens IV. Omnibus quoque notum est, quantâ claruerint doctrinâ inter cæteros, Innocentii III. IV. & V. Gregorius X. & Bonifacius VIII. Cæteri, & moribus præstantes, & literarum scientiâ præclari, & in rebus agendis experti, omnes tandem Pontifices hujus Sæculi Decimitertii variis dotibus claruerunt. Quarè supponendum non est, quod ignorarent quid jus divinum, quid naturale, quid jura humana præscribant: & quod id scientes, parvipenderint, conculcaverint, nihilifecerint cuncta jura; & varias in diversis locis præbendas, & beneficia Canonicalia, Archidiaconalia, Abbatialia, Prioralia, Episcopalia, Patriarchalia, Papale demùm suscipiendo, quantumvis indè essent extranei; peccaverint, leges divinam, naturalem, & humanam prævaricati sint: in eâque transgressione perseverantes usque ad mortem, in Inferno demersi, perpetuas ibi damnatorum pœnas patiantur, quod suspicari, nedùm supponere; non est sapere, sed delirare.

25. In Cardinalatibus quoquè Romanæ Ecclesiæ suscipiendis, quos non semèl ostendimus esse ecclesiastica beneficia (*c*), magnus fuit hoc ipso Sæculo Decimotertio extraneorum accessus. Nàm sub *Innocentio III.* Cardinalitiis fuerunt insignibus decorati, Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus Germanus, Stephanus Archiepiscopus Cantuariensis Anglus, Rodulphus Archidiaconus Arelatensis Gallus, Petrus Duacensis Belga, Robertus itidem Anglus, Petrus Amalphitanus, Jacobus Vercellensis, Petrus Beneventanus, & alii (*d*). *Honorius IV.* purpurâ exornavit Ægidium de Torres Hispanum, Robertum Samercote Anglum, Bartholomæum Gallum, Oliverium Germanum, Petrum de Capuâ Campanum, & alios (*e*). *Gregorii IX.* Cardinales fuerunt, S. Raymundus Nonnatus Hispanus, Jacobus de Vitriaco diœcesis Parisiensis, Joannes Ambianensis, Simon de Soliaco Archiepiscopus Bituricensis, Gaufredus de Castilione Mediolanensis, Sinibaldus de Flisco Genuensis, Jacobus Pecoraria Papiensis, Otho Montis ferrati, & alii (*f*). *Innocentium IV.* promotorem habuerunt Cardinales Bernardus Caracciolus Neapolitanus, Joannes de Toleto Anglus, Stephanus Strigoniensis Hungarus, Hugo de S. Caro, & Joannes Franciogia Burgundi, Petrus de Collemedio, Otho de Castro, & Petrus de Barro Galli, ac alii (*g*).

26. Similitèr ab *Urbano IV.* rubrum obtinuere pileum Henricus de Segusiâ Archie-

(a) *Vide Ciacon. Panvin. Bzn. Platin. Joannet, & alios in his Pontific.*

(b) *Vide Ciacon. Bzv. Platin. Panvin. Joannet, & alios in his Pontificibus.*

(c) *Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. num. 52. Mart. de jurisd. p. 2. c. 39. nu. 2. Layman. lib. 4. tr. 2. c. 4. nu. 4.*

(d) *Vid. Ciacon. & Panvin. in Innoc. III.*

(e) *Iidem in Honor. IV.*

(f) *Iidem in Greg. IX.*

(g) *Iidem in Innoc. IV.*

Archiepiſcopus Ebedunenſis, Cuido Groſſus Archiepiſcopus Narbonenſis, Ancherus Pantaleo Trecenſis, Guillelmus de Brajo Senonenſis, & alii (*a*). *Gregorio X.* muricem debuerunt Joannes Petrus Luſitanus, Petrus de Tarantaſiâ Burgundus, & alii (*b*). *Martinus IV.* intèr plures Cardinales creavit Hugonem de Eveshan Anglum, Gaufridum de Barbo Burgundum, Bernardum de Languiſſello Archiepiſcopum Arelatenſem, Gervaſium Giancoletum Cenomanenſem, & alios (*c*). *Cæleſtini V.* Cardinales fuiſſe leguntur Landulphus Brancatius Neapolitanus, Petrus Aquilanus Archiepiſcopus Beneventanus, Berardus de Bloco Archiepiſcopus Lugdunenſis, Simon Archiepiſcopus Bituricenſis, Joannes Ambianenſis, Guillelmus Maſſilienſis, Robertus Ciſtercienſis, Simon Cluniacenſis, Thomas Aprutinus, & alii (*d*). Hi omnes abſque dubio à beneficiis, præbendis, & titulis Cardinalitiis, quos nacti ſunt, erant extranei, extraprovinciales, & reſpectivè extranationales. Nunquid autem omnes erunt flammis infernalibus deſtinati, quià conculcatis ſuppoſitis juribus divino, naturali, & humano, beneficia præfata adepti ſunt in locis, à quibus erant extranei? Abſit. Imò eorum promotio patefacit, quod illâ ætate liberum erat Eccleſiæ provehere Clericos quoquè extraneos ad eccleſiaſtica beneficia, quemadmodùm ipſi Cardinalitiis ſunt inſignibus decorati.

27. Ad Patriarchas gradum faciamus. Et quoad *Antiochenum*, recolendum eſt, quod Latini, captâ urbe Antiochiæ, in eo ſenſu fuerunt, ut Athanaſius Patriarcha Græcus, ibidem reſidens, ei Eccleſiæ, ut anteà præſideret; *ſed vix evoluto biennio, videns ipſe, quod non ſatis utilitèr præeſſet Græcus Latinis, urbe cedens, Conſtantinopolim abiit, poſt cujus diſceſſum convenientes ejuſdem Civitatis Clerus, & populus ſibi præfecerunt Patriarcham* (*e*), nempè *Bernardum* (*f*), cui poſt 36. annos ſucceſſit *Rodulfus I.* Mamiſtanus Cenomanenſis (*g*): Huicque ſubrogatus eſt *Aimericus* Lemovicenſis (*h*), & alii ſucceſſivè, qui omnes uti Occidentales, & Latini, erant indè extranationales; ac prorsùs extranei. Verum non ſoli Latini, ſed etiam Græci, qui Antiochenis infulis, vel rè, vel ſolo titulo per ea tempora præfulſerunt, erant extranei: quippè Græci ad illam ſedem è Conſtantinopoli mittebantur, prout patet exemplo Theodori Balſamonis, qui cum civis eſſet Byzantii, & Chartularius magnæ Eccleſiæ Conſtantinopoleos; Patriarchali tamen honore apud Antiochiam potitus eſt (*i*). Conſtantinopolitani autem tamquam Thraces, & Europæi, & Antiochiæ, quæ ſita eſt in Syriâ regione Aſiæ; proculdubiò erant, nedùm patriâ, & provinciâ, ſed regione etiam extranei.

28. Augetque vim hujus ratiocinii pactio intèr Latinum Principem Antiochenum, & Manuelem Comnenum Græcorum Imperatorem inita, & à Cinnamo relata, *Ut Byzantio, prout anteà fieri conſueverat, Antiochiam Pontifex mitteretur* (*l*). Ità Græci Cæſares, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, Antiochenam Eccleſiam jugo enormis ſubjectionis ſubſtraverant: cui nè unquam ſubeſſet, jam dudùm anteà Simplicius Papa promotioni Stephani in Antiochenum Præſulem, Conſtantinopoli factæ ab Acatio Patriarchâ Conſtantinopolitano, ad votum Zenonis Imperatoris annuerat, eâ expreſſâ lege, ut inpoſterum id ampliùs non fieret, quod tunc magna exigente neceſſitate permiſſum fuerat exerceri (*m*). Prænotata quoquè pactio, à primo Principe Antiocheno Boemundo dudum anteà ſancita fuerat, in pace cum Alexio Comneno Cæſare initâ, cujus hæc eſt una conditio: *Promitto non Antiochiæ Patriarcham ex noſtro genere, ſed eum, quem veſtra Majeſtas in eam dignitatem promoverit, delectum è numero Alumnorum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ* (*n*). Undè non eſt in dubium revocandum, quod Patriarchæ Antiocheni Græci, ſi qui per hoc ſæculum decimum tertium illi Eccleſiæ præfuerunt, ex clero Conſtantinopolitano illùc directi fuerint, adeòque beneficium Patriarchale tenuerint, quantumvis indè, & provinciâ, & natione eſſent extranei. Ad hæc Boemundus Princeps Antiochiæ, ac frater Guillelmi Principis, ſivè Ducis Regni Neapolitani, paciſcens, tàm cum Alexio, quàm cum Manuele Comnenis, Principibus Græcorum, de Patriarchâ Antiocheno è Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ ſuſcipiendo, ſatis aperuit

(a) *Iidem in Urban. IV.*

(b) *Iidem in Gregor. X.*

(c) *Iidem in Martin. IV.*

(d) *Iidem in Cæleſtin. V.*

(e) *Vuilleh. Tyr. lib. 6. c. 23.*

(f) *Baron. an. 1099. nu. 43.*

(g) *Baron. an. 1136. nu. 26 & c.*

(h) *Baron. an. 1143. 14.*

(i) *Baron. an. 1179. nu. 2. an. 1187 num. 11. & an. 1191. nu. 50.*

(l) *Cinnam l. 4. c. 15. 20.*

(m) *Baron. an. 479. nu. 4 & c.*

(n) *Anna Comnen. in Alexiad. l. 13.*

ruit sè, ſuamque nationem Neapolitanam, tamquam rem certam haberi, quod extraneitas nihil obſiſtat, pro beneficiis eccleſiaſticis conſequendis.

29. De Latinis Patriarchis Antiochiæ hujus temporis paucorum nomina ſuperſunt. *Rodulphum II.* illi Eccleſiæ præfuiſſe initio ſæculi præſentis memorat Genebrardus (*a*). Legimus alibi Innocentium Papam III. cogitaſſe ipſi Eccleſiæ vacuæ præficere *Petrum Capuanum* (*b*), qui erat patriâ Amalphitanus: verum conceptum illum conſilium non implevit, ſed Petrum Cardinalem creavit (*c*), & Patriarchatum Antiochenum *Raynerio* contulit Eccleſię Romanæ Vicecancellario, quem tres Canonici Eccleſiæ Antiochenæ in Præſulem poſtularunt (*d*). Hunc ſequutus eſt *Elias*, qui ſedit uſque ad annum 1247. poſt eum autem quinam ex latinis, Antiochenis infulis ornatus fulſerit circa hæc tempora, non eſt facile definire (*e*). Concilio tamen generali Lugdunenſi II. interfuiſſe invenitur *Opizio*, ſivè Opixio Patriarcha Antiochenus (*f*), cujus quænam fuerit natio, patria, vel provincia, nobis eſt incompertum. Sed cum hi fuerint Latini, & Occidentales, & Raynerius, ſivè Raymerius, officium Vicecancellarii Romanæ Eccleſiæ præventivè exerceret; id ſatis indicat, omnes hos (prout & Græcos anteà memoratos) fuiſſe ab Antiochenâ Eccleſiâ origine prorsùs extraneos.

30. Sedis *Hieroſolymitanæ* Patriarcha initio ſæculi XIII. erat *Heraclius* (*g*), Doſitheo ſubrogatus (*h*), quem ſupra oſtendimus fuiſſe origine Venetum, & poſteà Patriarcham Conſtantinopoletanum. Poſt Heraclium præfuit *Albertus* (*i*): nam cum fuiſſet electus *Gofredus* Cardinalis de Cajetanis Piſanus, hicque nec etiam Innocentio Papâ III. ſuadentę electioni aſſentiri voluerit; ſubelectus eſt Albertus Epiſcopus Vercellenſis (*l*). Deindè poſtulatus eſt *Thomas de Capuâ* Campanus, Cardinalis S. Sabinæ, quem quia Gregorius Papa IX. concedere recuſavit; creatus eſt Patriarcha in ejus locum *G. Epiſcopus Valentinus* (*m*): Itidem *Robertus* quidam eidem Eccleſiæ præfuit per 12. annos (*n*): Deindè *Jacobus Pantaleon* Trecenſis, qui fuit poſteà Urbanus Papa IV. (*o*). Poſt hunc *Thomas* numeratur (*p*): Demum *Petrus de Parmâ* ordinis Prædicatorum (*q*). Aliorum, ſi qui hoc ſæculo fuerunt, ad nos notitia non pervenit. Ex memoratis tamen eſt manifeſtum, quod hâc ætate Patriarchatum Hieroſolymitanum, tàm Græci, quàm Latini obtinebant, origine, patriâ, provinciâ, & natione extranei. Et quod in Antiocheno, ac Hieroſolymitano Patriarchatu obſervabatur, etiam in *Aquilejenſi*, *Gradenſi*, & *Alexandrino* proportionalitèr fuiſſe factum, quis dubitet?

31. Intueamur demùm celebriorem præ cæteris, qui erat Patriarchatus Conſtantinopolitanus, & luce clariùs inveniemus ibi extraneos præfediſſe, tàm ex Græcis, quàm ex Latinis. Nàm ineunte hoc ſęculo XIII. Patriarchalibus infulis redimitus fulgebat *Joannes Camaterus*, qui cum Innocentio III. Papâ, literis ultrò, citròque miſſis tractavit, ſed ſpem tandem, quam dederat unionis utriuſque Eccleſiæ, fefellit (*r*). Poſt eum *Michael*, indè *Theodorus*, ac ſucceſſivè *Maximus*, brevi tempore præfuerunt (*s*). Hunc excepit *Manuel*, Manuelem *Germanus*, Germanum *Methodius*, & Methodium alter *Manuel* (*t*), quorum nullius patriam uſque nunc nobis contigit reperire; nec an omnium illorum certa ſit ſeries: quippè hujus Eccleſiæ Præſulum catalogi plures dantur, intèr sè non concordes, mendiſque ſcatentes (*u*). Germano paulò antè defuncto, Nicephorus Grægoras ait, quod omnium ſermonibus ad Patriarchatum præferebatur *Nicephorus Blemydes*, ſed hic delatam dignitatem accipere recuſavit (*x*), ne à rerum divinarum contemplatione divelleretur: vir enim erat in virtutibus admirabilis (*y*). Qui & binos tractatus de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio compoſuit (*z*), & Marceſinam Joannis Ducæ Imperatoris pellicem, ne templum Blemydenſe à sè conſtructum ingrederetur, excluſit (*aa*).

32. Decoratus eſt ergò Tiarâ Patriarchali *Arſenius*, monachus cujuſdam cœnobii juxtà Apolloniam (*bb*): An Apolloniam Thraciæ, an Myſiæ, an Macedoniæ, an Bithyniæ, an Cyrenaicæ, quis novit (*cc*): hoc novimus, quod poſtquam quadrien-

(a) *Genebr. Chron. an 1198. l. 4.*
(b) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 1. l. 11. c. 26. nu. 8.*
(c) *Ciacon. in Innoc. III. nu. 3.*
(d) *Thomaſſin. loco citato.*
(e) *Genebr. Chron. lib. 4. an 1254.*
(f) *Binius tom 7. in Conc. Lugdun. § brevis notitia &c. f. 874. Vi-Storel. Addition. ad Ciacon. in Greg. X. § cum Patriarchis.*
(g) *Genebr. in Chron. l. 4. an. 1216.*
(h) *Thomaſſin. loco citato nu. 4. § videtur.*
(i) *Genebr. loc. cit.*
(l) *Ciacon. in Lucio III. Rainald. an. 1205. nu. 27. Thomaſſin. loco citato nu. 4. § videtur.*
(m) *Ciacon. in Innoc. III nu. 27. in Thomâ de Capuâ.*
(n) *Genebr. Cron. lib. 4. an. 1241.*
(o) *Genebr. Chron. l. 4. an. 1254. Ciacon. ſigni in Urban. IV.*
(p) *Genebr. Chron. l. 4. ad an. 1265.*
(q) *Ciacon. in Nicol. III poſt. nu. 9. § Legatos f. 765.*
(r) *Rainal. an. 1199. nu. 59. 63.*
(s) *Gebrard. Chronol. l. 4. an. 1216. f. 376.*
(t) *Genebrar. loc. cit. ad an. 1227. 1241. & 1243.*
(u) *Baron. an. 1117. nu. 61. &c.*
(x) *Niceph. Gregor. hiſt. l. 3. c. 1. Rainald. an. 1256. nu. 56.*
(y) *Georgius Pachimeres hiſt. lib. 5.*
(z) *Raynald. an. 1233. nu. 7. 8.*
(aa) *Niceph. Gregoraſ. l. 2. c. 12. Raynald. an. 1255. nu. 75.*
(bb) *Niceph. Gregor. lib. 3. c. 2.*
(cc) *Ferrar. Lexic. Geograph. V. Apollonia.*

nio præfuit depositus est, & in Præconesum perductus, eique subrogatus *Germanus*, dudùm anteà in extremis Romanorum finibus monasticam vitam agens, ac successivè factus Archiepiscopus Adrianopolis (*a*). Cum autèm Germanus esset populo odiosus; Patriarchatui spontè cessit, ejusque locum implevit *Josephus*, qui in monte Gallesio longo tempore monachali vitæ incubuerat (*b*). Hic ne concordia intèr Latinos, & Græcos fieret in materiâ religionis, obstitit, demùmque Patriarchatu relicto, in Bosphorum, ad monasterium Archistrategi secessit; datusque est ei successor *Joannes Becbus*, magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Chartophylax (*c*); cujus zelum, & constantiam in asserendâ catholicâ veritate, eâque adversus impios Schismaticos contuendâ, Annales Ecclesiastici prædicant, & historię (*d*). Per decennium in cathedrâ Patriarchali sedit, demumque illâ se abdicavit, & in Penachranti monasterium se recipit (*e*).

33. Pridem relictam sedem tunc recuperare gestiit *Josephus*, sed vix repetitam, reliquit, in eaque locatus fuit *Georgius*, vel *Gregorius Cyprius*, qui cum adhuc adolescentiam ageret, Lectoratus ordinem à Latinis susceperat (*f*). Nec diù Patriarchatum tenuit: quippè & ipse diris vexationibus agitatus, dignitatem dimisit, & primò in Hodegium Deiparæ Monasterium, deindè in cœnobium S. Andreæ profectus est, à Conditore ità dictum (*g*). *Et in Patriarchicum solium successit monachus quidam, Athanasius nomine, qui otiosam in Gani montibus vitam agebat* (*h*). Præfuit hic *Athanasius* annis quatuor, post quos, malevolentium odio cedens, infulis vale dixit, & ad suum monasterium Xerolophum se reduxit (*i*). Successorque illi datus est *Joannes Sozopolites*, à patriâ sic vocatus, qui & ipse dignitatem post sexennium reliquit, & Sozopolim, ut quietus viveret, est regressus (*l*). Ex his ergò 15. Græcis Patriarchis, qui Sæculo XIII. Constantinopolitanæ cathedræ præfuerunt, saltèm sex, extraneitatis qualitate affecti sunt: nempè *Arsenius* Apolloniensis, *Germanus* Adrianopolitanus, *Josephus* Gallesiensis, *Georgius* Cyprius, *Athanasius* è Gani montibus, & *Joannes* Sozopolites, qui proculdubiò, vel ab Ecclesiis, & monasteriis, è quibus ad Patriarchatum traducti sunt, vel ab Ecclesiâ Constantinopolitanâ extranei fuerunt, & nihilominus in eisdem monachalia, Archiepiscopalia, & Patriarchale beneficia, sine contradictione sunt consecuti. Hucusque de Patriarchis Græcis.

34. Idipsum contigit in Patriarchis Latinis ejusdem sedis, qui Cathedræ ipsi Byzantinæ per hoc sæculum præfuerunt. Nàm captâ per Occidentales Constantinopoli, non aliquis ex Latinis ibidem commorantibus, vel cum exercitu illuc profectis, Patriarcha creatus est, sed *Thomas Maurocenus*, Venetiis existens, ubi quasdam pactiones cum suis Concivibus inivit, de quibus infrà, & Romam progressus, ibidem ab Innocentio Papâ III. Episcopali unctione perfusus est, & Pallio Patriarchali exornatus (*m*). Eo defuncto, cum scissio in Clero facta esset, eligentibus aliis Decanum Ecclesiæ S. Sophiæ, aliis, qui se in tres partes diviserant, tres alios eligentibus; Innocentius, tot competitorum electione cassatâ, mandavit, unum Canonicâ electione constitui (*n*). Electus est ergò *Everhardus* (*o*), quo ad cælites vocato, iterum discordavit Clerus in successoris designatione, arbitrioque Honorii Papæ III. remisit illum designare. Pontifex ergò *Matthęum Episcopum Aquilanum* elegit (*p*), Matthæi morte, dum vacaret Patriarchatus, Clerici denuò in electione Antistitis dissensere, quibusdam *Bellovacensem Episcopum* postulantibus, cæteris eidem resistentibus: undè aliquos delegatos hâc de causâ Romam miserunt, qui & nec ipsi intèr se convenerunt: Quare Honorius Papa præfatus ad Constantinopolitanum Patriarchium *Archiepiscopum Vesontionensem* transvexit (*q*).

35. Successivè etiam *Gregorius Episcopus Nannetensis* Patriarchales illas infulas, Pontifice ipsum transferente, suscepit (*r*). Posteà Innocentius Papa IV. præfecit eidem Ecclesiæ *Pantaleonem Justinianum* Venetum, sub quo Græci Constantinopolim recuperarunt (*s*): Et qui Concilio Lugdunensi II. Generali, uti Patriarcha Constantinopoleos intervenit (*t*). Hoc itàque modò etiam Patriarchæ Latini,

non

(a) Niceph. Gregor. hist. l. 4. c. 5. 7. & 8.

(b) Niceph. Gregor. lib 4. c. 33.

(c) Raynald. an. 1275 n. 49 Niceph. Gregor. l. 5. c. 1. & 2.

(d) Raynald. an. 1277 nu. 24. an. 1284. nu. 44.

(e) Niceph. Gregor. l. 8. c. 1. Raynald. ann. 1284. n. 44.

(f) Niceph. Gregor. hist. l. 56. c. 1.

(g) Niceph. Gregor. l. 6. c. 5.

(h) Idem loc. cit. c. 8.

(i) Idem loc. cit. c. 8.

(l) Niceph. Gregor. hist. l. 6. c. 9. & 13.

(m) Raynald. ann. 1205. nu. 15. 16. & c.

(n) Idem ann. 1211. 24.

(o) Thomassin. vet. & non Eccl. discipl. p. 1. l. 1. c. 26 n. 5.

(p) Idem loc. cit. Raynald. ann. 1221. nu 27.

(q) Thomassin. loc. cit. §. post.

(r) Idem loc. cit.

(s) Idem loc. cit. n. 5. in fin. & 6.

(t) Act. Conc. Lugdun. 2. ap Bin. to. 7. p. 2. Brev. Not. f. 874. Et Ciacon in addit. ad Greg. X f. 746.

non ex Clero Constantinopolitano, neque ex Civibus, vel originariè, vel per novum incolatum ad illam Metropolim pertinentibus, electi sunt, sed aliundè, ex Italiâ, ex Galliâ, ex Burgundiâ, Veneti, Samnites, Nannetenses, Vesontionenses: omnes tandem, vel ferè omnes, patriâ, provinciâ, & respectivè natione, ab illâ Imperiali urbe prorsùs extranei; absque eo, quod ullus unquam adversus eorum promotionem verbum aliquod protulerit; non Imperatores, non Principes, non Milites, non Scriptores, & Historici, quorum certè aliquis declamasset, aliquis jura divinum, naturale, & humanum conculcari exaggerasset, per tot, & totiès repetitam extraneorum provectionem, ad præcipuum illius Ecclesiæ beneficium, nempè Patriarchale, si extraneis obstrusus esset aditus ad ecclesiastica beneficia.

36. Igitur si *Summi Pontificatus*, qui est primum in totâ Hierarchiâ ecclesiasticâ beneficium: Si Romani *Cardinalatus*, qui paritèr est beneficium, & quidem beneficium ordinis sublimoris: Si *Patriarchatus* præcipuarum orbis Ecclesiarum, *Constantinopolitanæ*, *Antiochenæ*, *Hierosolymitanæ*, qui similitèr intèr beneficia superioris ordinis computatur; si horum, inquam, tàm sublimium beneficiorum capaces fuerunt Sęculo Decimotertio Clerici extranei; nunquid non fuerunt capaces beneficiorum ordinis inferioris? Et si Clerici extranei beneficiorum, tàm superioris, quàm inferioris ordinis capaces fuerunt Sæculo Christi Decimotertio; ut quid eorum capaces nostrâ quoque ætate non erunt? A sæculo præfato ad nostram ętatem, quis ablegavit Clericos extraneos, nè possint ab Ecclesiâ ubilibet beneficiis insigniri? quis Ecclesiam priscâ illâ libertate nudavit, nè Clericos extraneos ubilibet valeat beneficiis ecclesiasticis munerare? Sanè nullus ex eo tunc Ecclesiam præfatâ libertate privavit, imò nullus eâ privare potuit; ergò restat, ut sicuti tunc, sic etiam nunc, liberum, & licitum sit Ecclesiæ, illiusque ministris, ac in primis Romano Pontifici, ejusdem supremo Capiti, necnon Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa Nominatoribus, ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

CAPUT XXXVII.

In quo, ex Sacris Canonibus, Sæculo Christi Tertiodecimo, *editis, & juris communis corpori insertis, probatur libertas Ecclesię, in conferendo ecclesiasticas prębendas, & beneficia, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis.*

SUMMARIUM.

1 *Innocentius Papa III. fuit unus ex insignibus Scriptoribus ecclesiasticis Sæculi Decimitertii. Lex est regula, & mensura agendorum, cui omnes subiiciuntur.*

2 *Legi humanæ deferre, est divinę legis ductum sequi: lex enim de lege Dei æternâ participat. Canones sunt spiritu Dei conditi, nec verum est, servandos esse solos antiquos canones, novioribus parvipensis.*

3 *Idem Spiritus Sanctus est, qui cudentibus sacros canones semper adstitit. An magis vetustioribus, vel recentioribus canonibus standum sit?*

4 *Secundum varietatem temporum statuta humana mutantur. Ecclesiæ sine notâ hæresis negari non potest facultas mutandi leges.*

5 *Antiqui canones allegantur pro libertate præficiendi extraneos beneficiis, & satis est eos allegare, qui jam per multas annorum centurias subsistunt.*

6 *In cap. cum inter 21. de elect. diserte disponitur, quod electio extranei valet, & exceptio extraneitatis frivola est.*

7 *Refertur textus dicti cap. cum inter, quem Innocentius IV. expendens, ait dictam exceptionem non esse causam appellationis.*

8 *Glossa ad ipsum textum, clare docet, eligi posse quemlibet, sive de propriâ, sive de alienâ Ecclesiâ.*

9 *In cap. cum dilectus de elect. factum est compromissum pro electione Episcopi de gremio Ecclesiæ vacantis: quæ restrictio, quid operetur?*

10 *Ubi forma electionis cessavit, successerunt collatores, & nominatores, qui possunt æquè, ac electores, vel compromissarii, extraneis beneficia impertiri.*

11 *In cap.* ad decorem *de institutionibus, Papa mandat, ut Patriarcha Constantinopolis præficiat beneficiis etiam Clericos extraneos.*

12 *Hunc textum clarum, non ex verbis intelligendum esse contendunt Contradictores, sed ex ratione, ob quam editus fuit.*

13 *Licet quando leges obscuræ sunt, recurri possit ad historiam, tamen hoc non afficit in cap.* ad decorem, *quia clarus est.*

14 *Recensentur occasiones, propter quas editæ sunt variæ leges, ad communem utilitatem postmodum generaliter destinatæ.*

15 *Lex canonis* ad decorem, *generaliter loquens, generaliter est sumenda, & independenter à circumstantiis, in quibus fuit lata;*

16 *Sentiunt Contradictores, quod capta Constantinopoli, & Græcis abeuntibus, soli Latini facti sint ibi indigenæ, qui erant ex diversis nationibus.*

17 *Juraverat Patriarcha, & promiserat, nullum nisi Venetum ad beneficia in suâ jurisdictione promovere. Papa sponsiones has cassavit.*

18 *Isacius Angelus, deposito Alexio Imperatore, purpuram arripuit. Alexius Alexii filius, opem Pontificis, & exercitus Latini poposcit.*

19 20 *Crucesignati scribunt Innocentio III. Papæ, narrantes quid eis contigit, dum Constantinopolim profecti sunt.*

21 *Alexius fœdifragrus arma movit in Latinos, qui Constantinopoli expugnatâ Balduinum in Imperatorem, & Maurocenum in Patriarcham elegerunt.*

22 *Quando Innocentius III. edidit canonem* ad decorem, *non aderat Imperator Constantinopolitanus, cum quo Græci abiissent, uti supponunt Contradictores.*

23 *Camatherus Patriarcha paulò post depositus fuit à Theodoro Lascaris. Græci pro majori parte remanserunt Constantinopoli.*

24 *Non omnes Græci Constantinopolis expugnatæ à Latinis erant Schismatici. Victores victis liberam permittere solent religionem.*

25 *Papa tenebat Vicarium Constantinopoli, ubi erant multi Latini, Clerici, & Laici, ac paulò ante de Græcis, & Latinis uniendis tractatum fuit.*

26 *Orthodoxorum numerus deinde ibi crevit, & Papa Balduino scripsit, ut Græcos in obsequio Sedis Apostolicæ conservaret.*

27 *Ex constitutionibus, initis inter Thomam Patriarcham, & Henricum Imperatorem, ab Innocentio III. confirmatis, patet ibi fuisse multos Catholicos.*

29 *Papa ergò in cap.* ad decorem *vetuit solos Venetos promoveri, ut omnes, tum Latini, tum Græci idonei undecumque possent assequi beneficia.*

29 *Eliditur fabula, quod Græcis, ut recenter, à Schismate reversis, non essent danda beneficia, quia Concilia sic decreverant de aliis, à Schismate reversis.*

30 *Scismatici, de quibus agunt præfata Concilia, ex propriâ malitiâ deliquerant, Græci uno in Schismate nati, aliquâ digni erant excusatione.*

31 *Etiam si Græci, à Schismate redeuntes, pœnas Schismaticorum promeruissent, adhuc erat cum illis dispensandum super consecutione beneficiorum.*

32 *In illâ urbe nedum erant Græci à Schismate reversi, sed etiam alii Catholici anti-*

antiqui, hique, ut indigenæ, debebant cunctis cæteris paribus præferri.

33 *Et quatenùs defuissent Clerici indigenæ capaces beneficiorum, non deerant Laici Catholici, qui admittendi fuissent ad ordines, & beneficia.*

34 *Quod Laici possint usque ad episcopatum provehi, ostenditur juribus, & exemplis, multò magis ad ordines inferiores, & beneficia.*

35 *Nectarium dicit Nicolaus Papa I. fuisse promotum ad episcopatum, ob necessitatem, sed pro necessitate intelligit solam opportunitatem.*

36 *Hinc leges, & canones, arcentes Laicos à beneficiis, oportet non fuisse præceptivas. Quas Thomas Patriarcha non poterat aliis obiicere, & cur?*

37 *Itaque etiam si Canon* ad decorem *attendatur secundum rationem, ob quam editus est; docet admittendos esse ad beneficia extraneos.*

38 *Nec dicas, canonem illum non proficere Clericis Romanæ Ecclesiæ, qui non resident in beneficiis, quæ hùc illùc accipiunt.*

39 *Quis credas, beneficiarios simplices Constantinopoli se ad residentiam arctasse, si in corde Ecclesiæ id egrè faciebant beneficiarii residentiales?*

40 *Extranei, qui cum Crucesignatis profecti sunt Constantinopolim, non ibi facti sunt statim indigenæ, nec tales erant, cum editus est canon* ad decorem.

41 *Sicut cap.* ad decorem *suffragatur largitoribus, sic proficit etiam susceptoribus beneficiorum, tametsi extraneis.*

42 *Vis dicti canonis comprobatur ab observantiâ, testante libertatem Collatorum, & Nominatorum, deferendi beneficia etiam extraneis.*

43 *Cæteris paribus honestum est, ut ad beneficia indigenæ extraneis præferantur. Quomodò, & à quibus, hæc cæterorum paritas, sit judicanda?*

44 *Ubi deest privilegium Apostolicum, vel consuetudo cum famâ privilegii, excludens extraneos, his possunt beneficia committi.*

45 *Per canonem* te nobis *de Cler. peregr. datur Episcopis facultas admittendi Clericos extraneos, ad ecclesiastica beneficia.*

46 *Clamores Arnulphi Lexoviensis innovantur, adversus monachos, deputantes Presbyteros ad regendas parochias, cum tenui mercede.*

47 *Si alitèr admittere non liceret extraneos ad beneficia, licitum id esset, per viam dispensationis:*

48 *Adversus jus divinum, & naturale, nec etiam Papa dispensare valet: & tamèn Episcopis fas est admittere extraneos.*

1. MEritissime intèr Patres, & Scriptores Ecclesiasticos Sæculi Decimitertii, enumeratur *Innocentius Papa III.* (*a*), quippè magnus hic Pontifex, prætèr alia opera, quibus Ecclesiam illustravit (*b*), eam suis scriptis docuit, & decretis, vel in Concilio Generali Lateranensi IV. editis, vel seorsim Apostolicâ auctoritate procusis, ac per literas decretales, hùc illùc, pro rerum opportunitate, tunc contingentium explicatis: quorum tenor jam corpori juris communis Canonici insertus est: habentque juris communis auctoritatem, & uti juris textus ab omnibus allegantur: secundùm cujus juris normam, & Ecclesia regitur, & judicia formantur, & sententiæ in rebus ecclesiasticis pronunciantur. Hinc nos hìc proponendo sanctiones, quas idem Pontifex edidit, consentaneas causæ, de quâ tractamus; non tàm disciplinam ostendimus Decimotertio Sæculo in Ecclesiâ servatam, quàm legem quoque, aut leges, usque ab eo tempore definitas, quibus Ecclesia ipsa debeat gubernari. Cum autèm lex sit Princeps, cui obedire debemus; sit Dux, quem sequi oportet; sit norma, quam quibuscumque rebus convenit applicare (*c*); sit tandèm, secundùm D. Thomam, regula, & mensura operum agendorum, & omittendorum (*d*); quotiès ostendimus, jura decernere, ut beneficia ecclesiastica, etiàm extraneis possint conferri; apparebit, ritè hucusque

(a) *Bellar. de script. Eccl. in Innoc. III.*

(b) *Odoric. Rainaldi ab anno 1198 ad ann. 1616 Ciacon. Joannet. Porest. & alii de Rom. Pontif. in Innoc. III.*

(c) *Aristot. polit. l. 3.*

(d) *S. Thom. 1. 2. qu. 90. art. 1.*

extra-

extraneos fuisse ad illa provectos, & identidèm ad ipsâ esse inposterùm admittendos. Profectò quidquid ecclesiasticis canonibus, & legibus consentaneum est; id prò re definitâ debet haberi, & nulla pars calculo ejus valet contradicere (*a*), quià humanis legibus omnes homines subiiciuntur (*b*), & illis debent demisso animo obtemperare, non adversùs illas temerè resultare; quandoquidèm legum sanctionibus obsistere, est Dœmonis dictamina sequi, *lex enim à Domino Deo, prævaricatio verò legis à Diabolo est* (*c*). *Cap. sexto die* 7. *dist.* 35.

2. E contrà verò legi humanæ deferre, est naturæ ordinamenta servare, ipsiusque divinæ legis ductum sequi; quatenùs omnis lex humanitùs posita, non solùm à lege naturali derivatur (*d*); sed & imò de lege Dei æternâ participat (*e*), dicente Apostolo, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt* (*f*). Quæ si verificantur de quâlibet humanâ lege; multò fortiùs locum habent in sacris Canonibus, quos *Spiritu Dei per organa sua conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos*, appellavit Hincmarus. in causâ Ebbonis (*g*), & Joannes Papa VIII. in causâ Photii (*h*). Sanè Contradictores nihil magìs habent in ore, deque nullâ rè validiùs inclamant, quàm de hâc, quod Spiritus canonum, Spiritus Dei est, & quòd propterea canones sunt punctualitèr observandi, cum re verâ ipsi de vi canonum blaterantes, ostendant, se nescire quid dicant, si prò canonibus solas antiquas Ecclesiæ regulas intelligant, novioribus ablegatis: quasi alter fuerit Deus, altera fuerit Ecclesia antiquorum temporum; & alius sit Deus, alia sit Ecclesia temporum recentiorum, hocque distinguat intèr priscos canones, & modernos; quod suum spiritum Deus antiquis infuderit, & recentioribus denegaverit. Falsa opinio, imprudens vox, vesana locutio, tot execrationibus digna, quot in se continet syllabas, nedum quot est composita vocabulis.

3. Nam idem Spiritus Sanctus est, qui cudentibus sacros canones suum lumen infudit, & præsentiam præstat, & custodiam impertit: eademque est Ecclesia heri, & nudiùs tertius: semperque eadem fuit, & semper erit: & ideò non est cur credamus antiquos canones præferendos esse novissimis. Nàm licèt, *quod spectat ad res fidei; & sit nobis cum hæreticis concertatio, plus valeant antiqua, ac primis sæculis coacta* Concilia, & Canones in eis editi, *cum Patres primorum sæculorum plùs auctoritatis apud ipsos hæreticos obtineant*, tamen pro eò, *quod spectat ad mores, & disciplinam, in rebus ex jure Divino non necessariis ad salutem, ac quæ prò diversis temporibus, ac locis, mutari possunt; non ità solis antiquis inhærendum, quìn etiàm ex recentioribus, undè vitam, moresque componamus, hauriri possit, cum Patres, qui decreta morum, & disciplinæ in iis condiderunt, temporum præsentium naturam, & studia penitùs introspexerint, ac quod in antiquis Conciliis præsentibus temporibus magìs accommodatum esse potuit, retinere, ac renovare conati sint* (*i*): Aliàs si undequàque canonibus antiquis standum esset, nunc triennales, septennales, & decennales pœnitentię imponendæ, & agendæ essent, prò singulis peccatis aliquandò commissis: Et plurimis Christianis sacra Communio non esset in ipsis vitæ ultimis conferenda (*l*): Non essent libri Gentilium legendi (*m*): Non picturæ in Ecclesiis habendæ (*n*); Non cerei in cœmeteriis accendendi (*o*): Non Quadrigæ à fidelibus agitandæ (*p*): Non choreæ in nuptiis Christianorum agendæ (*q*): Nullus deberet pallio uti (*r*): Nec ullo die Quadragesimæ ab Ecclesiâ deesse (*s*): Nullus deberet aleâ ludere, vel tabellâ (*t*): Nullus, extrà Paschæ, & Pentecostes tempus, Baptismi Sacramentum suscipere (*u*): Eunuchi non possent in Ecclesiâ ad Cantoris officium, imò & nec ad communonem admitti (*x*), multo minus ad sacros ordines.

4. Paritèr Diaconi antè vigesimum quintum ætatis annum (*y*), & Presbyteri, antè trigesimum non possent licitè promoveri (*z*): Tenerentur omnes Christiani quolibet die sabbati jejunare (*aa*): Festum Paschæ non per triduum, sed per sex dies celebrare (*bb*): quolibet die festo sacerdoti ad Altare panem, & vinum offerre

(a) C. si inter 6. qu. 4. Novel. 123. cu. 34.
(b) S. Thom. 1. 2. qu 96 ar. 5.
(c) S. Ambros. lib. de Elia, & jejun. c. 4. & 5.
(d) S. Thom. 1. 2. qu. 95 ar 2.
(e) S. Thom. 1. 2. qu. 93 ar. 2.
(f) Rom. 13. 1.
(g) Hincm. Remens. de prædest. c. 36.
(h) Jo. 8. epistol.
(i) Bail. Summa Conc. in appar. An Vet. Concil. præferenda sint f. 98. E to. 1.
(l) Concil. Eliber. c. 6 7. 8. 10 12. 18.
(m) Concil. Carthag. 4. c. 16.
(n) Concil. Eliberit. c. 36.
(o) Concil. Eliberit. c. 34.
(p) Concil. Aurel. 1. c. 4.
(q) Concil. Laodicen. c. 53.
(r) Concil. Gangrens. c. 12.
(s) Conc. Cæsaraugust. c. 2.
(t) Concil. Eliberit. c. 79.
(u) Conc. Rom. 2 sub S. Silvest. c. 12. cap duo tempora de consec. dist. 4.
(x) Canon. Apost. 21 22 23. Baron. ann. 230. nu 5.
(y) Concil. Carthag. 3 c. 4.
(z) Concil. Neocæsar. c. 11.
(aa) Concil. Eliberit. c. 26.
(bb) Concil. Matiscon. 2 c. 2.

re (*a*): Laici deberent Presbytero occurrenti, desiliendo ex equo, officia venerationis impendere (*b*): demùm *à sanguine, & suffocato abstinendum esset, & diebus Dominicis genua non flectenda, ut de aliis taceamus.* (*c*). Infinita enim alia essent agenda, & respectivè intermittenda, quæ à sacris legibus antiquitùs præscribebantur, & nunc nullibi observantur: jàmque, vel abolita sunt, vel prò abolitis habentur. *Nec debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum, statuta quoquè varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniàm ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo* (*d*). Imò hæc facultas mutandi leges, ad disciplinam pertinentes, non potest Ecclesiæ sinè nota hæresis denegari (*e*): præcipuusque, vel saltem unus ex præcipuis Ecclesiæ canonibus dicendus est hic esse, ut liceat Ecclesiæ, secundùm varietatem temporum, suos canones immutare (*f*). Quarè Contradictoribus, carpentibus Ecclesiam de inobservantiâ canonum antiquorum, & ut hi adimpleantur, urgentibus; justè quidem potest cum Gelasio responderi, *nobis opponunt canones, dùm nesciunt quid loquantur. Contrà quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ Sedi, sana, rectaque suadenti, parere fugiunt* (*g*).

5. Quamvis ergò prò libertate conferendi beneficia Ecclesiastica Clericis, tàm extraneis, quàm indigenis, non allegentur canones, primis Christi sæculis ab Ecclesiâ sanciti, (cum per illa tempora nondùm essent beneficia ipsa, prout modo sunt, instituta) sufficit tamen alias rationes afferre hucusque recensitas, & canones subsequentium temporum allegare, quorum nulla minor est vis, quàm esset illorum, qui primò, vel secundo, vel alio ex remotioribus Christi sæculis pullulassent. Et certè canones, quos hic proponimus, jàm per multas annorum centurias, vel in Conciliis, vel à Summis Pontificibus editos, Patrum, & Doctorum observantiâ custoditos, & totius Christianitatis reverentiâ consecratos, quis audebit de novitate taxare? Quinimò etsi non tantæ antiquitatis in sè prætium continerent; quid inde? Nonnè observandæ sunt leges Concilii Tridentini? Nonnè leges aliorum Conciliorum, & Canonum, post posteriora sæcula editorum? Nonnè Constitutiones Summorum Pontificum, quæ de die in diem, justis causis id exigentibus, edicuntur (*h*)? Nonnè generale est juris adagium, leges priores à posterioribus revocari (*i*)? Nonnè apud aliquos Jurisconsultos opinio est, inobservantiam legum ecclesiasticarum per 40. annos easdem abolere (*l*). Igitùr cum sacri canones disertè affirment, beneficia ecclesiastica posse etiàm extraneis conferri, certò certiùs esse constat, Papam, & Episcopos, aliosque omnes, tùm Ordinarios, tùm delegatos beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, ritè hucusque processisse, & respectivè procedere, illamet, non modò Clericus idigenis, verùm etiam extraneis elargiendo, quippè Spiritu Dei, sacris canonibus indito definitum est, nec extraneos, nec indigenas esse à beneficiis ecclesiasticis repellendos. Sed jam ad ipsos canones individualitèr descendamus. Ab Innocentio Papâ III. initio sæculi decimitertii editos, & indè rationes permultas causę nostrę hic affatim adsciscamus.

6. *Primus* Canon Innocentii III. est *Cap. cum intèr Canonicos 21. de electione*, ubi textualibus verbis disponitur, quod quotièsfacienda est electio alicujus ad ecclesiasticum beneficium; liberum est electoribus ex quâcumque Ecclesiâ Clericum providendum accipere, nec oppositio, seù exceptio, quod electus sit de alienâ Ecclesiâ attenditur, *uti frivola*; sed, eâ non obstante, electus extraneus confirmatur. Percurrantur verba canonis, & invenietur, quod convenientibus Canonicis Ecclesiæ Saonensis, prò electione sui Episcopi, major pars in Præpositum Hastensem convenit; alia verò pars contradixit, ex duobus causis; primò quod dictus Præpositus morbo epileptico laboraret; secundò, quod esset extraneus; *nec ad aliam Ecclesiam deberet fieri transitus, donec reperiretur idoneus in Ecclesiâ Saonensi.* Post hęc ipsi Canonici junctis animis, omnes in Archiepiscopum Mediolanensem compromiserunt, ut quem vellet eismet præficeret in Antistitem. Archiepiscopus verò *Magistrum G. Modicensem Canonicum eis dedit in Episcopum, &* etiam

(a) *Conc. Matisc. 2. c 4.*
(b) *Concil. Matiscon. 2. c. 15.*
(c) *Bail. Sum. Concil. loc. cit.*
(d) *Cap. non debet 8. de consang. & affin. & ibi Glos. verb. temporum.*
(e) *Cap. sunt quidam 25. qu. 1. S. Thom. 1. 2. qu. 103. ar. 3 & 4. Becan. opusc. 10. 5 f. 304. Alph à Castr. V. Ecclesia.*
(f) *Cap. Alma mater, & ibi Glos. de sent. excom. in 6. c. non debet de consangu.*
(g) *Gelas. 1. epl. 4.*
(h) *Engel. Colleg. Jur. p. 1. proem. n. 12. et 13.*
(i) *Cap. pastoralis §. quoniam, de præscript.*
(l) *Garcia de benef. p. 7. c. 1. n. 137. Laymar tr. 4 c. 3. nu. 4. Engel p 1 prolog. tr 1 §. 4 num. 69.*

etiam confirmavit. Rè verò ad Sedem Apostolicam, per legitimam appellationem delatâ, Innocentius Papa III. electionem Præpositi Hastensis confirmandam esse duxit, modò epilepsiæ vitio careret, non obstante appellatione ex aliis causis interpositâ, *scilicèt, quià non erat de Ecclesiâ, & in eâdem erant idonei* (a).

(a) *Cap. cum inter 21. & ibi Glos. V. ex aliis de Elect.*

7. En decretum Papæ, in epistolâ ad Archiepiscopum Genuensem, & ad Placentinum, ac Bobiensem Episcopos directâ: *Discretioni vestræ mandamus, quatenùs cum constet, electionem de Præposito memorato à majori, & saniori parte Capituli celebratam fuisse, publicatam etiam, & subscriptam; si dictus Præpositus eidem electioni consenserit, ut per mutuum consensum eligentium, & electi quasi conjugale vinculum spiritualitèr sit contractum; nisi sufficientèr sit ostensum, eundem morbo epileptico laborare &c., vos non obstante appellationis obtentu, si qua ex aliis causis superiùs memoratis, proponitur interposita, cum eas frivolas reputemus; electionem confirmetis ipsius: non obstante, quod post talem electionem à præfato Archiepiscopo proponitur esse factum, cum Electores à tali electione sic resilire nequiverint &c.* (b). Expendit hunc canonem Innocentius Papa IV. Doctor insignissimus, quem *Patrem juris* appellat Speculator (c). Itèm *lumen decretorum* vocat Colucius Florentinus (d). Paritèr *Monarcham juris* nominat Federic. de Senis (e). Et de ipso affirmat Paulus de Castro, quod quandò dicit aliquid, non oportet dubitare, cum ipse sit *Pater veritatis* (f). Expedit, inquam, hunc canonem Innocentius IV. & sic ait: *habes hic, quod non est sufficiens causa appellationis, quod de alienâ Ecclesiâ eligatur* (g).

(b) *D. cap. cum inter 21. de Elect.*

(c) *Specul. in proem. vers. porrò, & vers. novissimè.*

(d) *Coluc. Florent. de nobil. legum, & medic. c. 9 in fin.*

(e) *Feder. de Senis cons. 4.*

(f) *Paul. de Castr. cons. 52.*

(g) *Innoc. IV. in cap. cum inter 21. nu. 4. de Elect.*

8. Sed nullibi meliùs res definitur, quàm in *Glos. in dicto cap. cum inter, verb. aliam 21. de elect.* ubi sic habetur: *Hic sumitur argumentum, quod non est electio facienda de alienâ Ecclesiâ, quandiù reperitur idoneus in eâdem. Sed pone quod major pars Capituli, & sanior eligat de aliâ Ecclesiâ, & minor de Ecclesiâ suâ, quæ illarum prævalet? &c. de alienâ Ecclesiâ tenet electio, quià duæ partes vicem totius Capituli obtinent &c. Electio facta à majori, & saniori parte Capituli prævalet undecùmque, sivè de suâ Ecclesiâ eligant, sivè de aliâ &c. & hoc satis benè colligitur in hac decretali, quià Papa rationem illam, quam hìc allegabat S. Subdiaconus, frivolam reputavit*. Si itàque liberum est Electoribus, sivè de propriâ, sivè de alienâ Ecclesiâ eligere, & exceptio extraneitatis electi, refutatur uti frivola; jàm sumus in claris, quod ad ecclesiastica beneficia de jure per electionem promoveri valent, non modò Clerici indigenæ, verùm etiam extranei. Si autèm de jure, per electionem promoveri possunt ad beneficia, tàm indigenæ, quàm extranei; de jure quoquè ipsi poterunt ad eadem promoveri per collationem, vel liberam, vel ad præsentationem alicujus factam, cum electio, & præsentatio sint idem, sicut & confirmatio, & institutio, saltem lato modo (h). Ideoque Collatores, & Nominatores ad beneficia succedant in locum Electorum, nec sunt deterioris conditionis in conferendo, vel nominando, quàm essent, seù sint Electores in eligendo.

(h) *Decius in c. nullus in Ecclesiâ de elec. n. 6. & ibi addit. lit. b.*

9. *Secundus* canon Innocent. III. est *cap. cum dilectus 32. de elect.* ubi vacante Ecclesiâ Morinensi, Canonici illius Cathedralis, ut sibi aliquem præficerent in Episcopum, tenuerunt viam compromissi, *& in tres Canonicos Morinenses potestatem eligendi Episcopum unanimitèr contulerunt; promittentes, ut illum reciperent in pastorem, quem de gremio ipsius Ecclesiæ ducerent eligendum*. Notetur autem lex adjecta compromissariis, eligendi aliquem de gremio Ecclesiæ vacantis; quippè hujusmodi restrictio proculdubiò non fuisset apposita, si de jure non alius, quàm de gremio Ecclesiæ eligi potuisset. Quæ verba *de gremio*, hìc apposita, expendens Glossa, sic ait, *sed si hoc in illâ translatione potestatis non fuisset expressum, poterant eligere undecùnque vellent supr. eod. in causis*: In quo Capitulo *in causis 30. de electione*, cum factum fuisset per Canonicos Tolosanos compromissum pro electione sui Archiepiscopi; tres ex Compromissariis convenerunt in Episcopum Convenensem, & duo in Archidiaconum Agennensem, sicque utraque pars elegit extraneum, nedùm extradiœcesanum, sed etiam extraprovincialem, cum Episcopus

Con-

Convennensis esset ex provinciâ ecclesiasticâ Auxitanâ in Vasconiâ, & Archidiaconus Agennensis esset ex provinciâ ecclesiasticâ Burdegalensi in Aquitaniâ: talitèrque extraneum elegerunt, quià Compromissariis restricta non erat facultas, ut unum deberent de gremio Ecclesiæ viduatæ necessariò deligere. Nàm si hujusmodi limitatio eis fuisset adiecta, non habuissent compromissum absolutum, sed limitatum, ut eum vocant Canonistæ (*a*). Et sic Compromissarii non potuissent in extraneum convenire: ubi enìm datur certa forma in eligendo observanda, ea omninò servanda est, aliàs electio nullitatis vitium incurrit (*b*).

10. Pergit postmodùm præfata glossa, in verb. de gremio c. cum dilectus 31. de elect. & inquirit, quid juris sit super electione extranei, facta à Compromissario, an subsistat; & respondet casum esse decisum supra in cap. cum inter 21. de electione, ubi dicitur, quod *exceptio extraneitatis, uti frivola*, non obsistit, nec irritat electionem, & imò nec appellatio attenditur super ea à partibus interposita. Porrò compromissum æquè fieri potest in extraneos, ac in indigenas, uti patet ex cap. cum inter 21. de elect. & licet nemo possit eligere se ipsum (*c*), tamèn unus ex compromissariis potest ab aliis eligi, juxtà probabiliorem sententiam, relatam *à Panormitano* (*d*), quo casu si Compromissarius, in quem alii convenirent, esset extraneus, alii Compromissarii sinè dubiò eligerent extraneum. Hinc luce meridianâ clariùs apparet, quod etiam eo tempore, illisque in locis, in quibus provisio beneficiorum fiebat, & respectivè fit, per electionem, sivè hæc pergeret per viam scrutinii, sivè per viam compromissi, sivè per viam inspirationis, quæ sunt tres formæ Electoribus arbitrariæ, per quas fieri potest electio (*e*), poterant, & respectivè possunt etiam extranei ad beneficia ecclesiastica promoveri. Et quotiès extranei arcendi erant, aut sunt; oportet quod lex specialis, eorum exclusiva concurrat. Quià autem, uti diximus, ubi electionum forma cessavit, in locum electorum successerunt Collatores beneficiorum, sivè ad illa Nominatores; hinc est, quod quibus inest jus beneficia conferendi, sivè ad illa præsentandi, libertas quoque inest, & potestas eadem etiam extraneis elargiendi. Et sic ex hinc satis solidè verificatur, liberum esse Ecclesiæ provehere etiam Clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia.

11. Tertius canon Innocentii III. est capit. ad decorem 5. de Institutionibus, ubi Pontifex ad Cardinales suos Legatos scribens, ità decernit, *sicut auribus nostris est suggestum, Constantinopolitanus Patriarcha, aliarum nationum Clericos spernens, Venetos tantùm in Constantinopolitanis Ecclesiis satagit collocare: non attendens, quod in omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo, nec Sanctuarium Dei convenit jure hæreditario possideri. Quocircà mandamus, quatenùs moneatis eundem, ut viros literatos, & aliàs idoneos, undecùmque originem duxerint, in prædictis Ecclesiis, & maximè in majori, instituere non postponat: alioquin indignum se reddet, ut vos aliarum Clericos nationum ad ejus obedientiam compellatis* (*f*). Clara est hujusmodi textus dispositio; attamèn abs re non sit etiam Glossam audire, ibidem adiectam in verb. *undecùmque*, sic resonantem: Undecùmque: *Argum. quod nihil refert, de quo loco sit natus Clericus, vel de quibus parentibus: arg.* 40. *dist. nos qui, & c. non loca, &* 56. *dist. undecùmque, & c. nasci, & c. Dominus.*

12. Sed quamvis adeò clarus sit, & perspicuus hujusmodi canon, pro Clericis extraneis ad beneficia ecclesiastica ubilibet admittendis; attamèn Contradictores, ut vim illius effugiant; verborum obvio, & naturali sono dissimulato; contendunt, illius sensum, non à verbis repetendum, sed esse à ratione, propterquam fuit conditus, expiscandum: Jacobi Gottifredi opinione stipati, qui ait, *quarè & hanc legem deinceps argumento esse cupio, quàm turbidè multa in laudandis legibus pragmatici admittant, dùm earum cortice contenti, rationes earum haud satis perspectas habent, spretis superstitiosè theoricis, & historicis ad leges subsidiis* (*g*). Nos tamèn tali opinione non facilè adhærentes, in aliâ versamur, nempè quod in rebus legalitèr dijudicandis, merus sensus, & nuda proprietas verborum legis sit atten-

(a) *Ludov. Engel. Colleg. jur. p. 1. l. 1. tit. 24. §. 3. nu. 41.*

(b) *Glos. in Clement. I. V. inhibentes de jur. patron. Rot. to. 2. p. 4. rec. dec. 312. nu. 5. coram Coccino.*

(c) *Decius in cap. licet de vitandâ nu. 48. de elect.*

(d) *Abb. in c. cum in jure 33. de elect. Engel. p. 1. lib. 1. tit. 24. §. 3. nu. 42.*

(e) *Cap. quia propter 42. de elect. Tambur. de jur. Abb. disp. 5. qu. 5. nu. 4. to. 1. Azor. instit. mor. p. 2. l. 6. c. 14. vers. undecimo Engel. ubi supr. nu. 33. 34. 41.*

(f) *Vide Raynald. an. 1206. nu. 2. & 6.*

(g) *Goffred. in L. in Ecclesiis C. de Episc. & Cleric.*

denda (*a*). Undè, quidquid sit de verâ legislatoris voluntate, quæ nobis non est patefacta, dicimus, judicandum esse secundùm illam probabilem ejus voluntatem, quam præseferunt verba legis: *In istis enim temporalibus legibus*, inquit D. Augustinus (*b*), *quamquàm de his homines judicent cum eas instituunt; tamèn cum fuerint institutę, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas* (*c*).

13. Et licèt quandò legum textus obscurus est, vel perplexus, ad subsidia historica possit opportunè recurri, & causa, vel causæ ponderari, proptèr quas leges ipsæ procusæ fuerunt; tamèn cum Capitulum *ad decorem* sit clarum, rutilans, & dilucidum; frustrà est illius obvium intellectum torquère, & aliundè quęsito lumine, ipsum in contrarietatem nativi sensus inflectere: eo vel maximè, quod in claris non cadit interpretatio (*d*). Undè benè Aristoteles ait, *verba quandò sunt clara, tunc ea declarare nil aliud est, quàm nugas agere* (*e*). Risumque sine dubio meretur, qui rem claram sophisticâ subtilitate pervertit, ut benè inquit Imperator (*f*): præsertìm attento, quod ex unâ parte, etiam cessante causâ, & ratione legis, in aliquo particulari actu; vis tamèn legis non cessat (*g*): & ex alterâ, si standum esset non verbis legum, sed occasioni, & orationi, proptèr quas sancitę sunt; hoc modò circumveniri, & deludi possent omnes leges humanæ, cum magno publici detrimento: Vix etenìm ulla lex reperibilis est, canonica, vel civilis, quæ non ab aliquo actu particulari originem duxerit, diversis circumstantiis prædito, ab illis actibus, quibus lex ipsa, juxtà textualem ejus sensum, generalitèr adaptatur.

14. Sic *Lex* nè ultimo supplicio addicti intrà mensis spatium morti traderentur (*h*), causam habuit à cæde Thessalonicensi, per magnum Theodosium Cęsarem demandatâ, de quâ lege sermo est apud Ruffinum (*i*), & Sozomenum (*l*): duravitque, donèc fuit ab Imperatore Nicephoro Botoniate sublata (*m*). *Lex* nè liberum sit Episcopis Ecclesiam mutare, & de unâ ad aliam pertransire, ac ut ad pristinam reducantur; lata est in Concilio Sardicensi (*n*), causamque habuit ab Eusebio Nicomediensi, qui post jàm duas sedes mutatas, ad tertiam Constantinopoleos aspiraverat (*o*). *Lex* nè, pendente appellatione ad Sedem Apostolicam, alius in locum depositi appellantis possit substitui; lata est in eodem Concilio Sardicensi (*p*), causamque habuit ab Eusebianis, qui, deposito S. Athanasio, nondùmque causâ per appellationem Romę finitâ, Gregorium Cappadocem Alexandrinæ sedi subintruserunt (*q*). *Lex* de non ordinandis Episcopis in urbibus parvulis, atque vicis; in ipsomet Concilio Sardicensi sancita est (*r*), causam que habuit ab Ischyrione, qui in premium illatarum D. Athanasio calumniarum, hoc à prævaricatoribus Episcopis Conciliabuli Tyriensis impetraverat, ut crearetur Episcopus exigui loci, undè originem duxerat (*s*). *Lex* nè excommunicati ab uno Episcopo, ab alio suscipiantur; procusa est in Concilio Nicæno (*t*), causamque habuit à dicto Eusebio Nicomediensi, qui Arrium receptaverat, ab Alexandro Alexandrino Episcopo censuris ecclesiasticis innodatum. *Lex* de constituendo in quâlibet Ecclesiâ OEconomo, qui curam redituum ecclesiasticorum teneret (*u*), causam habuit ab Ibâ Edesseno, quem in Concilio Chalcedonensi accusationes plurimæ fatigarunt, eo quod reditus ecclesiasticos malè suis usibus applicasset (*x*).

15. Centum aliæ leges adduci possent, ex variis causis editæ, quæ tales, & tàm particulares circumstantias casuum habuerunt, ut nunquàm fortè consimiles successus sint ampliùs eventuri: & tamèn non indè cessarunt esse leges generales, atque afficere in illis contingentiis eventuum, qui sub verbis ipsarum legum obviis concluduntur. Et certè lex quandò ponit casum, & non loquitur limitatè quoad illum, sed generalitèr disponit, tunc non est coangustanda ad illum præcisum casum, neque ad particulares illius casus circumstantias, sed uti lex generalitèr loquens, generalitèr est sumenda (*y*). Undè lex canonis *ad decorem*, cum non sit alligata circumstantiis ullis eventus, ob quem lata fuit, sed generalitèr loquatur, generalitèr etiam est sumenda, & independentèr ab illis circumstantiis, debet suum effectum

(a) *L. 1. §. si is qui navem ff. de exerc. act. L. prospexit ff. qui & à quibus c. inter corporalia 2. §. sed neque de translat. Rot. p. 4. rec. tom. 2. dec. 312. nu. 47. coram Coccino Suar. de leg. l. 6. c. 1. nu. 7.*

(b) *S. August. lib. de vera relig. ca. 31. ca. in istis 3 dist. 4.*

(c) *Rot. p. 6. rec. dec. 172. n. 61. coram Merlino.*

(d) *L. continuus §. cùm ita in fin. ff. de verb. sign. l. fin ff. quod met caus. L. Nepsusa in fin ff. de juram. dot.*

(e) *Aristot. l. 2. Rethor.*

(f) *L. si imperialis C. de legibus.*

(g) *Azor. inst. mor. p. 1 l. 5 c. 16. vers. decimosexto.*

(h) *L. 13. de pœn. Cod. Theod. & l. 10. C. Justin eodem titul.*

(i) *Ruffin. l. 2. c. 18.*

(l) *Sozom l. 3. c. 24.*

(m) *Baron. an. 390. nu 28.*

(n) *Concil. Sardicens. cap 1. ca. mala consuetudo dist. 8.*

(o) *Bail. in Concil. Sardic. c. 1. Baron. an. 347 nu. 46.*

(p) *Concil. Sardic. c. 4*

(q) *Bail. in Concil. Sardic. c. 4. tom. 1.*

(r) *Concil. Sardic. cens. c. 6.*

(s) *Bail. in Conc. Sardic. loc. cit.*

(t) *Concil. Nicæn. I. c. 5.*

(u) *Concil. Chalced. cap. 26.*

(x) *Toomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 3. l. 2. c. 2. nu. 2.*

(y) *Paul. Rubeus annot. ad decis. 617. Rotæ p. 4 rec. to. 2 coram Pirov. nu. 31.*

effectum omnifariè sortiri. Uno verbo, quamquàm de *cap. ad decorem*, pleraque dici possint, quæ videre est apud Auctores (*a*); tamen quatenùs facit legem communem, sumendum est, prout sonat, proprietasque verborum ejus est attendenda, non verò obvia, & naturalis illorum significatio turturà est angustianda; semper enim leges in propriâ verborum significatione sunt sumendæ (*b*). Sed audiamus Contradictores, qui canonis hujus vim declinare studentes, vario modo se interquent, & de illo profusâ locutione multa pronunciant,

16. Dicunt ipsi, quod captâ per Latinos Constantinopoli, ad illiusque Imperium, promoto Balduino Comite Flandriæ (*c*); Græci in suo schismate obdurescentes, ferè omnes Imperatorem Græcum, & Patriarcham Constantinopoleos, nomine Camaterum, secuti sunt, Adrianopolim, & Nicæam profectos: jamque Constantinopoli Græcis Catholicis denudatâ, indigenæ, & nativi illius urbis non aderant; sicque prò indigenis subintrabant, seù indigenæ illic erant soli Latini, ad eam urbem cum exercitu Crucesignatorum appulsi, & ità operæ pretium erat ecclesiastica beneficia solis Latinis Catholicis, Constantinopoli existentibus, ibique factis indigenis, elargiri: qui cum non essent ex solâ natione Italicâ Venetorum, sed adessent etiam alii Itali, Belgæ, Galli, & aliundè progeniti; justum non erat, ut Thomas Maurocœnus, natione Venetus, ad Patriarchatum Constantinopolitanum novitèr sublimatus, suis tantùm Compatriotis beneficia ecclesiastica largiretur: undè benè Innocentius Papa III, Cardinali S. Marcelli ejusque socio, suis in urbe Constantinopolitanâ Legatis præcepit, ut Thomam Patriarcham ad alios etiam clericos beneficiis ecclesiasticis munerandos impellerent (*d*). Cui Thomæ ipse Pontifex de eodem argumento scripsit, ac vinculum juramenti dissoluit, de quo in suis literis talis est sermo: *Nos igitur attendentes, juramentum illud quasi prorsùs illicitum, non esse servandum, quod à te Venetiis constituto fuit à Venetis violentèr extortum, sicut sua nobis Insinuatio patefecit, ut videlicèt neminem sis facturus Canonicum in Ecclesiâ S. Sophiæ, nisi Venetum natione, vel qui continuè per decennium Venetiis habitasset, quodque bonâ fide, modis omnibus, quibus poteris, laborabis, ut semper in Ecclesiâ S. Sophiæ sit Venetus Patriarcha &c.* (*e*).

17. Quo juramento cassato, Pontifex ità Patriarchæ præcepit, *Præsentium tibi auctoritate mandamus, & in virtute Spiritus Sancti districtè præcipimus, quatenùs juramentum illud nequaquàm observes, cum Sanctuarium Dei non sit hæreditario jure ab aliquibus possidendum, sed in omni gente, qui facit justitiam acceptus sit Deo, præcavens diligentèr, ne post hoc Apostolicæ Sedis præceptum, in præmissis articulis utcumque delinquas; quià si de cæterò solos Venetos in Ecclesiâ S. Sophiæ Canonicos institueris, vel ad hoc impenderis operam qualemcumque, ut semper in eâdem Ecclesiâ sit Venetus Patriarcha, neminem in ipsâ promovendo Canonicum, nisi juret, quod nunquam aliundè, nisi de Venetiis eliget, vel recipiet Patriarcham, nullâ deinceps ratione supèr his poteris excusari. Sed nec illud observes, quod absque juramento dixeris promisisse, ut neminem Archiepiscopum, prçter Venetum, in totâ facies Romaniâ.* Et infrà, *licèt autem plùs debueris Dominum timere, quàm homines, ne jurares aliquid proptèr homines contrà Deum, si tamèn in illo juramento, per vim, & metum extorto, præscriptam adhibuisti cautelam, ut juraveris salvo in omnibus Apostolicę Sedis jure, auctoritate, reverentiâ, & honore; nos tibi delictum tuum humilitèr confitenti, de speciali gratiâ indulgemus, ut hujusmodi juramentum nullum tibi possit prçjudicium generare, dummodò prçceptum, quod salubritèr tibi fecimus, ad salvandum jus, reverentiam, auctoritatem, & honorem Apostolicę Sedis, contrà cujus statuta ea, quę sunt jurata, redundant, fidelitèr exequaris.*

18. Sanè si vis *capituli ad decorem*, est à veritate historicâ repetenda; Nos quoque lumen ab historiâ nostris responsionibus postulemus, & in primis dicamus, parum cohærere historicæ veritati, quod Imperator, & Patriarcha Græci Nicæam profugerint, captâ per Latinos Constantinopoli, Græcosque omnes indè secum abduxerint. En etenim vera series successus. Imperabat pridem Isacius Angelus, quem

(a) *Actor. inst. mor. p. 2. l. 6. c. 4. §. 25. Solorzan. de Jur Indiar. c. 19 Garcia de Benef. p. 7. c. 9.*

(b) *L. non aliter ff. de leg. l. 1. §. is qui ff. de exercitoria arte Bonac. 10. 2. de leg. disp. 1. qu. 1. pun. 8. nu. 15. vers. 2.*

(c) *Epistola Balduin. inter Epistolas Innoc. III. l. 7. epi. 152. Raynald. ann. 1204. nu. 5. & 15.*

(d) *Innoc. III. epl. 100 Raynald. ann. 1206. n. 2 cap. ad decorem 5. de Instit.*

(e) *Innoc. III. epl. ad Thomam Patriarch. Constantinopolit.*

quem Alexius Angelus ejus frater, consilio Murcifili captum, excæcatum, & ferreis vinculis circumligatum, in carcerem detrusit, ab Imperio depositum (*a*): Quo facto sibi deberi Purpuram contendebat præfatus Alexius: non verò Alexio juniori, filio ipsius Isacii, ejusque nepoti: quare ità scripsit Innocentio Papæ: *Imperium non debet ad eum* (Alexium Isacii filium, *aliquâ ratione devolui, cum illud non per successionem, sed per electionem nobilium conferatur, nisi fortè genitus esset post adeptum fastigium Imperatoriæ dignitatis, quod unquàm idem Alexius non poterat allegare, cum priusquàm Pater ejus esset in Imperatorem promotus, natus fuerit: & quià pater ejus tunc privata erat persona, in Imperio non poterat sibi jus aliquod vindicare* (*b*). E contrà verò Alexius Junior, è carcere, ubi cum patre angustiabatur elapsus, Romam petiit (*c*), & subsidium pro Imperio recuperando, quod & patri suo injustè deposito, & sibi deberi contendebat instantissimè postulavit: tùm ad Philippum Sueviæ Ducem, atque Germanorum Imperatorem, levirum suum, cui uxor erat Irenes, ipsius Alexii soror, recursum habuit, de quo Innocentius, *Philippus*, inquit, *nuntios ad Principes exercitus Christiani, sinè quâlibet dilatione transmisit, rogans, & petens quià pater suus, & ipse fuerant jure suo, & Imperio nequitèr spoliati, cum eo Constantinopolitanum deberent regnum intrare, ac ad illud recuperandum eidem præstarent consilium, & favorem: promittens eisdem, quod tàm in subsidium Terræ Sanctæ, quàm in expensis, & donativis eis magnificè responderet, paratus etiam in omnibus, & per omnia, nostris stare mandatis, & quod Sacrosanctam Romanam Ecclesiam vellet juxtà posse suum modis omnibus honorare &c.* (*d*).

(*a*) *Raynald. an.* 1202 *n.* 35. *& an.* 1204. *n.* 11

(b) *Innoc.* 3. *l.* 5. *epistola* 122.

(c) *Raynald. an.* 1202 *num.* 35. *&* 38 *& an.* 1204. *n.* 2. *&* 3.

(d) *Innoc. III. loc. cit.*

19. Deliberato ergò per Latinos subsidio, quo repeteretur Imperium pro Alexio Juniore; Crucesignatorum exercitus Constantinopolim profectus est, ibique quid egerit, sic ad Innocentium Pontificem denunciavit. *Sæpius per nuncios nostros, imò per ipsum exulem nostrum, & barones nostros, à civibus postulantes audiri, nec adventus nostri causam, nec petitionis modum potuimus explicare: sed quotiès terrà, vel mari stantibus in muro sermones obtulimus, totiès retulimus tela proverbis. Considerantes igitùr, quod pretèr spem nostram cuncta contingerent; in eum statum necessitatis impacti, ut statim necesse haberemus, aut perire, aut vincere, cum obsidium ipsam nullâ ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium omnium incredibilis urgeret angustia, non ex desperatione quidem, sed inspiratâ quâdam securitate divinitùs, suspirare cœpimus ad bella, paucissimi periculis nos audactèr opponere, & incredibilitèr in omnibus obtinere, ad conflictum etiam campestrem sæpius ordinati, inæstimabilem multitudinem fugâ in urbe ignominiosâ conclusimus &c. Aptatis igitùr terrâ, marique bellicis instrumentis die obsidionis octavo violentèr civitas introitur, grassatur incendium, disponit in campo contrà nos acies Imperator, & paratis nobis excipere venientes, constantiam nostram cum paucitate miratus; ignominiosè fræna reflectit, in urbem retrogressus ardentem, ipsâ nocte fugam cum paucis aggreditur, suamque in urbe relinquit uxorem, & parvulam prolem* (*e*).

(e) *Raynald. an.* 1203 *n.* 14. *&* 15.

20. Prosequitur narratio: *Eâdem rè compertâ, nescientibus nobis, Græcorum Proceres in Palatio congregantur, & exulis nostri solemnis electio celebratur, seù potiùs restitutio declaratur, insperatamque lætitiam copiosa in palatio luminaria protestantur. Mane facto prodit in castra copiosa Græcorum procerum multitudo, suumque cum gaudio quæris electum, restitutam civitati asserit libertatem, & regredienti filio ad fasces Imperii, cum gaudio inæstimabili, sublevatum de carcere caput patris Isacii Imperatoris ostendunt. Præordinatis itàque, quæ necessaria videbantur, ad Ecclesiam S. Sophiæ novus Imperator cum solemni processione deducitur, & exuli nostro sinè omni contradictione Imperiale restituitur diadema, cum plenitudine potestatis. His peractis ad solutionem promissorum exilit Imperator, & promissa rebus accumulat, victualia servitio Domini profutura nobis prebet ad annum, ducenta marcharum millia nobis solvere pergit, & Venetis, sumptibus suis stolium prolon-*

prolongat in annum, seque juramento adstringit, quod erigere nobis debeat regale vexillum, & in passagio Martii nobiscum ad servitium Domini proficisci, cum quantis poterit millibus armatorum; & sub eâdem promissione concludit, quod eam reverentiam præstare debeat Romano Pontifici, quam Antecessores sui Imperatores Catholici prædecessoribus vestris Pontificibus pridem impendisse noscuntur &c. (*a*). Acta sunt hæc mense Julio anno 1203.

21. Ità præfatus Alexius Junior evectus fuit felicitèr ad Imperium (*b*), sed citò à fide, atque à promissis, quę Latinis spoponderat, semèl ac repetitè desiliens, eosdem bello appetiit, *& ex insperato*, ait Balduinus Imperator, *seù innatâ malitiâ, seù Grecorum seductus perfidiâ, animo recedit à nobis, cui tanta beneficia contulimus Imperator* (Alexius junior,) *& in omnibus cum patre, Patriarchâ, & mole nobilium nobis promissis periurus, & mendax, tot incurrit in periura, quot nobis præstitit juramenta* (*c*). His & aliis injuriis gravissimè lacessiti, ac successivè à Murcifilo multiformibus contumeliis affecti, Latini tandem, justo impetu facto, Constantinopolim aggrediuntur, eamque in suam redigunt potestatem; mense Aprili anno 1204. (*d*). Tunc inter ipsos inita est conventio, quod Imperator eligeretur ex natione Gallicâ, & Patriarchâ ex Venetis. Itàque ad Imperium provectus est Balduinus prædictus Flandriæ Comes (*e*), & ad Patriarchalem apicem fuit consensu omnium sublimatus Thomas Maurocœnus, Venetus civis, quem Innocentius *sabbato quatuor temporum Quadragesimæ in Diaconum ordinavit, & in sabbato hebdomadæ medianæ, in Sacerdotem promovit, & sequenti Dominâ Romę apud S. Petrum in Episcopum consecravit* (*f*); hocque successit anno 1205.

22. Igitùr quando Innocentius Papa III. epistolam scripsit, ex quâ conflatum est *Capitulum ad decorem 5. de institutionibus*, datam anno 1206., jam *Isacius* Imperator non erat, quippè præcedentèr è vivis excesserat (*g*). *Alexius* Isacii frater, qui, eo excæcato, & carceri mancipato, purpuram arripuerat, & dudùm rerinuerat; Imperator non erat: quandoquidem captâ primâ vice per Latinos Constantinopoli, terrore correptus, noctu clam Debeltum adivit: & deinde profugus ad Marchionem Montis Ferrati, unum ex præcipuis Latinorum Ducibus profectus, *cum Euphrosinâ Conjuge, in locum nomine Halmirum, hoc est salsuginosum fortunæ suæ respondentem habitatum missus est*, inquit Nicetas Choniates (*h*), ac postquam aliquo tempore per Achajam, & Peloponesum oberravit (*i*), est tandem in Germaniam relegatus (*l*). *Alexius Junior*, Imperator non erat, quippè quandò secundò Constantinopolis à Latinis est expugnata; jam à Murcifilo captus fuerat, & miserrimè strangulatus (*m*). *Nicolaus* itidem Canabus, quem, Alexio interempto, plebs in D. Sophiæ templo Imperatorem creaverat; Imperator non erat; quippè & hic à Murcifilo captus, citò fuerat ab imperio dejectus (*n*). Tandèm, & ipse *Murcifilus*, qui, & Alexius Ducas, Imperator non erat; quippè excæcatus, acè columnâ præceps projectus, capite humi alliso fuerat interemptus (*o*). Ità post ingressum Latinorum, Constantinopolis, ac Imperium, sinè Imperatore Greco remansit: perperamque dicitur à Contradictoribus, tempore dictæ epistolæ Græcos, cum suo Imperatore Adrianopolim, & Nicęam profectos, cum tunc Imperator non esset. Quamquàm, Canabo dejecto, nobiliores quidam Græci purpuram discerpendo, minora sibi constituerint Imperiola; Trapezunte in Cappadociâ; Prusę in Bithyniâ; Thessalonicę in Macedoniâ, de quibus Choniates, sic ait, *multorum dominatus Orientem depascebat, tricipiti quadam belluâ à vecordibus impletâ* (*p*). Intèr quos Theodorus Lascaris, gener Alexii, Nicęnos deprecans, ut ab illis admitteretur, repulsam passus; hoc unum obtinuit, ut ejus uxorem reciperent: ipse verò Despotę titulo, *circà Prusam loca omnia excurrebat, eo animo, ut illa sibi subiiceret, & prò Socero Alexio, ipse velut Imperator res ageret, ac ministraret* (*q*), quanquàm re verâ Alexius socer ei obsisteret (*r*), donec aliquandò posteà ipse Theodorus, etiam ad titulum Imperatoris Nicęę capessendum aspiravit (*s*).

23. *Camatherus* quoquè Patriarcha, postquam Constantinopoli abscessit, non Ni-

(a) *Idem nu. 14. in fin. 15. & 16.*
(b) *Dionys. Petav. Ration. temp. part. 1. lib. 8. f. 450. §. Isacius.*
(c) *Balduin. epl. ad Innoc. III. l. 1 epl. 152.*
(d) *Acta Innoc. III. ap. Raynald. an. 1205. nu. 16.*
(e) *Raynald. ann. 1204 nu. 15. & 19.*
(f) *Acta Innoc. III. ap. Raynald. ann. 1205. nu. 16.*
(g) *Rainald. an. 1204 nu. 1.*
(h) *Nicet. Choniat. annal. in Balduin. f. 183*
(i) *Niceph. Gregor. hist. l. 1. c. 5 f. 187.*
(l) *Raynald. ann. 1204 nu. 15.*
(m) *Nicet. Choniat. in Isac. Angel. cum Alex. fil.*
(n) *Idem loc. cit. ant. fin.*
(o) *Choniat. in Balduin. f. 184.*
(p) *Idem eod. loc.*
(q) *Rayn. ann. 1265 nu. 26.*
(r) *Niceph. Gregor. hist. l. 1. c. 5. f. 187.*
(s) *Idem l. 1. c. 2.*

Niceam petiit, sed Didymotychi versatus est, & paulò posteà exauthoratus: quippè, cum Theodorus Lascaris memoratus, à quibusdam primoribus Græcis, Niceę congregatis, affectaret Imperatoriam purpuram adipisci, Camatherus obstitit, illucve accedere recusavit: Undè Theodorus illum arbitrariè deposuit, & in ejus locum *Michaelem* Antoninum subrogavit, à quo se fecit ornamentis Imperatoriis accingi (*a*). Nec unquàm ergò Camatherus Patriarcha Niceam adiit, nec ibi Græcus Imperator, saltèm ab initiò, resedit; neque illùc omnes Gręci Schismatici, cum utroque migrarunt, uti supponunt Contradictores; sed major pars eorum Constantinopoli constitit; alii huc atque illuc, sè per Gręciam diffuderunt. Et quidèm quomodò Michael VIII. Paleologus post 58. annos, Latinis pulsis, Imperium, & Constantinopolim recuperasset, nisi ebullientes in illâ urbe infiniti Gręci, partim ad defectionem sollicitati, partimque promissis deliniti; adjutorium Gręco Cęsari contulissent (*b*)? Rursùs quis credat, populum Constantinopolitanum 15. circitèr centenis hominum millibus redundantem, totum, urbe vacuatâ, fugisse, quandò Latini Constantinopolim expugnarunt, nè alienę gentis Cęsari se subiiceret; si post bina sęcula, cum dimidio, à Mahomete II. Turcarum Sultano subactus, & tyrannidè pręssus (*c*), ejus potiùs subire jugum maluit, quàm abscedere? semperque ab illo tempore, usque ad pręsens, ubi Gręcorum infinitâ constitit multitudo.

(a) Raynald. an. 1205 n. 16.

(b) Raynald. an. 1261 nu. 16.

(c) Idem an. 1453 nu. 4. & 5.

24. Nec credatur omnes Græcos, qui Constantinopoli, Latinis imperantibus, morabantur, fuisse Schismaticos; quandòquidem plura millia Catholicorum, ingens illa urbs semper in suo sinu continuit, tùm Græcis Principibus obtemperans, tùm Latinis: Et nunc quoquè plura millia ipsorum continet, licèt sub Turcarum jugo, jàm penè à tribus sæculis, ingemiscat. Est hic usus prudentum, ac politicorum Principum, ut victis urbibus, & populis subjugatis; obedientiâ incolarum contenti, liberam eis Religionis professionem relinquant: & ad propriam quidem fortè fidem hortentur, atque sollicitent, sed non impellant: ne pro aris, & focis armati, desperatâque corporis, & animi libertate, victi in Victorem insurgant, fitque ipsis una salus victis nullam sperare salutem. Hinc postquàm Latini Constantinopolim subègere, quis dubitet an quotquot Catholicos, Schismaticos, Hæreticos, Judæos, Saracænos, ac si quos alios alterius religionis ibidem repererunt, suæ fidei reliquerint, nullâ quoàd hoc eis vi factâ, sed solo juramento civilis obedientiæ postulato? Id omnes Principes faciunt, humanitatis ductu, ac politicis regulis operantes. Nunquid autèm, & non tantundèm operatum esse credemus, Balduinum Flandricum Imperatorem, virum pium, & generosum, cujus probitatem, æquitatem, religionem, ipse Nicetas Choniates, vir Græcus, & infenso alias in eum animo, his encomiis celebravit; *Nondùm Balduinus annum ętatis 32. excesserat, & aliòqui vir erat pius, & modestus, ne impudico quidem aspectu mulierem intuitus, quandiù à suâ Conjuge abfuerat: vacabat divinis laudibus, necessitatibus constictantes sublevabat, suæ sententiæ adversarios æquo animo audiebat: & quod maximum est, bis quâlibet hebdomadâ vesperi proclamari jubebat, ne quis in suo palatio cubaret, qui alienam mulierem attigisset* (*d*).

(d) Nicet. Choniat. Annal. de reb. post. expugnat. Urbis in fin. f. 181. 4.

25. Plurima, inquam, Catholicorum millia Constantinopoli, tunc manebant, quum fuit à Latinis Ducibus expugnata: in quâ & anteà Romanus Pontifex Vicarium suum retinere consueverat, & ea, quæ ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, imperare. Sic enim quadriennio antè, L. Vicario suo Constantinopolim scripsit; nè permitteret Sacramentum Confirmationis à simplicibus Presbyteris ministrari (*e*): & eâdem die literas dedit ad Latinos omnes, Clericos, atque Laicos, in eâdem Regiâ urbe commorantes, quibus præcepit, ut Legato suo obtemperarent (*f*). Quo etiam anno, septimo antè datas literas *Capituli ad decorem de instis*. Alexius Imperator, Isacii frater, cum Innocentio tractavit de Concilio in Græciæ partibus celebrando, in quo de utriusque Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ conjunctione ageretur (*g*). Paritèr quadriennio antè dictas literas, Alexius Isacii filius, ac deindè Im-

(e) Raynal. an. 1199. n. 63.

(f) Idem loc. cit.

(g) Idem ubi supr.

Imperator, opem à Pontifice, & Occidentalibus implorans, ad Imperium recuperandum, spopondit se Ecclesiarum Latinæ, & Græcæ unioni efficacitèr operam daturum; prout annales Flandriæ referunt, & epistolæ Innocentii patefaciunt (*a*): quod ex se posteà impleturum pollicitus est, scribens eidem Innocentio, *Hæc fateor causa potissimum ad subsidium nostrum peregrinorum animos inclinavit, quod promissione spontaneâ, sub jurisjurandi religione, christianâ summus devotione polliciti, totius Christianitatis Ecclesiasticum Caput, Romanum videlicèt Pontificem, Apostolorum Principis Petri catholicum successorem, nos humilitèr agnituros, & ad hoc ipsum Orientalem Ecclesiam prò viribus inducturos* (*b*).

(a) *Raynal. an. 1203. nu. 13. & 1204. nu. 2.*

(b) *Epistol. Alexii Imperatoris ad Innoc. III. int. ejus epist. epl. 210.*

26. Nec ulli dubium est, quin & Latinis viris urbs illa Imperialis redundaret, antequàm à Latino exercitu caperetur, quoniàm præter ea, quę mox diximus, hęc Nicetas suis monumentis inservit, *Alexius fratrem Isacium Imperio dejectum excæcarat; sed cum ejus custodia non prorsùs negligenda esset &c. fratrem juxtà duas columnas, quæ in freti litore sunt, liberè vivere passus est, neque quemquam ad eum trajicere vetuit. Erat igitur cujusvis Isacium adire, tùm verò Latinorum, cum quibus arcana consilia de ulciscendis injuriis, & evertendo fratre Alexio conferebat, literis ad Irenem Filiam missis, Phi ippi Alemannorum Regis conjugem, quibus eam ad opem sibi ferendam instigabat, atque indè literas recipiebat, quibus quid agendum esset, monebatur* (*c*), sub utriusque ergò Alexii Imperio, qui antecedentium Catholicorum Imperatorum more, se rectæ fidei profitebantur acclines, & Sanctę Romanæ Ecclesiæ multiplicibus literis, ac mutuâ Nuntiorum transmissione, conjungebantur; in amplâ Urbe Constantinopolitanâ permulta fuisse, & Latinorum, & Orthodoxorum millia, ratione suadente, dignoscitur. Recepto subindè per Balduinum Imperio, numerum Catholicorum, & Constantinopolis, & totius Græcię, fuisse auctum, ex Leone Allatio intelligimus, testante, novum Cæsarem Gręcos ad Romanę communionis reditum allexisse, solertèrque egisse, ne quemquàm Catholicę Ecclesiæ rebellem suum complecteretur Imperium (*d*), quod in facto ità esse, & jàm Gręcos ad obedientiam Summi Pontificis pertransisse, indicio est epistola Innocentii Papę, quâ commonet Balduinum, ut Gręcorum Ecclesiam in Sedis Apostolicę obsequio studeat conservare (*e*); conservare nàmque non potuisset, si jàm pridèm hęc non se Pontifici subdidisset.

(c) *Nicet. Choniat. Annal. in Alex. Angel. l. 3. §. hactenus f. 277. 2.*

(d) *Leo Allatius l. 2. c. 13.*

(e) *Innoc. III. l. 7. epl. 153.*

27. Rursùs non aderant Constantinopoli solummodò Laici, Græci ritus, & Latini, ut suprà Orthodoxi, & Catholici; sed & etiam aderant Clerici, & Monachi, tanto numero, quanto tàm amplæ Urbi poterant respondere. Et quod ità sit, id probant clarissimis verbis Constitutiones illæ, quæ tunc initæ sunt, intèr Patriarcham Thomam Maurocęnum, & Imperatorem Henricum, Balduini fratrem, & successorem, ac alios ejus Duces, milites, & Barones, Constantinopoli tunc degentes, in quibus hæc expressè leguntur, *Præterea Clerici, & Ecclesiæ universæ, & earum possessiones, & manentes in ipsis possessionibus, & Ecclesiis, & religiosæ personæ, tàm Gręcorum, quàm Latinorum, & morantes cum prædictis, & claustra Ecclesiarum, & habitantes in eis, & qui ad Ecclesiam confugerint, liberi erunt ab omni laicali jurisdictione, secundùm liberaliorem consuetudinem Franciæ: salvâ in omnibus auctoritate Ecclesię Romanę, nec non & Constantinopolis, & bonore, & jure Domini Patriarchæ, & Imperatoris, & Imperii* (*f*): quas quidem conventiones Innocentius Papa III. auctoritate Apostolicâ confirmavit.

(f) *Rainald. an. 1206 n. 5.*

28. Hinc non parum hallucinantur, nisi ludendo loquantur, Contradictores, quando asserunt, ideò Papam jussisse in *Cap. ad decorem 5. de Instit.* ne soli Clerici Veneti, sed etiam ex aliis nationibus nati, qui Constantinopolim se contulerant, licèt omnes essent extranei, beneficiis Ecclesiarum Constantinopoleos, & præsertìm magnę Ecclesiæ S. Sophiæ investirentur, quià ibi non aderant Clerici indigenę. Ex historicâ namque veritate convincitur, quod eodem tempore aderant Constantinopoli plurimi Græci, & Latini, Orthodoxi, Catholici, & fideles, etiam Clericalibus Ordinibus insigniti, quos Franci, & Veneti in eorum conventionibus, utrìmque

san-

sancitis, vocant religiosas personas, & Clericos Ecclesiarum possessores, sivè in eis manentes, quos citrà dubium est fuisse beneficiorum ecclesiasticorum capaces: Et idcircò non subsistit, quod jusserit Pontifex beneficia conferri Clericis omnium aliarum nationum ultrà Venetam, quià non ibi essent indigenæ ad eas idonei: sed potiùs voluit beneficia non solis Venetis conferri, eò quod erant ibi infiniti alii Clerici Latini, & Græci, diversarum nationum, vel incolæ illius Urbis, vel in ea orti, aut illuc unà cum Latino exercitu appulsi, quos non erat justum universalitèr sperni, & cunctos soli nationi Venetę posthaberi. Quamquam enim liberum sit Collatoribus beneficiorum, vel ad illa nominatoribus, eademmet extraneis impertiri; non ideò tamèn omnia extraneis sunt donanda; sed indigenis quoque, & incolis locorum, ac illuc aliundè venientibus, pars congrua danda est: præstabatque in illo casu finem etiam politicum reprimere Venetorum, & Maurocæni, qui ideò affectabant inter solos Venetos Canonicatus Ecclesiæ Sanctæ Sophię distribuere, ut Patriarcha ab illis eligendus, ex solâ Venetâ natione in perpetuum crearetur: indigenis non minùs ac aliarum nationum Clericis, à tantâ dignitate rejectis.

29. Eliditur quòque ex jam dictis illa Contradictorum fabella, quâ dicunt, Græcos non fuisse tunc beneficiis Ecclesiasticis decorandos, quià à Schismate, de recenti abjurato, veniebant; & uti talibus non erat fidendum: erant enim Neophyti in Fide Catholicâ, nec, nisi tanquam prò Laicis reputandi; quemadmodum Clericos, à Petro Leonis in Schismate ordinatos, Concilium Lateranense sub Innocentio II. censuit inter laicos recensendos (*a*), & de promotis ad Ordines à Burdino Schismatico, aliud Concilium Lateranense sub Callisto II. sententialiter definivit (*b*). Ac quoad insignitos demùm sacris Ordinibus ab Octaviano, Guidone, & Joanne Strumensi, Schismaticâ fœditate pollutis, aliud paritèr Concilium Lateranense sub Alexandro Papa Tertio, sancivit (*c*). Si enim hoc esset verùm, cum de præfatis, à Schismate reversis, decernatur in *Cap. quod. 2. de Schismaticis: qui dignitates Ecclesiasticas, seù beneficia per dictos Schismaticos acceperunt, careant impetratis*; sequeretur, quod Clerici Constantinopolitani, & alii Græci, à Schismate ad communionem Catholicam jam regressi, nedum à consequendis novitèr beneficiis fuissent repellendi, sed etiam debuissent jàm adeptis totalitèr denudari, quod quis concedere audebit? Quis mente sanâ admittere non pavebit, quod præmium abjurati schismatis prò Græcis debuisset esse spolium, sivè amissio beneficiorum? Certè hunc animum non habuit Innocentius, qui imò protestatus est, *Græcos diebus nostris ob obedientiam Sedis Apostolicę revertentes, fovere, ac honorare volumus, mores, ac ritus eorum, in quantùm cum Domino possumus sustinendo* (*d*).

(a) *Conc. Later. 2. cap 24.*
(b) *Concil. Later. 1. cap. 6.*
(c) *Concil. Later. 3. c. 2. c. 2. de Schismat.*
(d) *Cap. licet. 6. de Baptismo.*

30. Nèc valet paritas, à reversis à schismate Petri Leonis, Burdini, Octaviani, Guidonis, & Joannis Strumensis, ad Grecos, à suo schismate reversos, quippè primi non ex ignorantiâ, non ex hereditariâ successione, in errore versabantur: sed ex propriâ malitiâ, & ambitione, summo Pontifice jàm ritè electo, alium sibi elevarunt Idolum, & Pseudopapam legitimo Potifici opposuerunt, ut ab illo, & ordines, & dignitates, & beneficia sacra captarent, atque in schismate consequerentur id, quod aliàs non potuissent meritis exigentibus adipisci: ideòque benè, schismate compresso, fuerunt & beneficiis, & suffuratis gradibus, atque ordinibus vacuati. At Greci, in schismate jàm trecentenario progeniti, fidem suorum majorum cęcis oculis consectantes, versabantur in errore, quem licèt falsò, rebantur tamèn à veritate non deviare: inscii presertìm, & rudiores, sequentes dogmata sapientiorum, à quibus tametsi deciperentur, ipsi tamen poterant aliquatenus excusabilitèr opinari, sè non esse deceptos. Fortè etiam id censebant, quod quis posset sine incursu heresis, quæ fidei opponitur, schisma tenerè, quod opponitur charitati: vel quod schisma non esset, ubi sola obedientia Romano Pontifici denegatur, fide alioquin integrâ remanente, rati Ecclesiam fuisse à Christo institutam sub regimine Aristocratico, non Monarchico: in quibus etsi errarent; negari tamen non potest, quin ob eorum inscitiam

scitiam aliquâ miseratione dìgni essent, prout hanc promeruit D. Paulus, dùm de se ait, *blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quià ignorans feci in incredulitate* (a). Itàque Græci, suâ ignorantiâ involuti, si non à culpâ schismatis abjurati, saltem excusandi videbantur à pœnâ (b). Sicque à schismate recedentes, non erant pœnis schismaticorum mulctandi, sed potiùs præmiis, & muneribus confovendi, ut & ipsi de susceptâ catholicâ professione gauderent, ac alii refugæ non se pertinaciùs in exitiali schismate solidarent. Et certò politicè etiam loquendo, præfatorum Græcorum exclusio ab ecclesiasticis beneficiis, post reditum ad Ecclesiæ unitatem, quid aliud fecisset, nisi eosdem ad schisma repetendum adigere, & nondùm reversos à schismate, ab eodem abjurando exitialitèr retinere?

(a) *Timoth.1.13.*

(b) *Glos. in cap. quia diligentia 5 V. susceperit de elect. Thesaur. de pœnit. Eccl. V. schisma c.1. §. aliud in fin.*

31. Sed quatenùs etiàm de facto, vel per hypothesim, Græci, ad Catholicam fidem reversi, schismaticorum pœnas promeruissent; adhùc tamen & poterant, & debebant ad beneficia ecclesiastica dispensari. Textus est clarus in jure (c): Nàm etiam illi, qui, ut superiùs memoravimus, ob schisma Petri Leonis, Burdini, Octaviani &c. fuerant inhabiles ad beneficia ecclesiastica declarati, tamen remanserant eorum capaces, si cum ipsis fuisset de benignitate Apostolicâ dispensatum (d). Et ità vel vi ignorantiæ, quâ Græci in schismate perstiterant, hæreditariè à parentibus ad se transfuso; vel ex miseratione, quâ Ecclesia pia Mater, ad se redeuntes benignè suscipit, & præmiis potiùs resovet, quàm suppliciis afficiat; vel ex dispensatione, quàm justum erat, ut Ecclesia prò Græcis ad se redeuntibus, totis velis extenderet; vel tandèm ex politicâ ratione, ut facilis, & expedita cunctis schismaticis via sterneretur ad fidem Catholicam capessendam; ex his, inquam, rationibus nec poterant, nec debebant Græci, à schismate resurgentes, ab ecclesiasticis beneficiis arceri. Neque in urbe, & Ecclesiâ Constantinopolitanâ, ubi secundum carnem nati erant, reputari debebant extranei, sed indigenæ, vel saltem talitèr indigenæ habendi erant, sicuti Latini, qui illùc ad inhabitandum cum Crucesignatorum exercitu commigraverant.

(c) *Cap. quia diligentia 5. de elect.*

(d) *Cap. quod à prædecessore, & ibi glos. V. trvitas de schismat. c. fraternitati, & ibi glos. V. dispensatum eod. tit.*

32. Verùm cessant in facto cuncta hæc motiva, ex eo quod, ut innuimus, Constantinopoli eo tempore, quo sancitus est *Can. ad decorem de instit.* aderant nedùm Græci à schismate de recenti reversi, sed etiam alii antiqui Catholici, appellati in præmemoratis conventionibus, *religiosæ personæ, tàm Græcorum, quàm Latinorum* (e), qui, uti tales, erant beneficiorum ecclesiasticorum capaces, & imò ad ipsa debebant, cæteris paribus, tamquàm indigenæ præferri. Rursùs in ipsâ Ecclesiâ Constantinopolitanâ aliqui adhærant, licet pauci, canonicè in beneficiis instituti; quibus retentis, mandat Innocentius Papa III. Patriarchæ Maurocœno, ut alios adjungat, viros idoneos, & dignos, atque meritis præpollentes, nullâ in eis attentâ gentis, & originis conditione, sed solâ virtutum, literaturæ, atque Apostolicæ obedientiæ ratione, dicens, *Cum in Ecclesiâ Constantinopolitanâ, vel nulli, vel pauci sint canonicè instituti, ad eam sub Apostolicâ obedientiâ idoneos viros assumat, nec sanguini alitèr, quàm deceat acquiescas, sed merita ponderes, & literaturam attendas, quoniam in omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo* (f). Ex quibus apparet, aliquos in dictâ Ecclesiâ adsuisse canonicè institutos, tametsi paucos, mentemque Pontificis fuisse, non ut Græci abiicerentur, sed ut minùs legitimè in beneficiis ecclesiasticis instituti, canonicè, & secundum juris regulas instituerentur: & sive Græci, sive Latini; sive Veneti, sive Galli; sive Itali, sive Belgæ; omnes indiscriminatim ad beneficia admitterentur, dummodò idonei, literati, & obedientiam Romanæ Sedi professi.

(e) *Reynald. an. 1206 n. 5.*

(f) *Gesta Innoc. III. f. 103.*

33. Non ergò est verum, quod ideò sancitus fuerit *Canon ad decorem* favore aliarum nationum prætèr Venetos, quià tàm Veneti, quàm alii dictarum nationum Itali, Belgæ, Galli &c. essent illi, qui soli componerent indigenas urbis Constantinopoleos, à quâ nativi Græci recesserant, & sic canon faveat indigenis, non extraneis. Nàm, ut ostendimus, aderant multi Latini, antiqui originarii, cives, &

incolę illius urbis: aderant & infiniti Græci, qui ibi remanserant: aderant Clerici religiosi, & Catholici, qui vel nunquam schisma fuerant amplexi, vel illud de recenti abjuraverant, & hi omnes poterant, & debeant à Patriarchâ beneficiis ecclesiasticis insigniri, si beneficia ipsa erant solis indigenis conferenda. Et quatenùs etiam non adfuissent Clerici indigenæ, ac nativi urbis Constantinopolitanæ; certè tamen aderant Laici Catholici, ejusdem urbis cives, quos potuisset, & debuisset Patriarcha ad ordines promovere, & beneficijs ecclesiasticis investire, si lex divina, & humana, ac naturalis postulasset, prout supponunt Contradictores, quod ipsa beneficia solis indigenis conferrentur. Profectò deficientibus in clero viris idoneis ad ecclesiasticas dignitates, quærendos esse in populo sanxerunt Concilium Valentinum juxtà lectionem Hincmari (*a*): Concilium Sardicense (*b*): Concilium Ticinense (*c*): & nonnè Ambrosius Mediolanensis (*d*): nonnè Nectarius Constantinopolitanus (*e*): & plures alii, de quibus infrà, ad infulas episcopales è laicali statu provecti sunt? Origenes Adamantius (*f*): Paulinianus frater S. Hieronymi (*g*), nonne è laicali statu citò ad Presbyteratus ordinem ascendêre? Græci ergò, etiam laici erant ordinibus, & beneficiis ecclesiasticis munerandi, si deerant Clerici indigenæ: eorum capaces, ne prębendę, contrà suppositum præscriptum juris naturalis, divini, & humani, ad extraneos pervenirent.

(a) *Concil. Valent. an 855. c. 7. Hincm. de prædestin. c. 36.*
(b) *Concil. Sardicen. cap. 13.*
(c) *Concil. Ticinens.*
(d) *S. Ambr. ep. 82.*
(e) *Niceph. l. 12. c. 32. Baron. an. 381. n. 69.*
(f) *Baron. an. 230. n. 3.*
(g) *Baron. ann. 392. num. 40.*

34. Et certè quod laici possint usque ad Episcopatum provehi, dummodò per inferiores gradus successivè pertranseant; disertè decernitur in jure (*h*). Hoc modo, ut innuimus, S. Ambrosius Mediolanensis, Thomas Cantuariensis (*i*), Stephanus Neapolitanus (*l*), Alexander Comanensis (*m*), Severus, & Sergius Ravennates (*n*), Nicephorus, Tharasius, ac Nectarius Constantinopolitani (*o*), Aliique alibi, suas cathedras conscenderunt. Quid plura? Nonnè vir quidam laicus, filios habens viventes, fuit Syracusanis infulis redimitus, interponente ad hoc auctoritatem, & consensum suum Pelagio Papa I. ad instantiam Cethegi Patritii (*p*)? Quemadmodùm ergò potuerunt hi, potuerunt & alii laici ad Episcopatus apicem pervenire, & Sedes Patriarchales, & Episcopales adipisci; sic multò magis poterant laici Constantinopolitani ad beneficia illius metropolis promoveri, si hęc erant omninò, sub pœna læsæ legis naturalis, divinę, & humanæ, solis indigenis conferenda. Minùs enim dedecet, laicos ad minora Ecclesiæ munera citò peruehi, quàm ad majora ejusdem officia protinùs sublimari.

(h) *C. Osius, dist. 61. glos. Marg in c. nullus dist. 63.*
(i) *Jo. Sarisber. in Vit. S. Thom Cantuar.*
(l) *Platina. in Vit. Stephan. 4.*
(m) *S. Greg. Nyssen. in Vit S. Greg Thaum.*
(n) *Hier. Fabri Hist. Raven. f. 411. & 445. Ughel Ital. Sac. in Archiep. Raven.*
(o) *Baron an. 806. 3. an. 784. 4. an. 381. 69.*
(p) *Cap. de Syracusanæ 13. dist. 28.*

35. Si dicatur, id ità factum esse propter necessitatem, eò quod intèr Clericos nullus tunc sit inventus ad talem gradum idoneus; admittimus hoc esse suppositum in Nectario, de quo scripsit Nicolaus Papa I. post quadringentos septuaginta circitèr annos, quod illum *Sancta secunda synodus, non ob aliud ad sacerdotalem eligere, atque ordinare ex laicali voluit dignitatem, nisi quià magnæ necessitatis contritione anxiabatur, eo quod in Constantinopolitanâ Ecclesiâ nullus Clericorum inveniri poterat, qui pessimæ hæreseos nimbosâ caligine non fuerat impeditus, & ob hoc ne diù jàm dicta Ecclesia sub destitutione pastoris, quasi viduata maneret, prædictum Nectarium expugnatorem Hæreticorum, & defensorem Ecclesiarum, ad ecclesiasticam curam, & dignitatem sacerdotalem secunda sancta synodus elegit, sed ut hoc iteràm fieret, non confirmavit, nec instituit* (*q*). Admittimus, inquam, in Nectario sic fuisse censitum, sed in aliis non ità fuit. Prætereà per ly *necessitatis* Nicolaus Papa, non veram, & inevitabilem urgentiam intellexit, quæ propriè necessitatem significet; sed solam opportunitatem, & utilitatem, quę sæpè sæpius necessitatis vocabulo solet exprimi, cum rè verâ non sit nisi mera expedientia (*r*). Et ità quando posteà in eâdem Ecclesiâ Constantinopolitanâ ordinatus est Patriarcha Nicephorus ex laico; de improbantibus id quibusdam dictum est: *Sanè id, neque novum, neque recens excogitatum fuit factum, cum multi etiam alii de laicis Episcopi creati sint* (*s*). Et tandem quidquid fuerit de casu Nectarii, certè nunc, non semel ad praxim perducitur, in Germaniâ, Galliâ, Hispaniâ, & alibi cita provectio laicorum usque ad cathedras Episcopales, etiam citrà præcisam necessitatem. Et quoad Stephanum, Ser-

(q) *Nicol. 1. ep. 2. in Act. 4. Conc. 4 Constpol.*
(r) *Fagnan in c. tuæ Fraternitati n. 18 de sponsal l. 4. & in c. qui presbyterum n. 27. de pænit & Remis l. 5.*
(s) *Cedren. Histor. in Bardan. & Staurac. an. 4. f. 392. 30.*

Sergium, Ambrosium, Thomam, Severum, Alexandrum, Nicephorum, & Thasium præmemoratos, nullum legimus in historiis locum habuisse necessitatem, imò potiùs apparet, quod nullâ cogente necessitate, aliisque Clericis ad Ecclesias illas aspirantibus, ipsi insperatò præpositi fuerunt.

36. Hinc tot leges, quas numerat Ecclesia in corpore juris (*a*), & in Conciliis Romano (*b*), Constantinopolitano (*c*), Claromontano (*d*), Bracarensi I. (*e*); necnon & epistolas Nicolai Papæ I. (*f*), Joannis VIII, (*g*), Hadriani I. (*h*), & Gregorii paritèr I. Pontificum (*i*), promotioni laicorum obsistentes, constat vel non fuisse præceptivas, sed consultivas; vel non exclusisse laicos, nisi quatenùs omitterent omnes ordines gradatim, sub aliquo temporis interstitio suscipere: de quo etiam quidquid sit, ponderamus hìc, quod Thomas quoquè Maurocœnus ex laico, citò fuit ad Patriarchatum provectus (*l*), nullâ cogente necessitate, quam ideò ipse non poterat adversùs Græcos laicos allegare, ne scenam renovaret Photii ejus Prædecessoris, qui ex laico citò transmutatus in Præsulem, suæ synodo postmodùm hanc infudit sanctionem. *Et si hucusque quidam ex monachis, & laicis, exigente necessitate, Episcopali honore statim digni facti sunt &c. Id tamen, quod rarò evenit Ecclesiæ legem nequaquàm statuentes, decernimus, ut id deinceps minimè fiat* (*m*). Sed quatenùs etiam omninò necessitate fuisset opus, ut possent laici ad ordines, & ad officia ecclesiastica extolli; essemus in casu; nam quæ major necessitas poterat occurrere, quàm illa promovendi laicos Constantinopolitanos, in defectum Clericorum indigenarum, ne beneficia illius urbis, contrà suppositas leges divinam, naturalem, & humanam, ad Clericos extraneos pervenirent? Laicos tamèn de facto operæ pretium non fuit sacris ordinibus initiare, ut provehi possent ad beneficia, tùm quià verè nulla lex coarctabat largitionem beneficiorum ad solos indigenas; tùm quià, uti suprà diximus, aderant Constantinopoli Clerici Græci, & Latini; Veneti, & Galli; Itali, & Belgę, quos omnes mandavit Pontifex beneficiis vacantibus insigniri, nullo attento discrimine nationum, quià in *omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo, nec Sanctuarium Dei convenit jure hæreditario possideri* (*n*).

(a) *Cap. miserum dist. 61. c. quoniam dist. 43. c. ubi dist. 59. c. ordinatos ead. dist.*
(b) *Conc. Rom. an. 324 c. 11. & an. 1059. c. 13. & S. Fulbert. Carnot. epist. 38.*
(c) *Conc. Constpol. 4. cap. 5.*
(d) *Concil. Claromont. 1095 c. 5.*
(e) *Concil. Bracar. 1. an. 563. c. 68.*
(f) *Nicol. 1. ep. 2. 5. & 6.*
(g) *Jo: 8. ep. 199.*
(h) *Hadrian. 1. ep. 1. ad Thavas.*
(i) *S. Greg. l. 3. ep. 39 l. 7. ep. 115. l. 11. ep. 16.*
(l) *Raynald. an. 1205 num. 16.*
(m) *Conc. Constpol. sub Photio. c. 17. in tom. 8. Concil.*
(n) *Cap. ad decorem 5. de instit.*

37. Itàque sive nuda verba *Capituli ad decorem* attendantur, sive ratio, proptèr quam edita fuit epistola Innocentii, ex quâ canon ipse decerptus est, & juris corpori insertus; emicat, quod ideò improbata fuit provectio Clericorum solius nationis Venetę ad beneficia Ecclesiæ Constantinopolitanę, quià in eâ urbe pretèr Venetos, aderant etiam Latini, & Græci; & præter Venetos Latinos, & Græcos, aderant etiam Belgæ, Itali, Galli, aliarumque nationum Clerici, quos justum erat ad beneficia ipsa admittere, non collationem hæreditario jure ad unicam nationem Venetam limitare: Quarè vi præfati *cap. ad decorem*, nedùm liberum est Collatoribus beneficiorum, & ad ea nominatoribus ipsa beneficia, etiam extraneis impertiri; sed imò eis præcipitur, ne se velint ad solos indigenas coarctare.

38. Nec dicatur, hoc textu parum juvari Clericos, Cardinales, & Prælatos Ecclesiæ Romanæ, qui in curiâ Papę residentes, vel ei alitèr deservientes, semper remanent à quibuscumque Ecclesiis universi Orbis extranei: cum Veneti, Galli, Belgæ, Itali, Græci, & alii cujuscumque generis, & nationis, vel pridem ut originarii, aut velut incolæ Constantinopoli morantes, vel illùc occasione bellicæ expeditionis profecti, suscipiendo inibi ecclesiastica beneficia, & eorum se ministerio personalitèr mancipando; ex alienigenis, & extraneis evaderent indigenæ, si non erant, sicque *cap. ad decorem*, eâdem occasione procusum, nihil causæ Clericorum Romanæ Curiæ profit, qui beneficia ecclesiastica hùc illùc per diversas urbes recipiunt, & nec ibi resident, nec ministrant. Non, inquam, id dicatur, quià primò negatur suppositum, nempè quod omnes Galli, Belgę, Veneti, Gręci; Itali, aliarumque nationum Clerici, qui beneficia Constantinopoli suscipiebant, eorum se personali adstringerent servituti. Nàm Parochos quidem, Canonicos, Mansionarios, & alios, beneficiis residentialibus insignitos, censemus quidem personali servitio suorum beneficiorum se alligasse. At nactos beneficia merè simpliciæ,

eaque à reſidentiæ vinculis abſoluta; quis credat sè reſidentiæ, & perſonalis miniſterii oneribus implicaſſe? Probent id manifeſtè Contradictores, & tunc credemus.

39. Valdè difficultèr, & non niſi ægerrimè, circà illa tempora patiebantur beneficiarii, quantumvis reſidentiales, & perſonalis ſervitii obligatione conſtricti, ad reſidendi debitum coarctari, quod indicio ſunt canones Concilii Lateranenſis III. ſic decernentis de Curis parochialibus; *talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſe ipſam valeat exercere* (*a*); & Concilii Lateranenſis IV. conquerentis, *quod nullus fructus, aut rarus de prædicto ſtatuto proveneras*, & ideò reurgentis, ut nullus, niſi unam Eccleſiam parochialem, aut perſonatum poſſet adipiſci, & in eâ deberet perſonalitèr miniſtrare (*b*). Porrò profuſa fuit Eccleſia in edendis legibus, adſtringentibus beneficiarios reſidentiales ad miniſterium perſonale, ſeù ad debitum reſidentiæ (*c*); & vix ſuum adepta eſt intentum, niſi poſt Concilium Tridentinum, hoc ſub pœnis graviſſimis, non ſemel, ſed bis, & tertiò definiens (*d*). Quis ergò credat, quod beneficiarii merè ſimplices in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ, novitèr Catholicam Communionem amplexâ, ſe ſpontè voluerint reſidentiæ laqueis irretire, quandò in corde Eccleſiæ Latinæ, ægrè ferebant ipſi beneficiarii reſidentiales, & Curati, ad miniſterii perſonalis onus arctari? Quidquid ſit ergò, an Latini recipiendo Parochias, Canonicatus, Perſonatus, & dignitates in Eccleſiis urbis Conſtantinopoleos, & inibi perſonalitèr reſidendo, depoſitâ extraneitate, fierent indigenæ, nec ne, ob reſidentiam ipſam perſonalem, ad quam ſe arctabant, tamen certum eſt, quod illi, qui beneficia merè ſimplicia ſuſcipiebant, cum reſidentiam perſonalem non ſponderent, non fiebant ibi indigenæ in ſenſu, de quo loquimur, ſed remanebant extranei, ſervatâ nihilominus ratione, quod clerici alicubi beneficiati, veniunt appellatione Civium illius loci, licet ibi non habeant Domicilium (*e*); ſicque ex eorum exemplo ſemper eſt verum, quod extranei optimè valent beneficiis Eccleſiaſticis inſigniri.

40. Secundò iterùm negatur ſuppoſitum, nempè quod Clerici Galli, Belgæ, Itali, Veneti, aliarumque nationum, Conſtantinopolim cum exercitu Crueſignatorum profecti, inibi ſtatìm, depoſitâ conditione extraneorum, in ictu oculi qualitatem indigenarum adepti ſint, nam rè verâ erant ibi extranei alienigenæ, & peregrini, ac notis illis affecti, quas in extraneis diſtinguit Albaſpineus, *is olim cenſebatur peregrinus, qui non erat natus in illo loco, in quo ordinabatur, quamvis multos annos ibidem immoratus eſſet* (*f*). Et de facto hujuſmodi ſpecifico, & individuali vocabulo *peregrinorum* nuncupati ſunt ab Alexio juniore Imperatore, ad Innocentium III. ſcribente, *ſed nec illud veſtrum effugit auditum, quod peregrinorum beata ſocietas, crudelitatem abominata ſceleris inauditi &c. exilium meum, & cauſam juſtiſſimam quidem, ſed apud homines deſperatam, tàm miſericorditèr, quàm virilitèr adorſa fuerit ſublevare &c.* (*g*). Aquiſiviſſent autèm ſucceſſu temporum domicilium, & euaſiſſent indigenæ, ac cives Conſtantinopolis, ob animum deliberatum figendi lares in ipsâ urbe, & in eâ perpetuò permanendi (*h*). At donèc ex beneficio, & lapſu temporis, id eveniebat; ſemper remanebant extranei, ſaltèm quoàd forum externum, antè decennium, quod ſpatium temporis requiritur ad domicilium contrahendum (*i*), ſicque ſi adhùc erant extranei, quandò Papa edidit *Capitulum ad decorem*, patet, quod etiam extraneis & poſſunt, & debent eccleſiaſtica beneficia conferri.

41. Tertiò dicimus, quod *Capitulum ad decorem* tàm ſuffragatur Clericis Romanis, ut poſſint in aliis orbis Eccleſiis de manu Papæ præbendas eccleſiaſticas adipiſci; quàm ſuffragatur cunctis extraneis, ut eas poſſint ab Imperatore, Regibus, & Epiſcopis, aliiſque beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus in eorum Regnis, Imperio, locis, & reſpectivè diœceſibus obtinere. Certè ſi prodeſt unis, proficiet & aliis: ſi inutile eſt ſecundis, inoſſicioſum erit & primis. Sed credimus, quod Contradictores non audebunt denegare Cæſari, atque Regibus, necnon Epiſcopis, & aliis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus,

(a) *Conc. Later. 3. c. 13.*

(b) *Conc. Later. 4. c. 29.*

(c) *C. relatum 4. c. conquerente 6. c. ex parte 8. c. qualitèr 9. c. clericos 17. de Cler. non reſid. c. conſuetudinem eod. tit. in 6.*

(d) *Conc. Trid. Seſ. 6. c. 6. Seſ. 22. c. 3. Seſ. 24. c. 12.*

(e) *Bellet. diſquiſ. Cler. p. 1. de diſcipl. Cler. §. 2. n. 15.*

(f) *Albaſpin. l. 2. num. 60.*

(g) *Alexius Imp. epl. 210. inter epiſtolas Innoc. III. l. 6.*

(h) *L. Civeſ. C. de incolis l. 10. Menoch. de præſump. l. 6 præſumpt. 42. n. 2. & de arbitr. l. 2. cent. 1. caſ. 86. Marchin de Ordin. tr. 1 p. 5. c. 7. n. 1.*

(i) *Bald. con. 393. l. 1. Seraph. dec. 999. nu. 2. & dec. 1070. num 2. Marchin. loc. cit. nu. 3. & 7. Barboſ. de off. Epiſc. alleg. 4 num. 28.*

bus, jus illamet extraneis, & in locis beneficiorum non residentibus, elargiendi: nàm hoc modò negabunt id, quod continua praxis comprobat posse ritè, ac licitè fieri; & coarctabunt facultatem Episcoporum, Cæsaris, atque Regum, necnon aliorum suprà enuntiatorum, intrà tàm arctos limites, ut in illis nolint omnimodè circumcludi. Quos si his permissum erit favore extraneorum transcendere, licebit etiam ut pro Clericis, Prælatis, & Cardinalibus Romanæ Curię possint, & valeant, tùm à Papâ, tùm ab aliis, pręfati limites transiliri.

42. Stat ergò vis *Capituli ad decorem de Institutionibus*; pro extraneis unà cum indigenis ad beneficia ecclesiastica paritèr admittendis. Cujus canonis robur etiam repetitur ab observantiâ, & consuetudine, comprobante libertatem Collatorum, & Nominatorum, elargiendi beneficia, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis: quippè omnis lex recipit interpretationem ab observantiâ, & consuetudine (a) Communis autèm interpretatio Capituli *ad decorem*, tùm ab experientiâ rerum magistra, tùm à Doctoribus, hunc canonem explicantibus, id sentit, ut beneficia ecclesiastica licitè valeant etiam extraneis conferri. Audiatur Abbas in hoc capitulum num. 2. dicens, *Instituendo semper homines certę nationis, videtur quod illa beneficia sint quodammodò debita illi nationi: undè videtur collatio non libera*. Et infrà: *Nota bene Glossam, quià extraneus licitè potest institui in beneficio, dummodò aliàs constet de suâ idoneitate*.

43. Verum est quod, cæteris paribus, indigenæ sunt extraneis præferendi, & hoc modò interpretatur dictum canonem ipse Abbas, subjungens, *credo tamèn ubi indè geniti essent idonei, quod non debent postponi proptèr extraneos* (b). Idipsum sentiunt passim Canonistæ (c). Quod tamèn est verum, non absolutè, nec de rigore juris, sed solùm de honestate, quià *valdè honestum est, & fructuosum, ut quisque in patriâ suâ beneficietur, & sic unus non occupet beneficia, vel stipendia alterius, nec detur materia depauperandi beneficia, & quià faciliùs inducuntur ad residentiam indigenę, dulcedine patrię allecti, quàm extranei* (d). Advertendum tamèn, quod licèt congruum sit, & honestum beneficia conferri potiùs indigenis, quàm extraneis, hancque honestatem in praxi observare debeant etiam collatores beneficiorum, vel ad ea nominatores, quantum fieri potest, & rerum ratio patitur; attamen super ipsâ honestate non est facienda æquivocatio, ut semper, & quandocumque provectio indigenarum ad beneficia contineat honestatem, excludentem extraneos: nàm hoc falsum est, nisi inter indigenas, & extraneos ipsos cætera quoque sint paria. Etenìm sæpè sępiùs evenit, quod proptèr defectum hujus cæterorum paritatis, honestiùs sit beneficium extraneo committere, quàm indigenæ, utpotè quià extraneus indigenam superat probitate morum, peritiâ in scientiis, benemerentiâ in Ecclesiæ servitio; indigentiâ, & paupertate, vi, & aptitudine ad servanda, vel recuperanda jura beneficii; publici boni respectu, aliis tandem rationibus, quæ ad hæc facere possunt. In his enim rerum circumstantiis, honestas præfata favore indigenæ deficit, estque de honestate, non ut beneficium ipsi indigenæ conferatur, sed potius ut præbeatur extraneo, quià inter eos cætera non sunt paria (e). Hęc ulteriùs cæterorum paritas, & honestas, non est in foris, biviis, & tabernis, à quolibet de populo, & à viris otiosis, ac fabulatoribus, discutienda; sed cognoscenda, & judicanda est ab illis, ad quos spectat beneficia concedere: Qui cum non debeant, neque possint in compitis, & plateis, tubâ canere, ac singulis de plebe rationem reddere cunctorum operum suorum; spectat ad inferiores, de Provisoribus beneficiorum non temerè judicare, illosve mordere, sed potius de illorum justitiâ confidere, omninòque reri, quod si beneficium aliquod viro extraneo potius, quàm indigenæ contulerunt; id non sinè conscientiâ, nec sinè causâ fecerunt, & quod consideratis considerandis, serióque perpensis rationibus sibi notis, (quæ fortè aliis ignotæ sunt) benè, & prudentèr judicaverunt, in tali rerum statu, honestatem non favere indigenæ, sed extraneo, adeòque beneficium huic fuisse conferendum, non illi.

(a) *L. si de interpretatione ff. de leg. l. sed & Julianus §. proindè ff. ad Maced. Rot. p. 2. rec. dec. 680. n. 7 & p. 4. to. 2. rec. dec. 194. num. 10. Seraph. dec. 1031. n. 5. Mantic. de ult. vol. l. 6. tit. 8. n. 7.*

(b) *Abb. in c. ad decorem 5. de instit. nu. 3.*

(c) *Garcia de benef. p. 7. c. 9. n. 5. Gomez. in reg. de idiomate qu. 1. Guttierez cons. 2. n. 23. 24. Mandos. ad reg. Cancel. reg. 16 qu 41. Selva de benef. par. 3. qu. 26. Lambertin. de Jurepat. tr. 4. ar. 5. qu. 1. p. 3. l. 2. Rebuf. de nomin. qu. 9. n. 57.*

(d) *Garcia de benef. loc. cit. n. 7.*

(e) *S. Thomas. 2. 2. qu. 63. ar. 2. in Corp. Vid. hic infr. c. 39. n. 17*

44. Cæ-

44. Cæterùm ubi deest privilegium Apostolicum, vel aliud indultum, sivè à Romano Pontifice concessum, sivè à consuetudine porrectum, famâ privilegii suffultâ, vel à Pontifice approbatâ, beneficia ecclesiastica liberè, & licitè possunt cuicumque Clerico, & undecùmque venienti, & ex quâcumque gente progenito, à collatoribus, vel ad ea nominatoribus dispensari, & ità sentiunt communitèr Canonistę, freti dicto *Capitulo ad decorem*, inter quos Garcia prefatus ità loquitur: *Ubi tamèn non est tale privilegium, seù consuetudo; potest conferri beneficium Clerico alias idoneo, undecùmque sit cap. ad decorem de instit. & ibi Glos. verb. undecumque, ibi. lacus non obstat, & Abbas nu.4. Selva d. quæ. 26. Coras. d. cap. 5. nu. 9. & Lamber. de jur. patr. 1. par. 2. lib: 9. 7. art. 24. &c. Undè in causâ Vallisoletanâ præeminentiarum coram Ill. Pamphilio, fuit dictum, quod de jure quilibet potest eligi, & institui, dummodò sit idoneus d. cap. ad decorem, & proptereà statuta excludentia à beneficiis certum genus personarum dicuntur contrà jus, Butrius in cap. cum dilectus de consuetud. nu. 38. in 2. lect. & sæpissimè fuit in Rotâ resolutum*: Prout etiam *Barbos. in d. cap. ad decorem de instit.* ait, statutum exclusivum extraneorum à beneficiis, esse *ambitiosum*: & *Cennedo pract. quest. canon* 18. inquit, quod si hujusmodi statutum non fuerit à Sede Apostolicâ approbatum, est nullius ponderis, & momenti tamquàm contrarium libertati ecclesiasticæ.

45. Hoc eodem sæculo currente alium edidit canonem Honorius Papa III. in decretali epistolâ ad Episcopum Regium directâ, ubi primâ quidem facie Clericus extraneus prohibetur beneficiis ecclesiasticis insigniri, tamquàm quod hoc sit honestati contrarium; & Sanctorum Patrum institutionibus, de quibus in sacris canonibus (a). Attamèn si collatoris accedat dispensatio, concludit textus, optimè posse extraneos beneficiis munerari. En verba textus: *Te nobis proponente didicimus, quod quidam Prælati Ecclesiarum tuæ jurisdictionis, in Ecclesiis sibi commissis, sinè conscientiâ tuâ, Clericos de alienis Episcopatibus instituere non verentur. Attendentes igitùr id eis nullâ ratione licere, cum sit honestati contrarium, & à Sanctorum Patrum institutionibus alienum &c. inquisitioni tuæ talitèr respondemus, quod tibi liceat eos exindè removere, nisi aliquos ex dispensatione in eisdem Ecclesiis duxeris dimittendos*. Vigebat, vel viguerat mos ille pessimus, de quo sic lacrymabili ululatu Concilium aliquando Remis congregatum, infremuit, *emuntur, & venduntur Curæ pastorales, scilicet Ecclesię parochianæ, tàm à laicis, quàm à Clericis, insupèr etiam à monachis, quod nè ampliùs fiat, interdictum est* (b). Qui has Ecclesias, sivè tàm malis actibus, sivè etiam alitèr, occupaverant Presbyteros inibi constituendos, vili pretio nundinabantur: & licèt peregrinos, atque Episcopis ignotos, ipsorum quoque Episcoporum assensu nullatenùs expetito, dictis Ecclesiis investiebant.

(a) Cap. 1. & 2. cum glos. dist. 61 cap. nullus ead. dist. L. in Ecclesiis C. de Episcopis, & Cler.

(b) Concil. Remens. an. 1072.

46. Quo, & quanto fremitu adversùs hujusmodi abusionem inclamaverit Arnulphus Lexoviensis, hæc, quæ sequuntur, ejus verba patefaciunt. *Est quiddam, quod tàm meam, quàm alias vehementèr angit Ecclesias, quorundam scilicet rapax, & intemperans audacia monachorum, qui &c. primò Episcopis omnem obedientiam subtrahunt, & parochiales Ecclesias cum Altariis, & decimationibus, cæterisque beneficiis de manu laicâ recipere, pactis quibuslibet sacrilegâ temeritate præsumunt.* Reliqua superiùs retulimus, nec opus est hìc eadem inutilitèr replicare (c). In casu simili versabatur Episcopus Reginus, qui cum Honorio PP. III. condolens, quod in suis parochiis, ad Prælatos inferiores pertinentibus, ex duplici capite peccaretur, primò, quod ibi constituerentur Presbyteri sinè assensu Episcopali. Secundò, quod hi Presbyteri essent alienigenæ, & ignoti, de quorum moribus, & peritiâ nulla verax, & sincera haberetur notitia; Pontifex eidem Episcopo respondet *in d. Cap. te nobis de Cleric. peregr.*, quod cum hæc honestati Canonicę repugnent, & inter malè gesta debeant computari; duplex ei inerat via occurrendi, vel scilicet Presbyteros ipsos peregrinos removendo, vel cum eis, ut inibi remanerent, dispensando.

(c) Arnulph Lexov. epl 71. al 69 in Biblioth Patr. vid hic supr. sec. 12. c. 34. nu. 33.

47. Pro

47. Pro eo, quod ad præsens negotium pertinet, notetur in textu ly *ex dispensatione*, quod verè explicatione non indiget: sed tamèn præstat audire Glossam, ibidem sic eloquentem: *argum. Quod nullus potest eligi de alienâ diœcesi, sed tantùm debet postulari: quia instituti absque scientiâ Episcopi removentur, nisi cum eis voluerit dispensare, & sic per solam dispensationem de aliis Episcopatibus instituuntur* (*a*). Patet ergò, quod extraneus licitè potest ad beneficia ecclesiastica promoveri, sivè per *dispensationem*, ut loquitur textus; sivè per electionem, aut postulationem, ut innuit Glossa: hocque unum est, quod extraneo patet aditus ad beneficia, nedùm si sit extradiœcesanus, sed etiam si sit extraprovincialis, peregrinus, & ignotus: nàm licet hujusmodi Clericos ignotos, & peregrinos, jura arceant à sacris ministeriis (*b*), tamèn per dispensationem illius, ad quem pertinet, admittuntur. Et sic quatenùs unquàm deessent omnia alia remedia, justificantia admissionem Clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia, satis est hoc, quod saltèm per dispensationem collatoris, ad ea possunt admitti.

48. Et sic cessant decantata illa à Contradictoribus jura, naturale, & divinum, quæ prohibere autumantur traditionem beneficiorum extraneis. Nàm quotiès jus commune *in d. cap. te nobis 5. de Cleric. peregr.* decernit, posse per dispensationem beneficia extraneis conferri; signum est, quod somniata hæc jura divinum, & naturale, in oppositum exaggerata, non dantur, nec juri, atque jurium conditoribus nota sunt; alioquin, non permissum fuisset, verbis adeò rutilantibus, & perspicuis, pro collatorum libito dispensare: siquidem adversus jus naturale, & divinum nulla omninò humana potestas valet canonicè dispensare: sic decernentibus sacris canonibus (*c*): sic docentibus Ecclesiæ Patribus (*d*): sic suggerentibus Theologis (*e*); & Canonistis (*f*). Hinc profectò textus præfatus non indulsisset singulis Episcopis facultatem in hâc rè dispensandi, quando nec ipse Papa, cum totâ plenitudine suæ potestatis, valet contrà divinum, & naturale jus dispensare. Quâ de rè D. Thomas, *circa ea, quæ sunt juris divini, vel naturalis, dispensare non potest Papa, quià ista habent efficaciam ex institutione divinâ* (*g*). Igitur tàm ex dicto *cap. Te nobis*, quàm ex aliis canonibus, in præsenti capitulo ponderatis, liquet liberum, & licitum esse Ecclesiæ, illiusque Capiti Summo Pontifici, necnon & Episcopis, aliisque omnibus, tàm ordinariis, quàm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad illa nominatoribus, ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiri.

(a) *Glos. in cap. te nobis de Cler. peregr.*

(b) *Cap. nec emeritis 12. dist. 63. cap. extraneo 7. c. hortamur 8. c. nullum 9 dist. 71.*

(c) *Cap. sunt quidam 25. qu. 1. cap. literas de rest. spoliat.*

(d) *S. Thom. 1. 2. qu. 97 ar. 4. ad 3. & in 4. dist. 47 ar. 4. S. Bonav. in 4. dist. 38. art. 2. S. Antonin. 4. p. tit. 22. c. 7. §. 23.*

(e) *Suar. tom. 3. de Euchar. q 74. d 43 Sfondrat. Regal. Sacerd. l 4. §. 4 fol 561. & seq.*

(f) *Covar. de sponf. p. 2. c. 6 §. 9. nu. 4 Menoch de arbitr. cap. 425 Barbos Jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. nu. 119.*

(g) *S. Thom. quodl. 4. qu 8. art. 3.*

CAPUT XXXVIII.

In quo afferuntur alii canones, ab eodem Innocentio PP. III. *editi, & Juris corpori inserti, quibus probatur Ecclesiæ libertas, in conferendo beneficia, etiàm Clericis extraneis. Agiturque incidentèr dè* Plenitudine Potestatis *Papæ.*

SUMMARIUM.

1 *Canones ab Innocentio III. editi ostendunt disciplinam Sæculi XIII. admittentem etiam Clericos extraneos ad ecclesiastica beneficia.*

2 *In* Cap. Etsi *unanimitèr de postul. Prael. decernitur, posse Episcopum unius Ecclesiæ, ad aliam postulari. Cujus rei in eodem titulo adsunt varia exempla.*

3 *Anti-*

nus, & sic extraneus ab alterutrà Ecclesià.

31 *Nec dicatur, quod Capuani elegerunt Prælatum Romanum, quià ipsi cesserint juri suo, pro electione passivà.*

32 *Verba attendenda sunt, prout stant in canone, non prout sunt in epistolà decretali. Nec ratio epistolæ, sed verba canonis legem faciunt.*

33 *Juxtà principia Contradictorum, non potuerunt Capuani renunciare juri suo: nemo enim renunciare potest juri naturali, & divino.*

34 *Neque potuerunt renunciare juri electionis passivæ, in præjudicium aliorum de Clero Diœcesano, & Urbano, si lex poscebat solos eligi indigenas.*

35 *Aliud est dicere de* gremio Capituli, *quod solos Canonicos, & Dignitates complectitur. Aliud de* gremio Ecclesiæ.

36 *In defectum Canonicorum eligendus fuisset aliquis de Clero, vel populo, si necessariò eligendus esset indigena.*

37 *Renunciatio si facta est à Capuanis, non fuit ratio, sed solum una ex congruentiis, proptèr quas valida fuit electio Prælati Romani.*

38 *Cum Papa sit Caput omnium Ecclesiarum, ejus Prælati à nullà Ecclesià reputandi sunt extranei.*

39 *Ex* cap. bonæ memoriæ de postul. *vacante Archiepiscopatu Ravennæ, pars postulavit Cardinalem S. Praxedis, & pars Episcopum Imolensem.*

40 *Cardinalis propriè eligendus est, non postulandus. Non est par vinculum beneficiati cum suo beneficio, ac sit Episcopi cum suà Ecclesià.*

41 *Alicubi Canonici dicebantur Cardinales. Tam Episcopus Imolensis, quam Cardinalis S. Praxedis, etsi extranei, potuerunt præfici Ecclesiæ Ravennæ.*

42 *Cardinales, Prælati, & Clerici Romanæ Ecclesiæ nullibi sunt extranei, quià serviunt Ecclesiæ Universali, & sunt membra capitis Ecclesiæ.*

43 *Neque Cardinalis S. Praxedis, neque Episcopus Imolen. exclusi fuerunt ab Archiepiscopatu Ravennæ proptèr extraneitatem.*

1. DUo nobis bona impertiuntur Canones per Innocentium PP. III. editi: nam & disciplinam ostendunt, quam Sæculo decimotertio, in dispensatione beneficiorum observabat Ecclesia, & leges continent, usque ab eo tempore conditas, quæ normam præbent, in iisdem beneficiis distribuendis de jure observandam. Et ità non minùs historicè, quam legalitèr, unà ratione, geminatæ probationes exhibentur, intentui nostro mirabilitèr deservientes. Porrò quoad leges optimè ait Apostolus, *Gentes quæ legem non habent, naturalitèr ea, quæ legis sunt, faciunt* (a): Sed homines, qui legem expressam habent, jure humano simul, ac naturali, ea quæ in lege præscripta sunt, facere debent, & illi opiniones suas humilitèr conformare. Cum igitur in legibus Canonicis, & præsertìm in illis, quæ ab Innocentio III. latæ sunt hoc sæculo, exarata legatur libertas Ecclesiæ in conferendo ecclesiastica beneficia etiàm viris extraneis; nil nobis restat, nisi legum ipsarum textus hic in propatulo ponere, ut intellectum legentium captivemus in obsequium ipsarum, & harum vi eosdem ad confitendam nobiscum præfatam libertatem felicitèr adducamus. Tres Canones in capitulo præcedenti produximus, totidemque rationes indè collegimus, huic causæ proficientes; nunc ergò descendamus ad quartum canonem, ut successivè ad alios progrediamur, plenoque calamo dicamur hanc sententiam, & legalitèr comprobasse, & simul disciplinam in hâc parte, Sæculo decimotertio servatam, efficacitèr ostendisse.

(a) Rom. 2. 14.

2. Itàque *Quartus Canon* Innocentii III. est *Cap. etsi unanimitèr 6. de postul. Prælat.* ubi decernitur, quod quamvis Episcopus, tamquàm cum suà Ecclesià spiritualitèr copulatus, ab illâ non possit, privatâ auctoritate disiungi, & sic non valeat eligi in Episcopum alterius Ecclesiæ; potest tamèn ad aliam postulari. Verba canonis, ex epistola-

epistolâ ipsius Innocentii ad Capitulum Calaritanum decerpta, sunt quæ sequuntur: *Etsi unanimitèr vota vestra concurrerint ad Sutrinum Episcopum in Ecclesiæ vestræ Archiepiscopum eligendum; cum suæ alligatus Ecclesiæ, liberum non habeat, sine nostrâ permissione volatum; electionem de ipso factam, tamquàm contrà canones minùs licitè attentatam, de fratrum nostrorum consilio duximus irritandam: cum eligi nullo jure potuerit, sed potiùs postulari.* Sequuntur hunc textum Abbas, & Innocentius, & communitèr Canonistæ (*a*). In eodem autem titulo *de post. Prælat.* leguntur varia exempla Episcoporum ad alias Ecclesias postulatorum, uti cum Episcopus Altisiodorensis *in Galliâ* postulatus fuit à capitulo Senonensi (*b*). Cum Episcopus Cameracensis *in Belgio*, tunc provinciæ Remensis, postulatus est ab eodem capitulo Senonensi (*c*). Cum Archiepiscopus Colocensis *in Hungariâ* postulatus est, à capitulo Strigoniensi (*d*). Cum Episcopus Imolensis *in Italiâ* pustulatus est, à capitulo Ravennate (*e*).

3. Ex quibus datur intelligi, quod de jure Episcopus unius Ecclesiæ, etiam si sit extradiœcesanus, vel extraprovincialis; adhùc potest ad aliam Ecclesiam postulari: nec ejus postulatio reiicitur sine injuriâ postulati, & postulantium (*f*). Et sic si potest extraneus postulari, & postulatus, nisi legitima obsistat causa, debet admitti; jàm patet, quod extraneus, etiàm extraprovincialis, licitè valet beneficia ecclesiastica adipisci. Præsul enim sic ut suprà postulatus, necessariò, vel à primâ, vel à secundâ Ecclesiâ est extraneus. Comprobat hoc totum quotidiana praxis Ecclesiarum Germaniæ, ubi vigente adhuc jure electionis canonicæ, sæpesæpius Episcopi de unâ ad aliam Ecclesiam postulantur, etiam si sint nedùm extradiœcesani, sed etiam extraprovincieles. Comprobant id & exempla præmemorata postulationum, quæ in corpore juris continentur, ex quibus elicitur, sensum Ecclesiarum *Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Belgii, Hungariæ*, fuisse, & esse, quod nedum extraneus, sed etiam extraprovincialis licitè possit per postulationem ecclesiastica consequi beneficia: nàm quidquid dicitur de Episcopatu, & Episcopis, quibus obest vinculum, quo primæ Ecclesiæ sunt per connubium spirituale constricti; eo magis locum habet in inferioribus beneficiis, & beneficiariis, intèr quos, & suas Ecclesias, seu beneficia, non intercedit propriè matrimonium spirituale, sed impropriè, lato modò, & quod quasi matrimonium solet communitèr appellari (*g*).

4. Quæ omnia ex abundanti dicta sint, quippe extraneum, nedùm posse postulari, sed etiam formiter eligi, docet constantèr Alteserra dicens, *Clericum alterius diœcesis, & si non possit migrare ad aliam Ecclesiam sine consensu sui Episcopi cap. si quis præsbyter cap. cos. 7. qu. 1. cap. admonet, de renunt. nihilominùs eligi posse, quià non tanta est coniunctio intèr Prælatos inferiores, & eorum Ecclesias, quanta intèr Episcopum, & Ecclesiam* (*h*), & Abbas quæstione funditùs examinatâ, an fieri possit electio illorum, qui sunt de alienâ provinciâ, respondet; *tu tene quod potest, nec exigitur solemnis postulatio, sed benè non solemnis, per quod pateat, quod habeatur in transitu licentia sui diœcesani, & propter hoc exiguntur literæ dimissoriæ, & quod cognitus sit, nam si incognitus, non admittitur absque liberatione, & investigatione Episcopi, nec hec est dispensatio, sed potius examinatio &c. Nunquid autem Abbas, & Monachi Clericum extraneum possint in Ecclesiis suis instituere, dimissorias habentem, si Ecclesia etiam cum populo est exempta, in quâ vult instituere: & tunc, dato quod pro institutione non debeas recurri ad Episcopum; tamen dicit Innocentius, quod dato, quod sit plenè exempta, & ad eos ex privilegio spectet institutio, ad diœcesanum recurrendum est, non ut præstet assensum, sed ut cognoscat de literis dimissoriis, & postquam pronunciavit eum plenè dimissum, potuerunt eum instituere &c. Si verò populus non esset exemptus, necessarius esset assensus diœcesani, quem si malitiosè præstare negligit, recurritur ad superiorem: de jure patr. cap. nullus. Si autem Capellæ sunt exemptæ, & non habent populum, placuit Innocentio, quod possit instituere extraneum, habentem dimissorias, etiam sine licentiâ Episcopi* (*i*). Si ergò & Episcopi, & Beneficiarii, & Clerici omnes extranei possunt ad aliam Ecclesiam, vel eligi, vel re-

spe-

(a) *Barbos. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 19. nu. 127. Engel. Colleg. jur. p. 1. l. 1. tit. 24. § 2. n. 30. Sylvest. V. postulatio qu. 1. Azor. inst. mor. p. 2. l. 6. c. 17 qu. 9.*

(b) *Cap. ad hæc, 1. de postul. prælat.*

(c) *Cap. gratum de postulat. prælat.*

(d) *Cap. bonæ mem. 4. de post. prælat.*

(e) *Cap. bonæ memoriæ 3. de post. præl.*

(f) *Innoc. in Margar. sup. decretal. V. postulatio, Glos. Hostiens. & Abb. in c. bonæ de postul. præl. Lotter. de re benef. l. 3. c. 17. n. 235 & seq.*

(g) *Glos. in c. etsi unanimiter. 6. de post. præl. & ibi Abbas num. 8. Altesfer. ad c. 2. eod. tit.*

(h) *Altesfer. ubi sup: ad c. 2. de post: prælat.*

(i) *Abb. in c. te nobis de Cleric. peregrin. 5.*

ſpectivè poſtulari, & transferri, etiam ſi nedùm extradiœceſani, ſed etiam ſint extraprovinciales; jàm patet, quod per electionem, & poſtulationem, poſſunt extranei beneficia eccleſiaſtica conſequi: etſi id poſſunt per electionem, & poſtulationem conſequi;eccur idem non poterunt etiam per præſentationem, vel collationem pleno jure factam acquirere?

5. Quintus Canon Innocentii III. eſt *cap. cum ex illo I. de translat. Epiſcopi*, in quo diſertè habetur, quod Patriarcha Antiochenus L. Archiepiſcopum electum Apamenſem, tranſtulit ad ſedem Tripolitanam, quarum Eccleſiarum, cum prima eſſet Metropolis Phrigiæ, & ſecunda Metropolis Phœniciæ, proculdubiò L. erat extraneus, & extraprovincialis, vel ab unâ, vel ab aliâ. Conſonat & canon *intèr corporalia, eodem titulo*, in quo Archiepiſcopus Rotomagenſis abſoluit electum Abrincenſem ſuę provinciæ Epiſcopum, ut transferretur ad Eccleſiam Andegavenſem provinciæ Turonenſis, ad quam fuerat poſtulatus, eumque Archiepiſcopus Turonenſis ad hanc ab Abricenſi, propriâ auctoritate transfudit. Et licet hi omnes perperàm, & attentatè proceſſerint, ob defectum auctoritatis, quatenùs translatio Epiſcoporum intèr majores Eccleſiæ cauſas computantur, in quibus nullus extrà Papam poteſt ſe immiſcere (*a*), & idcircò in dictis textibus dicitur utramque translationem, *non tàm inſtitutione canonicâ, quàm inſtitutione divinâ, ſoli eſſe Romano Epiſcopo reſervatas*; nec *ſuper his quidquam prætèr ejus aſſenſum debuit immutari* (*b*); Attamen, quantum ad negotium noſtrum pertinet, eniteſcit, quod translationes prædictæ, & aliæ omnes conſimiles, ſi juſtæ cauſæ, & legitima auctoritas interveniant, de jure fieri poſſunt, & ſic extranei valent beneficiis eccleſiaſticis inſigniri; Tranſlati namquè, vel à primâ, vel à ſecundâ Eccleſiâ ſunt extranei.

6. Nec tàm de jure novo, quàm de antiquiſſimo: neque tàm à novioribus Eccleſiæ ſæculis, quàm à remotioribus, hoc omninò prævaluit, ut translationes Epiſcoporum fierent, juſtis intercedentibus auctoritate, & causâ, ſinè quibus aliàs fuerunt à ſacris canonibus interdictę. Nàm quoàd Eccleſiam *Orientalem* S. Meletius, fuit à ſede Sebaſtenâ translatus ad Antiochenam (*c*). S. Gregorius Nazianzenus, de Saſimate ad Conſtantinopolitanam (*d*). Doſitheus, de Seleucienſi ad Tarſenſem (*e*). Reverentius, de Archiphœnicienſi ad Tyrienſem (*f*). Joannes, de Gordonienſi ad Præconenſem (*h*). Theodorus, de Apamienſi ad Selimbrienſem (*g*). Alexander, de Cappadocienſi ad Hieroſolymitanam (*i*); & alii, de quibus ſuprà non ſemel diſſervimus. Quoad Eccleſiam quoquè *Occidentalem*, Aprunculus de Lingonienſi translatus fuit ad Arvernenſem (*l*). Actardus, de Nannetenſi ad Turonenſem (*m*). Rubertus, de Vangionenſi ad Salisburgenſem (*n*). Felix, de Hiſpalenſi ad Toletanam (*o*). Joannes Talaida, de Alexandrinâ ad Nolanam (*p*). Alebrandus, de Colonienſi ad Hamburgenſem (*q*). Raterius, de Veronenſi ad Leodienſem (*r*): & alii, de quibus pariter in hoc opere non ſemel locuti ſumus, & ſucceſſivè loquemur.

7. Quapropter, & ex facto, & ex jure probatur, quod licèt translationes Epiſcoporum malè audierint apud ſacros canones, itaut & Concilium Nicænum (*s*), & Sardicenſe (*t*), & alia ſubſequentèr Concilia, eaſdem ſub pœnis graviſſimis prohibuerint; attamen juſtis intervenientibus cauſis, & legitimâ concurrente auctoritate, potuerunt ſemper, & poſſunt Epiſcopi de unâ ad aliam Eccleſiam ritè transferri, ſeù quod idem eſt, poſſunt extranei per translationem præbendas, & beneficia ſacra adipiſci. Nàm ſi per translationem poſſunt clerici extranei aſſequi Epiſcopatum, qui eſt culmen eccleſiaſticarum dignitatum (*u*); multò magis inferiora poterunt acquirere beneficia. Et ſi illa poſſunt acquirerere per translationem, eccur non illa valebunt obtinere per collationem? Et ſi per translationem, & collationem reſidentialia valent aſſequi beneficia; undè erit, ut aſſequi non valeant beneficia à reſidentiæ vinculis abſoluta? Vertatur ergò ſermo quocumque trahi velit, quod ſemper verum erit, extraneos quoquè beneficiorum eſſe capaces, & per conſequens liberum, ac licitum eſſe beneficia eccleſiaſtica etiam clericis extraneis impertiri.

(a) *Barboſ. Jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 2. nu. 141 Azor. inſt. mor. p. 2. l. 4. c. 35. n. 2. & 5. Tuſc. lit. P. Concluſ. 49. n. 15.*

(b) *Cap. cum ex illo & cap. inter corporalia de transl. Epiſcopi.*

(c) *Baron. ann. 360. nu. 44.*

(d) *Idem ann. 378. num 50.*

(e) *Steph. 6. PP. epiſ. 1. ad Baſi. Imper.*

(f) *Idem loc. cit.*

(g) *Idem ubi ſupr.*

(h) *Idem loc. cit.*

(i) *Idem ubi ſupr.*

(l) *S. Greg. Turon de geſt. Franc. l. 2. c. 23.*

(m) *Baron. ann. 871. num. 80.*

(n) *Vid Surium to. 2 die 27. Martii.*

(o) *Baron. ann. 693. num. 2.*

(p) *Card. Baron. ann. 481. n. 42.*

(q) *Adam Hambur. l. 2. c. 51.*

(r) *Card. Baron. ann. 945. num. 9.*

(s) *Conc. Nicæn. 1. c. 15.*

(t) *Conc. Sardic. c. 1. & 2.*

(u) *Gloſ. in c. licet 2. v. dignitatis de præben. Affl. 8. dec. Neap. 365 nu. 16. Borel. ſum deciſ. tit. 6. num. 6. Germon. de Sacror. immun. l. 3. c. 9. num. 9.*

8. Sextus canon, quamvis non sit Innocentii III., ad declarandam tamen ipsius doctrinam uberrimè confert: ideoque illum hìc inserimus, estque *cap. licèt Ecclesiarum 2. de prębendis in 6.*, ubi Clemens PP. III. in constitutione editâ anno secundò sui Pontificatus, qui recidit in annum Christi 1189. decernit hoc modò: *licet Ecclesiarum personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ità quod non solùm ipsa, cum vacant, potest de jure conferre, verùm etiam jus in ipsis tribuere vacaturis; collationem tamen Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, & beneficiorum, apud Sedem Apostolicam vacantium, specialiùs cęteris, antiqua consuetudo Romanis Pontificibus reservavit. Nos itàque laudabilem reputantes hujusmodi consuetudinem, & eam auctoritate Apostolicâ approbantes, ac nihilominùs volentes ipsam inviolabilitèr observari; eâdem auctoritate statuimus, ut Ecclesias, dignitates, personatus, & beneficia, quæ apud sedem ipsam deinceps vacare contigerit, aliquis, prætèr Romanum Pontificem, quâcumque super hoc sit auctoritate munitus, sivè jure ordinarię potestatis, ipsorum electio, provisio, seù electio ad eum pertineat &c., conferre alicui, seù aliquibus non pręsumat.* Hunc canonem dilucidans Glossa, ibi apposita post casum, ait: *Nota primò, quod Papa habet plenam dispositionem beneficiorum, in quâcumque parte Orbis sitorum: nàm ipse fuit vocatus in plenitudinem potestatis, ut ipse concurrat cum omnibus aliis Pręlatis: ideò intèr ipsos est locus præventioni.*

9. Super illis verbis, *plenaria dispositio*, quam Glossa vocat, seù refert ad *plenitudinem potestatis*, nos pedem figimus, & notamus, quod Innocentius Papa III. dicti Clementis successor, pluries in suis literis decretalibus mentionem facit *plenitudinis potestatis*, quâ Pontifex Romanus in beneficialibus pollet, uti latiùs infrà dicemus in objectionibus legalibus. Undè certum est, quod sæculo Christi decimo tertio hæc plenaria potestas in Pontifice tamquam incontrovertibilis habebatur, nec quisquam eam ausus est in dubium revocare, etiam quoad provectionem clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia. Imò & idipsum alii Papæ successivè fecerunt, intèr quos Clemens Papa VI. non in angulo Orbis, non in remotiori Palatii Vaticani recessu, non demùm clandestinè, sed in propatulo, & solemnissimè scribens Eduardo III. Anglorum Regi, qui unà cum Parlamento suo, legem condiderat, exclusivam extraneorum à beneficiis Regni sui, & impugnativam reservationum Apostolicarum; post plura, ità est effatus; *Audi ergò, fili, salubre consilium Patris, & intende honori ejusdem Romanæ Ecclesiæ Matris tuæ, à quâ tu, & Progenitores tui, Regnumque tuum prędictum magna beneficia, quibus vos obligavit ad gratitudinis debitum, recepistis. Attende quoquè ipsam Ecclesiam, cujus pastorali regimini, licèt meritis insufficientibus pręsidemus; non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro, primatum super omnes mundi Ecclesias obtinere. Ipse quidem solus eandem fundavit Ecclesiam, dicente Domino, Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cælis: & super petram fidei mox nascentis erexit, non enim quævis terrena sententia, sed illud Verbum, per quod constitutum est Cælum, & terra, per quod deniquè constituta sunt omnia elementa, eandem Romanam fundavit Ecclesiam, quæ quidem omnes Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, & ipsarum cujuslibet ordinis dignitatem instituit, ad cujus pastorem, & rectorem Ecclesiæ, videlicèt Romanum Pontificem, omnium Ecclesiarum, dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere* (a).

10. Itàque jura sua tuebatur Pontifex, eaque fundabat in Primatu Romanæ Ecclesiæ, illi cœlitùs in personâ D. Petri concesso, *qui immediatè à Christo non honoris solum, aut dignitatis, sed & potestatis, & jurisdictionis Primatum habuit*, uti loquitur Natalis ab Alexandro (*b*): & ratione dicti Primatus contendit Clemens sibi,

(a) Rayn. ann. 1344. num. 58.
(b) Natal. ab Alex. hist. Sæc. 15. & 16. in proleg. num. 1.

sibi, & Romanis Pontificibus competere *plenitudinem potestatis* in rebus beneficialibus, quam, & nec Rex Angliæ, nec ejus Comitia, & Parlamentum impugnabant, sed tantùm de quibusdam abusibus condolebant, quorum unum erat, quod beneficia residentialia conferrentur extraneis; nec extraneis utcumque, sed talibus, qui nec in Angliâ residere, neque suis beneficiis personalitèr deservire dignabantur, solumque reditibus eorum captandis intendebant, ut ex literis ejusdem Eduardi liquet, quas recitat Vvalsingamus (*a*). Ipsis autèm abusibus aliquandò sublatis, res tandèm felicitèr est composita, plenitudoque potestatis Pontificiæ in beneficiorum distributione apud Anglos sartatecta remansit, de quâ, quià fusiùs in responsionibus ad objectiones Legales nobis erit agendum, hìc nunc, calamo temperato, silemus; Tantumque ad ostendendum quæ sit Doctorum circà eandem opinio, ex pluribus aliquos eligemus singularum nationum, ut concors esse tota Christianitas dignoscatur in asserendâ plenitudine potestatis Romani Pontificis, quoad beneficiorum dispensationem; E quâ plenitudine consecutivè fluit libertas, eadem beneficia viris quoquè extraneis conferendi, alioquin non esset plena.

(a) *Vvalsingam. in Eduard. III.*

11. Ex Germanis adest Ludovicus Engel, egregius Canonista, qui de ipsâ plenitudine potestatis Pontificalis in beneficiorum dispensatione legalitèr loquitur, prout subsequitur. *Ad rem ipsam igitur quod attinet, præsupponendum quod Summus Pontifex potestatem habeat de jure omnia totius mundi beneficia conferendi c. 2. de præb. in 6. cap. si papa 10. §. si autem de privilegiis in 6. Clement. 1. in fin. ut lite pen-den. &c. quià ipse est Ordinarius Ordinariorum, habens concurrentem jurisdictionem cum omnibus Ecclesiæ Prælatis, atque ab ipso omnis beneficiorum divisio, & collatio originem habet. cap. unic. 13. qu. 1. & primitùs omnia beneficia solus Papa conferebat, posteà verò, dilatatâ Ecclesiâ, in partem sollicitudinis vocavit Episcopos, iisque potestatem conferendi beneficia suarum diœcesum communicavit, sub eâ tamen moderatione, ut semper penès ipsum Papam major, & superior potestas remaneret. cap. dudùm §. nos itàque de præben. in 6. d. cap. 2. & c. si Papa. Paris. de resign. benef. l. 1. qu. 10. à n. 47. Gonzalez ad reg. 8. Cancel. §. 1. proem. à n. 1.* (*b*).

(b) *Engel. Colleg. Jur. Canon. p. 2. l. 3. tit. 15 num. 7. § ad rem.*

12. Nec abs re erit hìc adjungere, quid de eâdem plenitudine Pontificiæ potestatis in beneficialibus scripsit *Melchior Lotterius* celebris canonista, & materiæ beneficialis tractator: ait enim: *non est Catholicorum aliquis, qui neget summam, eamque absolutam esse Romano Pontifici potestatem in ecclesiasticis beneficiis, quam nuncupamus dispositionem plenariam. cap. 2. de prebend. in 6. Adeò ut nedùm eorundem beneficiorum dicatur administrator. Menoch. cons. 436. n. 1. quod admittunt Theologi omnes post. D. Thom. 2. 2. qu. 100. ar. 1. in resp. ad 7. Soto de just. & jur. l. 3. qu. 6. art. 2., sed etiam Dominus &c. Ex quibus patet multò magis jure suo uti, cum de beneficiis Ecclesiasticis, quantumcumque in alienis diœcesibus, providet, ut est text. in can. nunc verò 9. quæ. 3. & ideò in concursu collationis factæ per inferiorem eodem tempore, prævalet collatio Papæ, uti amplioris prærogativæ, ut loquitur textus in cap. si à sede 31. de præb. in 6. & in Clement. 1. circ. fin. vers. salva tamen. Vt lit. pend. &c. Quam quidem prærogativam nullum potest Concilium ei adimere, aut minuere, aut restringere, ut rectè censuit Azor. inst. mor. p. 2. lib. 6. c. 34. in 2. quæst. vers. Cæterum ad finem* (*c*).

(c) *Lotter. de re benef. l. 2. qu. 22. à n. 9.*

13. Opportunum etiam erit hìc audire *Nicolaum Garciam Hispanum* Doctorem insignem, & magistrum in Israel, quoàd materiam beneficialem, qui de plenitudine potestatis Pontificalis, quantùm ad nos pertinet, sic effatur. *Potest Papa disponere, & providere de omnibus beneficiis, & in eorum provisione concurrit cum quolibet Ordinario, tamquàm Ordinarius Ordinariorum, & Orbis. cap. cuncta per mundum 9. qu. 3. Abb. in c. quià diversis n. 5. de concess. prebend.* Et post ingentem congeriem Canonistarum, ibi allegatam, subdit, *& fuit decisum in causâ Toletanâ Canonicatus de anno 1595. cor. Ill. Seraphino, & aliàs sæpè, quod in mensibus ordinariis possit Papa providere, ac cum Ordinariis concurrere, tamquàm Ordinarius Ordinariorum, & Episcopus totius Orbis, tradit post hæc Gonzalez §. 2. prom. n. 1. addens*

addens plura non necessaria, præsertìm in re tàm clarâ. Et ideò intèr Papam, & Ordinarium est locus præventioni c. dudum §. nos igitur. c. si à sede de præb. in 6. pluresque inibi allegat D.D., *qui dicunt quod Ordinarii in mensibus Ordinariis habens facultatem cumulativè cum Papa; itaùt si Papa præveniat, valeat ejus collatio, nàm etiam in mensibus Ordinariorum Papâ non abdicavit totalitèr à se potestatem conferendi &c. & quod in beneficiis vacantibus in mensibus Ordinariis, sit locus præventioni inter Papam, & Ordinarium, & illius provisio prævaleat, quæ priùs facta fuerit, tradit post hęc Gonzal. §. 3. proem. à num. 1.* (a).

(a) Gonz. de benef. p. 5. c. 3. à n. 8.

14. His adiicimus *Augustinum Barbosam Lusitanum*, & Episcopum *Ugentinum in Regno Neapolitano*, provincię Hydruntinę, ęgregium Canonistam, qui concinnè ad negotium nostrum hæc scripsit; *De jure communi antiquo beneficia ecclesiastica, quomodocùmque vacantia, ad Ordinarii dispositionem, & collationem pertinebant, in cujus diœcesi consistebant, Glos. & DD. in cap. fin. de suppl. negl. Prælat. nisi ad alium ex speciali statuto, vel consuetudine pertinerent. Excepta tamèn fuit semper auctoritas Romani Pontificis, qui tamquàm totius Ecclesiæ Ordinarius, in multis casibus semper beneficia quæcumque ad libitum contulit. cap. si à sede de præbend. in 6. Clement. 1. Ut lit. pendent. habet enim ubique liberam beneficiorum dispositionem cap. 2. ubi Glos. & DD. de præb. in 6.* (b). Consentit alter illustris Canonista *Ludovicus Gomez* Episcopus *Sarnensis in Regno Neapolitano*, provincię Salernitanæ, qui suum sensum in rè, de quâ agimus, sic exponit, *Omnia beneficia mundi sunt manualia, & obedientialia respectu Papæ; ut dicit Bald. in l. rescripta col. 2. & sequ. C. de prec. imp. offer.* Et infrà, dicit *Papam habere plenitudinem potestatis in beneficialibus vulg. c. 2. de præb. in 6. & quod illud est verum secundum And. Sicul. in trac. Card. in 4. quę. 2. par. in 2. col. quoad collationem beneficiorum* (c).

(b) Barbos. Jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 13. n. 15.

(c) Gomez. ad regul. Canc. reg. de jure quęsito qu. 3. nu. 7. & 34.

15. Nec omittendus *Anastasius Germonius Pedemontanus* Archiepiscopus Tarantasiensis, nobilis Canonista, sic asserens, *Romanum Pontificem posse sibi omnium beneficiorum collationem reservare &c. est enim Ordinarius omnium Ordinariorum, Caputaquens. dec. 282. n. 3. p. 1. Verùm cum hęc omnia justè, & legitimè à Summo Pontifice fieri possint, non tamèn sibi tradita à Deo plenè utitur potestate, sed liberaliùs agendo, jurisdictionem, & potestatem suam cum Ordinariis Episcopis partitur, eis concedens per suas, quas vocant regulas Cancellariæ, quatuor mensium collationem &c. Hujusmodi autem mensium partitio, facta per regulas, faciem habet honesti: Conveniens enim, & rationi consonum videtur, quod Beatiss. Papa, cum sit Dominus, & creator beneficiorum, & habeat plenissimum potestatem in omnibus, quæ sub cœlo sunt, ut ait Bald. ad proem. Greg. propter majorem ejus potestatem &c. alia beneficia &c. suę dispositioni valeat reservare &c. Dat itàque Papa residentibus in diœcesi Ordinariis collatoribus potestatem conferendi beneficia vacantia sex mensium, absentibus verò, & Episcopo inferioribus collatoribus quatuor, cumulativè scilicèt, non privativè, ut tradit. Joan. monachus ad cap. si eo tempore de elect. lib. 6. de quo Bald. meminit ad d. cap. 1. qui feud. dare possit &c.* (d).

(d) German. tr. de indult. Card. 4. per quæ. à nu. 75. ad 81.

16. Ex Gallis, habemus *Petrum Rebuffum* Professorem Parisiensem, ac inclytum Canonistam, qui in eandem sententiam convenit per hæc verba, *Papa etiam confert* (beneficia) *concurrendo cum aliis collatoribus propter desidiam illorum, textus in cap. quià, ubi Panorm. not. 5. de conces. præbend. Undè si Papa velit conferre, potest semper conferre, ratione illius concursus, quià concurrit cum quolibet Ordinario in potestate, & jurisdictione cap. si eo tempore; ubi Joan. monach. de elect. in 6., quià est enim ipse Ordinarius totius Orbis cap. cuncta 9. quæ. 3. Nàm quamvis potestatem Ordinariis dederit, majorem tamen sibi retinuit cap. dudum de præb. in 6. &c. Et notandum, quod ubicumque aliquis collator potest conferre beneficium jure Ordinario, vel devoluto, poterit & Papa illud conferre, ratione concursus, quem habet cum quolibet ratione superioritatis, d. cap. cuncta per mundum 9. quæst. 3.* (e).

(e) Rebuff. prax. benef. de devolut. n. 47. & seq.

17. Accumulamus ex *Mediolanensibus Joannnem Petrum Moncetam* perreximium canonum Doctorem, quærentem, an Papa possit sinè causâ, aliquem beneficio pri-

privare, & respondentem negativè, tùm subdentem, *quod autem vulgò dici solet, Papam habere plenitudinem potestatis, & esse Dominum in beneficialibus, quod sentiunt allegati à Gabriel. d. nu. 9. & expressè tradunt citati à Menoch. de præs. 10. nu. 18. & probati à Mandos. ad reg. 9. Canc. qu. 1. nu. 3. & Gonzal. ad reg. 8. Cancel. §. 1. proem. nu. 31. usque ad 38. ac Peregr. trac. de jur. & priv. fisc. l. 1. tit. 2. nu. 1. usque ad 24. accipiendum est quoàd jus beneficia conferendi, dùm vacant, ut patet ex adduct. à Gonzal. d. §. 1. proem. nu. 40. 41. 45. cum aliquot. seq. & hoc solum probant text. in c. 2. de præb. in 6. & Clem. 1. ut lit. pend. in fin.* (a). Idem sentit alius celeberrimus Canonista *Mediolanensis Philippus Decius* dicens, *Papa est Pater Patrum, & cum omni Ordinario concurrit: & in cap. cognoscentes de const. nu. 42. & in cap. quæ Ecclesiarum eod. tit. nu. 111., & 112. in beneficialibus Papa liberam habet potestatem cap. 2. de præbend. in 6. Clem. I. ut lite pend.* (b). Quibus tandèm aggregamus percelebrem Canonistam *Abbatem Panormitanum Siculum* ità favore causæ, de quâ agimus deponentem, *Papa etiam cessante negligentiâ Prælatorum, potest conferre beneficia totius orbis, ad idem cap. 2. de præb. lib. 6. Potest ergò Papa concurrere in collatione beneficiorum cum quolibet Ordinario, quià ipse est ordinarius totius orbis 9. qu. 3. c. cuncta per mundum, sed non est honestum, ut auferat aliis potestatem contra rationem &c.*

(a) *Monet. de Commut. ult. vol. c. 5. nu. 9.*

(b) *Decius in cap. canonum de constit. nu. 11.*

18. Et pro coronide hic subiicimus, dictata notissimi Jurisconsulti *Hieronymi Gonzalez Hispani* super regulam octavam Cancellariæ §. 1. proemial. diffusè loquentis: *Scire oportet, pro faciliori dicendorum intelligentiâ, quod omnis jurisdictio, ac potestas disponendi de beneficiis, à principio non Apostolis, sed Petro illorum principi à Christo data fuit c. ità Dominus §. hunc enim 19. distin. cap. fin. 11. dist. cap. in novo 21. dist. &c. Ideò solus Papa in primordio Orientis Ecclesiæ ordinavit, & instituit dignitates, & alia ecclesiastica beneficia cap. 1. & 2. 22. distinct., & docet Joannes de Selvâ in tract. de beneficiis. 2. par. quæst. 22. nu. 3. &c. Et consequentèr ad Papam solùm spectabat collatio; argumento tex. in cap. admonet. de renunciatione. Joannes Selva d. nu. 3. Undè provisus ab Ordinario dicitur à Papâ mediatè provisus: cum Ordinarius auctoritate sibi à Papâ concessâ, contulerit. Rodoan. in tract. de spolio Ecclesiæ quæst. 1. sub. nu. 41. vers facit. Deindè Pontifex Maximus concessit Archiepiscopis, & Episcopis prædictam potestatem, ut quilibet in suâ diœcesi beneficia ibidem consistentia conferre posset. cap. decreto. ibi, quæ vices suas in aliis impersivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. cap. qui se scit, in princ. 2. qu. 6. cap. multum stupeo, ibi, vices enim nostras ità suæ credimus potestati. 3. quæst. 6. &c.*

19. *Omnis namque conferendi potestas, & jurisdictio, ab ipso Papâ, tamquàm à fonte procedit, & fluit, & refluit, adeò ut, nec minima quidem jurisdictio, alicui aliter concedi possit &c. Potestas utique omnis, quæ ad politicam Ecclesiæ gubernationem spectat, in Summo Pontifice, ceù in fonte reposita est, & ab eo immediatè ad alios derivatur, ac veluti per rivulos quosdam, & canales transfunditur, & permanat, & ab ipso capite in membra transmittitur: cap. ità Dominus ibi, ut ab ipso, quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. 19. distinctione &c. Undè omnes Archiepiscopi, & Episcopi dictâ concessione mediante de jure communi habent fundatam intentionem in jure conferendi omnia beneficia ecclesiastica in suis diœcesibus consistentia. cap. regenda. 10. quæst. 1. cap. nullus omninò. 16. quæstio. 7. cap. nemo. de consecratione distinct. 1. cap. ex frequentibus. de institutionibus. cap. conquerente. de officio ordinar. cap. 2. de religiosis domibus. cap. cum personæ vers. & si in privilegium. de privilegiis in 6. &c. Hinc est, quod antè impedimentum nostræ regulæ 8. reservatoriæ octo mensium, aliis reservationibus cessantibus, Episcopi poterant conferre beneficia in quolibet mense vacantia, & habebant omnes menses liberos &c. Quinimò olim Romani Pontifices raro faciebant gratias beneficiales. Et ideò in volumine decretorum de istâ materiâ non tractatur, ut tradit Jo. Andr. &c. Verùm posteà, tempore procedente, cœperunt Papæ illas conce-*

dere,

dere, tamen moderatè, scilicèt ab an. 1200. tempore Innocent. III. teste Bursato cons. 126. ex num. 49. & 92. lib. 2. Et propterea quandò pro aliquo beneficiando scribebant, tria paria literarum dabant. Primò monitorias, quibus monebant Ordinarium collatorem, ut provideret ei, pro quo Papa scribebat. Secundò dabant literas præceptorias, quæ concedebantur, si monitoriis non obtemperabant. Tertiò dabant literas executoriales, per quas deputabatur executor ad providendum loco Papæ, vel ad compellendum ordinarium Collatorem, quià antiquitùs Summi Pontifices non gravabant Ordinarios Collatores &c. Deindè Papæ frequentèr faciebant reservationes, ac expectativas concedebant (a).

20. Allegavimus Doctores *Germanos, Gallos, Hispanos, Lusitanos, Pedemontanos, Neapolitanos, Mediolanenses, & Siculos*, plenitudinem potestatis Summo Pontifici in beneficialibus deferentes, ut enitescat, quænam hucusque fuerit ipsarum Nationum in hoc negotio sententia, & quàm longè à recto discedant Contradictores, qui nunc illam impugnare aggrediuntur, aut alitèr minorare. De eâ per plures canones mentio fit in jure: ubi Pontifex dicit, se in concessione præbendarum, *secundùm plenitudinem potestatis, de jure posse suprà jus dispensare* (b). Etclariùs Concilium Generale Viennense, ac in eo Clemens Papa V., post determinatum quid agendum sit, cùm ex duobus super aliquo beneficio litigantibus, alter, vel uterque eorum moriuntur, concludit, *salvâ tamèn in præmissis omnibus Romani Pontificis potestate, ad quem Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plena, & libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere* (c), sed de hâc uberiùs in tertio Tomo (d).

21. Ab hujusmodi plenitudine potestatis, quæ in Papâ residet, ei à Christo in personâ Petri collatâ, profluxisse in Episcopos jus illud ordinarium, quo pollent, conferendi beneficia suarum diœcesium, docent disertis verbis Ludovicus Engel, Melchior Lotterius, Anastasius Germonins, Petrus Rebuffus, Hieronymus Gonzalez supracitati, cum aliis per eos allegatis. Multò magis autem non nisi ab eadem plenitudine potuit profluxisse, atque profluere, jus illud delegatum, quo donati sunt ex privilegio laici, si qui sunt præditi potestate conferendi beneficia, vel respectivè ad illa nominandi. Quippè ipsa conferendi beneficia, & ad ea nominandi facultas, est jus spirituale, cujus laici sunt ex naturâ suâ incapaces, & quidèm quoàd jus conferendi beneficia, hęc decisit Rota: *Domini censuerunt, nullum jus competere D. Joanni Zappator ex collatione ei per Proregem* Neapolis *factâ, super monasterio, de quo agitur, non quidèm ratione tituli, quià talis juris conferendi laici sunt incapaces. cap. si quis deincèps. e. laicos. c. laicis. 16. qu. 7. & jàm fuit in hac causâ resolutum: nàm licèt ex privilegio Papæ Reges possint aliquandò conferre beneficia e. Adrianus il 2. 63. dist. e. dilectus il 3. de præbendis. e. cum inter de consuet. &c. tamèn ad hoc requiritur privilegium d. cap. si quis deincèps 16. qu. 7. Refub. de nomin. qu. 21. nu. 58. Sylva de benef. par. 2. qu. 23. & ideò tale jus neque præscriptione, neque consuetudine quæritur Abb. in d. e. dilectus nu. 6. de præb. Alex. cons. 74. nu. 17. & 19. lib. 4. & fuit resolutum in Toletan. juris nominan. cor. Ill. Blanchetto 27. Aprilis* 1584. Quibus adde etiam alios Doctores in margine citatos (e).

22. Quoad *juspatronatus* quoquè, id certum est omninò in jure, quod sinè consensu Ordinarii, acquiri non potest (f). Et ratio quarè dictus consensus requiratur, est, quià cum jus istud sit spirituale, non possunt Laici propriâ auctoritate spiritualia tractare (g). Hunc autem consensum Episcopus dat vi Canonici juris per Pontificem authorizati, & approbati; talitèr tamèn, ut non possit juspatronatus extinctum de novo alicui dare (h), quià non potest rei sacræ servitutem imponere, qualis est juspatronatus (i), sed tamèn compelli valet ad præstandum consensum juri patronatus erigendo, quando est sufficientèr dotatum, & alia necessaria concurrunt (l), quià juspatronatus competit fundatori, dotatorique, de jure communi, sed non proptèr hoc, cessat esse privilegium, quippè etiàm privilegium,

(a) *Corzal ad Regul. 8 Cancel. §. 1. præm.*

(b) *Cap. proposuit 4. de concess. præbend.*

(c) *Clementin. prima ut lit. pend.*

(d) *Vide infr. in Tom. 3. cap. 15.*

(e) *Seraphin. decis. 1382. nu. 1. 2. 3. Rebuff. prax benef. de Collat. nu. 9. Vivian. de jurepatr. p. 1. l. 1. c. 1. nu. 73. 74. Dec. cons. 134. nu. 5 Felin. in cap. 2 num. 2. de major. & obed. & in c. dilecto nu. 1. de testibus.*

(f) *Cap. nobis de jurep. Lambert. eod. tit. l. 2. p. 1. qu. 2. ar. 3. num. 1 Massob. prax. hab. concurs. præb. 7. dub. 6. nu. 3. Vivian. de Jurepat. p. 1. l. 2. c. 1 nu. 8. & 20*

(g) *Vivian. ubi supr. nu. 11.*

(h) *Ricc. prax par. 3 res. 483. Engel. p. 2. l. 3. tit. 16. nu. 27*

(i) *Vivian. de jurep. p. 1. l. 2 c. 1 nu 13*

(l) *Barbos. de off. Episcopi alleg. 70 num 26 Massobr. ubi supr. dub. 7. 8. 14. Azor. inst. mor. p. 2. l. 9. c. 3. qu. 10. Vivian. loc. cit. nu. 22.*

vilegium, tametsi priusquàm concedantur, dicantur contra jus, postquàm tamèn sunt concessa, dicuntur secundum jus (*a*).

23. Igitur facultas conferendi ecclesiastica beneficia, vel ad ea nominandi, quâ quidam Laici præditi sunt, non nisi à privilegio: & privilegium hoc non nisi à *plenitudine potestatis* provenit, quæ in Pontifice reperitur, excitante dictam facultatem in ipsis Laicis, eosque habilitante ad illam, vel per privilegium peculiare, vel respectivè per generale indultum in Corpore juris clausum, per ipsum Pontificem approbatum. Et de facto donèc per Pontifices, vel immediatè, vel per canones ab ipsis approbatos, non fuit laicis permissum jus beneficia conferendi, laici ipsi, si qui eo præditi sunt, vel respectivè ad ea nominandi, utroque caruerunt. Nàm usque ad Sæculum Christi Septimum, nulli laicorum jus fuit participandi in provisionibus beneficiorum, id adeò horrescentibus sacris canonibus, ut Laicos beneficia dispensantes, pœnis plexerint, & censuris, ac eos intèr sacrilegos comcomputaverint, etiam si Reges essent, & Principes (*b*), solumque primò in Concilio Toletano ix., quod anno Christi 655. habitum est, tempore Vitaliani Papæ, indulta fuit fundatoribus beneficiorum cura ipsorum, & præsentatio rectorum, per Episcopos instituendorum (*c*): aliqua tamèn exempla præventiva in historiis leguntur, de quibus numero sequenti erit sermo. Et in Concilio Arausicano permissum invenitur Episcopis, qui in alieno territorio Ecclesias ædificarent, jus præficiendi eisdem rectorem (*d*). Ab initio tamèn hujusmodi permissio ultrà vitam fundatorum non se porrexit (*e*).

24. Progressu autèm temporis permissio illa data Fundatoribus beneficiorum præsentandi rectores eorum, extensa est ad filios, & hæredes ipsorum fundatorum, ex merâ indulgentiâ, & conniventiâ Ecclesiæ gratiosâ, ut exprimit textus Conc. Later. 3. c. 17. relat. in Jure (*f*) eo etiam fine, ut ex ipsâ permissione allicerentur laici ad fundanda beneficia, & ad dotandas Ecclesias (*g*). Usquè nàmque ab initio cæperunt laici à SS. Patribus allici ad Ecclesias ædificandas, quâ de rè D. Joannes Chrysostomus; *Fora quidem, & balnea faciunt multi, Ecclesias autem non item, & omnia magìs quàm has. Ideò oro, & supplico, & gratiam peto, imò & legem pono, ut nullus, qui habet villam appareat carere Ecclesia &c. Educa magistrum, educa Diaconum, & sacerdotalem Ordinem: quasi ductâ uxore dotem ascribe &c.* (*h*). Ad gratitudinem ergò Fundatoribus Ecclesiarum exhibendam, & eos ad id alliciendos, cœpit illis jus patronatus ab Ecclesiâ permitti, & hâc ratione hujusmodi jus competit, nedùm puberibus, sed etiam impuberibus, nec solùm legitimè natis, sed etiam illegitimis (*i*). Omnibus tandèm Christianis competit, quibus auctoritate Ecclesiæ reservatur, etiam si sint fœminæ (*l*). Porrò in historiis ecclesiasticis reperitur, quod Eudoxia Imperatrix, extructâ Ecclesiâ S. Stephani, *cum ei multum tribuisset redituum, ejus curam dedit Gabrielio* (*m*): & de quâdam Basâ nobili Matronâ, *quod Andream pastorem effecerit, & præfectum monasterii, quod ab eâ fuerat ædificatum* (*n*). Ità incepit, & progressum habuit *jus patronatus* in beneficiis, quod in suo esse formali consideratum, & radicalitèr, non nisi à plenitudine Pontificiæ potestatis, ut suprà innuimus, derivatur.

25. Multò autem fortiùs facultas illa, & jus conferendi ecclesiastica beneficia, si quâ Reges, & Principes aliquandò potiti sunt, & respectivè potiuntur, non nisi ex plenitudine potestatis, in Pontifice residente profluxit: quippè actus conferendi exigit capacitatem in conferente, quæ de jure non potest nisi in Clerico reperiri (*o*). Undè laici à sacris canonibus declarantur incapaces juris conferendi beneficia (*p*). Adeò ut, secluso privilegio Apostolico, neque etiam ex conditione in limine fundationis appositâ de consensu Ordinarii, possit laicis jus beneficia ecclesiastica conferendi competere (*q*); Neque suffragatur ad hoc consuetudo, etiam immemorabilis, neque præscriptio, neque tolerantia Papæ, quæ potiùs est patientia, & dissimulatio ad evitanda majora scandala, quæ orirentur, si vellet eradicare hujusmodi facta, sed omninò exigitur privilegium Apostolicum, aut saltèm imme-

(a) *Lotter. de rè benef. l. 2. qu. 3. nu. 27. Lămbert. Gonzal. & alii ab eo alleg.*

(b) *Cap. si quis deinceps eum 2. sequ. cap. si quis Clericus, cum 2. seq. cap. per Laicum cap. si quis principum 16 qu. 7.*

(c) *C. decernimus 16 quæst. 7.*

(d) *Concil. Arausic. c. 10.*

(e) *Archid. in c. hortamur nu. 2. dist. 71. Lotter. l. 2. qu. 3. nu. 9.*

(f) *Cap. quoniam 3. de jurepatr.*

(g) *Lotter. ubi supr. nu. 16. Seraph. dec. 271 Vivian p. 1. l. 2. c. 1 nu. 13.*

(h) *S. Joan. Chrys. homil. 18. in Act. Apostol.*

(i) *Argum cap. piæ mentis & c Tragentius 16. qu 7. Layman. to. 2. l. 4 tr. 2. c. 33. nu. 18.*

(l) *Cap. ult. de conceß. praben.*

(m) *Cyril. in vit. S. Euthimii.*

(n) *Idem loc. citat.*

(o) *Sylva de benef. p. 2. q. 15. Lotter. l. 1. qu. 6. n. 36.*

(p) *C. si quis deinceps c. per Laicos c. Laicis 16. q. 7 Lotter. ubi sup. num. 37.*

(q) *Garcia de benef. p. 1. c. 7. n. 35. Lamberto p. 1. qu. 9. art. 1. nu. 70. 96. & 105.*

immemorabilis consuetudo, cum famâ privilegii *(a)*.

26. Solùm ergò ex mero privilegio Sedis Apostolicæ, utentis super hoc plenitudine suæ potestatis, habilitatos esse legitur quosdam Principes ad conferenda beneficia ecclesiastica, quæ de jure, uti laici, conferre non possent. Sic Christianissimos Reges *Galliæ* ex privilegio, seu consensu Apostolico permulta beneficia conferre legitur *(b)*. Sic & Serenissimos Reges *Hungariæ*, beneficia quędam paritèr ex Apostolicâ conferre concessione *(c)*. Sic & olim Reges *Angliæ* Catholicos *(d)*. Sic & Reges *Siciliæ*, ac Duces *Apuliæ* paritèr olim aliqua beneficia dicitur contulisse *(e)*. Et idem censendum de aliis Regibus, & Principibus, si qui fuerunt hujusmodi potestatis compotes, quam non nisi ex privilegio Apostolico adipisci potuerunt.

27. Augustissimi quoque *Imperatores* Germanici hoc habent, ut post eorum inaugurationem ad Imperium, primas preces cunctis beneficiorum collatoribus porrigant, ut hi eorum intuitu beneficium primò vacaturum largiantur. Estque hoc privilegium differens quidem in substantiâ à collatione beneficiorum, sed tamen aliquam cum ea continens analogiam, & ipsum quoque profluens à concessione Pontificia *(f)*. Quibus indultis, sivè Regibus, sivè Imperatori concessis, Papa in utroque casu usus est suæ plenitudine potestatis, sinè quâ non potuisset excitare in eis jus merè spirituale, cujus ex naturâ propriâ illi laici erant, prout suprà innuimus, incapaces. Quarè ex hucusque allatis patet, quod non potest plenitudo Apostolicæ potestatis in rebus beneficialibus Pontifici denegari, quin, & Episcopis, & Regibus, & Imperatori, & omnibus Ecclesiasticis, atque Laicis, tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, suâ jurâ detrahantur, indulta minuantur, & privilegia convolvantur.

28. Quâ *plenitudine potestatis* quoad res beneficiales, in Pontifice constitutâ, necessariò consequitur, quod ipse possit beneficia ecclesiastica æquè extraneis, ac indigenis sinè ambiguitate conferre, tùm quià non esset in eo plenitudo potestatis, si hæc in dispositione beneficiorum esset ad solos indigenas coarctata; tùm quià minori jure prædita esse non potest hujusmodi plenitudo potestatis, in Pontifice residens, quàm sit illius participatio in Episcopos, Reges, Imperatorem, & alios Clericos, atque Laicos, beneficiorum, vel collatores, vel ad ea præsentatores, diffusa; quos nemo negare debet posse beneficia, ad eorum collationem, vel nominationem pertinentia, tùm indigenis, tùm extraneis impertiri. Et advertendum quod Imperator, & Reges, si qui sunt, ut suprà, beneficia conferentes, vel respectivè ad ea nominantes, quoties id faciunt, collatio, vel nominatio, tamquàm omninò pendens à privilegio Apostolico, rigorosè loquendo, non reputatur Regia, vel Imperialis, sed Papalis, quatenùs ex facto Papæ oritur illa provisio, qui voluit, ut Principes illi ministri essent suæ potestatis, & instrumenta, seu organa, per quæ Sedes Apostolica talia beneficia dispensat *(g)*. Si autèm Imperator, & Reges (ac idem est de aliis Clericis, vel Laicis, si qui sunt, qui freti privilegio Apostolico, beneficia conferunt, vel respectivè ad ea nominant) licitè valent ipsa beneficia, tàm extraneis, quàm idigenis prò eorum libito, & voluntate largiri; multò magis id potest Papa, qui sic aliis partem suæ potestatis impertit, ut majorem semper retineat in se ipso *(h)*. Aliquin sequeretur, quod plus Juris haberet, potestatem recipiens, quàm qui eam tribuit, & subrogatus, quàm subrogans; quod quis audebit effari?

29. *Septimus Canon* legitur in *cap. cum nobis* 19. *de electione*, ubi Innoc. Papa III. electionem Subdiaconi Ecclesiæ Romanę in Archiepiscopum Capuanum declarat validam, & legitimam. Textus est desumptus ex epistolâ dicti Pontificis, ad Capitulum Capuanum datâ, cujus hęc est historiâ. Vacante Ecclesiâ Metropolitanâ Capuæ, Innocentius jussit Capitulo ejusdem, ut electionem canonicam de viro idoneo celebraret: quod cum, congregatis vocalibus, fieri inciperet, *M. Archidiaconus Theatinus, & simul Canonicus Capuanus, silentium indicens, sic ait: Dominus Papa, ut faceremus canonicam electionem præcepit, & ego ne fiat, nisi canonicam interdico, & ad ipsum vocem appellationis emitto. Cumque à quibusdam*

(a) *Garc. loc. cit. n.* 36 37. 38 *Felin. in c. causam de præscr. Duard. ad Bul Cęn. c.* 19. *qu.* 8. *n.* 12. *Engel. p.* 2. *l.* 3. *tit.* 17. §. 1 *sed neq. Barbos. ad c. dilectus* 34. *de præb. Lotter. ubi supr. l.* 1 *qu* 6 *n.* 39. & 40.

(b) *Lotter. de rè benef. l.* 1 *qu* 6 *nu.* 42. *Rebuff. prax. collat. nu.* 9. *Vivian. de jur. patr. p.* 2 *l.* 11 *c.* 12. *nu* 5.

(c) *Archid. in cap. imper. ii dist* 10. *Abb. & DD. in c. dilectus de testam. Vivian. loc. cit. n.* 4.

(d) *Alex. in* 4. *vol. consf.* 74. *in* 3. *col. Archid. in c. hortamur in princ. in* 4 *col. dist* 61.

(e) *Glos in caus.* 16. *qu* 7. *V. Ecclesia Abb. in c. pręterea de jure pat. Afflic. ad constit. Regn præltid. qu.* 18. *nu.* 1. & 2. *Petr Greg. Syntagm. jur. p.* 2. *l.* 17. *c* 7 *nu* 21.

(f) *Conrad. Oligenius de primar. prec. Engel. Colleg jur. p.* 2. *l.* 3 *tit.* 15. §. 7 *nu* 70. *Gratian. discept for. c.* 478 *n.* 15 *Lotter. de rè benef. l.* 1. *qu* 6 *nu.* 47 *Specul. de præben.* §. *restat. nu.* 2. *Jo: Andr. in c. is cui de præbend in* 6. *Jo. à Cokier Scholia in primar. prec. Imper.*

(g) *De Luca de benef disc.* 9. *n.* 73. *Lotter de rè benef. l.* 1. *qu.* 6. *nu.* 46. 47.

(h) *Cap. dudum* § *nos igitur de præbend in* 6 *c. si Papa* 10 §. *si autem, de privil in* 6. *Seraph dec.* 1188. *nu.* 1. *Engel. p.* 2. *l.* 3. *tit.* 15. *nu.* 7. 9. *ad rem Lotter. l.* 2 *qu.* 32. *nu* 26.

dam vestrum quæsitum fuisset ab Archidiacono memorato, quid intelligeret per canonicam electionem, respondit, ut secundum decreta canonica, nullus in Episcopum de alienâ eligeretur Ecclesiâ, dum in propriâ posset idoneus inveniri (a): dicto ergò M. cum 13. Canonicis abscedente, cæteri, duas partes Capituli excedentes, elegerunt in Archiepiscopum R. Subdiaconum Ecclesiæ Romanæ. Super quo lite formitèr integrâ, partibusque hinc indè, semèl, & pluriès auditis, Pontifex tandèm præfatum R. in Archiepiscopum approbavit, dilatâ tamèn ejus consecratione, donec de integrâ 30. annorum ætate documentis legitimis edoceret, dato ipsi pro interim titulo procuratoris Ecclesiæ Capuanæ.

(a) *Innoc. II. to. 1. epist. f. 435.*

30. Duo notabilia nos edocet iste canon, & epistola decretalis, ejusdem genitrix, & origo. Primum, quod M. erat simul Archidiaconus Theatinus, & Canonicus Capuanus, sicque tamquàm possidens duas præbendas residentiales in duabus Ecclesiis per centum, & ultrà miliaria intèr se distantibus, quarum unam Campania felix, alteram Aprutium, provinciæ intèr se longè dissimiles, continebant; certè ab alterutrâ erat extraneus, & nedùm extradiœcesanus, verum etiam extraprovincialis: in quarum paritèr alterutrâ non valebat personalitèr residere, non enim potest, idem homo simul, & semel in duobus locis circumscriptivè, & extensivè se sistere, prout D. Thomas (b), & cum eo tota Schola Thomistarum, nec etiam per potentiam Dei absolutam fieri posse mordicùs asseverant. Secundum est, quod R. Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ electus fuit in Archiepiscopum Capuanum, non obstante resistentiâ dicti M. & 13. ejus Canonicorum, unum de gremio Ecclesiæ viduæ deposcentium, qui paritèr R. vel à Romanâ, vel à Capuanâ Ecclesiâ erat extraneus: ejusque electio in Archiepiscopum fuit à Pontifice in contradictorio approbata: quapropter ex duplici capite, in hâc unâ serie facti contenta, edocent, Clericum extraneum, & præsertìm Romanæ Ecclesiæ insertum, posse alibi beneficia sacra adipisci.

(b) *S. Thomas. in 4. dist. 44. qu. 2. art. 2. q. 3 & quodlib. 3. art. 2.*

31. Si dicatur eligendum fuisse indigenam à Capuanis, quoniàm dè ratione electionis canonicæ (prò quâ insistebat M. Archidiaconus cum sociis ejus) est, ut *nullus in Episcopum de alienâ eligeretur Ecclesiâ, dùm in propriâ posset idoneus reperiri* (c); sed tamèn, quià hoc est privilegium Ecclesiis collatum, potuerunt Electores eidem renuntiare, & in extraneum convenire. *Nàm cum duæ partes*, inquit Innocentius, *& amplius electioni consenserint, & consentiant, licèt cautum reperiatur in canone, ut tunc alter de alterâ eligatur Ecclesiâ, cum nullus in propriâ fuerit repertus idoneus; quià tamèn hoc in favorem introductum est Clericorum, & cuique licet renuntiare juri, quod prò se noscitur introductum; vos qui duæ partes eratis, & ampliùs; cum, quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere doceatur; in hâc parte juri, quod pro vobis facere videbatur, renuntiare potuistis, & electionem de personâ alterius Ecclesiæ celebrare* (d). Sicque contendatur, quod Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ fuit electus in Archiepiscopum Capuæ, quià per cessionem juris, quo pollebant Capuani ad electionem passivam, erat illa Ecclesia talitèr constituta, ac si in illâ nullus fuisset idoneus ad Archiepiscopale munus, & hoc stante, operæ pretium fuerit virum extraneum ad illas infulas promovere.

(c) *Innoc. III. loc. cit.*

(d) *Innoc. III. ubi supr.*

32. Si, inquam, hoc dicatur, in oppositum est, quod primò verba textus, canonem componentis, sunt attendenda, in pondere, & mensurâ, prout resonant, & in eo præciso sensu, in quo leguntur corpori juris inserta, non verò inhærendū est occasioni, sivè rationi, propter quam scripta fuit epistola decretalis, ex quâ canon ipse est decerptus, cum non epistola decretalis, sed verba in canone recensita, faciant legem communem, ab omnibus universalitèr observandam, & sic verbis peculiaribus canonis standum est (e). Undè quidquid sit de ratione motiva dictæ epistolæ decretalis, nobis satis est, quod canon *cum nobis* 19. *de electione*, approbat uti ritè factam, & legitimè effectuatam electionem Clerici extranei ab Ecclesiâ Capuanâ, in personâ Prælati, seù Subdiaconi Ecclesiæ Romanæ, ut ex dicto canone legitimè deducamus, licitum esse beneficia ecclesiastica, etiam viris extraneis impertiri.

(e) *L. 1. §. si quis navem. ff. de exerc. act. L. prospexit ff. qui & à quibus c. inter corporalia 2. §. sed neque de transl. Episc. Rot. p. 4. rec. to. 2. dec. 312. n. 47. cor. Coc cin. vid. supr. c. præced. §. 12.*

33. Secundò juxtà principia Contradictorum, contendentium, quod collatio be-

neficiorum de jure naturali fieri debet indigenis, exclusis extraneis, quomodò potuerunt Capuani huic juri renunciare? A' Sæculo non est auditum, quod quisquam renuntiare possit iis, quæ sunt juris naturalis. Lex etenim naturalis, immutabilis est, & invariabilis, & quę juris naturalis sunt, hominum potestate, ac jure tolli, ve mutari non possunt (*a*). Idem dicendum est ratione juris divini, de quo paritèr esse Contradictores affirmant, ut non valeant beneficia ecclesiastica, nisi indigenis conferri. Juri divino æquè, ac naturali nullus potest renuntiare; nec super utroque, neque super eorum alterutro valet ipse Papa, cum totâ suę potestatis plenitudine, dispensare: quâ de rè D. Thomas. *Circà ea verò, quæ sunt juris divini, vel naturalis, dispensare non potest Papa* (*b*). Vel ergò de jure naturali, & divino non est exclusio extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis; vel si est, non potuerunt Capuani tali juri legitimè renunciare, extraneum sibi in Archiepiscopum deputando.

(a) *Clement. pastoral. §. ceterum de rè judic. S. Thom. 1. 2. qu. 94. ar. 5. S. Aug. l. 3. de doctr. Christ. c. 14. Beccan. Sum. Theol. de leg. natur. c. 3 qu. 3 & 4. Layman. l. 1. tr. 4. c. 3. §Vaicum n. 7. & l. 3. tr. 1. cap. 5. §. nunc.*

(b) *Cap. literas de rest. spoliat. c. super eo 4. de usur. S. Thom. 1. 2. qu. 97. art. 4. ad 3. & in 4. dist. 47. ar. 4. & quod lib. 4. qu. 8. art. 3.*

34. Tertiò, & nedùm si fuisset de jure naturali, vel divino, sed etiam ubi fuisset de solo jure positivo, vel etiam de jure particulari, proveniente ex aliquo privilegio, quod prescriberet, ut electio fieret de gremio Ecclesiæ vacantis, non potuissent Capuani illi juri licitè renunciare, quià illud esset jus proprium Ecclesiæ, cui nedùm electores præjudicare non possent, sed imò neque etiam superior, ad quem esset facta devolutio, prout docuit Alteserra his verbis (*c*), *Superior, ad quem devoluta est potestas, cessante capitulo; non potest extraneum assumere, donec idoneus reperitur, quià non potest tollere jus proprium Ecclesiæ*. Quartò, & quatenus etiam prædicto juri electionis de gremio, potuissent Canonici Capuani renuntiare in proprium præjudicium, eligendo sibi in Archipræsulem R. extraneum, Prælatum Romanæ Curiæ; certè tamen, vel non potuerunt id facere in præjudicium aliorum de capitulo, tali electioni resistentium; vel saltem non id potuerunt ad effectum perducere in præjudicium aliorum de Clero diœcesano, & urbano, cui tale jus competere noscebatur. Nemo enim potest renuntiare juri, quod nedum in proprium favorem, sed etiam in favorem alterius est inseparabilitèr introductum (*d*).

(c) *Alteserra in cap. ne pro defectu 41. de elect.*

(d) *Bart. in l penult. n. 3. vers. secundo casu C. de pactis. Decius ibi. n. 18 Seraph. dec. 324. n. 4. & dec. 341. n. 6.*

35. Etenim jus competens Ecclesiæ Capuanæ, non solos ejusdem Canonicos afficiebat, sed etiam omnes quotquot Ecclesiam illam componebant, Ecclesiam autem illam componebant non soli Canonici, & Capitulares Cathedralis, sed reliqui quoque de Clero, tùm civitatis, tùm diœcesis, & etiam laici ejusdem filii, qui simul omnes congregationem fidelium, seù corpus præfatæ Ecclesiæ constituebant. Et advertendum est, quod quandò dicitur, eligendum fuisse aliquem *de gremio*, cavenda est æquivocatio; nam aliud est dicere *de gremio capituli*, aliud *de gremio Ecclesiæ*. Gremium capituli soli Canonici, & Dignitates ipsius constant; Gremium verò Ecclesiæ nedùm dicti Canonici, & Dignitates, verum etiam reliqui de Clero urbano, & campestri, ac etiam laici suo modo componunt, qui omnes simùl congregationem fidelium, & corpus Ecclesiæ constituunt. Quo perspexisse videtur Duen. dicens: *Notatur adhoc, quod quælibet Ecclesiæ congregatio suum debet habere Prelatum, & magistrum, qui ex ipsius Ecclesiæ gremio assumi debet* (*e*). Presertim quod nec nomine Clericorum veniunt Canonici, nec viceversa nomine Canonicorum veniunt Clerici, quià, ut benè insinuat Abbas, *ubicumque species ponit aliquid, ultrà genus suum, appellatione generis non venit illa species, per text. in cap. statutum de elect. in 6.* (*f*). Hinc est igitùr, quod Canonici Capuani, vel major eorum pars, representantes quidem capitulum Cathedralis, sed non totam Ecclesiam, poterant utique cedere juri capituli, sed non Cleri: Et multò minùs potuerunt cedere juri populi, cum nomine Canonicorum, & capituli, laici non comprehendantur, qui Canonici esse non possunt (*g*).

(e) *Duen. reg. 308. n. 5.*

(f) *Abbas in c. bone 3. de post. n. 2.*

(g) *Glos. in cap. cum M. de const. c. 2. de inst. & ibi Innoc. & Abbas loc. cit. n. 4.*

36. In defectum autem Canonicorum, certum est, quod eligendus fuisset aliquis de Clero, vel urbano, vel rurali, Clericus sæcularis, vel monachus. Et in defectum Canonicorum, & Clericorum, ac Monachorum eligendus fuisset aliquis de populo laicus idoneus, potiùs quam eligere extraneum Clericum contrà jus divinum, naturale, & humanum, vocans ad Episcopatum solos indigenas, ut supponitur,

quod

quod jàm satis suprà ostendimus *cap. præcedenti num.* 33. 34. Sed rè verâ nullibi reperitur hujusmodi jus divinum, & naturale, præscribens electionem indigenarum: imò & neque jus humanum id exposcens, saltem præceptivè: quidquid aliud sit consultivè, & ex honestate; Nàm quamvis Innocentius III. dicat in suâ epistolâ, quod *cautum reperitur in canone, ut tunc alter de alterâ eligatur Ecclesiâ, cum nullus in propriâ fuerit repertus idoneus* (a), non nisi de congruentiâ, & honestate potest intelligi, non autem de obligatione, & præcepto. Nàm cum idem Innocentius *in cap. cum inter* 21. *de elect.* decreverit, quæstione ventilatâ, exceptionem oppositam electo, quod non sit de gremio Ecclesiç, reiiciendam esse uti *frivolam*; non potuit esse sibi contrarius, & *in cap. cum nobis* 19. *eod. titul.* seù in epistolâ ad capitulum Capuanum, disponere, ut de necessitate, & de præcepto, electio fieri debeat ex gremio Ecclesiæ. Imò in ipsâ epistolâ clarè asseverat, canonem à se memoratum de eligendo Clerico de gremio, non habere locum generalitèr, & semper, ac ubicumque, sed solum in præciso casu intrusionis viri extranei, non legitimis modis, sed per violentiam alicujus viri potentis: ait enim, *præsertìm cum illud decretum locum videatur habere, quando, Clericis renitentibus, & invitis, per alicujus violentiam potestatis, extraneus ingeritur ex adulterio: propter quod sequitur in decreto, ut sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari, & quos ingeri sibi viderint ex adversò, non timeant refutare* (b).

(a) *Innoc. III. l.* 3. *epl. ad Canon. Capuan. f.* 436. *b.*

(b) *Innoc. III. loc. cit.*

37. Quarè renunciatio facta à Capuanis de eorum jure ad electionem passivam pro illo Archiepiscopatu, non fuit ratio vera, integra, & totalis, sed ad summum fuit una ex congruentiis, propter quas admissus fuit R. extraneus, Romanæ Curiæ Prælatus, ad infulas Capuenses; Hoc enim quoque motivum fuit cum aliis insertum ab Innocentio III. approbante talem electionem, & cuncta motiva, ad illius justificationem aliquo modo facientia, simul conglobante, velut jura juribus cumulante, ut ostenderet, cum verâ ratione, alias quoque concurrisse congruentias, electionem dicti R. extranei comprobantes. Quam renuntiationem adhùc si vellemus assignare pro verâ, & præcipuâ ratione, propter quam potuit vir extraneus ad Archiepiscopatum Capuensium promoveri; hoc faceret pro nobis: nam sequeretur, quod sicut vigente formâ providendi beneficia per viam electionis, poterant electores cedere juri suo, ut eligeretur extraneus; ità postquàm forma electionis jàm exolevit; possunt illi, qui succedunt in loco electorum pro beneficiis distribuendis, juri indigenarum cedere, ut promoveantur extranei. Nam hi, qui succedunt in locum electorum, nempe Papa, & Episcopi, aliique omnes, tàm ordinarii, quam delegati bebeficiorum collatores, vel ad ea nominatores, hoc tempore abolitæ electionis, non minori pollent facultate, quoàd distributionem beneficiorum, quàm pollerent electores, quandò electionum forma vigebat.

38. Ast rè verâ, potissima ratio, & causa totalis, propter quam fuit admissus ad infulas Capuanas R. extraneus, Prælatus Romanæ Curiæ, & Subdiaconus Apostolicus, fuit, quià de jure quilibet sive extraneus, sive indigena, modò aptus, & idoneus, potest eligi ad ecclesiastica beneficia, nisi aliud ex privilegio Pontificio, alicui Ecclesiæ particularitèr dato, sit cautum. Quod si verum est generalitèr quoàd omnes, multò magis verum est de Prælato, & Clerico Romanæ aulæ, propter rationem, quam Innocentius Papa III. in dictâ decretali sic affert: *Præterea cum Sedes Apostolica caput omnium Ecclesiarum existat, & Romanus Pontifex judex sit ordinarius singulorum; quando de ipsâ quis assumitur in Prelatum alterius, ei posse obiici non videtur, propter capitis privilegium, quod obtinet plenitudinem potestatis, quod de aliâ Ecclesiâ eligatur, cum à capite membra reputari non debeant aliena* (c). Si itàque de jure communi omnes, etiam extranei, sunt ad beneficia ubilibet eligibiles: & præsertìm Clerici Romanę Ecclesiæ, propter prerogativam Sedis Apostolicæ, quæ caput est, & magistra omnium aliarum Ecclesiarum, & obtinet in se plenitudinem potestatis; sequitur primò, quod Papa potest ubilibet, tùm suis Clericis, & Prælatis, tùm aliis quibusque extraneis beneficia conferre; & si id potest Papa, idi-

(c) *Innoc. III. loc. cit.*

idipsum etiam respectivè poterunt cæteri Ecclesię ministri, Episcopi, & alii omnes tàm ordinarii, quàm delegati beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores, tamquàm qui suam potestatem participant à Pontifice. Secundò sequitur, quod si Papa & Episcopi, aliique omnes pręmemorati, possunt beneficia residentialia etiam extraneis impertiri, multò magis eisdem dare valent beneficia, residentię debito denudata.

39. Octavus Canon Innocentii III. est *cap. bonę memoriæ 3. de postul. prel.* in quo continetur, quod defuncto Guillelmo Archiepiscopo Ravennate, Canonicorum illius Ecclesię, in electione successoris inter se discordantium, pars Sifridum Cardinalem S. Praxedis (*a*), & pars Imolensem Episcopum sibi in Archipręsulem postularunt. Utrumque autem repulit Innocentius Papa III. nempè Episcopum Imolensem, quià à minori, quàm à tertiâ electorum parte fuerat postulatus. Cardinalem verò S. Praxedis, quià ejus persona erat Romanæ Curię necessaria: ubi laborando, non solum Romanę Ecclesię, sed etiam Ravennati proderat, imò & toti Ecclesię universaliter proficiebat, sicque utilior erat Ecclesię Dei, Romæ permanendo, quàm se solius Ravennatis Ecclesię servitio mancipando: *Nos*, inquit Pontifex, *auditis, quę de facto, & de jure fuerant allegata, pleniùs etiam prò utrâlibet partium curavimus allegare: consideravimus verò, quod ejusdem Cardinalis pręsentia utilior sit, non solùm Romanæ, sed etiam Ecclesiæ generali apud Apostolicam Sedem, quàm apud Ecclesiam Ravennatem, undè non immeritò præferentes speciali utilitati communem, & minori majorem, prędictum Cardinalem postulationi vestræ non duximus concedendum. Attendentes autem ex alterâ parte, quod prædictus Episcopus à minori, quàm tertiâ parte, fuerit postulatus: & quod Apostolica Sedes postulationes hujusmodi non consueverit in tantâ divisione, ac contradictione recipere &c. postulationem ipsius non duximus admittendam.*

40 Duo pulcherrima nos edocet iste textus: primum, quod tàm Episcopus alicujus Ecclesię, quam Cardinalis Aulæ Romanæ, possunt ad Episcopale beneficium alterius Ecclesię licitè promoveri; Episcopus quidem per postulationem, Cardinalis verò per electionem: & licet hic tùm de Cardinali, tùm de Episcopo, introductâ locutione, postulationis vocabulum adaptetur; propriè tamen de Cardinali dicitur electio, non postulatio, quamvis contrarium censeat Alteserra, dicens, *notandum est Cardinales Romanę Ecclesiæ postulari posse, eligi non posse. Ratio est quià eodem ferè vinculo, quo Episcopi, alligati sunt Ecclesiæ Romanę, & titulis suis, seù Ecclesiis, in quibus ordinati sunt, tenenturque residere in titulis suis cap. 2. de Cler. non resid.* Sed errat hic auctor, primò quià, uti suprà diximus (*b*), non curritparitas inter vinculum Episcopi cum suâ Ecclesiâ, & vinculum alterius beneficiarii cum suo beneficio, quales considerari possunt Cardinales, qui licet dignitate sint Episcopis majores, propter unionem cum suo capite Romano Pontifice, cujus sunt membra, ordine tamen sunt minores Episcopis (*c*). Secundò errat, quià supponit Cardinales teneri residere in Ecclesiis suorum titulorum, in quibus licèt potiantur jurisdictione Episcopali, seù quasi Episcopali (*d*). Et generalitèr omnia privilegia Episcopis concessa, etiam ad Cardinales extendantur (*e*); tamen ad residendum in Ecclesiis suorum titulorum non tenentur, uti docet quotidiana praxis. Nec *cap. 2. de Cler. non resid.* in contrarium facit, quià Anastasius Cardinalis ibi memoratus, non fuit depositus ob non residentiam, sed quià Schismati conflando operam dederat, & jàm per quinquennium latitando, hùc illùc errabat; nec citatus à Pontifice, cum Concilio, voluerat comparere.

41. Eligendus est ergò Cardinalis, non postulandus, quià Ecclesiæ, cujus titulum gerit, non est sponsus, eo modo, quo Episcopus suæ Ecclesiæ (*f*): Et ideò *in cap. bonæ 3. de postul.* de quo agimus, verbum *postularunt*, ponitur impropriè, quoad Cardinalem, propriè, quoad Episcopum, & sicut hic *postulatus*, ità ille dicendus venit *electus* (*g*), sicque *cap. Ecclesia vestra 57. in fin. de election.*; ubi non est sermo dę Canonico Cardinali ejusdem Ecclesiæ, quemadmodùm aliqui malè

(a) *Hieron. Rubeus hist. Raven l.6.*

(b) *Vid. supr. in hoc cap n.3. in fine*

(c) *Eugen. 4. const. 15 n. 13* Barbos. *jur. Eccl. univ l. 1. c. 3. n 7, & c. 4 n. 17. ad 25. Azor. inst. mor. p. 2 l. 4 c. 1 §. 9. Diana p. 5 tr. 2 res. 1 §. verum*

(d) *Abbas Felin. & alii in cap. his quæ de majorit. Alban. de Cardinal. qu. 46. Mandos ad reg. 7. Canc. qu. 2. Azor. loc. cit p 2 l. 4 c. 3 §. 2, & c. 11. § 3* Barb. *ubi supr. c. 4 n. 33 Germon. de indul. Card §. tàm ratione n. 20.*

(e) *Layman l. 1 tr. 5. p. 3. n. 1 in fin. Dian p. 5 tr. 2. res 48* Barbos. *ubi supr. n. 48.*

(f) *Azor par 2. l 4. c. 3. § 15. Vers. Abbas Panormitanus.*

(g) *Abbas in d. cap. bonæ 3. de postul. n. 5.*

lè supponunt, ex eo, quod alicubi, uti Ravennæ, Compostellæ, Aquilejæ, Pisis, Beneventi &c. quidam Canonici dicerentur olim Cardinales (*a*). Quos Cardinales deridet *Glos. in cap. pudor* 32. *quæst.* 2. dicens, eos esse Cardinales eo modo, quo Rex Schaccorum est Rex. In Ecclesiâ enim Catalaunensi, de quâ loquitur *d. cap. Ecclesia* 57. *de electión.* Canonici non dicebantur Cardinales, & ideò vox Cardinalis ibi significat Cardinalem Romanæ Ecclesiæ, qui simul erat Canonicus Catalaunensis, qualitèr nudius tertius erat Cardinalis de Bullion Gallus, simul Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, & Præpositus Ecclesiæ Leodiensis. Eligendus est ergo Cardinalis, non postulandus ad Episcopale officium, ubi viget jus electionum. Sed sivè per electionem, sivè per postulationem, tàm Cardinalis S. Praxedis, quàm Episcopus Imolensis ad Ecclesiam Ravennatem fuerint nominati, hoc unum est, quod uterque, licèt extraneus, potuisset ejusdem Ecclesiæ beneficium Episcopale adipisci, nisi utrique obstitisset, non extraneitas, quæ nullum eis poterat præbere obstaculum, sed exceptio, quod *Imolensis* non erat à sufficienti numero vocalium postulatus: Et *Cardinalis* erat necessarius Romanæ Curiæ, cujus ab eâ discessus præjudicium Ecclesię universali intulisset.

(a) *Cap.* 11. *de off. Archipresb. c. fraternitatem dist.* 61. *c. relatio* 21. *qu.* 1. *Barbos. jur. Eccl. univ. l.* 1. *c.* 4. *nu.* 102. *Germon. de Sac. Immun. l.* 1. *c.* 6. *Mariana de reb. Hispan. l.* 10. *c.* 6. *Rubeus hist. Raven. l.* 3. *Azor. p.* 2. *l.* 4. *c.* 1. *in princ.*

42. Secundùm, quod nos edocet textus *capituli bonæ* 3. *de postul. est*, *quod* Eminentissimi Cardinales (& idem dicendum est de aliis Prelatis, adscriptis Romanæ Ecclesiæ) nullibi reputantur extranei; quià suo munere perfungentes, serviunt Ecclesiæ universali, serviendo Romanæ Ecclesię, quę cunctarum aliarum est Mater, & Magistra (*b*), Et ut benè loquitur *Abbas* (*c*) *Cardinales, nedùm consulunt Romanæ Ecclesiæ, sed toti Ecclesię universali. Sunt enim unum corpus cum Papâ, sicut Canonici cum Episcopo &c. Nàm unica est Ecclesia totius Orbis e. loquitur* 24. *quæst.* 1. *& cap. unic. de schismat. lib.* 6. *Ecclesię verò particulares sunt membra istius Ecclesię, & consistit Ecclesia universalis, ex collectione fidelium, cap. Ecclesia de consec. dist.* 1. Et ità omnes Orbis Ecclesię, tamquàm unius arboris rami, & diversi aquarum rivuli, ab eodem fonte descendant, Romanâ Ecclesiâ (*d*), Cumquè ex statutis per Innocentium PP. III. hìc supr. nu. 38. membra capitis à membris corporis esse non possint extranea, sequitur, quod Cardinales, & Prelati, ac alii Clerici Romanę Curię nullibi debeant pro extraneis reputari, & consequentèr possint ubilibet beneficiis ecclesiasticis insigniri.

(b) *Eugen. IV. Const.* 15. §. 14 *cap cũ instantia de Censibus Oldrad. cons* 48 *Borel. Sam. decis.* 40. 3. *nu.* 5. *de Card. nu.* 21.

(c) *Abbas in cap. bonæ memoriæ* 3. *de post. nu.* 21.

(d) *Eugen. IV. dicta Const.* 15. §. 9.

43. Opponent Contradictores, nil proficere causæ nostrę *Capitulum bonæ memoriæ* 3. *de postul. prel.*, quià inofficiosa remansit nominatio, tùm Episcopi Imolensis, tùm Cardinalis S. Praxedis, quorum neutrum Pontifex voluit approbare in Archiepiscopum Ravennatem; sed obvia est responsio, literalitèr in textu patefacta: quippè Pontifex ibi non excludit solummodò utrumque, sed assignat causas exclusionis, hic suprà recensitas num. 39. & cum inter ipsas causas non recenseat extraneitatem, patet, quod extraneitas nullum obstaculum opposuit, nec electioni Cardinalis, nec postulationi Episcopi, & sic si aliæ causę ipsius exclusionis cessassent, provectio alterutrius extranei habuisset effectum. Itàque vi allegati canonis, extranei quoque valent beneficiis residentialibus, & episcopalibus insigniri, multò magìs autem aliis beneficiis, quæ residentiæ debito carent. Et quod dictum est de Papâ respectu potestatis præficiendi etiam extraneos beneficiis, locum habet proportionalitèr quoque in aliis, prout sunt Episcopi, & cęteri compotes juris conferendi beneficia, vel ad ea nominandi, quatenùs jus suum, vel ex privilegio peculiari sortiuntur, sibi per Pontificem coommunicato, vel habent à lege per Pontificem approbatâ, sivè sancitâ. Et ità horum omnium jus est talitèr colligatum, & connexum cum jure Pontificis, ut non possit huic libertas conferendi beneficia extraneis detruncari; quin amputetur & illis: nec illis abstrahi, quin detrahatur & huic. Cunctis igitur ritè, & solidè ponderatis, ac rebus omnibus maturè discussis, concludendum omninò venit, primò, quod Sæculo Christi Decimotertio, Ecclesia, totâ, & integrâ suâ libertate potiebatur, admittendi etiam Clericos extraneos ad beneficia. Secundò quod de jure est, & quidem de jure communi,

muni, expresso in sacris Canonibus, jam usque à præfato Sęculo per Innocentium Papam III. editis, liberum, ac licitum esse Ecclesiæ, illiusque Ministris, ac in primis Summo Pontifici, ejusdem capiti, atque & Episcopis, aliisque omnibus tùm ordinariis, tùm delegatis beneficiorum collatoribus, vel ad ea nominatoribus, ecclesiastica beneficia, non modo Clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri.

CAPUT XXXIX.

In quo ex Doctrinâ Divi Thomæ Aquinatis, *multifornitèr propositâ, probatur libertas Ecclesię in conferendo Ecclesiastica beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Sæculo decimo tertio multi sanctitate, & doctrinâ insignes floruerunt: quos inter miro modo claruit* S. Thomas de Aquino.
2 *Doctrinâ D. Thomæ à Christo, à B. Virgine, & à SS. Apostolis Petro, & Paulo fuit commendata. Auctor illum habet studiorum suorum patronum.*
3 Prima ratio, *favens extraneis, ex doctrinâ D. Thomæ habetur ubi docet, quod in dispensatione spiritualium, datur acceptio personarum.*
4 *Acceptio hæc officit justitię distributivæ. Spiritualia sunt temporalibus potiora. Extranei excludi non debent à bonis, & officiis Ecclesiæ.*
5 *Justitiæ distributivæ est bona communia, ita in partes communitatis distribuere, ut rectè iè habeant ad quamlibet ejus partem.*
6 *Bona Ecclesiæ sunt bona totius communitatis ecclesiasticæ, quæ una est, non multiplex, unumque habet caput invisibile Christum, & visibile Papam.*
7 *Tàm clerici extranei, quàm indigenæ sunt partes componentes communitatem ecclesiasticam, ergò includi debent in distributione bonorum ipsius.*
8 *Nec dicatur largitionem beneficiorum spectare non ad justitiam distributivam, sed ad commutativam, tamquam merces laborum accipientis.*
9 *Personarum acceptio committitur, quando beneficium datur minus idoneo: estque unicum peccatum, duplici malitiâ præditum.*
10 *Extraneitas est indifferens respectu idoneitatis ad beneficia. In naturalibus, nec meremur, nec demeremur. Apud Deum non est distinctio Judæi, & Græci.*
11 *Christus non quæsivit à Petro, an esset Romanus, vel Antiochenus, ubi erat sessurus. Papatus an fuerit à Christo junctus Episcopatui Romano.*
12 *Duo exquisivit Christus in Petro, scilicet vitę probitatem, & doctrinam, nihil vero de patriâ, vel nationalitate poposcit.*
13 *In Deo non est acceptio personarum, quia quidquid impertitur, non ex debito dat, sed ex gratiâ. Probitas, & scientia potest esse in extraneis.*
14 Secunda ratio *extraneis favens, petitur ex D. Thomâ, docente beneficia ecclesiastica esse dignioribus conferenda.*
15 *Multis rationibus, variisque motivis moventur Doctores ad opinandum, quod beneficia sint dignioribus concedenda.*
16 *Alia paritèr motiva recensentur, ob quę alii existimant, clericos digniores beneficiis esse præficiendos.*

17 *Be-*

17 *Beneficia sunt conferenda dignioribus, non absolutè, sed respectivè ad illos, qui haberi possunt. Nec dignioribus simpliciter, sed relativè.*

18 *In foro fori sufficit eligere ad beneficia virum dignum, etiam prætermisso digniore. Quid de parochiis? Et quid de merè simplicibus?*

19 *Dignioritas interdùm concurrit, tàm in clericis extraneis, quàm in indigenis, & aliquando etiam concurrit magis in extraneo, quàm in indigenâ.*

20 *Contradictores magnam vim faciunt in hâc ratione, quod eligendus sit dignior ad beneficia, fulcientes eam variis auctoritatibus.*

21 *Allegant & Canonistas idipsum sentientes, sed eorum documenta, vel probant nimium, vel nihil probant, vel alias patiuntur exceptiones.*

22 *Dignioritas non est coarctanda ad solos indigenas. Episcopus non potest repellere à Concursu extraneum: debet tamèn indigenam præferre extraneo.*

23 *Utilior est simul dignior pro beneficiis consequendis: potest tamen aliquis esse sanctior, & doctior alio, & tamèn iste esse alioquin dignior.*

24 Tertia ratio *è D. Thomâ eduta, est ubi agit de præceptis judicialibus, à Moyse convenientèr datis, quantum ad extraneos.*

25 *Advenas negotii causâ in Israel manentes, lex mandabat ne contristarentur. Proselytos ex Gentilitate admittebat, quos instruebant Pharisæi.*

26 *Lex mandavit Egyptios, Idumeos, Ammonitas, & alios, necnon Eunuchos, & Manzeres, non admitti in Ecclesiam, & in quo sensu?*

27 *Sicut lex Hebraica extraneos admittebat ad res spirituales, ita extranei rerum spiritualium debent esse capaces in lege gratiæ.*

28 *Lex nova continebatur in veteri, ut frumentum in spicâ; nec differunt inter sè, nisi quia nova est veteri perfectior. Beneficia sunt res sacræ.*

29 Quarta ratio *D. Thomæ est, quod determinationes Theologicæ debent fieri auctoritate. Sacram Scripturam Spiritus Sanctus dictavit.*

30 *Suprà ex Sacrâ Scripturâ probavimus beneficia extraneis quoquè deberi. Undè solis indigenis de jure divino non debentur.*

31 Quinta ratio *fundatur in eo, quod collatio beneficiorum in sè considerata est* donatio, *ut eam vocant Canonistæ, & Canones.*

32 *Ferè cujuslibet speciei beneficiorum collatio reperitur vocata donatio. Quomodò differant donatio remuneratoria, & merè gratuita.*

33 *Quemadmodum collatoribus, vel nominatoribus, liberum est sua bona cuilibet donare, sic & liberum est beneficia cuilibet impertiri.*

1. DIVINA providentia, quæ in sui dispositione non fallitur, viros Sanctos, & respectivè pios, ac doctos nunquam deesse in Ecclesiâ permisit, qui eam suâ eruditione, ac probitate foverent. Sed Sæculo Decimotertio, talibus, ac tantis eam Doctoribus insignivit, ut illorum fama longè, latèque Orientem, & Occidentem impleverit. S. Antonius de Paduâ, Lusitanus: S. Raymundus de Pennafort, Hispanus: S. Edmundus Cantuariensis, Anglus: S. Bonaventura Balneoregiensis, Italus: B. Albertus Magnus, Germanus; Petrus de Tarantasiâ, Burgundus: Vincentius Bellovacensis, Gallus: Henricus Gandavensis, Belga: Alexander de Hales: Hugo de S. Caro: Jacobus de Vitriaco: Thomas Cantipratensis: Ægidius Romanus, & plures alii (*a*). Verum inter hos miro modo clarus effulsit, ac veluti sol inter stellas primæ magnitudinis rutilavit, *S. Thomas de Aquino* Italus, ex Regno Neapolitano, apud Bellicastrum in Calabriâ natus, teste Mireo (*b*), ex insigni progenie de Sommacolis (*c*). Vir miræ sanctitatis, existimationis, & doctrinæ, proptèr quàm & meruit Angelici Præceptoris, ac quinti Ecclesiæ Doctoris titulum adipisci (*d*), de illoque oraculo est Apostolico pronuntiatum, quod ejus dogmata, *qui tenuit, nunquam inventus est à veritatis tramite deviasse: qui verò eum impugnavit, semper fuit de veritate suspectus* (*e*).

(a) *Vid. Henric. Gandav. Jo. Trithem. & Bellarmin. de Scriptor. Ecclesiast.*

(b) *Aubert. Mireus politia Eccles. l. 1. c. 3. fol. 28.*

(c) *Paul. Frigerius Vit. S. Thomæ de Aqu. l. 1. c. 1. n. 2.*

(d) *S. Pius V. Constit. 36. §. 3.*

(e) *Innoc. V. in Serm. de D. Thom.*

2. Aliorum ergò doctrinâ relictâ, (ne illius hic prolixa congestio oneri sit lectori) Divum *Thomam Aquinatem* causę nostræ proferimus advocatum, cujus doctrinam quotiès ostenderimus, Assumpto pro quo pugnamus, mirificè suffragari, semper verum erit, quod Clerici etiam extranei sunt ad præbendas ecclesiasticas admittendi. *Cujus nàmque sapientiam* (inquit Bartholomeus de Spinâ) *Christus per se approbat, Beatissima Virgo collaudat, Petrus, & Paulus edocent, & commendant, universitas Parisina miris effert præconiis, Summus Antistes Urbanus festandam proponit, & ampliandam præcipit; quis non veneretur, amplexetur, extollat? &c. Oranti, supplicitèrque deprecanti Thomæ antè Crucifixi Imaginem, ut de suæ doctrinæ soliditate certior fieri mereretur, voce patente, per os Imaginis &c. respondit Christus, benè scripsisti de mè Thoma. Hoc ipsum aliàs Beatissima Virgo per os itidem suę imaginis, quâ coram Sanctus orabat, apertissimè protestata est. Beatissimi item Senatus Apostolici Principes Petrus, & Paulus &c. eundem pleniùs personalitèr instruxerunt &c.* (a). Itàque doctrinæ D. Thomæ inhærentes (quam à junioribus annis, & usque ad hanc ætatem sectati sumus, ad magnam nobis gloriam reputantes, quod tantum Doctorem studiorum nostrorum, qualiacumque fuerint, semper habuerimus Auspicem, & Patronum) causam admissionis Clericorum extraneorum, ad ecclesiastica beneficia, diversis rationibus, sumptis ex eodem Doctore Angelico fulfulcimus, præter ea, quæ ex illius ore superiùs cap. 1. nu. 27. & sequentibus proposuimus.

(a) *Barthol. Spina in præfac ad 2. 2 S. Tho. post init.*

3. *Prima ergò Ratio* desumitur ex ipso D. Thomâ, ubi movet quæsitum, *utrum in dispensatione spiritualium locum habeat personarum acceptio* (b). Et nomine spiritualium, quamquàm possint venire cuncta spiritualia bona, quorum alia sunt merè spiritualia, ut sunt sacramenta, sacra doctrina, gratia sanctificans &c.: Alia sunt temporalibus admixta, uti sacerdotia, beneficia, dignitates ecclesiasticę, & alię prælaturæ, quibus homines in Ecclesiâ solent persungi (c); tamen potissima difficultas D. Thomę, vertitur circà bona secundi generis, dum hæc scilicèt, non secundùm dignitatem, & merita personarum dispensantur, sed secundùm motiva impertinentia, collationem extrà æquitatis orbitam pertrahentia. *Spiritualium nomine*, inquit Soto, *censentur ecclesiastica sacerdotia, quibus Christiana respublica ad sempiternam felicitatem promovetur. Sacerdotum enim ministerio sacris Christiani initiantur, per quæ divinam gratiam ineunt, & recuperant &c.* (d). Respondet autèm D. Thomas ad quæsitum affirmative, dari scilicèt acceptionem personarum in dispensatione spiritualium, hancque esse ex genere suo peccatum mortale: quod probat primò auctoritate; quià in divinâ lege jubetur, *nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi* (e). Ubi Glossa D. Augustini addit, *quis ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore?* (f). His addi possunt verba Levitici, *non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, justè judica proximo tuo* (g). Et in Deuteronomio, *nulla erit distantia personarum; ità parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quià Dei judicium est* (h). Et in libro ecclesiastici, *ne accipias personam, ut delinquas* (i).

(b) *S. Thom. 2. 2. qu. 63. art. 2.*

(c) *Petr Aragonius in S. Thom 2. 2. qu. 63. ar 2 in explic. artic. f. 209.*

(d) *Dom. Soto de just. & Jur. l. 3. qu. 6. ar. 2. conclus. 3.*

(e) *Jacobi cap. 2. n. 1*

(f) *S Augus. epl. 29. ad Hieron tom. 2.*

(g) *Levit. cap. 19. nu. 15.*

(h) *Deuter c 1. nu. 17*

(i) *Ecclesiastici c. 42. nu. 1.*

4. Secundò D. Thomas probat suam conclusionem ratione, quià acceptio personarum, quâ aliquid personæ attribuitur, *prætèr proportionem dignitatis ipsius*, contrariatur justitiæ destributivæ: Et sicut justitia læditur accipiendo personas in distributione rerum, vel officiorum temporalium; ità & multò magis læditur in distributione rerum spiritualium, quià spiritualia sunt temporalibus potiora; & uti notat Cardinalis de Lugo, gravioris momenti est salus spiritualis, ad quam beneficia, & officia spiritualia ordinantur; quàm temporalis, ad quam officia temporalia diriguntur (l). Nec deest proportio intèr dignitates, & beneficia spiritualia, ac dignitates, & officia sæcularia, quià sicuti beneficia ecclesiastica fuerunt instituta, & ut essent stipendia eorum, qui Ecclesiæ aliquo modo deserviunt, & ut essent præmia, benemeritis distribuenda; ità etiàm officia temporalia, cum suis lucris, sunt

(l) *Card de Lugo de Just. & Jur. disp. 35. in princ.*

ſunt inſtituta, tùm ut ſint ſtipendia famulantium Reipublicæ, tùm etiam ut ſint prœmia virorum, benemerentiâ præditorum (*a*). Ergò ex doctrinâ D. Thomæ, eo modo excludendi erunt viri extranei à participatione bonorum ſpiritualium, ſeù beneficiorum eccleſiaſticorum, quo modo excluduntur à participatione bonorum temporalium, ſeù officiorum, ad Rempublicam pertinentium. Sed à participatione officiorum temporalium extranei, quà extranei, non excluduntur, quià nulla lex generalis datur, inhabilitans viros extraneos, quà extraneos, à conſecutione munerum ſæcularium, eâque lege deficiente, non valent extranei, ſinè peccato acceptionis perſonarum, ab ipſorum munerum temporalium conſecutione repelli; ergò nèc etiam à conſecutione officiorum, & beneficiorum eccleſiaſticorum arceri poſſunt, ſinè lethali crimine acceptionis perſonarum.

5. Confirmatur præallegata Ratio ex eo, quod munus proprium juſtitiæ diſtributivæ in hoc conſiſtit, quod bona communia Communitatis, ità in partes ejus diſtribuantur, ut poſſit intelligi, totam Communitatem rectè ſe habere ad quamlibet ejus partem, & ipſas partes inter ſe proportione geometricâ coequari, ut innuit Philoſophus in 5. Ethicorum: *fiet autem hoc*, inquit Valentia, *ſi quo major fuerit aptitudo, & dignitas in unâ parte Communitatis, quàm in aliâ, ad recipiendum aliquid bonorum communium, tantò plus ex illis bonis communibus illi parti obveniat, quàm alteri. Sicut etiam videmus in communitate corporis naturalis, tunc rectè ſe habere totum corpus ad quamlibet partem, quandò tantò plùs virtutis, & alimenti uni parti contingit, quàm alteri, quantò plùs una pars naturâ ſuâ exigit, quàm altera, atquè adeò quantò plùs ei naturalitèr debetur. Quandò igitùr ille, qui diſtribuit bona Communitatis alicujus, perturbat hunc ordinem, ità diſtribuens bona communia, ut non habeat rationem dignitatis perſonarum, reſpectu hujus, vel illius boni diſtribuendi, ſed neget perſonæ dignæ bonum ei debitum, vel abſolutè, vel ſecundùm hanc, vel illam quantitatem, & illud conferat alteri perſonæ, proptèr aliquam conditionem, ad rem non facientem, vel minùs facientem; tunc accipit perſonam, idest attendit in perſonâ, quod non debebat attendere* (*b*): Nempè non merita, non dignitatem, non aptitudinem, ſed alia motiva, ad opportunitatem rei, de quâ agitur, non facientia.

6. Itàque ad evadendum peccatum acceptionis perſonarum, oportet, ut bona Communitatis rectè diſtribuantur in ejus partes, pro ratione dignitatis, & capacitatis ipſarum partium. Sed bona eccleſiaſtica, ſivè beneficia ſacra ſunt bona totius Communitatis eccleſiaſticæ, generalitèr ſumptæ: ergò ad evitandum peccatum acceptionis perſonarum in eorum diſtributione, oportet, quod ità diſtribuantur, ut partes ipſius Communitatis, pro ratione illarum capacitatis, de ipſiſmet bonis participent. Major de ſe patet, & eſt communis intèr Theologos. Minor verò probatur; Eccleſia eſt una, non multiplex (*c*), unum habens Caput inviſibile, nempè Chriſtum (*d*), cui tradita ſunt bona eccleſiaſtica, qui & illorum etiam dominium retinet (*e*): Unum paritèr habens Caput viſibile, nempè Papam, Chriſti in terris Vicarium (*f*), qui & omnium bonorum eccleſiaſticorum eſt ſupremus adminiſtrator, & diſtributor (*g*): Unam tandèm habens fidem, & communionem in dogmatibus Evangelicis, *nec altera*, inquit Hieronymus, *Romanę urbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt: & Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, unum Chriſtum adorant, unam obſervant regulam veritatis* (*h*). Ergò bona eccleſiaſtica totius orbis ſunt bona unius Eccleſiæ, ſeù unius Communitatis eccleſiaſticę, de quâ D. Proſper ait, res eccleſiaſticæ *non propriæ ſunt, ſed communes Eccleſiæ facultates* (*i*). Ut igitùr in eorum diſtributione evitetur peccatum acceptionis perſonarum; oportet, quod ad illas admittantur omnes, quotquot componunt eccleſiaſticam Communitatem, habitâ proportione geometricâ ad illorum merita, & capacitatem.

7. Hoc poſito ſubſumendum eſt: Sed non modò Clerici indigenæ, verùm etiam

Tom. I. Ttt 2 extra-

(a) *Petr. Aragon. in S. Thom. 2. 2. qu. 63. ar. 2. poſt medium § est advertendum.*

(b) *S. Greg. de Valent. to. 3. diſp. 5. qu. 7. pun. 1. § intelligatur.*

(c) *Stephan. Tornacenſ. epl. 8. Petr. Cluniacenſ. lib. 3. epl. 2. Bellarm. de Pontif. l. 2. c. 12.*

(d) *S. Thom. 3. p. qu. 2. ar. 1. in Corp. & qu. 8. ar. 1. 6 & 7. & qu. 48. ar. 1. qu. 59. ar. 2.*

(e) *C. nulli 8. 2. qu. 2 Gloſ. in cap. expedit. V. communes 12. queſt. 1 Toſtat. in Paral. 26. qu. 36. Lotter. de re benef. l. 1. qu. 4. nu. 57. Bonac. de oblig. benef. tom. 1 diſp. 4. quæ. 2 nu. 2.*

(f) *Cap. inter c. quanto c. licet de tranſlat. Epiſcopi S. Thom. p. par. qu. 112. ar. 2. ad 2. Barboſ. Jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. nu. 17.*

(g) *S. Thom. in 4. diſt. 25. qu. 3. ar. 3. ad 2. & in 2. Corinth. 11. lec. 2. in fin. & 2. 2. qu. 100. ar. 1. ad 7.*

(h) *S. Hieronym. epl. 85. ad Evagr.*

(i) *S. Proſper. de vit. contempl. l. 2. c. 9.*

extranei, sunt partes componentes Communitatem ecclesiasticam, generalitèr sumptam totius mundi, & sunt capaces illorum bonorum: ergò tàm Clerici indigenæ, quàm extranei sunt admittendi ad ecclesiastica beneficia, quæ sunt bona ad ipsam Communitatem ecclesiasticam pertinentia, aliàs Clericorum extraneorum exclusio, & sola indigenarum admissio, causabit in distributore bonorum peccatum acceptionis personarum, summoperè à Domino detestatum. Probatur minor subsumpta: Communitas ecclesiastica ex illis partibus, capacibus bonorum ejus, componitur, ex quibus sacrum componitur Corpus illud mysticè, cujus Caput invisibile est Christus, & visibile est Romanorum Antistes; sed partes hujus Corporis mystici sunt omnes Clerici totius mundi, sivè sint indigenæ unius loci, sivè extranei: ergò etiam partes Communitatis ecclesiasticæ sunt tàm Clerici indigenæ, quàm extranei: Ergò de ratione justitiæ distributivę est, quod etiàm Clerici extranei includantur in distributione bonorum, ad Communitatem ecclesiasticam pertinentium, nempè beneficiorum ecclesiasticorum, ad hoc, ut qui sunt partes ipsius Communitatis, & capaces eorundem bonorum; à proportione aliarum partium, itidèm capacium eorundem bonorum, non repellantur. Igitùr attento debito vitandi acceptionem personarum in dispensatione bonorum Ecclesiæ, juxtà id, quod postulat recta ratio justitiæ distributivę, Clerici extranei non sunt à beneficiis ecclesiasticis repellendi.

8. Nec dicatur, quod in dispensandis muneribus Sacerdotalibus, & ecclesiasticis beneficiis, habenda sit ratio justitiæ commutativæ, non verò distributivæ, quatenùs beneficia sunt quędam stipendia, & mercedes, datæ ministris ecclesiasticis prò munere, quo funguntur, vel orando, vel sacramenta ministrando, vel alio modo Ecclesiæ formali, aut materiali deserviendo: succedunt enim in loco decimarum, quæ, vigente adhùc veteri lege, porrigebantur Levitis, & certum est, has illis fuisse datas intuitu officii, & veluti mercedem eorum ministerii. Clarè namque legitur in Numeris, *filiis Levi dedi omnes decimas in possessionem prò ministerio, quo serviunt mihi in Tabernaculo fœderis* (a), & idcircò mittens Christus Apostolos ad Evangelium, per Orbem diffundendum, tamquàm Messores ad Messem injunxit illis, *in eadem autem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede suâ* (b): quo significavit, ipsis deberi stipendia sui operis, tamquàm mercedem, ex justitiâ commutativâ pendendam: siquidem mercedis exhibitio ad justitiam pertinet commutativam. Sic & ubi in Deuteronomio præcipitur, *non alligabis os bovi trituranti* (c); & ubi Apostolus in epistolâ ad Corinthios dicit, *quis militat stipendiis suis* (d)? justitię commutativę debitum procùl dubiò insinuatur. Et hinc est, quod dicitur communitèr, beneficium dari proptèr officium (e), ad modum scilicèt justitię commutativę: tamquàm si inter Ecclesiam, & beneficiarium interveniret contractus, quo illa stipendium pro ministerio præstat beneficiario, hic verò prò stipendio pollicetur Ecclesiæ officium debitum exercere, quod ad justitiam commutativam evidentèr noscitur pertinere. Non, inquam, hoc dicatur, quippè, ut ait Aragonius, *quamvis potissimùm in his beneficiis habeatur ratio justitiæ commutativæ; negari non potest, nec debet, quin etiam sacerdotia, & ecclesiasticæ præfecturę specimen habeant bonorum communium, benemeritis Ecclesię, juxtà illorum dignitatem, & excellentiam, secundùm rationem justitiæ distributivæ, conferendorum* (f).

9. Iterùmque confirmatur prima Ratio, ex eo, quod tunc, in distributione beneficiorum, committitur personarum acceptio, in crimen lethalis culpæ resultans, quandò, prętermisso Clerico idoneo, beneficium datur minus idoneo (g). Tùnc enim peccato quidem unico delinquitur, sed peccato, habente malitiam ex duplici capite, nempè tùm proptèr injuriam Ecclesię factam, cui debetur famulatus à Clerico magis idoneo, & sic læditur justitia commutativa; tùm proptèr injuriam Clerico magìs idoneo illatam, cui tamquàm tali debebatur honor, & emolumentum, ad præmianda merita destinatum, & fit peccatur contrà justitiam distributivam;

(a) *Num. cap. 18.*

(b) *Lucæ cap. 10.*

(c) *Deuter. cap. 25.*

(d) *1. Corinth. cap. 9.*

(e) *Garcia de benef. part. 1. c. 2. nu. 60 & p. 7. c. 33. num. 1. Barbos. Axiom. 36. nu. 7.*

(f) *Petr. Arag. in 2. 2. S. Thom. quæst. 63. ar. 2. §. sed pro.*

(g) *Soto de just. & jur. l. 3. qu. 6. ar. 2. conclus. 7.*

vam: clamatque favore Clerici magis idonei prætermissi, sanctio Concilii IV. Lateranensis: *Grave nimis est, & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos &c. carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis: undè quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat* (a). Sed majoritas idoneitatis est, nedùm in Clericis indigenis, verum etiam in extraneis; ergò non soli Clerici indigenæ, verum etiam extranei, digni, & benemerentes, sunt ad beneficia ecclesiastica admittendi. Nisi tamèn æqualitas meritorum faciat, ut, cæteris paribus, indigena sit extraneo præferendus, vel nisi versemur in loco, quem foveat privilegium particulare, ab Apostolicâ Sede collatum, vel aliàs ejusdem consensioni innixum, arcens à beneficiis extraneos. Tunc enim non esset acceptio personarum conferre beneficia indigenis, sed illa extraneis elargiri, quos indultum, legitimè concessum, repelleret.

10. Major præfatæ confirmationis rationis, nempè, quod committatur acceptio personarum, dando beneficium Clerico minùs idoneo, prætermisso magis idoneo, & quod hoc lædat, tum justitiam commutativam, ratione Ecclesiæ; tùm distributivam, ratione Clerici prætermissi; est certa, & ut ait Soto, *est omnibus extrà controversiam in confesso* (b). Minor verò probatur: extraneitas, quantùm est de sè, est qualitas indifferens, respectu capacitatis, & idoneitatis ad beneficia, & officia ecclesiastica; sicut & esse natum ex hâc, vel illâ familiâ; ex nobili, vel ignobili; ex paupere, vel divite; ex parentibus incolis, vel originariis unius, vel alterius loci; istius, vel illius regionis, sunt qualitates indifferentes respectu idoneitatis ad ordines, & ecclesiastica beneficia, quemadmodùm doctè observat Valentia (c). Tùm quià hæ sunt qualitates naturales, homini injectæ *fato quodam, & sorte nascendi*, ut ait Tacitus (d): & sic adiaphoræ ad meritum: quandoquidem, uti tritum habet proloquium, *in naturalibus, neque meremur, neque demeremur*, & ideò neque faciunt magis, neque minùs capacem aliquem ad beneficia (nisi ubi leges, & privilegia localia aliud exposcant.) Tum quià sicut habet Scriptura, apud Deum *non est distinctio Judæi, & Græci; Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum* (e), neque apud eum distinguuntur *Gentilis, & Judæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, servus, & liber, sed omnia, & in omnibus Christus* (f). Ergò & extraneitas Clericum non facit minùs idoneum ad ecclesiasticabeneficia, & majoritas idoneitatis esse potest, nedum in indigenis, verum etiam in extraneis. Igitur, ut in collatione beneficiorum evitetur culpa acceptionis personarum, non modò Clerici indigenę, sed etiam extranei, sunt ad ecclesiastica beneficia admittendi.

11. Denuò confirmatur prima ratio ex facto Christi, conferentis primum, & supremum beneficium, quod est in toto mundo, nempè Summum Pontificatum, qui quoque à Doctoribus intèr beneficia ecclesiastica computatur (g). In subjecto etenim, ad Pontificatum promovendo, scilicèt à Petro, non quæsivit Christus an esset Romanus, vel Antiochenus, quamquàm sciret, quod utrobique suam esset residentiam positurus, Antiochiæ prius, & deindè Romæ (h). Nàm in Petro, & sic in ejus Successoribus, considerant Theologi duas dignitates, diversas, & seperabiles de sè, videlicèt Episcopatum universalem Orbis, & Episcopatum particularem Urbis, quę dignitates insimul sunt connexę (i). Et licèt Sotus (l), Paludaus (m), & alii, opinentur annexionem Summi Pontificatus cum Episcopatu Romano, non fuisse factam immediate à Christo, sed à Petro, ex propriâ electione, quippè in scripturis de hâc rè nil certum habemus: dantque fomentum huic sententię verba D. Gregorii, de Petro scribentis, *ipse sublimavit Sedem, in quâ quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est* (n); Tamèn probabilior, & magis pia opinio est contraria, quam tenent Cajetanus (o), Turrecremata (p); & alii (q); videlicèt, vel Christum immediatè, vel Petrum ex speciali Christi jussione, Summum Pontificatum, cum Romano Episcopatu junxisse. Nàm Marcellus Papa I, in epistolâ

ad

(a) Cap. grave nimis 29 de præbend.

(b) Soto loc. citat

(c) Valent. to. 2. disp. 5. qu. 7. pu. 2. § 3. versic. Ut verbi gratia.

(d) Tacit. Annal. 4.

(e) Rom cap. 10. nu. 12.

(f) Colos. c. 3. nu. 11.

(g) Monet. de commut ult. vol c. 12. n. 67. Mart. de jurisd. p. 2. c. 39. nu. 2. Laym l 4 tr. 2. c. 4. nu. 4. Barbos. jur. Eccl univ. l. 3. c. 4. nu. 47.

(h) Suarez de tripl. Virtut. Theol. disp. 15. sect. 3. n 8.

(i) Suarez loc. cit. Jo. Bap. Gonet. Clyp. Theol. to. 4. tr. 10. disp. 4. de Sum. Pontif. art. 8 § 1. & 2.

(l) Scotus. in 4. dist. 24 qu. 1. ar. 5.

(m) Petr. Palud. de potest Papæ ar. 2. & 4

(n) S. Greg. l. 6 epl. 37

(o) Cajetan. de potest. Pap. c. 13. & 14.

(p) Turrecrem. in c. sacrosancta dist. 22.

(q) Vid. Joan. à S. S. Thom. in 2. 2. tract. de Sum. Pontif. disp. 2. art. 4. àn u 6. to. 4 f 107 Gonet Clyp. Theol. loc. cit. § 2. nu. 90

ad Episcopos Antiochenæ provinciæ dicit, quod Petrus, jubente Domino, Antiochiâ discedens, Sedem suam Romæ locavit (*a*). S. Leo Papa I. in suis sermonibus, pluries ait, Divinâ ordinatione factum esse, ut Petrus Romæ Pontificatus sui Cathedram collocaret (*b*). Innocentius Papa in suis Decretalibus, inquit, *locus, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur: cum enim Petrus Urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, revocare, interrogatus ab eo, Domine quò vadis, respondit, venio Romam iterùm crucifigi: quod intelligens prò se dictum, ad locum ipsum protinùs est reversus* (*c*). Cujus historiæ, exprobationis Petro factæ per Christum, meminerunt D. Athanasius (*d*), Ambrosius, & Gregorius (*e*), nec non Egesippus, vel quisquis est Auctor libri de excidio Hierosolymitano (*f*), & alii. Angelicus tandem Divus Thomas disertè asseverat, quod Christus, *ut suam potestatem magìs ostenderet, in ipsâ Româ, quæ caput Mundi erat, etiàm caput Ecclesiæ suæ statuit* (*g*).

12. Optimè ergò cognovit Christus, Petrum esse priùs Antiochiæ, deindè Romæ sessurum, & tamen non sciscitatus est ab eo, an esset Antiochenus origine, vel Romanus; sed alia solùm duo ab ipso proposcit, toto cœlo ab hoc negotio diversa: Nimirùm primò *vitæ probitatem*, interrogando eum, Simon Joannis, *diligis me plùs his? dicit ei: etiam Domine, tu scis quià amo te; dicit ei: pasce agnos meos*: hocque bis, & tertiò fecit (*h*). Secundo, *Doctrinam, sivè literarum scientiam* exegit, quæritando, *quem dicunt homines esse filium hominis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi &c. Respondens autem Jesus dixit illi &c. Et ego dico tibi, quià tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* (*i*). Nihil de patriâ Christus in Petro, nihil de nationalitate quæsivit, sed solùm de his duobus, *vitæ probitate*, & *scientiâ*, prout notant Cardinalis de Lugo (*l*), & Valentia (*m*). Quas qualitates, quià vidit in Petro, etsi Galilæo, adeoque extraneo, imò, & extraprovinciali, & extranationali, heroicè reperiri, & magìs, quàm in aliis Discipulis eminere; ideò Christus, ne acceptor esset personarum, sed meriti, Petro, non obstante extraneitate ab urbibus Antiochiæ, ac Romæ, beneficium Summi Pontificatus largitus est. Habuisset autem faciem acceptionis personarum, si Petro prætermisso, in quo utraque qualitas eminentissimè concurrebat, dedisset Pontificatum Andreæ, quià ætate majori, vel Joanni, quià ætate juniori, vel Jacobo, quià consanguineo ipsiusmet Christi, vel alicui viro Romano, quià indigenæ, in quibus dictæ qualitates non tàm eximiè, ut in Petro corruscassent.

13. Habuisset, inquam, faciem acceptationis personarum, per modum ità loquendi, & eâ formâ, quâ talis denominatio dari potest in Christo, si tamen dari potest. Nam de rigore in eo acceptio personarum dari non valet, sicuti non valet dari in Deo, juxtà sententiam D. Thomæ (*n*): quippè acceptio personarum opponitur justitiæ, & sic tantùm habet locum in his, quæ dantur ex debito, quod justitia considerat, Deus autem non ex debito, sed ex gratiâ dat id, quod dat: uti cum ex peccatoribus, alios ad gratiam vocat, alios verò in suis culpis relinquit (*o*). Undè Apostolus, *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit* (*p*). Quæ ad cautelam dicta sint. Cæterùm quoad rem: Utraque qualitas, tàm probitatis vitæ, quàm scientiæ, à Christo in primo Orbis beneficiario requisita, potest esse etiam in Clericis extraneis, & sæpè sæpiùs est in extraneis, non verò in indigenis: Ergò Clerici extranei quoque sunt ad beneficia ecclesiastica promovendi: & extranei, utriusque qualitatis compotes, sunt indigenis, alterutrâ, vel utrâque carentibus, præferendi: aliàs Collator extraneis repulsis, & solis indigenis admissis; incurrit peccatum acceptionis personarum. Quibus ità se habentibus, hoc modo jam concluditur argumentum. Non valent largitores beneficiorum arctari, nec se arctare ad beneficia solis indigenis conferenda, sinè peccato acceptionis personarum; ergò oportet ex necessitate statuere, illis inesse debere libertatem conferendi beneficia etiam viris extraneis; ergò liberum, & licitum est Ecclesiæ

(a) *Marcel. I. epl 2. cap. Rogerius 24. quæst. 1.*
(b) *S. Leo I serm. de SS. Petr. & Paul.*
(c) *Innoc. III. in cap. per venerabilem 13. qui fil. sint. legit.*
(d) *S. Athan. apolog. de fugâ suâ.*
(e) *S. Ambros. orat. contr. Auxent. & l. 5. epl. 32. S. Greg. in Psal. 4. pœnit.*
(f) *Egesippus de excid. Hierosol. l. 3. c. 2.*
(g) *S. Thom. 3. par. de Salvat. qu 35. ar. 7. ad 3.*
(h) *Joan. cap. 21. nu. 15.*
(i) *Matth. cap. 16. n. 14.*
(l) *Card. de Lugo de just. & jur. disp. 35. sec. 2 nu. 4.*
(m) *Valent. to. 3. disp. 5. qu. 7. qu. 1. §. 3. in fin.*
(n) *S. Thom. in epl. ad Rom. c. 3.*
(o) *Aragon. in 2. 2. qu 63 ar. 1.*
(p) *Ad Tit. cap. 3.*

clesię, illiusque ministris beneficia, non modo Clericis indigenis, verùm etiam extraneis elargiri.

14. *Secunda Ratio*, præcedenti aliquali affinitate conjuncta, desumitur ex aliâ difficultate, quam movet D. Thomas in summâ, sciscitando; *An oporteat eum, qui ad Episcopatum assumitur, esse cęteris meliorem* (a). Et in quodlibetis, quærendo, *An Episcopus peccet, dans beneficium bono, si prætermittat meliorem* (b). Quod est idem, ac inquirere; An beneficia ecclesiastica debeant semper conferri magis dignis, nec ne? Et utrobique S. Doctor respondet affirmativè, cujus sententiam sequuntur *S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 20. §. 1. Cajetan. 2. 2. qu. 63. art. 2. & in sum. V. Acceptio personarum. Alexander de Ales. 2. p. qu. 136. memb. 2. Nicolaus de Lyrâ in cap. 21. Joannis. Major in 4. dist. 24. quæst. 8. & 9. Valent. tom. 3. disp. 7. pun. 2. §. 2. Gab. in 4. dist. 15. quæst. 7. art. 3. dub. 2. conclus. 2. Soto de just. & jur. lib. 3. quęst. 6. art. 2. conclus. 9. Sum. Angel. Verb. Acceptio personarum §. 6. Sylvest. eod. verb. §. 2. Aragonius in 2. 2. quęst. 63. art. 2. §. hoc constituto. Navar. in Sum. cap. 17. num. 72. & 92. Gabr. Vasquez opusc. de beneficiis cap. 2. §. 3. dub. 1. Petr. Palud. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. concl. 4. Turrianus 2. 2. tom. 2. disp. 22. dub. 1. num. 2. Azorius p. 2. lib. 6. cap. 15. qu. 1. 8. & 9. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 14. num. 64. Hurtad. to. 2. tr. 12. cap. 1. §. 7. num. 1412. Serra in 2. 2. D. Thom. quęst. 63. art. 2. dub. 1. Martin. d. Esparza tom. 2. lib. 8. quæst. 45. art. 7. Reginald. to. 2. lib. 30. tr. 3. cap. 14. num. 196. Card. de Lugo de just. & jur. disp. 35. sec. 2. num. 10. Castropal. tr. 13. disp. 2. punt. 11. num. 5. & 8. Dian. par. 2. tr. 15. res. 40. par. 8. tr. 7. res. 83. par. 9. tr. 7. res. 7. & par. 11. tr. 4. res. 34. Covarruvias in reg. peccatum p. 2. §. 7. num. 3. Castellin. tract. de electio. Canon. cap. 9. per tot. Rocch. de jurepatr. Verb. honorificum quęst. 15. Lambertin. eod. tract. quæst. 10. art. 3.* & alii passim tùm Theologi, tùm Canonistæ.

(a) *S. Thom. 2. 2. quæst. 185. ar. 3.*
(b) *S. Thom. quodlib. 6. qu. 5. ar. 6. & quodlib. 8. qu. 4. ar. 6.*

15. Hi omnes unà voce, unoque sensu concludunt, quod beneficia ecclesiastica sunt dignioribus conferenda. Moventur ex variis rationibus, quas, multi multa loquentes, afferunt. Alii nempè suam opinionem fundant super decreto Concilii Tridentini, statuentis, largitores beneficiorum *mortalitèr peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligentèr curaverint* (c). Alii id retrotrahunt ad juramentum, in Conciliabulo Basileensi propositum, sic resonans, *Ego N. juro, & promitto Omnipotenti Deo, & Sancto, cujus nomini dicata est Ecclesia, eum eligere, quem credam esse in spiritualibus, & temporalibus meliorem* (d). Alii hoc repetunt ex Scripturâ, ubi Aaron omnium optimus ad Summum Saçerdotium est electus (e). Ad Regnum paritèr Israel Saul, aliis tunc melior, assumptus est (f). Petro quoquè cæteris Apostolis ferventiori Summus Pontificatus est traditus (g): & in libris Regum apertè definitur, *eligite meliorem, & eum ponite super solium* (h). Alii hoc debitum ad jus Canonicum referunt: Nàm alicubi in textu ex D. Hieronymo sumpto, dicitur, quod ille debet eligi ad sacerdotium, *qui præstantior est, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior* (i). Item alibi D. Leo præscribit, ut ad Episcopatum *ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel Diaconis optimus eligatur* (l). Demùm alio in loco Innocentius Papa III. decernit, *non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti ecclesiasticum officium, & beneficium in personâ magìs idoneâ dispensare* (m).

(c) *Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de reform.*
(d) *Concil. Basileens. sess. 12.*
(e) *Levit. cap. 8.*
(f) *Reg. cap. 10.*
(g) *Joan. c. 21. nu. 15*
(h) *4. Reg. c. 10. n. 3.*
(i) *Cap. licet 8. quæst. 1.*
(l) *Cap. Metropolitana dist. 63.*
(m) *Cap. Ut nostrũ ut Eccles. benef. sine dimin. confer.*

16. Alii hanc obligationem fluere censent ex fidelitate, quâ largitor beneficiorum, tamquàm OEconomus Ecclesiæ, tenetur providere optimo modo, tùm rebus Domini, tùm negotiis Ecclesiæ, sicut œconomus temporalis consulere debet optimo modo negotiis Domini sui, alioquin peccat contrà fidelitatem (n). Alii existimant id esse connaturale ipsis beneficiis, quatenùs cum hęc sint instituta, si non primariò, saltèm secundariò, ut sint præmia Ecclesiasticorum, quibus excitentur ad laborandum; fit, ut beneficia, ex naturâ suâ, sint bona communia, & per consequens pertineat ad justitiam distributivam, quod ipsa singulis prò ratione meritorum

(n) *Soto ap. de Lugo de just. & jur. disp. 35. sec. 2. nu. 13. §. primo.*

torum distribuantur (*a*). Alii rentur, debitum largiendi beneficia dignioribus ex præcepto humano descendere, quod nullibi fit in scriptis expressum, sit tamen traditum, quià ab initio Ecclesiæ usque ad præsens tempus, illa semper sententia prævaluit, ut melior sit ad beneficia ecclesiastica eligendus (*b*). Alii hanc opinionem muniunt lege Imperiali, quâ Cæsar præcipit, quòd qui optimus intèr monachos apparuerit, præficiatur in pastorem (*c*). Alii demùm præfatum debitum eligendi ad beneficia meliorem, reiiciunt in naturalem obligationem, quæ cuilibet publico bonorum dispensatori ex officio cohæret, consulenti Communitatis utilitatibus omni meliori modo, quòd non facit, nisi qui beneficiis ecclesiasticis meliorem præficit (*d*). Sed cum hæc omnia motiva non leves patiantur exceptiones, quas videre est apud Gabrielem Vasquez (*e*), & Joannem Cardinalem de Lugo (*f*), cunctis aliis potior est ratio, quam exhibet D. Thomas, nempè, quià provisiones beneficiorum non fiunt intuitu eorum, qui promoventur, sed intuitu Ecclesię, ministris providendę, & ideò melior semper illi est præficiendus.

17. Dignioribus, inquam, sunt beneficia ecclesiastica conferenda: dignioribus autem non absolutè, sed respectivè, idest illis, qui ex numero eorum, qui ad beneficium concurrunt, vel moraliter haberi possunt; magis digni sunt, prout explicat Cajetanus (*g*). Itèm dignioribus, non simpliciter, idest habitâ ratione ad majorem sanctitatem, quâ præditus est, qui plus habet de charitate; sed dignioribus relativè, scilicèt respectu Ecclesiæ per beneficiarium regendæ (*h*). Duæ enim sunt principaliores qualitates in beneficiandis requisitæ, sicut suprà tetigimus, nempè *probitas morum*, *& scientia*: quibus aliæ duæ addendæ sunt, nimirum *habilitas*, seù *capacitas juridica*, ut nempè promovendus habeat ætatem, & alias conditiones à jure requisitas, & *Industria in rebus agendis* (*i*). Quià autèm provisiones beneficiorum non fiunt intuitu beneficiarii, ità ut beneficia sint merces suorum meritorum, sed intuitu Ecclesiæ, seu beneficii; aliquandò verò Clericus minùs sanctus, & minùs sciens, potest esse magis aptus ad beneficium; ideò tùnc is erit magis idoneus, seù dignior aliis, non in sè, sed respectivè ad Ecclesiam (*l*). Perpulchrè D. Thomas: *Contingit quandòque quòd ille, qui est minùs sanctus, & minùs sciens, potest magis conferre ad bonum commune, proptèr potentiam, vel industriam sæcularem, vel proptèr aliquid hujusmodi. Et quià dispensationes spiritualium principaliùs ordinantur ad utilitatem communem, secundùm illud 1. ad Corinth. 12. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem; ideò quandòque in dispensatione spiritualium, illi, qui sunt simpliciter minùs boni, melioribus præferuntur* (*m*).

18. Quę prelatio dignioris ad beneficia exigitur quantùm ad forum interius, seù conscientiæ: non autèm quantùm ad forum exterius. Nàm respectu ad forum fori sufficit si eligatur dignus, etiam prætermisso dignior; tùm quià aliàs magnę in Ecclesiis sequerentur perturbationes, ut observat Valentia (*n*), tùm quià de facto jura approbant electionem digni, etiam prętergresso digniore (*o*): Jura autèm humana sicut notat Covarruvias, *ad majorem tranquillitatem reipublicæ, nè tot lites super his prælationibus tractarentur, statuerunt electionem, collationem, & institutionem sacerdotiorum validas esse, nec debere in discrimen revocationis adduci, ob eam causam, quòd dignior fuerit prętermissus, electo digno. Etenìm si locus esset contrariæ opinioni, & electiones istæ hàc ratione possent revocari, nulla in ecclesiasticâ republicâ electio fiet, quæ litibus, & controversiis, maximè periculosis non vexetur* (*p*). Quamquàm, quoàd beneficia parochialia, de jure novo Bullę S. Pii Papę V. editæ anno 1566. electio digni, prætermisso digniore, possit revocari, & de facto in praxi aliquandò revocatur (*q*). Cęterùm generaliter loquendo in foro fori sufficit ad beneficia eligere dignum: *S. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 3. Valent. ibi §. 3. Aragonius ibidem. Covarru. loc. cit.* & alii communitèr, tùm Theologi, tùm Canonistæ. In beneficiis etiam merè simplicibus sufficere in utroque foro eligere dignum docent. *Cardinalis de Lugo de just. & jur. disp. 35. sec. 2. num. 20. Aragonius ubi sup. §. Secunda conclusio. Dian. par. 2. tr. 15. res. 38. cum aliis ab eo allegatis.* Id admittunt

(a) *Lessius, & Sanchez ap. de Lugo loc. cit.*

(b) *Castropal. ap. de Lugo loc. cit. n. 17.*

(c) *Authent. de Monach. Soto de Just. l. 3. qu. 6. art. 2.*

(d) *De Lugo loc. cit. num. 18. Esparz. to. 2. l. 8. quæst. 45. ar. 22. & ar. 3. & 4.*

(e) *Gabriel. Vasq. de benef. c. 2. §. 3. dub. 1.*

(f) *Card. de Lugo loc. cit. Sec. 2.*

(g) *Cajet. 2. 2. qu. 61. ar. 2. §. nota 4. Aragon. ibidē §. 2. Conclusio Esparza l. 8 qu. 45. ar. 11. de Lugo ubi supr. num. 8.*

(h) *S. Thom. 2. 2. qu. 185. ar. 3. in corp. & quodlib. 6. ar. 9. & quodlib. 8. ar. 6.*

(i) *Aragon. in 2. 2. D. Thom. qu. 63. ar. 3. §. prid.*

(l) *S. Thom. 2. 2. qu. 185. ar. 3. in corp.*

(m) *S. Thom. 2. 2. qu. 63. ar. 2. in corp.*

(n) *Valent. to. 3. disp. 5. qu. 7. §. 2. in princ.*

(o) *Cap. cum nobis, & cap. cum dilectus de Elect.*

(p) *Covarru. tom. 1. in Regul. peccatum de restit. par. 2. §. 7. n. 3. versic. igitur.*

(q) *Aragon. in 2. 2. qu. 63. ar. 3. §. His constitutis.*

mittunt etiam aliqui in Papâ, & paritèr in Regibus, habentibus liberam beneficiorum dispositionem, ut sufficiat, ab eis eligi dignum, etiam prætermisso digniore; sic enim expressè firmat *Reginald. in prax. for. pœnit. tom. 2. lib.* 30. *tract.* 3. *c.* 14. *num.*197. *Trullenc. in Decal. tom.*2. *lib.*7. *c.*11. *dub.*8. *num.*4. *Dian. par.* 2. *tr.*15. *resf.*40. *& part.*8. *tr.*7. *resf.*83. Sed oppositum sentit *Cajetanus in Sum. Verb. electio Cardinalis de Lugo de just. & jur. disp.*35. *sec.*2. *n.*8. *& seq.* cui adhæret *Martin. d. Esparza tom.*2. *lib.*8. *quæst.*45. *art.* 3. *f.*200. *Petr. Aragon. in* 2.2. *quæst.*63. *art.*2. *§. His tamen non obstantibus.* Et in praxi non est aliter de Papæ, & Regum pietate sentiendum, nisi quod quoties beneficia conferunt, vel ad ea respectivè præsentant, semper eligant, & eligere intendant digniorem, prout rerum circumstantiæ permittant, in quibus versantur.

19. Certa ergo, & ineluctabilis est hujusmodi major propositio, quod in foro conscientiæ beneficia ecclesiastica debent clericis dignioribus conferri. Ad minorem: sed hujusmodi dignioritas, non solum concurrit in clericis indigenis, verùm etiam in extraneis: ergò non soli indigenæ, sed etiàm extranei sunt ad beneficia ecclesiastica promovendi. Major ex dictis est certa. Probatur minor. Dignioritas, quæ ad beneficia requiritur, est dignioritas relativa, seu respectiva, nempè resultans ex respectu majoris sufficientiæ ad regimen Ecclesię, vel beneficii, per beneficiarium regendi; sed hæc concurrere potest etiam in clericis extraneis, imò sæpè sæpiùs magis concurrit in extraneis, quàm in indigenis; ergò etiam clerici extranei, & non soli indigenæ, sunt ad beneficia ecclesiastica provehendi. Major constat ex mox firmatis *num.*17. Minor probatur quoàd primam partem: quià extraneitas est qualitas adiaphora respectu dignioritatis, prout suprà ostendimus *num.* 10. ergò dignioritas non modò concurrit in indigenis, verùm etiam in extraneis. Quoàd secundam partem quoquè, minor probatur; quia indigenę, uti habentes in patriâ, tàm consanguineos, quàm amicos, & inimicos, ut plurimùm, vel subeunt invidiam concivium (*a*), & ideò dixit Christus *nemo propheta acceptus est in patriâ* (*b*): Vel propter amorem consanguineorum, & amicorum, facilè deflectunt à tramite æquitatis, aliarumque virtutum, prout experientia demonstrat, quamquàm aliquandò alitèr succedat: ergò sæpè sępiùs indigenis sunt digniores extranei, quià ab his periculis sunt exempti: & ideò dixit D. Thomas, quod indigenę sunt utiliores (quod idem est ac dicere digniores) non absolutè, sed ut in pluribus: quo insinuat, aliquandò non esse utiliores, seu digniores (*c*): Ergò extranei aliquandò sunt digniores: & quoàd sè, sunt ęquè digni, ac indigenæ: ergò non modò indigenæ, verùm etiam extranei, sunt ad beneficia ecclesiastica promovendi. Intelligendo semper, nisi ex privilegio particulari Apostolico, justis ex causis concesso, extranei excludantur, quia tunc in ipsis hæc dignioritas respectiva non potest reperiri. Sed spectat ad Contradictores ostendere, quod loca, à quibus intendunt extraneos repellere, sint hoc privilegio suffulta.

(a) *S. Thom. in c.* 13. *Matthæi* 5. *Hieron. in eund. locum.*

(b) *Lucæ cap.* 4. *nu.* 23.

(c) *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 63. *ar.* 2. *ad* 4.

20. Hujusmodi sanè ratio, à dignioritate postulata, est tanti ponderis apud Contradictores, ut nil magis illa decantent: insistunt enim, eligendum esse ad beneficia digniorem, quem designant verbis D. Gregorii, nitentis dictione *utilioris*. Nàm ita scribit S. Pontifex ad Syracusanos, *utrisque cominus constitutis; ille qui Deo placuerit, & utilior visus fuerit, ordinetur* (*d*). Et alibi ad Bonifacium Defensorem Corsicæ, de Alariensibus, & Adiacensibus, Antistitem electuris, *Si autem in uno consentire noluerint, sed in duorum se electione diviserint, similitèr decretis ad nos de more factis adveniant, ut requirentes de vitâ, actu, & moribus eorum, is, qui utilior visus fuerit, ordinetur* (*e*). Inducunt etiam Christianum Lupum, sic de digniori loquentem: *in ecclesiasticarum, curatarum præsertim, ac episcopalium dignitatum electione, aut collatione, digniores semper præferri mandans, & æterna naturæ lex, & avita Patrum regula: verùm intrà solos ejusdem Ecclesiæ, aut Episcopalis parochię Clericos, & Monachos est facienda comparatio. Quousque illic reperitur dignus, dignior foris quæri non debeat, nec possit. Quisquis quæsierit, digno illi*

(d) *S. Greg. l.* 4. *epl.* 47.

(e) *S. Greg. l.* 9. *epl.* 74.

gravem irrogat injuriam: qui antiquissimus, ac universalissimus Ecclesiæ canon est in nostra tempora omninò revocandus (a). Fulciuntque eorum dictata, ponderatione Thomassini, dicentis, *non distinguì à Gregorio digniores ab utilioribus*, quatenùs contingere potest, doctiores, & virtutibus florentiores, non esse utiliores, quià desint eis dotes ad temporale, & spirituale regimen necessariæ, & ideò Gregorium semper in ordinationibus preponendum esse censuit *utiliorem* (b).

21. Agglomerant indè Lambertinum, Rebuffum, Lucam de Pennâ, & Alciatum, dicentes eligendum semper esse virum idoneum de collegio, sivè de loco, licet adsit extraneus magis idoneus. Sed primò hujusmodi documenta, vel loquuntur de Episcopatibus, à quibus non potest fieri equa, & plana, ac in omnibus uniformis, illatio ad inferiora beneficia, & presertim ad merè simplicia, prout alibi, meliori datâ opportunitate, ostendemus. *Secundò*, vel loquuntur de beneficiis electivis, & de tempore, quo per viam electionis canonice conferebantur, à quibus vel non, vel non semper pari pede transitur ad ea, que per liberam dispositionem à superiore distribuuntur. *Tertiò*, vel nimium probant, quià probant, beneficiarios esse sumendos, non ex totâ natione alicujus Regni, & dominii temporalis, uti Contradictores probare intendunt; sed ex ipsissimis locis, in quibus erecta sunt beneficia. *Quartò*, vel non loquuntur preceptivè, sed consultivè. *Quintò*, vel loquuntur non absolutè, sed cæteris paribus. *Sextò*, & signantèr Lupus, loquitur de prælatione danda indigenis solùm comparativè in equalitate meritorum: expressèque fatetur, regulam electionis de gremio Ecclesie esse antiquatam, nihilominus quantum est in sè peroptare, ut ad praxim prout antiquitùs revocaretur. Undè patet, quod ex ipsis documentis, vel nihil, vel vix quidquam probatur, ad causam faciens, prò declarando, in quo consistat dignioritas, ad beneficia ecclesiastica requisita.

22. De quibus etiam quidquid sit, nos negamus absolutè, quod dignioritas Clerici, ad beneficia promovendi, sit coarctanda ad solos loci indigenas, vel ad solum Clerum Ecclesiæ, in quâ erectum est beneficium. Nàm *primò* ipse D. Thomas hoc non ausus est affirmare, ut innuimus, sed solum ait, *quod ille, qui de gremio Ecclesie assumitur, ut in pluribus, consuevit esse utilior, quantum ad bonum commune* (c). Notetur ly *ut in pluribus*, per quod ostendit, quod sepe sæpius quidem utilior est indigena extraneo, ob illam rationem, quià qui de gremio est *magìs diligit Ecclesiam, in qua nutritus est*, sed evenire etiam contrarium solet, nempè ut indigenâ sit utilior extraneus; propter alias rationes, superiùs allegatas (d). Que prefatam D. Thomæ rationem uberrimè vincunt, vel respectivè coæquant, illisque perpensis, optimè, ac sapientissimè S. Doctor dignioritatem ad solos indigenas non arctavit. *Secundò* videmus in praxi, quod si vacat parochialis Ecclesia, & pro convocandis Clericis, optantibus ad illam promoveri, proponitur edictum, à Concilio Tridentino præscriptum (e); Episcopus non potest Clericum à concursu repellere hâc unicâ ratione, quod sit extraneus, *nisi in illis locis, ubi habetur privilegium, ne beneficia conferantur exteris, uti Valentiæ, & Panormi, ait Nicolius* ex mente Sac. Congregationis Concilii (f). Quamvis possit, & debeat, cæteris paribus, preferre indigenam, sive originarium extraneo (g). Imò Barbosa hoc etiam individuat, posse eligi dignum de Civitate, vel de gremio Ecclesiæ, posthabito digniore extraneo: quià tunc si Episcopus majorem fiduciam habeat, vel aliàs meliùs quietet animum suum circà sufficientiam indigene, tamquàm experimentalitèr sibi notam, quam circà habilitatem extranei, non nisi per relationem sibi cogniti, licet ob alias qualitates dignioris; præfata Episcopi fiducia, quiesque animi, & experientia reddit indigenam digniorem extraneo. Sed non per hoc fit, quod dignioritas sit ad solos indigenas coarctanda, ità ut dignior esse non possit, nisi qui est simùl etiam indigena; & consequentèr extraneus nunquàm possit dignior reputari.

23. Convenimus autem cum Contradictoribus in eo, quod *utilior* Ecclesiæ, vel beneficio, sit simùl etiam *dignior*, & reflexionem Thomassini cumulamus cum doctrinâ,

(a) *Christian. Lupus in not. ad Concil. Rom. an. 1059*

(b) *Thomassin. Vet. & non Eccl. disc. p. 2. l. 1. c. 37. n. 14.*

(c) *S. Thom. 2. 2. qu. 63 art. 2 ad 4*

(d) *Vid. hic supr. n. 19*

(e) *Conc. Trid. sess. 24 c. 18.*

(f) *Hieron. Nicolius in Flosc. V. concursus prop. finem*

(g) *Barbos. ad Conc. Trid. sess. 24. c. 18 n. 130*

ctrinâ, quam, post D. Thomam jàm citatum (*a*), exhibent Gabriel Vasquez (*b*), Cardinalis de Lugo (*c*), & alii, scilicet quod contingere potest, & sæpissimè contigit, aliquem esse alio sanctiorem, vel doctiorem, & tamen alius sit illo magis aptus ad ministerium beneficii exercendum, ob industriam, vel potentiam, aut experientiam, sive ob alias prærogativas, in eo concurrentes; ideoque *dignior* non sit reputandus ille, qui de charitate Dei magis participando, est sanctior; vel qui profundâ scientiâ præpollendo, est doctior &c. sed qui omnibus pensatis, & naturâ beneficii, locoque, ac tempore, perpensis, est magis aptus ad ipsum beneficium regendum, adeòque futurus illi est utilior: In quo sensu fatemur, quod *utilior* est simul *dignior*. Verùm ex hâc præmissâ majori, non sequitur minor à Contradictoribus deducta, nempè quod utilior sit solus indigena, & consequentèr extranei nunquam sint digniores; quinimo potiùs alia minor sequitur, quam nos deducimus, & est hæc. Sed dignioritas ad beneficia inveniri potest etiam in extraneis, & non in solis indigenis; ergò non modò indigenis, verùm etiam extraneis sunt conferenda ecclesiastica beneficia. Major est certa ex doctrinâ superiori. Minor probata remanet ex iis, quę diximus num. 19. Consequentia naturalitèr ex utrâque propositione subsequitur. Ergò &c. Si igitur beneficia, secundum doctrinam D. Thomę, sunt conferenda dignioribus, & hæc dignioritas inveniri potest, non solum in indigenis, verùm etiàm in extraneis; sequitur quod liberum, & licitum est Ecclesię, tàm in extraneos, quàm in indigenas beneficia collocare.

(a) *Vid. hic supr. n. 17*
(b) *Vasqu. opuscul. de benef. c. 2 § 3 dub. 1. n. 49*
(c) *Card. de Lug. de just. & jur. to. 2. disp. 35 sec. 2 n. 3*

24. *Tertia Ratio* desumitur ex doctrinâ ejusdem D. Thomæ, ubi quærit, utrum præcepta judicialia in veteri lege fuerint convenientèr tradita, quantum ad extraneos (*d*)? Et respondet affirmativè: quià cum duplex sit conversatio intèr homines, videlicet *pacifica*, & *hostilis*; de utrâque optimè Lex disposuerat. De conversatione *hostili*, nihil ad nos, quoad præsens negotium. De *pacificâ* ergò hìc agimus, quæ triplex est, nempè *peregrinorum*, qui per terras alicujus principatus pertranseunt. *Advenarum*, qui alicubi, vel mercaturæ, vel negotii causâ morantur. Et *proselytorum*, qui aliundè venientes, fidem loci suscipiunt, ad quem se conferunt, & incolatum inibi figunt. Quoàd hos omnes autèm convenientissimè Lex Mosaica determinaverat. Nàm respectu *peregrinorum*, per terras Hebręorum itinerantium, jussit Lex, ne ullis molestiis afficerentur: *peregrino molestus non eris; scitis enim advenarum animas, quià & ipsi peregrini fuistis in terrâ Egypti* (*e*). Et nedùm transitus liber illis permittebatur; sed etiam aliqualis participatio de bonis communitatis Hebraicæ: mandavit enim Dominus in Levitico: *Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges: neque in vineâ tuâ racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes* (*f*).

(d) *S. Thom. 1. 2 qu. 105 art. 3.*
(e) *Exod. c. 23. n. 9.*
(f) *Levit. c. 19 n. 9*

25. Quod *Advenas* paritèr, natione nempè Gentiles, mercaturæ, vel negotii causâ, in Israel commorantes; optimè Lex disposuit, dum pręcepit, *Advenam non contristabis, neque affliges eum: advenæ enim & ipsi fuistis in terrâ Egypti* (*g*). Undè advenæ præfati tuti vivebant in Judæâ, nisi insidiosè in ruinam Hebræorum conspirare vellent, vel politicis eorum negotiis præproperè se miscere, contrà omnem prudentiæ, & equitatis rationem; *peregrini* enim, ait Cicero, *& incolæ est nihil pretèr suum negotium agere, nihil de alieno inquirere, minimèque in alienâ republicâ esse curiosum* (*h*). Quoàd *Proselytos* demùm, seù Gentiles; qui relicto cultu Idolorum, ad circumcisionem, & cultum veri Dei, intèr Judæos postulabant adscisci; lex itidem Mosaica optimè disposuerat, mandans, ad illam omnes admitti; *Hæc est*, inquit, *religio Phase: omnis alienigena non comedet ex eo &c. Advena, & mercenarius non edent ex eo &c. Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur priùs omne masculinum ejus, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ* (*i*). Et nedùm Lex non repellebat extraneos, illam affectantes; sed imò Sectarios educabat, & legis Doctores, Gentilibus ad fidem Mosaicam convertendis addictos. Tres etenim erant

(g) *Exod. c. 22. n. 21*
(h) *Cicer. l. 1. offic.*
(i) *Exod. c. 12. n. 43*

intèr Hebræos sectæ religiosę, scilicèt Phariseorum, Sadduceorum, & Essenorum, uti docent S. Hieronymus (*a*), Tostatus (*b*), Serarius (*c*), Flavius Josephus (*d*), & alii. Aderant & Legis periti, quos Matthæus vocat, Legis Doctores (*e*), & Marcus, Scribas (*f*). Scribarum autem, & Pharisæorum erat, legem docere, interpretari, diffundere, de quibus dicitur in Evangelio, *super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisęi &c.* (*g*). Isti populis convertendis incubebant, maximâque sollicitudine satagebant, ut Gentiles ab Idolorum cultu alienarent, & ad fidem traducerent Hebræorum, ac Proselytos facerent. quamquàm aliqui eorum non recto zelo id facientes, à Christo meruerint exprobrari, *veh vobis Scribę, & Pharisæi hypocritæ, quià circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplò quàm vos* (*h*).

26. Nedum ergò Lex convenientia præcepta dedit, quoad extraneos tractandos, & proselytos ad Synagogam admittendos; sed etiam ipsa synagoga educabat Scribas, & Pharisæos, qui hùc illùc peragrando, Ethnicos suaderent, allicerent, ac urgerent, ad fidem capessendam, à Deo Moysi dictitatam. Quod si Ægyptios, & Idumæos ipsa lex præcepit non intrare *in Ecclesiam Dei*, nisi post tertiam generationem (*i*), & Ammonitas, Moabitas, & Amalechitas, ab illâ perpetuali tempore exclusit (*l*); prò *Ecclesiâ Dei* non intelligenda est synagoga, & consortium in fide, in cæremoniis, in Sacrificiis, & in cunctis rebus spiritualibus; sed civilitas politica, & officia publica, atque munera temporalia, quæ proselytis, ex dictis nationibus venientibus, negabantur. Sicut & vetitum fuit in ipsâ lege, ne intrarent eunuchus, & manzer in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem (*m*). Idest non admitterentur ad consilia, non eis paterent honores, & munia publica, cum aliàs, tàm ad synagogam, quàm ad sacrificia, ad cæremonias, & ritus sacros, certè eunuchi, & manzeres, ex Judæâ gente progeniti, admitterentur. Præthereà dum Ammonitis, Amalachitis, & Moabitis data fuit ab Ecclesiâ Domini exclusio, id factum est, quià hos, uti Hebræorum capitales hostes, vix erat probabile, unquam ad eorum religionem veracitèr transituros. Sed cum de facto Achior Dux Ammonitarum, relictâ gentilitate, fidem Judaicam amplexus est, *appositus est ad populum Israel, & omnis successio ejus generis* (*n*). Nisi hoc factum esse velimus dispensativè, ut ait D. Thomas (*o*), ob singulares ejus virtutes, quarum intuitu solent extranei honoribus, ubi permanent, decorari, undè ait Plato: *Transi ad sapientes, atque doctas, quas Athenis audivisti scholas, & disputationes revoca in mentem, illas in Liceo, in Academiâ, Stoam, Palladium, Odeum. Si Sectam Peripateticam amplecteris, & suspicis maximè, Aristoteles fuit ex Stagirâ, ex Freso Theophrastus, Strato è Lampsaco, Glycon ex Troade, Aristo ex Ceâ, Critolaus Phaselites. Si Stoicam, Citiensis Zeno, Cleantes Lyssius, Chrisippus Solensis, Diogenes Babilonius, Antipater Tarsensis &c.* (*p*).

27. Quamòbrem Lex Hebraica cunctos extraneos in consortium fidei, & ad participationem rerum spiritualium, liberalitèr admittebat, verùm ad officia merè politica non eis statìm pandebat aditum, sed cautè, & sub diversis temporum interstitiis prò diversitate advenarum, quià, ut observat D. Thomas, *si statim extranei advenientes reciperentur ad tractandum ea, quæ sunt populi, possent multa pericula contingere: dùm extranei non habentes adhùc amorem firmatum ad bonum publicum, aliqua contrà populum attentarent &c. Ergò dicendum, quod homines nullius gentis exclusit Lex à cultu Dei, & ab his, quę pertinent ad Animę salutem &c. Sed in temporalibus, quantum ad ea, quæ pertinebant, ad communitatem populi, non statim quilibet admittebatur* (*q*). Exteri, igitur nedùm natione, sed etiam alioquin à fide, ad Judaismum venientes, in lege veteri erant synagogæ, Phase, sacrificiorum, rituum, cæremoniarum participes. Et generalitèr de omnibus rebus spiritualibus, quę non erant merè politicæ, æquè ac Hebræi indigenę participabant: ergò multò magis extranei, non alioquin quoad fidem, sed quoad solam patriam, & nationem, debent omnium rerum spiritualium esse participes in lege gratiæ. Antecedens

(a) S. Hieron. l. 2. contr. Jovinian.
(b) Tostatus in c. 3. Matth. qu. 63.
(c) Serar. lib. Tribaeresi c. 3
(d) Flav. Joseph. l. 3 c. 32
(e) Matth. c. 22 n. 34
(f) Marc. c. 12. n. 28
(g) Matth. c. 23. n. 2
(h) Matth. c. 23. n. 15
(i) Deuter. c. 23. n. 7
(l) Exodi c. 17. n. 16 Deuter. c. 23. n. 3
(m) Deuter. c. 23. n. 2
(n) Judit. c. 14 n. 6
(o) S. Thom. 1. 2. qu. 105 a. 3. 3 ad 1.
(p) Plutarc. opusc. de exilio
(q) S. Thom. 1, 2. qu. 105 art. 3 in corpor. & ad 1

cedens patet ex totâ seriæ hujus tertiæ rationis. Consequentia probatur, *primò* ex D.Thomâ, afferente, quod Ecclesia nunc vigens intèr Christianos, succedit in locum Synagogę (*a*): & quoad collectio omnium fidelium veteris, & novi testamenti unam & eandem facit Ecclesiam (*b*). Ergo sicut in veteri lege admittebantur extranei ad consortium filiorum Juda, quoàd res spirituales; ità etiam, imò & à fortiori in lege novâ, cum etiam extranei propter patriam, non sint extranei propter fidem, sed sint filii ejusdem Ecclesiæ (sicuti non erant extranei in synagogâ omnes Judæi, quantumvis diversarum tribuum) admittendi sunt ad consortium rerum spiritualium, qualia sunt ecclesiastica beneficia.

28. Probatur *secundò* eadem consequentia. Lex nova continebatur in veteri, sicut frumentum in spicâ, inquit D.Thomas (*c*). Ipsa adimplevit veterem, supplendo id, quod in illâ deerat (*d*). Ipsa demùm non est alia à lege veteri, secundùm diversitatem speciei, sed solum secundum diversitatem perfecti, & imperfecti (*e*). Et citrà controversiam, Ecclesia est perfectior Synagogâ, uti probat Becanus in Analogiâ veteris, & novi testamenti (*f*), ergò sicut in lege veteri, & tempore Synagogæ, admittebantur extranei etiam quorum anteà diversa erat fides, ad cunctas res spirituales legis Hebraicæ, ità etiam, & multò magìs tempore legis gratiæ admittendi sunt extranei quoad solam patriam ad res spirituales Ecclesiæ. Sed beneficia ecclesiastica sunt res spirituales Ecclesiæ, saltem quoad jus percipiendi fructus ecclesiasticos (*g*), ut de se patet, quià alioquin non committeretur simonia in eorum venditione. Ergò extranei, præsertim tales ob solam patriam, vel nationem, sunt ad illa admittendi, ne videatur imperfectior Lex Christi, lege Mosaicâ; Ecclesia Dei, Synagogâ Hebræorum; & Ministri Altaris, viris quibuslibet recutitis. Itàque si ad res spirituales in lege Judaicâ participandas (non tamen ad Leviticalem ordinem, quià hic excludebat etiam indigenas, aliorsum, quàm ex Tribu Levi progenitos) patebat accessus etiam extraneis; debet eisdem in lege quoque evangelicâ esse aditus reseratus. Ergò sacrarum præbendarum, quę sunt res spirituales Ecclesiæ, tùm extranei, tùm indigenæ sunt capaces, & sic earum distributoribus inest facultas, ad easdem, non tàm indigenas, quàm etiam extraneos admittendi.

29. *Quarta ratio*, quæ multas in se complectitur rationes, desumitur ex ipsomet D.Thomâ in Quodlibetis; ubi quærit, *utrum determinationes Theologicæ debeant fieri auctoritate, vel ratione*, & resolvit debere fieri auctoritate, quoties disputatio Theologica tendat ad removendam dubitationem, sive depellendum errorem ejus, cum quo disputatur (*h*). Nàm cum quælibet scientia optimè determinet suas quæstiones per sua principia; principia autem sacræ Theologiæ sint articuli fidei, qui nobis per auctoritates Scripturales innotescunt; sequitur, quod determinationes Theologicæ meliùs suadentur auctoritate, quàm ratione: vel saltèm non minùs hac, quàm illâ probantur. Accedit, quod scientia Theologica, licet quantum ad effectum deducendi unum ex alio sit argumentativa; tamen quantum est in sè, non est talis, ut alibi probat ipsemet D.Thomas (*i*): quippè sicut aliæ scientiæ non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia in ipsis scientiis contenta, ità sacra doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quę sunt articuli fidei, sed ex his alia probat, juxtà quæstiones, quas ipsa movet, vel quę ubertim à Theologis proponuntur. Intèr hos autem articulos fidei, unus est, quod sacra Scriptura detur, & sit in Ecclesiâ Dei, & quod hęc fuerit à Spiritu Sancto dictata (*l*). Imò & nedùm, quoàd substantiam, sed & etiam quoàd verba, & apices, ab eodem Divino Spiritu suggesta fuit scriptura, prout satis clarè insinuant SS. Gregorius (*m*), Augustinus (*n*), Chrysostomus (*o*), & Hieronymus (*p*). Ipsaque scriptura ex se id patefacit, ubi legitur, *hęc dicit Dominus*: vel *factus est sermo Domini ad mè dicens &c.* (*q*), & alibi, ubi dicit, se à Spiritu Sancto *inspiratam* (*r*).

30. His ergò ità se habentibus, cum jàm nos suprà cap. 1. & 2. plurimis auctoritatibus, ex Sacrâ Scripturâ collectis, probaverimus, beneficia ecclesiastica esse, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis conferenda; quot ibi auctori

(a) *S.Thom. 1 2 qu. 102 art. 4 ad 3*
(b) *S.Thom. 3 part. de Salv. qu. 8 ar. 3 ad 3*
(c) *S.Thom. 1. 2 qu. 107 art. 3*
(d) *Idem loc. cit. ar. 2*
(e) *S.Thom. eodem loco art. 1*
(f) *Becan. Analogiâ Vet. & novi testam. c. 6 qu. 4*
(g) *S.Thom 2. 2 qu. 100 art 4 Suarez to. 1 de Relig. l. 4 de simonia c. 24 n 1, & 2 Laym l 4 tr. 2 c. 1 n 2 Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 3 c. 4 n. 9, & 10*
(h) *S.Thom. quodlib; 4 qu. 9 art. 18*
(i) *S.Thom. 1. part. qu. 1. art. 8*
(l) *Bellarm. tom. 1 de Verbo Dei*
(m) *S. Greg. mor. in Job. in præfac.*
(n) *S. August. epl, 14*
(o) *S. Jo: Chrys. homil. 22 in Genes.*
(p) *S. Hier. in Matth. c. 6, & in Ephes. 1. 3*
(q) *Isajæ c. 1 Jeremiæ c. 13 Ezechiel c. 6 Amos c. 2 Oseæ c. 3*
(r) *2. Thimoth. c. 3: n. 16, & 2 Petr. c. 1 n. 21*

ctoritates allegavimus, tot hic quodammodò probationes Theologicas reproducimus: ex quibus convincitur, extraneos esse ad præbendas ecclesiasticas admittendos. Nec hoc fit inconsultè, sed valdè opportunè: Nàm quià Contradictores ejulant usque ad sidera, esse de jure divino, quod beneficia solis Clericis indigenis conferantur, extraneis prorsùs exclusis; necessarium est errorem hunc Theologicum ab illorum mente delere: quo casu erroris depellendi, ut innuimus ex D. Thomâ, utiliùs est determinationes Theologicas facere auctoritate, quàm ratione. Et ità jàm nos totidem fundamentis validissimis constipavimus sententiam nostram, quàm hìc theologicè cum D. Thomâ tuemur, quot suprà auctoritates Scripturales in præsidium ejus adduximus, quæ sunt partes illius articuli fidei, qui dicit, Scripturam esse in Ecclesiâ, hancque esse à Spiritu Sancto dictatam. Quarè ipsæmet auctoritates hìc à docto lectore, si placet, repetantur, sapienterque disponantur, & quo modo ex ipsis suprà Scripturaliter deducta fuit conclusio, extraneorum causæ proficua; eodem modo ex iisdem videbis hìc eadem conclusio theologicè deducatur.

31. Placeat hic quoquè Lectori aliam audire rationem, quam datâ opportunitate subjungimus, desumptam ex ipsâ naturâ largitionis beneficiorum, quę definitur, quod sit donatio beneficii vacantis, facta ab habente potestatem, beneficiario ad usufructuandum, suâ vitâ durante, & de facto collatio beneficiorum *donatio* à Canonistis vocatur: ità etenìm illam appellat Decius (*a*), ità Garcias (*b*), ità Rebuffus (*c*), & alii, ab hiscitati. Sed & in Concilio Lateranensi IV. *donationis* nomine afficitur, ubi statuit, quod si quis beneficio curato præditus, aliud simile recipiat, eo fit ipso jure privatus, *& is quoque, ad quem spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè conferat, cui meritò videris conferendum* (*d*). In jure quoquè hoc eodem nomine *donationis*, beneficiorum concessio decoratur, ubi dicit, *ipsum de præbendâ primò vacaturâ, quæ ad donationem Capituli pertinet, auctoritate Apostolicâ investivit* (*e*). Deniquè in literis Innocentii Papæ III. hæc vox donatio in concessione ferè omnium specierum beneficiorum occurrit. Nàm de præbendâ *Canonicali* ad Episcopum Aurelianensem sub hoc tenore perscripsit, *si qua præbenda nùnc vacat in Ecclesiâ tuâ, eam D. de Cerbolio non differas assignare, stallum eidem in Choro, & locum in Capitulo conferendo. Alioquin quàm primò vacare contigerit, nostræ donationi præcipimus reservari, personæ idoneæ conferendam* (*f*). De beneficio *Cancellariæ*, hęc Archiepiscopo Mediolanensium intimavit, *tibi dedimus in mandatis, ut ad præsentiam nostram procuratorem idoneum destinares, qui tuo nomine legitimè nobis ostenderet, quod dictam Cancellariam personæ idoneæ modo Canonico tempore tibi competente donasses* (*g*).

(a) *Decius in cap. relatum de præbend. nu. 8.*
(b) *Garcia de benef. p. 4. c. 1. nu. 2.*
(c) *Rebuff. prax. benef. tit. de devol. n. 102.*
(d) *Concil. Later. 4. c. 29.*
(e) Cap. *proposuit 4. de Concess. præbend. c. quia diversitatem 5. eod. titul.*
(f) *Innoc. III. epl. ad N. Aurel. Episcopum tom. 1. f. 303.*
(g) *Idem epl. ad N. Arp. Mediol. tom. 1. f. 182.*

32. De beneficio *Decanatus*, ad Episcopum Lemovicensem, & Abbatem S. Eparchii Engolismensis hasce literas dedit: *Veniens ad præsentiam nostram I. Petragoricensis Decanus &c., quæstionem intendit, asserens, quod cum Decanatum ipsius Ecclesiæ per donationem dilecti filii nostri Jo. tit. S. Pudent. Presb. Card. &c.* (*h*). De beneficio demùm *Custodiæ*, in epistolâ ad Præpositum Albensem hæc inquit. *Innotuit Apostolatui nostro &c., quod cum in Alben Ecclesiâ quædam dignitas, quæ Custodia dicitur, ad tuam donationem pertinens, habeatur &c.* (*i*). Igitùr beneficiorum largitio nihil aliud est, nisi bonorum ecclesiasticorum *donatio*, favore beneficiarii facta, ad usufructuandum toto illius tempore vitæ. An verò sit donatio merè gratuita, an remuneratoria; hìc parùm refert definire, cum utraque donatio sit gratuita, hoc est non debita ex justitiâ: licèt illa, quę merè gratuita dicitur sinè meritis donatorii fiat, remuneratoria verò merita donatarii supponat, quorum intuitu fiat donatio (*l*). Excipiuntur tamèn ab hoc beneficia juris patronatus, ad præsentationem alicujus tradenda, quippè eorum institutio, quæ quoque sub donationis nomine comprehenditur (*m*), est donatio, non libera, sed necessaria, quatenùs ex pactis initis intèr Ecclesiam, & patronum in limite fundationis, vel donationis beneficii; tenetur Collator idem beneficium Clerico idoneo per patronum

(h) *Idem ep. ad Lemovic. Episcopum, & Abb. S. Eparchii to. 1. f. 179.*
(i) *Idem Præpos. Alben. tom. 1. f. 235.*
(l) *Card. de Lug. de Just. & Jur. to. 2. disp. 23. sec. 9. nu. 129.*
(m) *Garcia de benef. p. 4. c. 1. nu. 4.*

num præsentato, necessariò conferre (*a*). Quamquàm, & hanc Corasius asserat, non esse omninò necessariam dicendam, sed gratuitam, in quantùm superior, ex pluribus per eundem, vel per diversos patronos nominatis, potest pro suo libito, cui magis sibi videtur, gratificari (*b*).

33. Unum est, quod beneficiorum ecclesiasticorum largitio, quandocùmque sumatur, est *donatio*: uti autem donatio, potest iis liberè, ac rationabilitèr dispensari, quibus fieri potest donatio. Sed donatio potest ab habente jus donandi liberè, & plenariè fieri omnibus cujuscumque loci, cujuscumque generis, & cujuscumque nationis; ergò etiam beneficiorum donatio potest cujuscumque loci incolis fieri. Et sic sivè beneficiarii sint indigenę, sivè extranei, liberè illis valent beneficia conferri, sicut illis valent alia bona donari. Hoc tamèn semper verum est, salvo jure, vel privilegio particulari, arctante traditionem beneficiorum intrà certas species personarum. Si enim hæc arceant Clericos, qui non sunt talis, & talis urbis, oppidi, capituli, provinciæ, vel nationis; cum indulta suum debeant plenariè effectum sortiri; extranei certè ab ipsis debent beneficiis excludi. Nàm eo modo, quo facultas donandi potest quoàd donatorem justis de causis à jure, vel ex dispositione Principis limitari (*c*); ità etiam potest eodem jure, vel privilegio quoàd donatarium arctari. Sed præcisis locis, indulto prout suprà stipatis, de quibus legitimè docere oportet; quemadmodùm Prælatis, & Superioribus ecclesiasticis liberum est res suas quibuslibet donare, sinè diversitate nationum, ità etiam licitum est beneficia, nullâ indigenarum, vel extraneorum attentâ distinctione, donare. Alibi doctrinam D. Thomæ allegavimus (*d*), & inposterùm quoquè allegabimus: undè ab illâ hìc ulteriùs prosequendâ consistimus, & ad alia properamus.

(a) *Garcia de benef. p. 5. c. 7. à nu. 73. & p. 4. c. 1. nu. 5.*

(b) *Coras. p. 4. c. 4. n. 38.*

(c) *Card. de Lug. de Just. & Jur. to. 2. disp. 21. sect. 10.*

(d) *Vide supr. Sæc. 1. c. 1. à nu. 26.*

SÆ-

SÆCULUM CHRISTI XIV.

C A P U T XXXX.

In quo ex Contentionibus ortis intèr Bonifacium Papam VIII., *&* Philippum Pulchrum Galliæ Regem: *Ac intèr* Clementem Papam *VI.*, *&* Eduardum *III.* Regem Angliæ, *probatur Ecclesiæ libertas, præficiendi etiàm Clericos extraneos Ecclesiasticis beneficiis.*

S U M M A R I U M.

1 *Sæculo XIV. incœpit libertas Ecclesiæ impugnari, præficiendi Clericos extraneos beneficiis, in dissidio Bonifacii VIII. cum Philippo Pulchro.*

2 *Brevitèr narratur contentio pręfata intèr dictos Papam, & Regem Galliæ.*

3 *Ab initio, Bonifacius fuit valdè propensus in Regem, cui, ejusque soboli, plures impertitus est favores.*

4 *Non poterat Bonifacius Papa jura Ecclesiæ non tueri, quoàd libertatem admittendi ad beneficia etiam viros extraneos, & quoàd alia.*

5 *Rex quarundam Ecclesiarum jura occupaverat, Regaliam extrà primævos terminos dilatabat, & alia injusta faciebat.*

6 *Pontifex censuras Regi inflixit, à Rege contemptas: alia hìnc indè evenere, donec obiit Pontifex, & Rex quoque, citò equo lapsus interiit.*

7 *Papa contendebat, nulli laico jus conferendi beneficia competere, tamèn Regi super hoc indultum Apostolicum exhibebat.*

8 *Optabat Papa, quod Rex faceret licitè, quod faciebat illicitè. Obstabat ei Rex etiam ob hoc, quod beneficia conferret extraneis.*

9 *Augmentum dedit discordiæ falsa epistola, nomine Papæ ad Regem scripta, de quâ Cardinalis de Aquâ Spartâ fortitèr peroravit.*

10 *Cardinales scripserunt Regi, & Universitati Parisiensi, ostendentes rectitudinem intentionis, & operum Bonifacii Papę.*

11 *Papa se promptum obtulit concedere Regi indultum, quo posset conferre omnes præbendas Ecclesię Parisiensis, & sub quâ conditione?*

12 *Verè Papa, non nisi pauca beneficia Francię contulit extraneis, Regi probabili ratione non suspectis.*

13 *Tam*

13 *Tam Papa ergò, quàm Cardinales, fortitèr sustinuerunt, licere beneficia Clericis, etiam extraneis impertiri.*

14 *Bonifacius VIII. strenuè decertavit pro libertate preficiendi beneficiis etiam extraneos: finisque controversie fuit ipsa libertas conservata.*

15 *Extranei, qui post Bonifacii tempora beneficia in Galliis obtinuerunt, non id habuerunt, ex gratiâ Regis, sed ex libertate Ecclesiæ.*

16 *Aliis motivis ostenditur, assensum Regium non fecisse, ut illi extranei promoverentur, nàm hic assensus non potest tollere jus naturale, & divinum.*

17 *Arctatio collationis beneficiorum ad certas personas est quid spirituale: nec admittere potest Rex extraneos, si non id potest priùs Papa.*

18 *Si in Franciâ est privilegium exclusivum extraneorum, videtur non nisi post hæc tempora prodiisse.*

19 *Novum dissidium emersit intèr* Clementem VI. *Papam, &* Eduardum III. *Regem Angliæ, proptèr beneficia extraneis conferenda.*

20 21 *Tenor mandati, seù jussionis Regis Angliæ refertur, obsistentis provisioni extraneorum, factæ à Sede Apostolicâ.*

22 23 24 *Rex Papę scribit, & exaggerat multa mala, ex collatione beneficiorum provenientia, viris extraneis factâ.*

25 *Rex rogat Papam, ut his malis temperamentum apponat. Pręfata epistola missa fuit à viris impiis aliis Regibus, ad eos concitandos.*

26 27 *An Rex justitiæ zelo processerit, nec nè citò patuit, dùm reditus beneficiorum, ad extraneos pertinentium, fisco regio applicavit.*

28 29 30 31 *Papa Regem commonet proptèr antedictam jussionem, tueturque, sibi competere omnium beneficiorum plenariam dispositionem.*

32 *Notetur, exclusionem extraneorum vocari temerariam, & divinis constitutionibus inimicam, actaque à Rege salvâ fide non posse defendi.*

33 *Demùm Rex Angliæ, censuras metuens, correxit, quę fecerat. Et extranei beneficiorum Angliæ reditus percipere perrexerunt.*

34 *Mandatum Regis, refertur, quo jubet, nè ex multis beneficiis, per Cardinales in Angliâ possessis, decima triennalis à ministris regiis exigatur.*

35 36 *Aliud ipsius Regis mandatum, favore Anibaldi Cardinalis Archiepiscopi Neapolitani, ut perciperet reditus prębendæ in Angliâ.*

37 *Itèm aliud mandatum Regis, ad favorem ejusdem, prò securitate redituum beneficiorum, quæ tenebat in Angliâ.*

38 39 *Contentio duravit usque ad Gregorium Papam XI. tandemque Sedes Apostolica in suâ libertate prævaluit, ut ex articulis concordię patet.*

40 *Conatus Contradictorum est similis contentioni Eduardi Regis Anglię, in qua Sedes Apostolica prævaluit.*

I. POSTQUAM Ecclesia Dei Tertiumdecimum Sæculum erat egressa, & integrâ semper, ac totali suâ libertate potita, promovendi ad ecclesiastica beneficia quoscumque Clericos, doctrinâ, & probitate præditos, idoneos, benemerentes, dignos tandèm sacris præbendis, undecumque nativos, & ex quâcumque orbis parte progenitos; nunc primum, ineunte Sæculo Decimoquarto, incæpit tam longæ possessionis juribus deturbari, ejusque impugnari libertas, & ut hæc ad solos indigenas beneficiis munerandos coarctaretur, impelli. Contentio primò emersit in Galliâ, & pars fuit celeberrimi illius dissidii, quod inter *Bonifacium Papam VIII. & Philippum IV.* cognomine Pulchrum, *Francorum Regem* erupit, & ut incendium in Galliâ, sic scandalum in totâ Christianitate excitavit; annusque Christi 1301. fuit ęra, in quâ præsentis controversiæ ignis exar-

(a) *Rainal.an.1301 nu.26.*

sit (*a*): de quâ loquentes aliqui Gallici Scriptores, linguam acuunt adversus Bonifacium, & ex opposito, non nulli ex Italicis, calamo pungunt Philippum: adeo ut horum alterutros legenti non sit facilè integram, & candidam veritatis pulchritudinem intueri (*b*).

(b) *Spond. Auctar. ad Card. Baron. ann. 1303.*

2. Ex Auctore igitur Teutonico rem bonum erit audire, nempè ex Huldrico Mutio, narrante, quod, *Rex ubi intellexit Pontificis animum à sè alienatum, quâ erat parrhesiâ, vel, ut quidam vocant, arrogantiâ, jus ecclesiasticum, quod Papæ erat, sibi vendicabat: sacerdotia, & Episcopatus conferebat quibus placuit, quos Prælatos cognoverat Pontifici patrocinari, deposuit, eorum prælaturas aliis conferens, diripuit etiam opulentiores Episcopatus. Quibus rebus motus Pontifex, maximè verò, quod impediebat expeditionem Constantinopolitanam, & quæ ex illâ secutura erat, Hierosolymitanam; convocat Romam Concilium, etiam totius Galliæ Prælatos Ecclesiasticos vocat ad urbem: sed Gallus, nè quis Romam iret, prohibuit sub pœnâ amissionis vitæ, aut saltèm, si cui contingeret misericordia, beneficii. Quâ Regis temeritate, Pontifex magis irritatus est: quarè statim ad eum mittit Legatum, per quem auctoritate, & jure Apostolico, præcipit illi, ut recognitionem Regni, sinè morâ faciat, alioquin in promptu esse fulmen anathematis in eum, & Galliam universam interdicto sè suppositurum. Nàm in decretis Pontificum habebatur Regem Galliarum à Romano Pontifice oportere recognoscere Regnum in temporalibus quoque. Ubi hic Legatus Luteriam venit, Rex jussit illi eripere Bullas, literasve Apostolicas, & Legatum è Regno eiicere, & mandare illi, ut Pontificiis nunciet, Regem suspensurum omnes, qui è Româ posteà veniant. Hæc ubi Romæ Legatus nunciavit, continuò congregatis Patribus, Regem Gallorum excommunicat, & Regnum ejus cuilibet occupanti concedit &c. Rex Gallorum excerationes Pontificias contemnit, non esse Pontificiâ Sede dignum, esse hæreticum, simoniacum &c. Quarè Papa, Synodo congregatâ, iterum accusat Regem &c. decerniturque, Philippum Regem Franciç è Regno deturbatum, & Albertum, electum Imperatorem, Regem Gallorum Patres ejus Synodi appellant &c. Rex &c. mittit quendam Italum, nomine Sarram &c. mittitque cum eo etiam alios familiares, quibus Rex fidebat &c. qui Anagniam silente nocte ingrediuntur, & Pontificem capiunt, Romamque dicunt, ubi moritur statim post mensem unum* (*c*).

(c) *Huldric. Mutius German. Chroniç. l. 22. f. 204.*

3. Mirum est autem quomodo tam atrox incendium intèr utrumque Principem excanduerit, cum Bonifacius ab initio in Regem Philippum, ejusque Regalem sobolem, esset valdè propensus. Nàm prætèr subsidia Gallis Principibus, Neapoli dominantibus, impertita, ut sibi Regnum Siciliæ subjugarent (*d*), & Ludovicum, Caroli II. Neapolitani Regis Filium, Tolosanis infulis decoratum (*e*); Carolum quoquè Valesium Philippi fratrem, Romæ plurimis honoribus cumulatum, ac ditioni Pontificiæ quâdam ex parte præpositum (*f*); quem & ad Imperium Orientale provehere satagebat (*g*), sibi debitum ob Catarinam uxorem, filiam Balduini ultimi ex Francis Imperatoribus Constantinopoleos (*h*); ipsi Philippo Pulchro Regi adjutor in opportunitatibus fuit, Adolphum Romanorum Regem divertens, nè in Gallias irrueret, & nè junctus fœdere Guidoni Flandriæ Comiti, ac Eduardo Angliæ Regi, Pulchrum oppugnantibus, Franciam occuparet (*i*). Sed quoniam corruptio boni, pessima, & amicorum dilectio in odium versa, inexorabilem solet parere inimicitiam; hinc factum est, quod utriusque Principis discordia invaluit in immensum, & eorum animi utrimque exasperati; omni exclusâ spè reconciliationis, in effectus lachrymabiles irruperunt.

(d) *Raynald an. 1295 nu. 20. 1297. à nu. 11. ad 25. 1298. nu. 1301. nu. 15.*
(e) *Raynald an. 1296 nu. 16.*
(f) *Idem ann. 1300. nu. 20. 1301. n. 11. 12. 13.*
(g) *S. Antonin. 3. p. tit. 20. c. 88. §. 10. Jo. Villan. l. 8. c. 62.*
(h) *Raynald an. 1304 nu. 28. & 1306. nu. 2. Platin. in Bonif. 8.*
(i) *Raynal ann. 1296 nu. 18. ad 27. & ann. 1301. n. 26.*

4. Sanè non poterat Bonifacius jura Ecclesiæ non tueri, & libertatem Pontificiam non sartam tectam servare, quam à Deo acceperat; adeòque pati, nec poterat, nec debebat, sibi facultatem arctari, nè præbendas ecclesiasticas extraneis paritèr, ac indigenis Clericis, dummodò dignis, & benemerentibus, prout anteà, largiretur. Neque illi fas erat diutiùs à generali lege promulgandâ desistere, cavente, nè Clericis liceret novas in dies exactiones, & impositiones Regibus contribuere

tribuere, ob quam Philippus Pulcher magnâ est irâ commotus, undè & dissidii fomes excrevit (*a*). Ingentes enim auri summas Pulcher à Clero Gallicano sugebat, & post jam exactam centesimam, indè quinquagesimam, omnium redituum ecclesiasticorum; ad alias adhuc impositiones animum præparabat, ut belli Anglici onus posset validè sustinere (*b*). His accessit, quod Rex Bernardum Episcopum Apamiensem carceribus mancipavit; vel quià illuc à Bonifacio missus, ut Philippum, ad Constantinopolitanam, & consecutivam Hierosolymitanam expeditionem cohortaretur, minis Regem percellere aggressus esset (*c*); vel quià nomen, & famam Regiam, dicteriis imprudentibus proscidisset (*d*).

5. Ad hæc Philippus Rex, nedùm jura Ecclesiarum Remensis, Carnotensis, Laudunensis, & Pictaviensis occupabat; sed & Dominium temporale Lugdunensis, Narbonensis, & Apamiensis urbium usurpabat, quod usque tunc ad ipsarum civitatum Episcopos pertinuerat (*e*). Demum Rex dilatabat extrà primævas orbitas Regalia (*f*): Jusque concedendi Episcopatuum investituras sibi arrogabat; de quibus S. Antoninus: *Episcopatus vacantes eum essent, bona Episcoporum diripiebat, & investituras eorum facere volebat. Quamobrem Bonifacius, ut magnanimus, & audax, neminem timens, cœpit contra eum agere, tamquam inimicum Ecclesiæ, & ad efficacius procedendum, vocavit per literas Apostolicas, & Nuncios speciales, omnes Episcopos, & Prælatos Franciæ ad Urbem, ad celebrandum Concilium* (*g*): intendens, & libertati Ecclesiæ consulere, & populi etiam gravaminibus obviare (*h*). Hinc Rex dirè inflammatus, & Præsulibus vetuit, nè ad Concilium properarent, & cunctis interdixit, nè pecuniam traducerent extrà Regnum (*i*), & extraneos arcuit ab ecclesiasticis beneficiis, Pontificià concessione susceptis.

6. Pontifex Regem censuris ecclesiasticis irretitum proclamavit (*l*). Ipse verò eas parvipendens; veniam petere detrectavit (*m*). Alia demum hinc indè facta sunt; & de die in diem semper in deterius invalescente discordiâ, hæc tandèm non nisi morte Pontificis finem habuit, quæ paulò post ejus capturam, Anagniæ factam, mærore animi dicitur evenisse (*n*). Sed & non diù etiam Philippus Rex supervixit, in floridâ ætate annorum 48. mortuus, dum venando fugientem aprum persequeretur, qui pedibus equi Regii sè interferens, non tam equum ruere fecit, quam Regem equitantem præcipiti lapsu elisum extinxit (*o*). Regis obitum festina quoque mors trium ejus filiorum subsecuta est, qui brevi tempore successivè regnarunt, & cuncti sinè virili sobole perierunt, non sinè aliquo humano decore, propter eorum uxores, quas fama divulgavit, inhonestatis vitio non carere (*p*). Quarè intrà 25. annos à morte Bonifacii, regia stirps Philippi Pulchri prorsùs exaruit, Regnumque à Capetinis ad Valesios pertransivit.

7. Ægrè ferebat Bonifacius plura, quæ Regi denuncianda per Legatum, ad id destinatum exposuit (*q*): & signanter, quod Rex ipse beneficia ecclesiastica, tàm intrà, quàm extrà Curiam vacantia, pleno jure conferret; si quæ verò ex eis conferret Papa, Rex illorum provisionem, præsertim factam extraneis, impediret; ac nè Provisi fructus adipisci possent, obstaret, cum tamen Papa contenderet, jus conferendi beneficia, tamquam quid spirituale, non posse ad Laicum, sinè privilegio Apostolico, pertinere: & alioquin omnia beneficia sub dispositione Romani Pontificis esse, ad quem spectaret eadem quibusvis Clericis benemerentibus impertiri, & consequenter, non modò indigenis, verum etiam extraneis. Undè inter cætera Legato dederat in mandatis: 2. *Item ad denuntiandum eidem Regi, quod in quibuscumque ecclesiasticis, beneficiis conferendis, vacantibus, vel in Curiâ, vel extrà Curiam, Romanus Pontifex legitimam, & potiorem obtinet potestatem, & post collationem cujus beneficii collati, in ipsis, vel eorum aliquo, non potest alicui jus acquiri, sinè auctoritate, vel consensu Apostolicæ Sedis, tacitis, vel expressis* (*r*). Cæterum Regi indultum Apostolicum exhibebat, ut & ipse licitè posset beneficia pleno jure conferre.

(a) *Raynald. an. 1295 nu. 24.*

(b) *Papyr. Massonius l. 3. Annal. Bail. in Conc. Parif. an. 1302. to. 2.*

(c) *Platin. in Bonif. VIII.*

(d) *Raynal. ann. 1301 nu. 26.*

(e) *Idem loc. cit.*

(f) *Bzovius an. 1303 n. 4.*

(g) *S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 20.*

(h) *Vid. Jo. Villan. l. 8 c. 62. Paul. Emil. in Philip. Pulchr. Raynal. ann 1301. 29.*

(i) *Raynal. an. 1302: nu. 11.*

(l) *Bzov. ann. 1303. nu. 5 Raynald. an. 1302 nu. 14. Genebrard. in Chron. l. 4 ann. 1303. Paul. Emil in Phil. IV. Ciacon. in Bonif. VIII.*

(m) *Raynald an. 1302 nu. 16.*

(n) Binius Ciaconius *Platina, & alii in Bonifac. VIII. Bzov. ann. 1303. nu. 6.*

(o) *Jo. Villan. l. 9. c. 65. S. Antonin. 3. p. tit. 51. c. 3 §. 4. Mejer. Annal. Fland. lib. 1. Masson. in Philip. Pulchr. Raynal. ann. 1314. nu. 26.*

(p) *Raynald an. 1314 26. Naucler. gener. 26*

(q) *Bzov. an. 1303. nu. 4.*

(r) *Idem loc. cit.*

8. *Quantum ad collationem*, inquit, *beneficiorum, dicimus, quod nos zelantes unitatem, & salutem animæ Regis, frequentèr Nuntiis suis diximus: volumus quod Rex faciat licitè, quod facit illicitè. Volumus super hoc sibi facere omnem gratiam, quam poterimus; quià certum est, & omnia jura clamant, quod collatio beneficiorum non potest cadere in Laicum, ita quod habeat jus, seu auctoritatem spiritualem, & potestatem conferendi: nolumus, quod decipiantur animæ, nec illi, qui tenent, vel recipiunt, quià constat retinere, vel recipere non posse, nisi consensu nostro, tacito, vel expresso* (a). E contrà Rex adversus Bonifacium magnis ejulatibus inclamabat, quod multiplicibus jussionibus, & mandatis permulta conferret in Franciæ partibus beneficia, & quod illa etiam Clericis extraneis largiretur, exaggerans mala, quæ indè pervenire contendebat: nempè quod Ecclesiæ debito fraudarentur servitio, & voluntas eorum, qui easmet fundaverant, prorsùs irrita fieret, pietas fidelium ab eleemosynis, & aliis religiosis operibus, retardaretur, quæ solebat favore Ecclesiarum primitùs exercere: Ipsæque Ecclesiasticæ essent talitèr depauperatæ, ac deformatæ, ut vix invenirentur, qui vellent eisdem prout anteà, deservire: Nec Præsules possent beneficia Clericis nobilibus, literatis, & benemerentibus impertiri, à quorum Antecessoribus fuerant Ecclesiæ ipsæ constructæ &c.

(a) *Spondan. ad ann. 1302. Bail. loc. cit. to. 2. Gall. Vind. dissert. 1. §. 8 f. 28.*

9. Fax discordiæ incendium magis accrescens, fuit falsa quædam, seu falsata epistola, nomine Papæ ad Regem directa, de quâ Fr. Matthæus de Aquaspartâ Cardinalis Portuensis, anteà Minister Generalis Ordinis Sancti Francisci, ità aliquando est in Consistorio prolocutus: *Cesset murmur, quià nunquàm fuit scriptum in illâ literâ, vel mandatum ex parte Summi Pontificis, & fratrum &c. Et credo illum, qui fuit missus, talem Virum, qui non excessit fines Mandati sibi commissi. Dicitur quod una alia litera fuit missa Domino Regi, nescio undè venerit illa litera, sed scio, quod per fratres Sacri Collegii non fuit missa, & excuso Dominum nostrum, quià credo firmitèr, quod illam literam non misit, nec ab eo emanavit, sed illa litera, quam misit Summus Pontifex Dominus noster, & fratres, fuit ex merâ charitate, & erat omni dulcedine, & dulcore plena, sicut esse debet litera pii Patris. Undè si fuerunt in illâ literâ aliqua, quę videbantur Regi dura; scio tamèn, quod nihil erat ibi, quod non esset ad correctionem suam, & ad bonum finem. Et sinè dubio ego reputo Regem bonum, & Catholicum Principem, quantum est de personâ suâ, sed timeo, quod habeat aliquos malos consiliarios, qui non sunt ei multum utiles* (b). Invalescebat autem quotidiè magis dissidium, non sine magnâ Italiæ, & Galliæ commotione, ac totius Christianitatis scandalo, & obloquiis, hinc indè, prò studio partium, pronuntiatis (c), authorizante, uti credimus, hanc discordiam illo, à quo est initialitèr excitata, nempè principe tenebrarum, pacis adversario, ut subdolis hisce artibus, pacem ecclesiasticam conturbaret.

(b) *Histor. Dissid. in tr. Bonif VIII. & Phil. Pulch f. 75.*
(c) *Epist. Episcopor. Gall. ad Bonif. ap. Raynal. an. 1303. nu. 35.*

10. Ad occurrendum ergò ruinis, quæ ex tantâ dissensione citò prævidebantur adfuturæ, Romani Cardinales, literis ad Regem, & ad Universitatem Parisiensem, datis, justitiam operum Bonifacii tuiti sunt, patefactâ ei veritate talium rerum, quarum, quià Rex non erat conscius, ideò monstruosa illa decertatio animis utrimque incendendis materiam ministrabat. Et quoàd negotium nostrum, respectu Mandatorum Apostolicorum, quæ dicebatur Bonifacium Episcopis Galliç crebrò direxisse, ut beneficia conferrent Clericis inibi designatis, dixerunt, verè Papam mandata ipsa expedisse, sed in formâ pauperum, & favore Clericorum, qui ad postulanda ab eo subsidia ecclesiastica convolaverant, culpâ Episcoporum, qui prætermiserant eisdem in propriis diœcesibus subvenire. Et sicut in ipsis mandatis expediendis Bonifacius exempla suorum Prædecessorum fuerat imitatus; ità beneficia pauperibus impertiendo, cunctos Antecessores suos, pietate simùl, ac liberalitate, nunquàm interituris, præcesserat. *Quis*, inquiunt, *unquàm Prædecessorum suorum formas providendi pauperibus Clericis plus extendit, quibus per nullos ex Prælatis fiebat provisio, & mendicare quodammodò cogebantur in opprobrium clericale* (d)? Quod si crebra

(d) *Histor. universit. Parif. to. 4. f. 27. 28.*

crebra videbantur mandata, per Bonifacium, ut innuimus expedita, dixerunt Cardinales, id imputandum, non animo illius minùs recto, quo quemquam intenderet gravare; sed ejus pietati, quæ defectum Prelatorum in sublevandis pauperibus, intenderat adæquare. *Si quandò gravavit Ecclesias, hoc fecit providendo in formâ pauperum multitudini Clericorum, ad quos parum se extendebat pietas Prælatorum* (*a*).

(a) Histor. Universit. Parisf. loc. cit.

11. Quæ verò beneficia Bonifacius non Clericis pauperibus contulisset, ea dixerunt Cardinales, Magistris in Theologiâ, & literatis viris dedisse, qui rationem reddere poterant, & justitiæ, & illibati animi Bonifacii; *exurgant*, addunt, *cum ipso jure Divino, Magistri in Theologiâ, quibus ipse in Parisiensi Ecclesiâ canonicatus contulit, & præbendas. Exurgant Magistri, & alii literati &c.* (*b*). Hos tàm justè, tàm dignè ajunt fuisse præfatis beneficiis ecclesiasticis insignitos, ut si Rex vellet polliceri, nunquam illa, nisi viris tàm dignis, & benemeritis impertiri; Papa eum libentèr Indulto Apostolico communiret, vi cujus posset omnes prębendas Ecclesię Parisiensis conferre. *Quià Ecclesia Parisiensis*, inquiebat Bonifacius, *est honoranda, & nobilis Ecclesia, volebamus ei concedere, sicut frequentèr diximus, collationem Præbendarum in illâ Ecclesiâ, ità tamen quod non poneret ibi, nisi Magistros in Theologiâ, vel Doctores juris Canonici, vel civilis, vel personas alias, quæ essent magnæ scientiæ, & literaturæ, non nepotes illius, vel illius, ad preces illius* (*c*). Attendat lector, & cognoscat, quàm justum, & quàm compositum animum contineret Pontifex in sinu suo, promptus se jure Mandatorum prò Ecclesiâ Parisiensi nudare, & illud in Regem laicum, de plenitudine potestatis, transferre, uno hoc in tutum posito, quod beneficia Parisiensia solis doctis, & benemeritis Clericis conferrentur. Sic enim tali zelo, tali puritate intentionis, Rex beneficia contulisset, quali id fecit magnus ejus Avus S. Ludovicus IX, de quo hæc scripta reliquit Nangius: *In beneficiis ecclesiasticis conferendis, Deum semper præ oculis habebat, præsertìm in Ecclesiis Cathedralibus* (*d*).

(b) Histor. Universit. Parisf. loc. cit.

(c) Histor. Universit. Parisf. to. 4. f. 30. 32.

(d) Nangius in vit. S. Ludovic.

12. Respectù verò collationis beneficiorum Galliæ viris extraneis, Cardinales prefati Regi significarunt, hęc à viris maledicis, & mendacibus, ad incendium confovendum, & ad exasperandum dissidium, ultrà veritatis terminos ampliari, cum rè vera Bonifacius, intrà totum septennium, ex quo jàm Sedi Apostolicę presidebat, de beneficiis majoribus, nempè Ecclesiis Episcopalibus, non nisi duas esset Clericis extraneis impertitus: nimirùm *Bituricensem*, Ægidio Romano, Doctori, ac Theologo insignissimo; & *Atrebatensem*, alteri Doctori, utriusque juris peritissimo: quorum uterque Italus quidem erat, sed Regi valdè cognitus, & nullâ ei rationabili probabilitate suspectus (*e*); de quibus Cardinalis de Aquaspartâ, ità locutus est, *Summus Pontifex posuit Fratrem Ægidium de ordine Augustinianorum* (Episcopum in Galliâ), *sed tamen vos scitis qualis Clericus est: ipse est Magister in Theologiâ, & enutritus, seù educatus in Regno illo. Episcopus etiam Atrebatensis, qui est professor legum, & Doctor in utroque jure canonico, & civili, & fuit etiam nutritus in Regno illo, & diligit honorem Regni, sicut se ipsum* (*f*). Reliquas verò Ecclesias Episcopales omnino Clericis oriundis de Regno Franciæ contulerat, viris eximiis, & Regi cognitis, ac neutiquam illi suspectis: *nostræ*, inquit, *memoriæ non occurrit, quod Cathedralibus Ecclesiis dicti Regni providerit de personis Italicis, nisi Bituricensi, & Atrebatensi Ecclesiis, qui de personis providit ipsi Regi non suspectis, & Regno: quorum eminens scientia latè patet, nec sunt earum conditiones incognitæ. Multis verò aliis Ecclesiis Cathedralibus providit de personis oriundis de Regno prædicto, nec Regi, nec Regno prædictis probabili ratione suspectis* (*g*). Et generalitèr eandem providentiam, dixerunt fuisse à Bonifacio adhibitam in distributione inferiorum beneficiorum, fiducialiter asserentes, *invenientis pro uno extraneo, cui est per istum Dominum in dicto Regno provisum, ferè centum, qui de prædicto Regno traxerunt originem, ab eo provisionis gratiam accepisse* (*h*).

(e) Vide Thomassin. Vet. & non Eccl. disc. p. 2 l. 2. c. 53 n. 2

(f) Ex Manuscript. Bibliotb S. Victoris

(g) Histor. Univers. Parisf. to. 4. f. 27

(h) Histor. Univers. Parisf. loc. cit.

13. His ità se habentibus, jàm patet, quod tàm Papa, quàm Cardinales, è quorum

rum numero perplures Papæ Bonifacio parum favebant; & septem erant ex Gallicâ natione progeniti, in præciso contradictorio, habito cum potenti, & strenuissimo Rege, cui favebat inclyta Universitas Parisiensis, sustinuerunt, licitè potuisse Papam beneficia, sive Episcopalis, sive inferioris ordinis, in Galliis constituta, Clericis etiam extraneis impertiri. Intèr quos Cardinales, memoratus Matthæus de Aquaspartâ Theologus præclarissimus (qui fuerat totius ordinis minorum Generalis Magister, & ex eo gradu ad Cardinalatus, & Episcopatus Portuensis dignitatem à Nicolao Papâ IV. elevatus (a), intrepidè hæc, quæ sequuntur, in totâ illâ contentione sustinuit: *Non potest Rex queri, quod extranei instituantur in Regno suo* (b). Quod agnovit etiam Natalis de Alexandro, ità diebus nostris de eâdem concertatione pronuntians: *de collatione beneficiorum non esse querimoniæ locum, si quidem Pontifex hos tantum Italos* (Bituricensem, & Atrebatensem) *in Regno promovit, sed in Galliis educatos, & Regi devotissimos* (c).

14. Itaque Bonifacius, antiquâ origine suę prosapię Catalanus (d), Anagnię in Latio natus, ubi lares ejus Progenitores posuerant (e), & in minoribus, canonicatu Cathedralis Ecclesiæ Lugdunensis, quamquam esset Italus, insignitus (f), postquam ad majora provectus est, jura Pontificalia, & Ecclesiæ optimè sciens, quorum unum est libertas conferendi sacra beneficia etiam Clericis extraneis; noluit hanc libertatem in Regno Gallicano dimittere: Sed pro illâ usque ad mortem certavit, & cum eo etiam Cardinales, ipsiusmet libertatis vindices, concertarunt; finisque dissidii fuit eadem libertas integralitèr custodita. Nam etiam post hæc tempora perrexerunt extranei provehi in Galliâ ad ecclesiastica beneficia, Episcopalia, Archiepiscopalia, Abbatialia, atque alia ordinis inferioris. Etenim signantèr, in eâdem Ecclesiâ Atrebatensi, paucos post annos, invenitur fuisse beneficio Episcopali decoratus Andreas Gini Italus Florentinus, posteà Episcopus Tornacensis, & Cardinalis (g): necnon Jacobus de Combres Lusitanus, qui posteà fuit Archiepiscopus Ulysiponensis (h). Paritèr Dominicus de Florentiâ fuit Archiepiscopus Tolosanus (i). Jacobus, & Joannes Juvenalis de Ursinis, Romani, Archiepiscopatu Remensi potiti sunt (l). Auxitanum Archiepiscopatum tenuit Franciscus de Sabaudiâ, & Hippolytus Estensis de Ferrariâ (m). Demum alii alibi beneficiis majoribus, & minoribus fuerunt, non obstante extraneitate insigniti, quos longum esset hic in unum congerere: poterit verò illos lector industrius apud Gallicanæ gentis Historicos invenire (n).

15. Si dicatur, hos extraneos, post Bonifacii VIII. tempora, ad beneficia sacra in Galliis admissos, ex gratiâ, vel consensu Regum, tunc dominantium, id habuisse; Nos respondemus, hoc non esse supponendum, neque fingendum, sed probandum. Cum etenim dira illa lis Philippum Regem implicaverit cum Pontifice, viriliter contendente, salvam sibi deberi libertatem honorandi beneficiis Gallicanis, ad suam collationem pertinentibus, etiam Clericos extraneos, nec huic libertati cesserit Bonifacius, neque vicini illorum temporum Pontifices, ipsius successores; si reperiuntur propè illam ętatem Clerici extranei, beneficiis majoribus, vel minoribus decorati; non supponendum est fuisse promotos ex gratiâ Regis tunc dominantis, sed probandum est legitimis documentis, rem ità fuisse: alias, donec id probetur, supponendum est, atque pro certo tenendum, provisiones illas extraneis fuisse factas ex libertate, in Ecclesiâ residente, Ecclesię connaturali, Ecclesiam ubicumque sequente, quæ libertatem ipsam in illo dissidio non amiserat, sed asseruerat, & pro eâ imperteritè usque ad mortem ipsam Pontifex decertaverat.

16. Pretereà si præfatorum extraneorum admissio in assensum Regium illorum temporum refundatur; difficultas non evacuatur, sed potiùs magis insolubilitèr implicatur: nàm tunc nondum inita fuerant concordata Gallicana, quæ posteà inter Leonem Papam X. & Franciscum I. Regem constituta fuerunt (o). Regesque illius ętatis nullum jus post dissidium Bonifacii, adepti erant, quod anteà non haberent; sed tempore Bonifacii jus non habebant extraneos excludendi) pars enim diffi-

(a) *Ciacon. in Nicol. IIII. n. 2*
(b) *Ex Manuscript. Bibliot. S. Victorini*
(c) *Natal ab Alex. Hist. sæc. 13, & 14 cap. 9 art. 2*
(d) *Ciacon. in Vita Bonif. VIII.*
(e) *Idem loc. cit.*
(f) *Bzovius an. 1303 n. 4*
(g) *Vid. Seriem Episcoporum Atrebaten. n. 20*
(h) *Ibidem n. 30.*
(i) *Seriem Arporum Tolosan. n. 43*
(l) *Vide Series Archiep. Remens. n. 74 75*
(m) *Seriem Archiep. Auxitan. n. 78. 83.*
(n) *Consule Samartanos in Gallia Christ.*
(o) *Leo X. constit. 20.*

dissidii hæc fuit, à Bonifacio fortitèr asserta, & à Cardinalibus confirmata, ut ostendimus) ergò nec etiam jus habebant eosdem extraneos admittendi: illius etenim est aliquem admittere, seù includere, cujus est eundem excludere; igitur Clerici extranei, qui reperiuntur propè illa tempora in Galliis ad beneficia sacra promoti, non illa obtinuerunt proptèr assensum Regium, sed ex primævo jure, quo potiebatur Ecclesia, extraneos mixtim cum indigenis admittendi. Alioquin si Ecclesiæ, si Papæ, non est licitum beneficia sacra Clericis extraneis impertiri, sinè prævaricatione jurium divini, naturalis, & humani, prout contendunt Contradictores; quomodò Reges non eadem jura violabant ipsos extraneos admittendo?

17. Præterquàm quod repeti posset principium, quomodò Regibus illorum temporum fas esset assensum præbere pro admissione Clericorum extraneorum ad ecclesiastica beneficia, si hæc admissio summis Pontificibus libera non fuisse contenditur? Collatio, dispensatio, & quælibet dispositio beneficiorum, est quid spirituale, ac ex consequenti etiam est quid spirituale, vel spirituali connexum, arctatio collationis ipsorum ad certum genus personarum, quemadmodùm sunt indigenæ, ad exclusionem extraneorum: in rebus autèm spiritualibus, quod majorem facultatem haberent antiqui illi Reges, quàm Episcopi, & Ecclesia, & Summus Pontifex illius caput, est difficilè persuadere. Demùm Regi, uti laico, nulla tunc poterat competere facultas pro admittendis, aut pro repellendis extraneis à consecutione beneficiorum, nisi talis, qualis ei competere poterat facultas pro rebus ecclesiasticis ministrandis; sed pro rebus ecclesiasticis ministrandis, & præsertìm beneficialibus, non poterat Regi competere ulla facultas, nisi *ministerialitèr*, & de consensu Apostolico, *tacito, vel expresso*, prout clamabat Bonifacius (*a*); ergò facultas inclusiva, vel exclusiva extraneorum, in Rege non erat, nisi uti mutuata à Pontifice: ergò eminentiori, vel saltèm equali modo hæc supponenda erat in Pontifice, nè plus posset concessionarius, quam concedens; recipiens facultatem, quam dans; & quam delegans, delegatus.

(a) *Spond. ad anno 1303. Bail. to. 2. Conc. in Conc. Paris. an. 1301 Gall. Vind. dissert. 1. §. 1.*

18. Quocumque igitur modo sumatur admissio illa extraneorum ad beneficia Gallica, post tempora, Bonifacio Papæ VIII. vicina; non uti gratiosè facta à Rege censenda videtur, sed uti liberè à Pontifice, ab Ecclesiâ, & ab Ecclesiam repræsentantibus, ad effectum perducta: pro quâ libertate tuendâ Bonifacius tàm strenuè decertavit. Adeoque si in Franciâ jus inest Clericos extraneos à beneficiis ecclesiasticis repellendi (*b*); oportet quod Galli hoc privilegium, libertatis Ecclesiæ arctativum, obtinuerint post tempora Bonifacii Papæ VIII. Quoàd reliqua si Bonifacius ipse, & cum eo Cardinales, toto conatu, cum Rege Galliæ Philippo Pulchro concertantes, intrepidè tuiti sunt libertatem Ecclesiæ in provehendis ad sacra beneficia, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis, apud Gallos, tunc privilegio, extraneorum exclusivo, carentes, & hæc libertas inibi etiam post præfatum dissidium continuata est, donec alitèr per privilegium Apostolicum, uti asseritur, est provisum; oportet inferre, quod ubicumque consimile privilegium locale, peculiare, ac expressum non habetur, ibi licitum non est advenas repellere, liberumque, & licitum est beneficiorum dispensatoribus ea, non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis impertiri: aureâ semper illâ custoditâ æquitate, quod cæteris paribus, indigenæ præferantur extraneis, & quod extraneorum admissio justam moderatæ quantitatis congeriem non excedat.

(b) *Petr. de Marca l. 3. c. 9. nu. 2.*

19. Post expeditam dissensionem beneficialem, hucusque descriptam, alia emersit non minus clamorosa, tametsi non adeò præceps, intèr *Clementem Papam VI. & Eduardum III. Angliæ* Regem, proptèr beneficia ecclesiastica ditionis Anglicanæ, per Sedem Apostolicam Clericis extraneis impertita. Facem ad incendium excitandum Joannes Archiepiscopus Cantuariensis in medium projecit, & Regem ad resistendum beneficiariis extraneis inflammavit (*c*); Causâ dissidii exindè repetitâ, quod Papa Episcopatum Norvicensem, ac quædam alia beneficia, Clericis extraneis contulisset (*d*), quos intèr duo erant Cardinales, nempè Gerardus

(c) *Raynal. an. 1344. nu. 59. & modum.*
(d) *Rayn. an. 1343. n. 90.*

Doma-

Domarus Ordinis Prædicatorum, Provinciç Tolosanæ, Clementis Papæ, ex sororenepos, Cardinalis Sanctæ Sabinæ (*a*), & Ademarus Roberri Lemovicensis, Cardinalis S. Anastasiæ (*b*), quibus Papa beneficia quædam contulerat, in ditione Regis Angliç constituta. Hi cum Oeconomos deputassent, ad fructus beneficiorum ipsorum capiendos; eos jussu Regio Ministri publici repulerunt: & pro eo quod interpellante Papâ, error corrigeretur (*c*); Eduardus collectis Regni Comitiis decrevit, obsistendum Pontifici, & nè beneficia Clericis extraneis conferrentur omninò contranitendum, ipsorumque beneficiorum, jàm collatorum reditus, esse sub sequestro ponendos.

(a) *Ciacon. in Clem. 6. nu. 2.*

(b) *Ciacon. ibidem nu. 6.*

(c) *Reynald. an. 1344 nu. 54. §. quod.*

20. Tenor jussionis Regiæ est ut sequitur: *Rex Vicecomiti* Kantiæ, salutem. *Cum nos, pro eo quod provisiones, factæ per Sedem Apostolicam, excessiviùs solito personis alienigenis de beneficiis ecclesiasticis Regni nostri Angliç, bis diebus, nedùm in depauperationem d. Regni, & diminutionem divini cultus ibidem, sed nostri, & juris Coronç nostræ Regiç intolerabile prejudicium, & exhæredationis nostri, & subditorum nostrorum periculum manifestum, & diminutionem, & enervationem juris patronatus, & advocationis, ad nos, & fideles nostros, in hac parte spectantium, cedere dignoscuntur, ex quibus (nisi Deus avertat) graviora timeri possint discrimina provenire; ad instantissimam requisitionem Communitatis d. Regni nostri, in Parlamento nostro apud Vvestmonasterium, in quindena Paschæ, ultimò præteritâ convocato, indè factam, de consilio, & assensu Comitum, Baronum, Justiciariorum, & aliorum fidelium nostrorum, ibidem tùnc existentium, volentes tantis periculis occurrere, & conatus eorum, qui advocationes, & jura Coronæ nostræ nituntur præripere, pro viribus, prout convenit refrænare, probibuerimus omnibus, & singulis Delegatis, Subdelegatis, Executoribus, Subexecutoribus, & Commissariis gratiarum, Personis alienigenis, de beneficiis ecclesiasticis dicti Regni nostri Angliæ, vacantibus, vel vacaturis, per Sedem Apostolicam concessarum, ac ipsis alienigenis, & eorum procuratoribus, & nunciis, & ipsorum substitutis, ac Notariis publicis, & omnibus aliis fidelibus nostris, sub omni eo, quod nobis forisfacere poterunt, nè prædicti Delegati, Subdelegati, Executores, Subexecutores, & Commissarii, hujusmodi gratias per ipsos, aut per alios exequantur* (d).

(d) *Thomas Rymer. Act. Public. Angliæ to. 5. an. 1343 f. 377.*

21. *Nec quod dicti Alienigenæ, vel eorum procuratores, substituti, aut nuncii, ipsas gratias prosequantur: nec quod dicti Notarii super ipsis gratiis, vel aliquibus factis, ipsas provisiones, seù processum earum concernentibus, instrumenta publica, vel protocolla faciant. Nec quod dicti alii fideles nostri dictis alienigenis, vel eorum procuratoribus, nunciis, aut eorum substitutis, delegatis, subdelegatis, Executoribus, Subexecutoribus, Commissariis, Notariis, in hac parte pareant, nec aliqualitèr intendant; Nos (volentes præmissa Universorum notitiæ patefieri) tibi præcipimus, firmitèr injungentes, quod præmissa omnia, & singula, in Civitatibus, Burgis, Villis mercatoriis, Portubus maris, & aliis locis, in Ballivâ tuâ, ubi expedire videris, tàm infrà libertates, quam extrà, publicè proclamari facias. Et si quos, post proclamationem illam, contraria facientes inveneris, capias, & in prisonis nostris salvò custodiri facias, quousque alitèr de eis duxerimus ordinandum. & de nominibus illorum, quos sic arrestaveris, nos, in Cancellariâ nostrâ, sub sigillo tuo, de tempore in tempus, & qualitèr boc præceptum nostrum fueris executus, citrà festum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, proximo futurum, reddas distinctè, & apertè certiores:*

22. Prçvidit optimè Rex, tantum attentatum non esse sinè scandalo à Christiano populo audiendum, Summumque Pontificem Clementem non esse illud sinè reconventione toleraturum. Ad demulcendum proindè Papalem animum, & excusandas excusationes, prout poterat, in peccatis; Eduardus epistolam scripsit Papæ, omni fuco respersam, quâ suam posset injustitiam honestatis pallio colorare. Atque intèr cætera: *In publicam non ambigimus notitiam pervenisse, qualitèr ab exordio nascentis Ecclesiæ, in Regno nostro Angliæ, Progenitorum nostrorum Regum Angliç,*

Angliæ, ac Procerum, & fidelium dicti Regni recolenda prioritas, proptèr divini cultus augmentum, construxit Ecclesias, & ipsas amplis donavit impendiis, & privilegiis communivit, ponens in eis ministros idoneos, qui fidem Catholicam in subjectis sibi linguis, & populis feliciter propagarunt, per quam curam, & sollicitudinem, vinea Domini Sabaoth in cultu, & fructu ibidem mirificè fœcundavit.

23. Sed quod dolendum est, ipsius vineę propagines degenerant in labruscas, & exterminant eam apri de sylvâ, singularesque ferę depascunt eam; dum per impositiones, & provisiones Sedis Apostolicę, quę solito graviùs invalescunt, ipsum peculium, contrà piam voluntatem, & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, & prę sertìm exterorum, & ejus dignitates, & beneficia, personis conferuntur alienigenis, plerumque nobis suspectis, quę non resident in dictis beneficiis, & vultus sibi commissorum pecorum non agnoscunt, linguam non intelligentes; sed animarum curâ neglectâ, velut mercenarii, solummodò temporalia lucra quęrunt, & sic diminuitur Christi cultus, animarum cura negligitur, subtrahitur hospitalitas, Ecclesiarum jura depereunt, ruunt ędificia Clericorum, attenuatur devotio populi Christiani, dicti Regni viri magnæ literaturæ, ac conversationis honestæ, qui curam animarum possent salubritèr peragere, & forent pro nostris publicis consiliis opportuni, studium deserunt, proptèr promotionis ablatam spem; quæ divinæ scimus non esse placita voluntati: quinimò in grave nostrum, & fidelium nostrorum vertitur præjudicium, & grave, & inestimabile periculum, nisi supèr hoc citiùs, & consultiùs caveamus. Nàm Juspatronatus, quod nos, & fideles nostri in talibus habemus beneficiis, enervatur. Curia nostra, in quâ dumtaxàt causę super Jure patronatus dictorum beneficiorum tractari deberent, deluditur, & jura Coronæ nostræ Regiæ tàm probrosè, tàm damnosè depereunt, & Regni thesaurus ad extraneos, ne dicamus nostros malevolos, asportatur, subtili forsan conjecturâ, ut Regni Angliæ depresso Sacerdotio, & ejus exhausto thesauro, Regnum ipsum reddatur debiliùs in adversis. Quę omnia, & singula, & alia, quæ ex pręmissis sequuntur, incommoda, fuerunt nupèr coram nobis in nostro parlamento generali, per Communitatem dicti Regni palam exposita; unanimi, & ferventi petitione subjunctâ, ut prædictis dispendiis, quæ dictæ Communitati videntur intolerabilia, occurramus.

24. Nos autem Anglicanę depressionem Ecclesię, & exhęredationem Coronæ Regiæ, ac mala prædicta, quæ sic dissimulata adiicerent verisimilitèr graviora, paterno cernentes intuitu, ad vos Successorem Apostolorum Principis (qui ad pascendum, non ad tondendum oves Dominicas; ad confirmandum, non ad deprimendum fratres suos, mandatum à Christo suscepit) deferimus, votivis affectibus supplicantes, quatenùs de præmissis de jure ponderatis, ac considerando quod creandi sunt de viâ populi Magistratus, & juxtà dictum Prophetæ, sunt de eodem loco populi vinitores (quod per beatos Apostolos legitur esse factum, dùm gentibus viros linguarum suarum notitiam habentes, transmiserunt) pensatâ etiam devotionis plenitudine, quàm domus nostra Regia, & Clerus, & populus dicti Regni præstiterunt hactenus in obedientiâ dictæ Sedis (proptèr quod non haberet paternus affectus ejus onera, & gravamina cumulare) velitis, ut Pater filiis thesaurizans, alleviare dictarum impositionum, & provisionum, ac onerum, jàm per Sedem Apostolicam invalescentium, gravitatem: permittentes ulteriùs, ut patroni patronatus sui solatium non amittant: Ecclesięque Cathedrales, & alię dicti Regni, liberas electiones, & earum effectum habeant: quas quidem Ecclesias, dicti progenitores nostri in singulis vacationibus earundem personis idoneis jure regio conferebant, & postmodùm ad rogatum, & ad instantiam dictę Sedis, sub certis modis, & conditionibus concesserunt, quod electiones fierent in dictis Ecclesiis per Capitula earumdem: quæ concessio fuit per Sedem Apostolicam ex certâ scientiâ confirmata. Sed quià contrà formam concessionis, & confirmationis pręd ictarum, dicta Sedes per retentiones, & provisiones suas, dictis Capitulis electiones adimit supradictas, & nobis jus, & prærogativam, quæ juxtà formam dictę concessionis nobis competunt in hâc parte; proptèr quod juxtà legem Regni nostri, ex

quo lex posita in concessione non servatur, Regni statutum revertitur in primævum.

25. *Supèr præmissis itàque dignetur, quæsumus, vestra benignitas ad honorem Dei, & salutem animarum, nec non ad tollenda scandala, & præjudicia prælibata festinum, & salubre temperamentum apponere, ut nos, & nostri, qui personam vestram sanctissimam, & sanctam Romanam Ecclesiam revereri cupimus, & debemus; cessantibus dictis malis intolerabilibus, in paternæ vestrę dilectionis dulcedine quiescamus, requiescatque nostra devotio, per ostensam nobis vestræ moderationis Clementiam recreata &c.* (*a*). Magnas in Romanâ Curiâ comotiones hę literę pepererunt, quibus accessere dicteria, per viros improbos Regi Angliæ suggesta, ut Sedem Apostolicam sugillaret, ac ejus dignitatem, in potestate conferendorum beneficiorum, impeteret. Exempla quoquè ipsarum literarum Regis Angliæ aliis Christianis Regibus missa sunt, ut adversùs Pontificem concitarentur, nè beneficia ecclesiastica sibi reservare posset, & juxtà morem conferre (*b*). Supèr quo Pontifex Alphonso XI. Castellæ Regi, congnominato *el Justiciero*, scripsit, ne impiis illis literis moveretur: audiretque etiam, quàm acerbè Eduardus à Sede Apostolicâ fuerat objurgatus, & quę illi poenæ, nisi resipisceret, comminatæ (*c*).

(a) *Rymer. Act. Publ. Angl. to. 5. f. 385. Vuolsingam in Eduard. 3. Raynald. ann. 1343. num. 90.*

(b) *Raynald. an. 1344 num. 54.*

(c) *Clem. VI. to. 3. epl. 154.*

26. Profectò tametsi Rex Eduardus novam, illam legem, ad repellendos à beneficiis Angliæ viros extraneos promulgatam, pro posse fucatis justitię coloribus & pigmentis deliniverit, ac quod pro tutamine divini cultus, animarum salutis, conservationis Ecclesiarum, profectus Anglicani Cleri, & allectationis indigenarum ad virtutes, sub spe pręmii adipiscendi, hoc decrevisse dictitaverit; citò tamèn versipellis ejus animi vera facies apparuit, dùm reditus beneficiorum, per extraneos possessorum, fisco regio applicavit, ostenditque, rapacitatis, non justitiæ intuitu, ea quæ fecerat peregisse. En ejus epistola, quam Clementi Papæ direxit, dùm præfatos reditus occupasset: *Papæ, Rex &c. Nè per relationes malevolas, aut immissiones malas, vester contrà nos exasperetur animus, vel conscientię vestræ puritas illudatur, subscripta, sub verbis veritatis, vestræ pręvidimus Beatitudini transcribenda. Publicè quidem scitur, quod à tempore suscepti per nos regiminis, Regnum nostrum Angliæ continuis fuit, & adhuc est, guerrarum incommodis lacessitum; per quod nostrum Erarium nimirum plurimùm est exhaustum.*

27. *Et cum sic, prò defensione dicti Regni, necessariò importabilibus subiiciamur oneribus expensarum, nos, considerantes justum esse, & consentaneum rationi, quod in tempore necessitatis, quę legi non subiicitur, bona dicti Regni, quorumcumque fuerint, prò ipsius defensione necessaria, saltim ex causâ crediti assumantur, nec durum videri debet eorum possessoribus, seù molestum, si bona prædicta sic ex tàm urgenti causâ capiantur, sub obligatione congruâ de pecuniâ, sic captâ, eis certo tempore persolvendâ; De Peritorum nobis assistentium consilio, fructus, & proventus omnium beneficiorum ecclesiasticorum dicti Regni, post deducta onera, dictis beneficiis incumbentia, remanentes, quæ quascumque Personas alienigenas obtineri noscuntur, in subventionem expensarum nostrarum, non cessante necessitate prędictâ, in manum nostram ex causâ crediti, ordinavimus capiendos: Volentes dictis beneficiatis, vel eorum procuratoribus, de summis sic receptis, promptè statuendis terminis satisfacere, & eis indè literas nostras obligatorias facere liberari. Causâ tantæ necessitatis debitè ponderatâ, nos supèr hoc habere dignetur pia vestra moderatio, si placuerit, excusatos, quę nobis detrahentibus, vel aliud referentibus in hâc parte, fidem (quęsumus) non præbeat, vel auditum* (*d*).

(d) *Rymer. Act. publ. Angl. to. 5. ann. 1346. f. 490.*

28. Ità, sub mutui prætextu, Rex fructus beneficiales clericorum extraneorum occupavit: & occupasse illos quidem legimus, restituisse autem suo tempore non didicimus. Qualitèr autem Clemens Papa VI. nunciatrici præfatæ occupationis epistolę huic secundę responderit, nobis non constat; constat quid responderit primę: Ait etenim, inter cætera: *Fili carissime dùm verba literarum tuarum diligentèr discutimus, & subsequentèr in nostrâ memoriâ recensemus illa, quæ tuæ celsitudini super novitatibus contrà Deum, & Sanctam Romanam Ecclesiam, matrem omnium fide-*

lium

lium, & magistram, in Regno tuo singularitèr attentatis, tàm per literas pluries dulcitèr, & charitativè scripsimus, ac demùm per Episcopum Norvicensem &c. explicari vivâ voce fecimus, eandem celsitudinem tuam &c. exhortando, ut super eisdem novitatibus, quas de tuâ conscientiâ, cum sis Princeps Catholicus, Deum timens, & diligens, processisse minimè credebamus, tua regalis curaret providentia tale, tamque salubre remedium adhibere, quod eis omninò sublatis, talia, vel similia deinceps non audirentur in Regno attentari tàm christianissimo, sic horrenda &c. Videntur quidem innuere literæ supradictæ, quod super reservationibus, & provisionibus Ecclesiarum, in tuis tibi parlamentis liceat aliquid ordinare, quodque reservationes, & provisiones Apostolicæ à tuâ dependeant voluntate. Profectò dilectissime fili, illa concordia, quam in tuo parlamento habitam, tuæ prædictæ describunt literæ, nimis existeret temeraria, & divinis constitutionibus inimica, per quam Apostolicæ Sedis reservationes, & provisiones dependerent ex tuæ voluntatis arbitrio, tuque per ipsas potestatem ejusdem Sedis Apostolicæ, quod profanum est dicere, coarctares: quamquàm nos, qui Ecclesiarum omnium, tamquàm Pastor universalis, earum invigilamus commodis, uti non intenderimus, nec intendamus reservationibus, & provisionibus hujusmodi, nisi quantùm utilitatibus, & necessitatibus Ecclesiarum ipsarum crediderimus expedire.

29. *Qualitèr autem temporibus prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, circà reservationes, & provisiones hujusmodi, de multis prelaturis, & aliis beneficiis ecclesiasticis dicti Regni, super quibus nunquàm impedimentum extitit appositum, res gesta se habuit; magnitudinem tuam latere non credimus, nec à tuâ memoriâ excidisse, quod nobis prò reservationibus inibi faciendis aliquibus feceris supplicari (a).* Subdit de edictis in Angliâ publicatis, in præjudicium Primatus Apostolici, & Ecclesiasticæ libertatis, de capturâ Clericorum per laicos, de exclusione literarum Apostolicarum &c. Tùm addit.

„ Utinam filii præclarissimè, &c. intrà præcordia regia revolveres diligentèr, quàm „ gravitèr ex his, quæ circà præmissa, in regno committuntur prædicto, Divina „ Majestas offenditur, & ne ipsius iram incurreres, præveniendo ultionis ejus vindi- „ ctam terribilem, operosis sic studiis evitares, profundisque meditationibus co- „ gitares, quantùm à Deo exaltati fuerint hactenùs Principes Orthodoxi, qui Sa- „ crosanctam Ecclesiam, unicam sponsam Christi, devotionis studiis honorarunt, „ eam in suis juribus, honoribus, & libertatibus confovendo: & quàm turpitèr „ ceciderunt, & abjecti sunt, qui contrarium attentarunt: & deliberatione provi- „ dâ, & maturâ pensares, si præmissa, quæ in Regno tuo prædicto adversùs „ Deum, & ipsam Ecclesiam sic impudicè aguntur (quæ utique defendi posse non „ credimus, nisi fides, & sacrorum canonum fundamenta radicitùs evellerentur, „ quod absit) possunt per nos sinè Dei offensâ, & læsione conscientię præteriri sub „ dissimulationis neglectu, vel quomodòlibet tolerari.

30. „ Audi ergò, fili, salubre consilium Patris tui, & intende honori ejusdem „ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ, à quâ tù, & progenitores tui, Regnumque tuum „ prædictum, magna beneficia, quibus vos obligavit ad gratitudinis debitum, re- „ cepistis. Attende quoquè ipsam Ecclesiam, cujus pastorali regimini, licet me- „ ritis insufficientibus, præsidemus; non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salva- „ tore Nostro, Primatum supèr omnes mundi Ecclesias obtinere. Ipse quidèm so- „ lus eandem fundavit Ecclesiam, dicente Domino Petro, tù es Petrus, & super „ hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & quodcumque ligaveris supèr ter- „ ram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris supèr terram, erit solu- „ tum & in Cœlis, & supèr petram fidei mox nascentis erexit. Non enim quævis „ terrena sententia, sed illud Verbum, per quod constitutum est Cœlum, & terra, „ per quod deniquè constituta sunt omnia elementa, eandem Romanam fundavit „ Ecclesiam, quæ quidèm omnes Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales „ Ecclesias, & ipsarum cujuslibet ordinis dignitatem instituit: ad cujus Pastorem,

(a) *Clem. VI. l. 2 epl. 110. Raynald. an. 1344. num 55.*

„ & Rectorem Ecclesiæ, videlicet Romanum Pontificem, omnium Ecclesiarum, „ dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum plenaria „ dispositio noscitur pertinere. Cogita quæsumus insuper, & recogita fili, quibus, „ & qualibus credis consiliis, quibusque te involuis negotiis, & ad eorum ingressum „ contemplare finalem egressum, cum sit viri prudentis, ut rerum exitus me„ tiatur.

31. „ Itàque Regalem excellentiam intensis rogamus, & hortamur affectibus, „ & per Dei misericordiam obsecramus, quatenùs ad cor rediens, & directos tibi „ in paternâ dulcedine hujusmodi piæ nostræ exhortationis, suavisque increpatio„ nis, & salubris inductionis affatus, tamquàm Catholicus Princeps, & providus, „ ac benedictionis, & gratiæ filius, devote suscipiens, rationi, & ejusdem Ecclesię „ matris tuæ devotioni subiice temetipsum, quâ duce, tibique propitiâ, & placa„ tâ, proficere poteris: quâ offensâ, non valebis, cum in ejus offensâ offendatur „ sponsus ejus Jesus Christus Dominus, prosperari; præmissa, & alia vergentia in „ derogationem ejusdem Romanę Ecclesię, & libertatis Ecclesiasticæ in Regno tuo „ prędicto cohibendo penitùs, & tollendo &c. Alioquin cum ex injunctæ nobis de„ super Apostolicæ servitutis officio, de animâ tuâ illi, qui magnum judicat sicut par„ vum, & apud quem personarum acceptio non existit, simus rationem in extre„ mo judicio reddituri, ac jura, & auctoritatem præfatæ Sanctę Romanæ Eccle„ siæ defendere teneamur; quominùs in præmissis, in quibus tàm patentèr ejusdem „ Apostolicę Sedis auctoritas est contempta, & in suis juribus, & honoribus con„ culcata, limam correctionis Sedis ejusdem, & prò mensurâ excessum adhibere „ medelam salubrem procuremus, nec dissimulare possemus ulteriùs, nec salvâ „ conscientiâ præterire (*a*).

(a) *Clem. VI. loc. cit.*

32. Adnotet doctus lector, exclusionem extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis hìc vocari *temerariam, & divinis constitutionibus inimicam*, eamque prout & alia, à Rege, ac Parlamento Anglico, adversùs libertatem Ecclesiasticam, attentata, prò talibus reputari, quæ defendi non possint, *nisi fides, & sacrorum canonum fundamenta radicitùs evellantur*. Veniant ergò Contradictores, & dicant, ubinam dicerunt, esse Divino, naturali, ac humano jure, clericos extraneos à beneficiis Ecclesiasticis repellendos; si eorum exclusio, à Pontifice, super articulo, ritè examinato, ac in contradictorio cum Rege potentissimo, pronuntiante, sententialitèr declaratur Divinis constitutionibus inimica, nec sustentabilis, nisi fides, & sacri canones usque à radicibus evellantur? Accedit quod Rex Eduardus Vvillelmum, proptèr quem etiam prò parte orta erat contentio, ad possessionem tandem Episcopatus Norvicensis admisit (*b*). Imò & eo usus est prò Legatione ad Summum Pontificem obeundâ (*c*). Impedimenta quoque sustulisse non ambigimus, quibus Ademaro, & aliis Cardinalibus beneficiorum prędictorum reditus detrahebantur, ne deberet Clemens cum Eduardo ampliùs condolere, quod Cardinalibus, causas majores Christianæ reipublicę, omniumque Ecclesiarum, cum Pontifice pertractantibus, & ideò de proventibus Ecclesiarum juridicè sustentandis, sola Anglia hęc subsidia denegaret, cum cætera Regna huic justo officio neutiquam impendendo deessent. *Certum est*, inquit, *quod non solùm in Regno, & in terris tuis, imò quasi in omnibus Regnis, & partibus, tàm propinquis, quàm remotis, ubi Catholicę fidei viget cultus, aliis novis Cardinalibus gratiam fecimus, in quibus rebellionem aliquam nullatenùs audivimus* (*d*).

(b) *Raynald. an. 1344 n. 55. post med.*

(c) *Vid. Seriem Episcopor. Norvicen. n. 28*

(d) *Vide Thomassin. Vet. & Nov. Eccl. Discipl. p. 2. l. 1. c. 44. n. 3.*

33. Superadnotetur adhùc mos vetustissimus, ac usque ab illis Sæculis inolitus, quod Cardinales Romanæ Ecclesiæ (& ex identitate, vel saltèm ex similitudine rationis, etiam Prælati, & Officiales ejusdem Ecclesiæ) beneficia sacra liberè, & licitè possint ubilibet adipisci. Demùm attendatur, quòd Rex Eduardus, ut ait Odoricus Raynaldus, *cum aliquandiù Politicorum susurris delinitus, sua, & regiorum Ministrorum iniqua gesta propugnasset; demùm, intentato illi, & Administris à Clemente judicio, convictus Ecclesiasticum jus ab ipso prætèr fas opprimi, ne feri-*

retur

retur anathemate, missis Oratoribus, veniam petiit, seque Pontificiis imperiis, ad sarciendas injurias, quas intulerat Clero, subjecit (*a*). Nèc hoc putetur gratis asseverari: quippè ex plurimis mandatis, & jussionibus ejusdem Regis, constat, nedum Cardinalem Audomarum, seù Ademarum (Gerardus Cardinalis citò objerat (*b*); sed etiam alios Cardinales, beneficia in ditione Anglicâ possidentes, fuisse ad eorum possessionem redintegratos, cum sanè ibi non aliqua beneficia merè simplicia, sed multiplices Archidiaconatus, Personatus, ac Præbendas residentiales, possiderent, à residendi debito dispensati, propter operam, quam toti Ecclesiæ, assistentes Pontifici apud Romanam Curiam, impendebant (*c*).

34. Audiatur Mandatum Regis ad hæc faciens. *Rex Thesaurario, & Baronibus suis de Scaccario, salutem. Volentes Venerabiles Patres Dominum Gaucelinum Joannis Personam Ecclesiarum de Hemmyngburgh Eborum, de Stebenheth, & Hakalyngbourn Cantuariensis, de Pegeham Cistercienfis Diœcesium, & Præbendarium dè Driffeld in Ecclesiâ Lichefeldensi. Dominum Prænestrinensem Archidiaconum Eborum, & Prebendarium præbendæ de Vvistovve in Ecclesia Eborum. Dominum Taillerandum, Decanum Eborum, Personam Ecclesiæ de Vvhitchirch Cantuariensis diœcesis, & Præbendarium præbendæ de Thame in Ecclesiâ Lincolniensi. D. Joannem Connenarum Archidiaconum Norhamptoniæ, Personam Ecclesiæ dè Blokkeleye Vvygorniensis diœcesis, & Prębendarium prębendæ B. Margaritæ dè Leycestriâ in Ecclesiâ Lincolniensi. D. Hispanum, Archidiaconum Cestriæ. D. Adomarum Roberti Archidiaconum Estridyng, et Prębendarium in Ecclesiâ Eborum. D. de Motâ, Archidiaconum Oxoniæ, & Archidiaconum Eliensem, Præcentorem Cicestriæ, & Præbendarium præbendæ de Milton in Ecclesiâ Lincolniensi, Sanctæ Romanæ Ecclesię Cardinales, favore prosequi gratioso, vobis mandamus, quod eosdem Cardinales de decimâ triennali, nobis per Clerum Regni Nostri Angliæ ultimò concessâ, ipsos ratione beneficiorum suorum prędictorum contingente, ad dictum Scaccarium exonerari, & quietos esse, ac exactionibus (si quas Collectores decimę prędictę eisdem Cardinalibus, seù eorum alicui, occasione decimę illius, fecerint) supersederi, & districtiones, sivè sequestra, eâ de causâ, in beneficiis suis prædictis, seù bonis suis ecclesiasticis facta, & apposita, eisdem sine dilatione relaxari faciatis, hac vice de gratiâ nostrâ speciali* (*d*).

35. Et individuè legere est bina mandata favore Anibaldi Cardinalis edita, super quibusdam beneficiis, per eum in Angliâ possessis. Hic est Anibaldus de Ceccano Aquinatis diœcesis, Cardinalis Episcopus Tusculanus, & Archiepiscopus Neapolitanus, qui à Clemente Papâ VI. Legatus ad Angliæ Regem transmissus, pro pace cum Gallis componendâ, vix à Rege susceptus est, sed statim jussus abire (*e*). Nihilominus Eduardus ad ejus favorem hanc cedulam expedivit: „ Rex omnibus, ad quos &c. Salutem. Licèt nuper ostensis coram Concilio nostro quibusdam „ instrumentis, ex parte Venerabilis Patris, Anibaldi Tusculanensis Episcopi, curię Romanę Cardinalis: per quę apparebat, ipsum Cardinalem prębendam de Vvetevvang, in Ecclesiâ Beati Petri Eborum, post mortem Vvillelmi de Kildesby, nupèr prębendarii dictæ præbendę, acceptasse, & possedisse fructus, reditus, & emolumenta ejusdem, virtute cujusdam ordinationis, per nos, & Concilium Nostrum, „ de omnibus fructibus, reditibus, & emolumentis omnium beneficiorum Cardinaliū, „ & aliorum alienigenarum, in Regno nostro Angliæ beneficiatorum, & in eisdem „ minimè residentium, in manum nostram seisiendis, factę in manum nostram, non „ intellecto, quod aliquis alius jus habuit in eâdem, capi, & seisiri præceperimus.

36. „ Quià tamen, dilectus Clericus noster Joannes de Melbourn, coram „ nobis, & Concilio nostro comparens, asservit ipsum dictam præbendam statim „ post mortem dicti Vvillelmi, virtute cujusdam specialis gratiæ, sibi per Sedem „ Apostolicam factæ, acceptasse, & possessionem ejusdem canonicè adeptum „ fuisse, & fructus, reditus, & emolumenta præbendæ illius, ferè per unum an„ num, absque impedimento, seù calumniâ, per dictum Cardinalem, aut aliquem, „ nomi-

(a) *Raynald. an. 1343 nu. 91.*

(b) *Ciacon. in Clem. VI. nu. 8.*

(c) *Clementina Execrabilis, & ibi Glos. Verb. Universale de præbend. & dignit.*

(d) *Rymer. Act. publ. Reg. Angl. to. 5. ann. 1345. f. 442.*

(e) *Ciacon. in Joan. 22. nu. 18.*

„ nomine suo, interpositâ, pacificè, quousque fructus, reditus, & emolumenta „ prædicta, de mandato Nostro (ipso Joanne non vocato, præmonito, nec audito) „ capta, & seisita, ac procuratoribus prædicti Cardinalis ad respondendum no„ bis per viam mutui de denariis indè provenientibus, liberata fuerunt, percepisse, „ & habuisse, diversa instrumenta, & evidentias, acceptationem, & possessionem „ suam hujusmodi testificantia, coràm nobis, & dicto Concilio nostro exhibendo. „ Undè idem Joannes nobis supplicavit, ut sibi supèr hoc justitiam fieri faciamus; „ consideratione præmissorum, & ad requisitionem quorumdam Magnatum, no„ bis pro eodem Joanne supplicantium, & proposita per eundem Joannem vera „ esse testificantium, volentes gratiosè agere cum eodem; manum nostram de „ fructibus, reditibus, ac emolumentis præbendę prædictæ, per certam securi„ tatem, in quâdam Indenturâ, inter nos, & ipsum Joannem confectâ, contentam, „ duximus amovendum; salvo jure cujuslibet. Nolentes quod idem Joannes, su„ per perceptione fructuum, proventuum, redituum, & emolumentorum prę„ bendæ prædictę, ex nunc, prætextu hujusmodi appositionis manuum nostrarum „ ad eadem, per nos, seù ministros nostros quoscumque, ex causâ prędictâ aliqua„ litèr impediatur (*a*).

(a) *Rymer. loc. cit. ann. 1348. to. 5. f. 634.*

37. Et post biennium Rex novâ expeditione pręcepit: „ Rex universis, & „ singulis majoribus &c. salutem. Supplicavit nobis, Venerabilis Pater Anibal„ dus, Episcopus Tusculanensis, & Cardinalis de Naples, quod, cum ipse Jaco„ bum Ramananii, Personam Ecclesię de Sevenok, procuratorem suum, prò di„ spositione beneficiorum suorum, quæ jam possidet in Angliâ, ac bonâ directio„ ne rerum suarum, infrà idem Regnum Angliæ habeat conversantem. Nec non „ prò eo, quod idem procurator certam firmam annuam, pro eisdem beneficiis, „ quę intèr alia beneficia alienigenarum in Regno nostro Angliæ in manu nostrâ „ capta existunt, solvit; Velimus prò securitate ipsius procuratoris, ac rerum, & „ possessionum suarum gratiosè ordinare, nos de gratiâ nostrâ speciali, & ob af„ fectionem, quam ad personam dicti Cardinalis gerimus, & habemus, supplica„ tioni suæ prædictę in hac parte annuentes, suscepimus ipsum Jacobum, morando „ infrà Regnum nostrum prędictum, ex causâ prędictâ, carectas, cariagia, & „ Equos, nec non res, reditus, & omnes possessiones ipsorum Cardinalis, & Ja„ cobi, in protectionem, & defensionem nostram specialem. Et ideò vobis man„ damus, quod ipsum Jacobum, carectas, cariagia, & equos, nec non res, redi„ tus, & omnes possessiones ipsorum Cardinalis, & Jacobi manuteneatis.

38. Vide quomodo, non obstantibus Politicorum reclamationibus, ac Regis pręcepto, ad exclusionem extraneorum edito; adhùc tamèn Papę continuarunt beneficia, in Regno Anglię constituta, Clericis etiam extraneis, & pręfertìm Neapolitanis impertiri (*b*). Ipseque Rex Eduardus, dum adhùc fervesceret contentio, expresis jusionibus imperavit, ut iisdem Clericis reditus suorum beneficiorum exhiberentur. Porrò diuturna fuit hujusmodi controversia, nec nisi sub Gregorio Papâ XI. composita est, Ecclesiâ prętvalente, suamque libertatem evincente, admittendi ad ecclesiastica beneficia, etiam Clericos extraneos. En articuli Compositionis intèr ipsum Gregorium XI. & Eduardum Anglię Regem. „ Quantum „ ad articulum de Reservationibus, Dominus Papa respondit; quod suam potesta„ tem in hoc restringere non intendens, collationes factas per viam Reservationis, „ prout dixit, non potuit revocare honestè, sed in futurum, contemplatione „ Regis, voluit talitèr abstinere, ac etiam moderare, quod nec Regi, aut Regno „ rationalitèr cederent in gravamen. Itèm quantum ad articulum de electioni„ nibus, Dominus Papa respondit, quod quantum ad Cathedrales Ecclesias, Re„ servationes, & provisiones dimittere non intendit, sed ad reverentiam Domini „ Nostri Regis, dixit se velle, occurrente vacatione aliquâ Cathedralis Ecclesię, „ in futurum per tempus notabile expectare, intantum, quod electio verisimilitèr „ possit ad Curiam Romanam commodè pervenire; &, si sibi persona sufficiens, &

(b) *Rymer. to. 7. ann. 1380. f. 258. 259. 427. 437.*

„ ido-

» idonea præsentetur, potiùs providebit Electo. Et Domino Nostro Regi, scri-
» benti inposterùm in præfatâ materiâ, quantum sine Dei offensâ notabili, & sal-
» vâ conscientiâ, complacebit. Item quantum ad articulum de Dignitatibus ele-
» ctivis, Abbatiis, Prioratibus, & Hospitalibus, Dominus Papa respondit; quod
» quantum ad Monasteria non occurrebat sibi, quod quidquam fecerat in præjudi-
» cium &c. sed quantum ad dignitates, inconvenientia aliqua, sicut de ruina do-
» morum, & consimilibus, possessores faceret reparare, & portare onera debita,
» & occurrente opportunitate, faceret, quod hujusmodi beneficia essent in ma-
» nibus illorum, qui possent residere.

39. » Item, quantum ad articulum de beneficiis collatis extraneis, post ma-
» gnas altercationes factas hìnc indè, finalitèr Dominus Papa respondit; quod non
» recordabatur sè contulisse, tempore suo, beneficium extraneo, præterquàm
» Cardinalibus, prout in aliis Regnis contulit eisdem; uno dumtaxat excepto,
» quod contulit uni Romano, qui, ut dixit, in Angliâ commoratur. Et subse-
» quentèr, factâ replicatione de beneficiis Cardinalium, quę his diebus erant in
» Angliâ, plus solito, in tanto numero, & valore, quod Regnum Angliæ into-
» lerabilitèr gravabatur. Et quod aliqui fructus pervenerunt ad manus inimico-
» rum: & quod valor ascendebat ad plus, quam fructus Cardinalium in Regno
» Franciæ, quod tamèn est in triplo majus, quam Regnum Angliæ; Idem Do-
» minus Papa respondit, quod inposterùm de providendo extraneis, tàm Cardi-
» nalibus, quàm aliis in Angliâ moderaret, & contemplatione Regis, oportuni-
» tate habitâ, hujusmodi numerum, quantum ad extraneos, ut præmittitur, di-
» minueret. Item, quantum ad articulum de primis fructibus, Dominus Papa
» respondit; quod quoad novitatem de primis fructibus expectantium, in gratiâ spe-
» ciali, jam instabat finis in principio mensis Martii imminentis; sed quantum ad
» alios primos fructus, propter guerrarum onera, quæ habebat, non poterat prò
» nunc à receptione desistere eorumdem; sed sperabat, infrà modicum tempus
» aliqua ordinare ad relevationem Ecclesiarum, & minus Ecclesias onerare, quàm
» fuerant oneratæ temporibus Prædecessorum suorum. Item, quantum ad articu-
» lum de expectationibus, & provisionibus respondit; quod de hujusmodi multi-
» tudine studia in Angliâ, & scripturæ Dominorum erant in causâ, & quod reddit
» sè difficilem, & reddet sè inposterùm, ad concedendum in eâ parte, absque ta-
» mèn suæ potestatis restrictione &c. (*a*).

40. Vides hìc, quod currente Sæculo Christi Decimoquarto Angliæ Regno jus nullum inerat excludendi Clericos extraneos ab ecclesiasticis beneficiis: quod jus si nihilominus Angliam habuisse contendas (*b*), oportet, ut illud post hæc tempora ex Apostolico assecuta sit privilegio. Quoad nos verò, ex totâ congerie prolixæ contentionis super hoc habitæ, intèr Clementem Papam VI. ejusque successores, ac Eduardum III. Angliæ Regem, patet quod moderna prætensio repellendi Clericos extraneos ab ecclesiasticis beneficiis, per Contradictores adeò mordicùs promota, nihil aliud est, nisi refrixio antiquatæ illius, ac obsoletæ contentionis, quam Rex Angliæ præfatus adversus sedem Apostolicam excitavit, omnes technas, quas potuit in propatulo ponens, ad palliandam injustitiam sui conatus: omnem lapidem movens, ad prævalendum in suo sensu, nullamque non adhibens artem, ut Cardinales, Clericosque extraneos à sui Regni beneficiis ablegaret; His tamèn non obstantibus à suo conatu decidit: exclusioque Clericorum extraneorum declarata est *temeraria, & divinis constitutionibus inimica*: talis demum; *quæ* defendi non possit, nisi evulsis sacrorum canonum, & Christianæ Fidei fundamentis (*c*).

(a) *Raymer. Act. publ. an. 1377. to. 7. f. 136. & seq.*

(b) *Altesser. in cap. bone 4. de postul. præl.*

(c) *Vid. hic supr. nu. 28. 29. & 32.*

CA-

CAPUT XXXXI.

In quo ex aliis contentionibus, excitatis intèr eundem Clementem PP. *VI.*, & Philippum *VI.* Regem Galliæ. *Ac* Alphonsum XI. Regem Castellæ: *Nècnon intèr* Bonifacium PP. IX., & Henricum III. *itidèm Regem Castellę, probatur libertas Ecclesię in conferendo Ecclesiastica beneficia, etiam Clericis extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Contentio de excludendis Clericis extraneis à consecutione beneficiorum, ex Angliâ in Franciam transvolavit, Philippo VI. Rege eam fovente.*

2 *Reservationes inceperunt à Joanne Papâ XXII. Ad Clementem VI. centum millia Clericorum confluxerunt, beneficia petentium. Papa Regi Galliæ restitit.*

3 4 *Clemens Papa VI. Philippum VI. Regem Galliæ objurgat, & exclusionem extraneorum declarat, divino, & humano juri contrariam &c.*

5 *Papa potest Clericos undecumque ad sè vocare. Habet plenariam omnium beneficiorum dispositionem. Rex tandèm edictum suum revocavit.*

6 *In hac controversiâ remansit sartatecta libertas Ecclesiæ, ac reprobata fuit exclusio extraneorum à beneficiis.*

7 *Hæc eadem contentio, compressa in Galliis, & in Angliâ, erupit in Hispaniâ, ob Episcopatum Cauriensem datum extraneo.*

8 9 *Clemens VI. Alphonsum Regem Castellæ monet, ne obsistat extraneis. Rex tandèm Ecclesiam in suâ libertate relinquit.*

10 *Restrictio beneficiorum ad solos indigenas est hereditaria possessio Sanctuarii Dei. quandonam, & quo judice indigenæ sint preferendi extraneis.*

11 *Varia motiva indicantur, quod Rex libertatem Ecclesiæ admittendi extraneos in suo esse reliquerit. Papa laudat ipsum Regem defunctum.*

12 *Ex his contentionibus intèr Clementem VI. & Reges Angliæ, Gallię, ac Hispaniæ, magis firmatur libertas Ecclesiæ in præficiendo extraneos beneficiis.*

13 *Denuò erupit ipsa contentio in Hispaniâ, tempore Henrici III. Regis. Joannes Rex, ob Schisma, ab Urbano VI. censuris pulsatus est.*

14 *Henricus Rex Castellæ Antipapæ se subtraxit, sed Papæ non adhæsit. Et quia Antipapa nimia beneficia extraneis conferebat, Rex eos exclusit.*

15 *Edictum regis supponit, semper extraneos fuisse in Castellæ Regno à beneficiis exclusos, quod non subsistebat, nisi cęteris paribus.*

16 *Bonifacio IX. dictam libertatem Papę sartamtectam servandam esse clamante; Rex edictum contrà extraneos cassavit.*

17 *Nil clariùs hoc eventu favore extraneorum. Contradictores malè dicunt, Regem vecordem, à malis hominibus circumventum, cessisse.*

18 *Ostenditur Regem non fuisse imbellem, sed generosum. Qualitèr Magnates cohibuerit? Carolus V. quandam audaciam Magnatis dissimulavit.*

19 *Non*

19 *Non solus Rex rescidit edictum, sed etiam Comita cum eo. Nec dicendus est circumvectus Rex eum legem impiam abrogavit.*
20 *Ex aliis motivis probatur, Regem non fuisse circumventum, sed fecisse, quod justitia, & veritas deposcebant.*
21 *Continuata fuit admissio extraneorum, donèc dicitur fuisse à Sixto IV. concessum indultum Henrico IV. extraneos repellens.*
22 *Confutatur frigida glossatio Contradictorum, quod Sixtus, dans indultum, recognoverit bonam fidem juris exclusivi extraneorum.*
23 *Docet Emanuel Gonzalez, exclusionem extraneorum, nullibi fieri posse sine Apostolico privilegio.*
24 *Sententia refertur Azorii, quod Princeps laicus non possit arctare ad solos indigenas beneficiorum collationem.*
25 *Caroli V., & Philippi II. pragmaticæ contrà extraneos si sè referunt privilegio Apostolico, justæ fuerunt, alias non, sed injustæ fuerunt.*
26 *Gonzalez, Salgado, Valdaura, Cenedus, Covarruvias, omnes Hispani, refundunt exclusionem extraneorum in Apostolicum privilegium.*
27 *Ex Covarruviâ jus excludendi extraneos spectat ad Papam, vel ad Concilium Generale, nec hoc est jus coronæ Regiæ eorum.*
28 *Jus patronatus, nec ex dotatione acquiritur, neque ex victis Barbaris, nisi expressè per Superiorem ecclesiasticum reservetur.*
29 *Jus excludendi extraneos non procurassent Castellæ Reges ex Apostolico privilegio, si hoc ex se facere potuissent.*
30 *Si Contradictores indultum Pontificium non habent, perperam per vim extorquent id, quod non nisi ex gratiâ Coronatis Principibus datam est.*

1. HOc eodem sæculo decimoquarto, quod percurrimus, incepit primo, ut innuimus, expressis contradictionibus impugnari libertas Ecclesiæ in dispensatione beneficiorum, tàm quoàd Reservationes, in regulis Cancellariæ contentas, vel alitèr Pontificiâ auctoritate statutas, quàm quoàd clericos extraneos, ad præbendas ecclesiasticas admittendos, cum anteà Ecclesia, prout hucusque probatum est, plenâ, totali, ac integrâ ipsâ libertate potita esset, eamque plenissimè per tot sæcula exercuisset (*a*). Verùm postquàm Eduardus III. Angliæ Rex libertatem ipsam impetere aggressus est, formâ in capitulo præcedenti descriptâ; ex Anglico ad Gallicanum quoquè Regnum flamma hujusce contentionis transvolavit, Philipppo VI. Rege illam admittere, ac fovente, nec advertente, quod libertatem præfatam Ecclesiæ vulnerans, sibi metipsi quoquè irreparabile præjudicium inferebat: quippè cum intèr jura sua Coronæ unum esset, posse de plurimis beneficiis sui Regni, vel per viam præsentationis, jure patronatus, vel alitèr per viam nominationis, & provisionis ad sè pertinentis disponere, ex privilegio Ecclesiæ, tacito vel expresso (*b*); quoties hæc libertas abscindebatur Ecclesię, non poterat quoquè non Coronæ Regiæ detruncari: ne majori potiretur libertate disponendi de sacris rebus, & præficiendi præbendis ecclesiasticis etiam clericos extraneos, si vellet, Rex, quàm Ecclesia.

(a) *Vid. Cap. præced. à n. 3.*

(b) *Bonif. VIII. de quo cap. precedent. n. 8*

2. Nihilominus placuit Regi, vel à suis Consiliariis seducto, vel alitèr ad hoc Ecclesiæ jus impugnandum allecto, exemplum Eduardi Regis Angliæ sequi, eum quo alioquin discordias irreconciliabiles enutrivit (*c*), sed eum libentèr est imitatus in rebus ecclesiasticis occupandis (*d*). Incæperant Papæ beneficia quædam vacatura suæ dispositioni reservare per Regulas Cancellariæ, quarum primus Auctor censetur fuisse Joannes Papa XXII. (*e*), hocque habuit, vel initium, vel fomentum tàm à quibusdam, sperantibus obtinere à Papâ Ecclesias, quas sibi reservabat (*f*), quàm ab immenso numero clericorum, ad Romanam Curiam confluentium, & provisiones aliquas postulantium (*g*): quorum ad Clementem VI. *tanta confluxit multi-*

(c) *Forest & alii in Philip. VI. Gall. & Eduard. III. Angl. Reges*
(d) *Rayn. ann 1347. num. 44.*
(e) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. Discipl. p. 2. l. 3. c. 44. n. 2.*
(f) *Vid. Magnum Chron. Belgicum ann. 1322. f. 295.*
(g) *Thomassin. loc. cit. n. 4.*

tudo, qui ut pauperes beneficia impetrare voluerunt, ut numerus computatus esset ad centum millia clericorum (*a*). Pontifex ergo, ut cunctis posset prò viribus satisfacere, nullâ factâ diversitate nationum in Mandatis expediendis, & reservationibus beneficiorum decernendis, opus habuit suę facultatis Apostolicę potentiam ampliùs exercere. In Galliâ autem Philippus VI. Rex, primus ex dynastiâ Valesiorum, sub prætextù damniquod Regno inferebatur, per promotionem extraneorum ad beneficia Gallicana, verius tamen, ut dictum fuit, censum proprium adaucturus, edictum publicavit, quo cunctos clericos alienigenas à beneficiorum cōsecutione distenuit (*b*), & extraneis jam collata occupavit, eorum fructus sibi, & suis usibus applicando (*c*). Originem hæc res susceperat, prout diximus, à pravo exemplo Eduardi, tantundèm paulò antè facientis: quem sicut Pontifex annis præcedentibus increpuerat, & ut res in statu pristino reponeret, censuris comminatis urgere non intermiserat; ita & nunc suâ potestate uti, & totam Pontificalem exerere fortitudinem coactus est, adversùs Regem Gallum, talia, & tàm præjudicialia tentantem.

(a) *Magn. Chronic. Belgic. an. 1341. f. 309.*

(b) *Thomassin. loc. cit. p. 2. l. 1. c. 103. nu. 6. §. Philippum.*

(c) *Rayn ann. 1346. num. 39.*

3. Philippo ergò Valesio præfato Clemens hæc intèr cætera scripsit: *Fili dilectissimè, præmissa utiquè Divino, & humano juri contraria, claritati devotionis, qua tù, tuique progenitores præfulgere studuistis ergà Deum, & ipsam Ecclesiam habendùs congruere, proh dolor! non videntur. Et utinàm tui Consiliarii, qui te induxerunt ad ea, solerti diligentiâ maturiùs attendissent gravia pericula, quibus talia facientes, & in eis faciendis consilium, vel favorem præstantes, olim editi à sanctis Patribus Canones evidentèr involvunt: & nihilominùs considerassent attentè, si per Reges Franciæ progenitores tuos, talia, vel similia, in Divinæ Majestatis contumeliam redundantia, ullis unquàm temporibus adversùs eandem Ecclesiam, & libertatem ecclesiasticam adinventa fuerint, vel etiam attentata. Debuissent nàmque præfati Consiliarii, si rationis haberent apertos oculos, prospexisse, quod Romanus Pontifex, Pastor universalis Ecclesiæ Catholicæ, Christique in terris Vicarius, ad quem Ecclesiarum omnium plena noscitur dispositio pertinere, Prelatos, & personas ecclesiasticas, de quibuscumque mundi partibus, in quibus Catholicę fidei cultus viget, ad tè vocare potest, & illos, de quibus tibi videtur apud Sedem Apostolicam, secumque tenere, & nihilominùs ad partes diversas mundi destinare, proùt incumbentia negotia exigunt, & expedire cognoscit.* Indè quibusdam aliis interpositis subjungit.

4. *Et nihilominùs considerare apertiùs debuissent, quod bona Ecclesiarum ad ministrorum ipsarum, & Christi pauperum sustentationem, ac pios usus specialitèr deputata noscuntur, nec licet ea in usus converti alios &c. statutis Conciliorum generalium prohibentibus, ipsius Romani Pontificis licentiâ non obtentâ. Et quamquàm Ecclesiis, ac Prælatis, & personis ecclesiasticis, ut administrent jura, & bona ecclesiastica jure suo competat, ipsis tamèn eadem administratio per executionem literarum subtrahitur prædictarum &c. Prætereà tua quæsumus Serenitas Regalis attendat, & intrà secreta cordis diligenti meditatione revolvat, quod etiam præfati debebant Consiliarii (si salubritèr vellent in hac parte consulere) attendisse, cum quâ fiduciâ ipsa Ecclesia mater tua, cujus precibus, & suffragiis egere semper nosceris, & præsertìm his temporibus, quibus tibi procellosi guerrarum turbines imminent, proh dolor! & insurgunt; prò tè, tuique status prosperitate ad sponsum suum Dominum Nostrum Jesum Christum, à quo est omnis virtus, victoria, & fortitudo, qui per præmissa gravitèr offenditur, & vehementèr procùl dubiò irritatur, levare poterit manus suas &c.* (*d*). Attendat hic, quæso, lector benevolus, quàm vividè rejectio extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis, & occupatio fructuum præbendarum, quæ sunt ipsis extraneis contributę, Regi Galliarum à Clemente Papâ exprobantur, tamquam *Divino, & humano juri contraria*; in *Divinæ Majestatis contumeliam redundantia*; & *adversùs Ecclesiam, & libertatem ecclesiasticam adinventa*. Audiant ergò Contradictores, quàm longè ipsi à veri tramite absistant, cum collationem beneficiorum extraneis, prò facinore venditant, Divinæ, naturali, & humanæ legi contrario.

(d) *Clem. VI. tom. 5. epl. 1360. ap. Raynald. ann. 1346. n. 39.*

5. Nec

5. Nec contemnenda est declaratio, quâ Pontifex asseverat, ad se, velut ad Christi Vicarium, & Ecclesiæ Universalis Pastorem, libertas attinet, clericos undecùmque evocandi; quibus ecclesiastica beneficia valet ubilibet impertiri. Ad ipsum enim plenaria omnium beneficiorum potestas pertinet, cujus participes reddens tùm ordinarios, tùm delegatos beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores; in ipsâ facultate Pontificis hi subintrant: & sic quod Ecclesia libertate fruatur beneficia ecclesiastica conferendi, tùm clericis extraneis, tùm indigenis, non est opinio nova, sed sententia jàm ferè à quadringentis annis solemnitèr definita, à Pontifice, non Italo, non Romano, non rerum ignaro, non circumvento, sed à Pontifice natione Gallo, in Galliâ progenito, & inibi degente, ac supèr hoc cum Rege potentissimo Galliarum contendente. Qui Rex tandèm, rebus ritè perpensis, & veritati cessit, & edictum, à sè super hoc jàm primitùs promulgatum, modestissimè revocavit: quâ de rè Clemens Reginę Philippi uxori, literas gratulatorias dedit, eique gratias reddidit, prò suâ ope, ad complendam eandem revocationem solertiùs interpositâ (*a*).

(a) *Thomassin. loc. cit. c. 103. n. 6.*

6. Hunc finem habuit controversia intèr Philippum Valesium, & Clementem VI. excitata. Nimirùm Ecclesia de suis oppugnatoribus triumphavit. In propatulo positum est, quod usque ad illam ætatem, nec Rex, nec Regnum Gallicanum, ullum jus, vel privilegium habuerat, excludendi clericos extraneos ab ecclesiasticis beneficiis: illudque si nunc possidet, oportet, quod post hæc tempora fuerit assecutum. Publicè quoquè improbata est eorundem extraneorum exclusio; tamquam Divino, & humano juri contraria, & adversùs libertatem ecclesiasticam adinventa. Demùm libertas Ecclesiæ in suo primævo statu est relicta: Et in Galliâ continuatum est, ut anteà, conferre sacras præbendas, & beneficia ecclesiastica, tàm altioris, quàm inferioris ordinis, etiam clericis extraneis, prout cunctis Gallicarum rerum peritis potest optimè innotescere. Consulat qui vult Historicos, ac prę-sertim Samartanos (*b*), & inveniet, tàm ante, quàm post hoc sæculum decimumquartum, collata in Galliis ecclesiastica beneficia promiscuè viris extraneis, & indigenis: nempè sæpiùs indigenis: sed toties etiam extraneis, ut constet, contentionem præfatam nihil prævaluisse, ad extraneos à beneficiis ecclesiasticis repellendos.

(b) *Vide Samartan. Gallia Christianam.*

7. Ast quia contentio, clericorum extraneorum exclusiva, præfati sæculi temporibus excitata, originem habuit à politicis motivis; velut herba pestifera, virus suum citò diffudit: & non secus ac fabulosa Hydra Antiquorum, vix in uno capite excisa, statim è trunco diriora capita transmittebat; Hinc factum est, ut percussa; in *Angliâ*, & in *Galliis* compressa eruperit in *Hispaniâ*. Eodem quippè *Clemente VI.* in D. Petri Cathedram residente, *Alphonsus XI. Castellæ Rex*, acceperat, ut innuimus, ex Angliâ literas, quibus Eduardus Rex Anglus classicum personabat, prò repellendo clericos extraneos ab ecclesiasticis beneficiis (*c*). Alphonsus tamen tunc illas non attendit: vel quia exitum contentionis intèr Papam, & Anglum prius duxerit expectandum, vel quia monitus à Pontifice, nè talibus novitatibus se misceret, bonum existimaverit, nihil interim innovare (*d*). Verùm statìm ac audivit, quod Papa Episcopatum Cauriensem, provinciæ Compostellanæ, Episcopo contulerat non Hispano; infremuit, & literas querimoniæ plenas Clementi Pontifici delegavit. Clemens verò hisce dulcibus, & sensatis monitis, Regem reddidit, & justitiæ, & veritatis, ut oportebat, instructum.

(c) *Raynald. an. 1344 num. 54.*

(d) *Raynald. loc. cit.*

8. *Dùm tuam*, inquit, *progenitorumque tuorum devotionis, & fidei puritatem, quæ ergà Deum, & Romanam Ecclesiam claruistis, diligentèr attendimus, dumque speramus, quod tu in hac devotionis, & fidei puritate persistens, illam non solum continuare debeas, sed augere; miramur quomodò sic tuam per aliquos circumveniri prudentiam passus fueris, sicque illorum, quærentium Sanctuarium Domini hæreditariò possidere, inordinatæ condescenderis voluntati, ut ipsius Romanæ Ecclesiæ matris tuæ ordinationem providam circà provisionem ejusdem Cauriensis Ecclesiæ molestè tuleris, eam tantâ maturitate digestam, levibus aliquorum allegationibus, quas* non

non rationum efficacia roborat, sed noxii potiùs appetitus confusat affectio, impugnant. Nunquid, fili charissime, Apostoli Domini, quorum doctrinâ fulget Ecclesia, & Christiana fides incrementa suscepit, imò in quibus jacta sunt fidei fundamenta, & quorum sunt Episcopi successores, extrà proprias nati mes, & gentes, provincias alias, atque Regna, in sortem prædicationis, disponente Domino non susceperunt? Nunquid B. Jacobus, per quem Hispaniis Evangelicæ veritatis lumen resplenduit, & sacri Baptismatis innotuit Sacramentum, in Hispaniis ortus est?

9. *Quid igitur mirum, si Romanus Pontifex, ad exequendum ministerium servitutis injunctæ; illius, cujus vices gerit in terris, & apud quem non est Judæi, Græcique distinctio, neque acceptio personarum, instructus exemplo, personas idoneas eligit, & quamquàm alienas, vacantium Ecclesiarum regimini præficit, deputatque Pastores ad Dominici Gregis curam? Cæterum si intèr Prælatos extraneos in Ecclesiis dictorum Regnorum tuorum, ex Apostolicæ Sedis auctoritate promotos, unus minùs forsan aliquibus placuit, hoc illi tua puritas ad vitium, quæsumus, non adscribat, sed Subditis suis, qui phreneticorum more languentium, medelam, & medicinam respuerunt, imputet potiùs ad delictum, cum ipse idem, si attentè mores ejus, & vitam inspicias, & in librâ rectæ considerationis appendas, occurret tibi clarus meritis, atque virtutibus, ac scientiâ, doctrinâque prælucidus, velùt quoddam luminare magnum in Dei Ecclesiâ coruscasse. Quapropter, fili charissime, sincerum ergà te Matris Ecclesiæ zelum, & amorem considerans, & attendens, molestum non habeas, si vacantibus Ecclesiis Regnorum tuorum prædictorum interdùm Apostolica Sedes præficit aliquas personas idoneas &c.* (*a*). Ità Clemens in fortitudine constitit, quâ jàm ante quadriennum Alphonsum commoverat, ne quidquam in repellendis extraneis innovaret: resque tantâ dexteritate ducta est, ut tandem Rex, & rationibus captus, & minis territus, & precibus emollitus, Ecclesiam in suâ libertate reliquerit.

(a) *Clem. 6 an 7 epl. 335. Reynald. an. 1348. nu. 14.*

10. Non sit grave tamèn lectori hic opportunè ad causam notare: *Primò*, quod collatio beneficiorum, ad solos indigenas restricta, reputatur pro *hæreditariâ possessione Sanctuarii Dei*, in Sacris Literis reprobatâ (*b*). *Secundò*, quod in distributione beneficiorum, facta à Papâ Vicario Christi, (& idem dic de habentibus ordinariam, vel delegatam consimilem facultatem) non debet esse differentia intèr extraneos, & indigenas, quemadmodùm apud Deum *non est Græci, nequè Judæi distinctio* (*c*). *Tertiò*, quod non efficacibus rationibus, sed levibus allegationibus innititur exclusio extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis. *Quartò*, quod etiam Apostoli Episcopatum in variis orbis provinciis tenuerunt, à quibus erant extranei, & S. Jacobus in Hispaniâ, ubi ortum secundùm carnem non duxerat, Episcopale beneficium est nactus. Ex totâ demùm serie historici hujusce successus apprimè comprobatur, liberè, & licitè posse beneficia ecclesiastica, nedùm Clericis indigenis, sed etiam extraneis dispensari, nec exteros tùnc tantùm esse ad illa provehendos, cum casus necessitatis instat, vel tantę utilitatis, quæ æquivaleat urgentiæ introductionis fidei in aliquo loco, uti pro opportunitate suæ causæ dictitant Contradictores; sed totiès, & quotiès, tàm Papa, quam Episcopi, & alii omnes, tùm ordinarii, tùm delegati beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, pensatis rerum, personarum, ac temporum circumstantiis, prudentèr judicant expedire, Deique, & Ecclesiæ ejus meliori servitio conferre, quod beneficium hoc, vel illud, potiùs Clerico extraneo, quam indigenæ conferatur.

(b) *Psalm. 82. 13.*

(c) *Roman. cap. 10. nu. 12.*

11. Porrò exitum contentionis intèr Clementem VI. Alphonsum XI. non invenimus. Sed certè ex his, quæ toto præsenti capitulo suggeremus, patet illam fuisse libertati Ecclesiæ faustissimam: perperamque comminiscuntur Contradictores, epistolam Pontificis effectu congruo carvisse, cum potiùs ex opposito, quià Episcopus Caurienfis in suæ Ecclesiæ possessione prævaluit: ac Rex biennio antequam moreretur, jura Ecclesiæ Compostellanæ, à se occupata (*d*), & bona vetera Templariorum, ad regalem gazam attracta, restitui mandavit (*e*); omninò debeat

(d) *Raynal. an. 1352. nu. 16.*

(e) *Bosius Histor. Hospital. Hierosol. l. 2.*

beat pro certo haberi, intactam quoque libertatem Ecclesiæ voluisse, & eam si non redactam ad statum pristinum reliquit, ut ad illum tamèn redigeretur quam primùm, seriò præcepisse. Maximè cum ipsum Regem Alphonsum magnificis hisce elogiis affecerit Clemens, in epistolâ, quam ad Mariam Reginam ejus conjugem delegavit. *Non miramur, charissima filia, si claræ memoriæ Alphonsi Regis Castellę, ac Legionis viri tui, de hac luce transitus prematurus, tuum consternavit animum, turbavit mentem, & viscera queque merore conspersit, cum & nos quoquè in subtractione tanti, & tàm clari filii, tàmque utilis Athletæ fidei Christianæ, quantùm licuit, supernę Majestatis voluntate servatâ, doluerimus vehementèr. Quis enim fidei zelator ipsius in ejusdem Principis casu non doleat? Quis in illius occubitu non tristetur? Quis oculos compescet à lachrymis? Quis à merore poterit continere? Ipse namque infaticabilis pugil fidei memoratę pro illius exaltatione ab annis teneris, adversùs hostes ejus, & ęmulos, tàm strenuè, quam utilitèr dimicavit: ipse de inimicis ejus conculcatis, & domitis, triumphum nobilem in Dei virtute reportans, dùm ad eorum exterminium accinctus robore virtutis, & animi sollicitè laboraret &c., avarę mortis severo judicio, quod nulla prorsùs appellatione suspenditur, parere compulsus est &c.* (*a*).

12. Et post multa, commonet Reginam, ut Petrum Regis filium, & Regni hæredem, salutaribus monitis exhortetur, quod *Ecceşias, & personas ecclesiasticas honoribus ampliet, favoribus prosequatur, & earum custodiat libertates* (*b*). Biennio post Clemens Petrum Regem præfatum commonuit, ut Ecclesiæ jura integra restitueret, quemadmodùm ab ejus Patre fuerat imperatum (*c*). Quis autèm credat, quod Clemens Alphonsi memoriam esset tàm amplis laudibus prosecutus, & quod à Mariâ Reginâ, necnon à Petro Rege exegisset restitutionem libertatis Ecclesiæ, ut à Rege demandatam, in concedendis ecclesiasticis beneficiis, si tantam captivatatem dissolvi Alphonsus moriens non jussisset? Opinionem hanc omninò confirmat temporum observantia. Nàm cum post obitum Alphonsi, sub cæteris Regibus, videlicèt sub Petro Crudeli, sub Henrico II. Joanne I. & Henrico III. de quo infrà redibit sermo, continuaverint beneficia ecclesiastica unà cum indigenis, etiam extraneis concedi; convincitur, quod Alphonsus, post tentatam Episcopi Cauriensis exclusionem, & aliorum, si quos fortè tunc à præbendis ecclesiasticis repulit; tandem, & veritati detulit, & justitiæ cessit, & monitis Pontificiis acquievit, & libertatem demùm Ecclesię in suo primævo esse reliquit, vel saltèm, ut restitueretur moriens imperavit. Igitùr ex contentione, subortâ primò intèr Clementem Papam VI. & Eduardum III. Regem Angliæ, atque Philippum VI. Regem Galliæ: deindè intèr eundem Pontificem, & Alphonsum XI. Castellæ Regem, plusquàm discussâ causâ, enitescit, Ecclesiam plenariâ libertate potiri, admittendi extraneos ad beneficia, & horum exclusionem non solidis rationibus, sed levibus allegationibus inniti; esseque divino, & humano juri contrariam, in Divinæ Majestatis contumeliam redundare, atque adversùs libertatem ecclesiasticam esse inventam. Quid clariùs pro damnandâ exclusione Clericorum extraneornm, & pro Ecclesiæ libertate, de quâ loquimur, semper magis inconcussè firmanda?

(a) *Raynal. an.* 1350. *nu.* 42.

(b) *Raynal. an.* 1350. *nu.* 42.

(c) *Idem an.* 1351. *nu.* 16.

13. Compressa hęc contentio iterum erupit, tempore Bonifacii Papę IX. qui anno Christi 1391. Franciscum Burdegalensem, & Joannem Aquensem Archiepiscopos Legatos misit ad *Henricum III.* cognomine Valetudinarium, *Regem Castellæ*, ut eum cum Ecclesiâ reconciliarent, & rehabilitarent ad Regnum. Henricus enim sententiâ excommunicationis, & privationis Regiæ dignitatis involutus erat, quâ Urbanus Papa VI. illum percusserat, ob veneratum Antipapam (*d*). Terrorèque simùl correptus erat ipse Rex, ob infelicem mortem *Joannis* ejus Patris, pręcipiti lapsu ex ęquo subitò extincti (*e*). Joannis inquam Regis Castellę, Principis alioquin probi, & religiosi, qui intèr cętera suę pietatis documenta, Æram Cęsaris ex Hispaniâ sustulerat, & Æram Christi introduxerat, à primâ per 38. annos

(d) *Raynal. an.* 1391. *nu.* 1.

(e) *Marian. l.* 18 *c.* 13

nos

nos distantem: & hoc etiam sanxerat, ut sivè Rex, sivè Infans ejus filius, Sanctissimum Sacramentum obvium haberet; ad terram illico desiliret, ac Sacerdotem illud deferentem, usque ad Ecclesiam humilitèr associaret (*a*). Quam tamèn pietatem duobus diris excessibus maculaverat. Nàm & thesauros Ecclesię Matris Dei Guadalupidiripuerat, atque in pecuniam conflaverat, ut eam militibus erogaret, adversùs Lusitanos pugnantibus (*b*). Et solemni decreto Urbanum Papam ejuraverat, ut Antipapæ obtemperaret (*c*). Cui tamèn incolæ Regnorum Castellæ abnuerunt deferre (*d*), proptèr quod Urbanus illum diris devoverat, Regno privaverat, ac subditos ipsius à juramento fidelitatis, eidem præstito absolverat (*e*): undè ipsi mala multa protinùs acciderunt, & præsertìm à Regno Lusitaniæ ad se pertinente rejectio (*f*), ac tandem mors infelicissima, quam cum aliis infortuniis, vox populi, vox Dei ut plurimum reputata, Schismati à Rege foto, communitèr censuit adscribendam (*g*).

14. His, inquam, territus Henricus III. ejus filius, illiusque Magnates, de abjurando Schismate pertractantes, præfatos Archiepiscopos, Legatos Sedis Apostolicæ susceperunt. Quorum tamèn officia, sivè parum, sivè in nihilo profecerunt, ob discordiam ipsorum Magnatum, ac præpotentiam eorum, qui se in Schismate confovebant (*h*). Henricus Rex tamèn ab obedientiâ Antipapæ Petri de Lunâ, qui Roberto Gebennensi in Cathedrâ pestilentiæ successerat, se disjunxit: sed Bonifacio Papæ IX. qui Urbano Papæ VI. in legitimo Pontificatu fuerat subrogatus, non adhæsit: Hęsitans veluti, ac neutralis aliquandiù consistens, donèc Regio edicto, se ab utriusque, de Pontificatu contendentis, obedientiâ subduxit, seipsumque tamquam Acephalum declaravit (*i*). Tunc Bonifacius sententiam, ab Urbano contrà Joannem latam, Henricum quoque filium afficere, pronuntiavit (*l*). Quæ dùm à suo exordio usque ad finem succederent, interim anno 1393. Henricus Rex in Comitiis Regni Castellæ, decrevit, Clericos extraneos esse à beneficiis, in suâ ditione positis, repellendos, & proventus eorum, quæ jàm fuerant extraneis distributa, esse Regiâ auctoritate occupandos (*m*). Initialem autèm causam hujusmodi sanctioni dederunt Antipapæ, quorum primus Robertus Gebennensis (qui sub nomine Clementis VII. pro Pontifice se gerebat, adversùs Urbanum VI. verum Papam) cornua attollens, ut sequaces sibi conscisceret, beneficia ecclesiastica, tùm in Castellæ Regnis, tùm in aliis Christianitatis Regionibus, quotquot poterat Clericis se venerantibus, conferebat: cui obstitit Joannes Rex Castellæ, & ne beneficia, in suâ ditione posita, viris extraneis conferrentur, invicto animo repugnavit (*n*). Conticuit proindè Robertus, & à beneficiis præfatis, Clericis extraneis inposterùm conferendis, abstinuit.

15. Rege autèm Joanne, ut innuimus, prædefuncto, Robertus idem aggressus est iterùm, quod anteà fecerat, exercere. Sed & ipso Roberto tandèm ad inferos delapso anno 1394., Petrus de Lunâ, ejusdem in Pseudopontificatu successor, idipsum adimplere fategit. Rex itàque Henricus III. & cum eo Comitia Regni Castellæ, tùm Roberto, tum Petro præfatis, nè beneficia extraneis largirentur, in brachio forti obstiterunt. In præfato autèm edicto Rex, & Comitia ipsa, pro rè certissimâ posuerunt intèr cętera, quod in Castellæ Regno, semper extraneis fuit aditus ad beneficia consequenda præclusus (*o*): cum rè verâ tamèn id non subsistere dignoscatur: quippè Martinus Papa V., qui multis annis fuit hâc ętate posterior, in literis ad Uladislaum Poloniæ Regem, hęc constantissimè profitetur: *supplicant sæpè Reges, & Principes, & nos eis interdùm complacemus &c. Interdùm etiam alitèr disponimus &c. Nupèr siquidèm quinque provisiones in Regno Angliæ fecimus, alio modo, quam ipse Rex scripserat &c. Hoc similitèr fecimus alias in Regno Castellæ, & novitèr in Regno Franciæ in duabus Ecclesiis, fueruntque provisiones nostrę reverentèr, ut dignum erat, à Regibus acceptatæ* (*p*). Quomodò autèm consuetudo in Castellæ Regno tempore Henrici III. vigebat extraneos à beneficiis expellens, si dudùm post illam ętatem, Pontifex liberè beneficia Episcopalia

(a) *Forest. in Joan. I. Reg. Hispan. fol. 109.*

(b) *Raynal. an. 1385. nu. 11.*

(c) *Joan. Mariana Histor. Hispan. lib. 18. cap. 4. &c.*

(d) *Raynal. an. 1382. nu. 33.*

(e) *Idem an. 1382. nu. 2.*

(f) *Jo. Marian. l. 17. c. 7.*

(g) *Idem l. 13. c. 18. Raynald. an. 1390. nu. 20.*

(h) *Joan. à Marian. l. 18. c. 15.*

(i) *Raynald. an. 1398. nu. 25.*

(l) *Idem loc. cit. nu. 27.*

(m) *Marian. l. 19. c. 1.*

(n) *Auctor. lib. de rè benef. f. 280. & f. 325. ad 329.*

(o) *Edict. Henric. III. ap. Perez l. 1. ordin. tit. 3. l. 18.*

(p) *Raynald. an. 1429 nu. 13.*

scopalia

scopalia etiàm Clericis extraneis pro suo libito largiebatur? Additur in eodem edicto Henrici, hanc exclusionem fundari in regulis Patrum (a). Per quas regulas Patrum, si intelligantur canones, & Patres Ecclesię, pręscribentes, ut cęteris paribus, & in ęqualitate meritorum, ac ecclesiasticę opportunitatis, indigenę extraneis pręferendi sint, optimè locutum est edictum. Si verò de positivâ extraneorum rejectione in eo sit sermo; certè & Canonibus, & Patribus, per nos hucusque uberrimè recensitis, patet ipsos extraneos, nedùm non repelli, sed imò potiùs ad beneficia indifferentèr admitti.

(a) *Apud Perez. loc. cit.*

16. Causam, inquam, pręallegato edicto Regis, & Comitiorum Castellę dederant Robertus Gebennensis, & successivè Petrus de Lunâ, quos neque Rex, neque Gens Castellana, pro veris Pontificibus agnoscebant: sed eos pro spuriis reputabant, obedientiâ ipsis rationabilitèr denegatâ. Et cum Petrus nedum, non ab incepto desisteret, prout fecerat Robertus, sed etiam beneficia, tùm jàm vacantia extraneis largiretur, tùm nondùm viduata viris sibi lenocinantibus, & advenis impertiret, profundendo potiùs, quàm distribuendo prębendas, & ut desisteret monitus, adhùc pertinacitèr in eorundem beneficiorum dissipatione procederet; optimè Rex, & Comitia utrique Pseudopapę obstitere. Verùm statim, ac Bonifacius Papa IX. verus, & legitimus Pontifex, & in Sede Apostolicâ Romę residens, ob generalia verba pręfati decreti, seu edicti, à Rege, & Comitiis editi, intellexit lędi suę dignitatis Apostolicæ jura; eorum Defensor, & Zelator protinùs insurrexit, & quâ pollicitationibus, quâ officiis, quâ minis, apud Regem Henricum interpositis; tandèm obtinuit, ut pręfato decreto, seu edicto prorsùs casſato, Pontificalis Apicis auctoritas nullum indè reciperet detrimentum (b). Et licèt Rex, atque Comitia, de certitudine Pontificatus Bonifacii adhùc viderentur ambigere; in eo tamèn, apud Romanam Ecclesiam personalitèr residente, voluerunt intacta remanere jura ipsius Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ, quam sciebant controversâ libertate potiri: nequè hanc posse præfatæ Sedi detrahi, quin tota in eâ vulneraretur Ecclesia.

(b) *Marian. Hist. Hispan. l. 19. c. 1.*

17. Hac historicâ serie, ad quam componendam concurrerunt, & Papæ, & Antipapæ, & Reges, & Proceres Regni, & Comitia generalia totius Castellæ, ac Legionis, nil clariùs adduci potest, ad comprobandam libertatem Ecclesiæ, sivè Papæ, & Episcoporum, aliorumque, qui tùm ordinariâ, tùm delegatâ facultate beneficia conferunt, vel ad ea præsentant, ut prò suo libito, ipsa valeant non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis impertiri. Nihilominùs, ad hujus historicæ rationis vim ludificandam potiùs, quàm enervandam, opponunt Contradictores juvenilem Regis ætatem, laguidam vitam, versatilem animum, & ejus in propositis incostantiam, ab adstantibus sibi Proceribus circumventam, qui beneficia ecclesiastica à Pontifice consequi satagentes, facilem Regem à deliberatione susceptâ flexère, & ut edictum sivè decretum præmemoratum abrogaretur egère. Ast nos ad hæc audita ridemus. Et *primò* negamus suppositum, nempè quòd Rex Henricus, & Comitia Regni eorum decreto excluserint potestatem veri Pontificis in conferendo beneficia viris extraneis: patet enim fuisse factum edictum vigente adhuc schismate, & dùm dè Papæ certitudine non constabat, vel saltèm non constare penitùs censebatur. Præterea fuit factum, & respectivè sustentatum, ut ostendimus, ad refrænandam temeritatem Roberti Gebennensis, & Petri de Lunâ, Antipontificum, Schismaticorum, & non habentium, sed usurpantium sibi Summi Pontificis dignitatem, eâque abutentium ad beneficia ecclesiastica, non distribuenda, sed pessundanda. Quidquid sit autèm dè hoc decreto, seu edicto, adversùs Pseudopontifices promulgato, & sustentato, nihil ad nos, qui libertatem Ecclesię, nempè veri Pontificis, & legitimorum Episcoporum, atque aliorum, dę quibus suprà, non autèm Antipontificum, & Pseudoprincipum, ac aliorum Schismaticorum, defendimus.

18. *Secundariò* negamus aliud suppositum, nempè quod Henricus Rex Castellæ

læ vir vecors fuerit, lubricæ facilitatis, inconstantis animi, ac talis, qui, ut ait Apostolus, *circumferretur omni vento doctrinæ* (*a*). Historiæ quippè illorum temporum, eum quidèm prò valetudinario describunt: sed tali animi audaciâ, & fortitudine præditum fuisse dicunt, ut nulli viro impavido cederet, ac imò potiùs quemlibet generosum Principem, vel superaret, vel citrà dubium æquaret. Valeat id, quod sequitur factum prò multis. Innotuit ei, & gazas, & reditus Coronę malè à Magnatibus ministrari: eos ergò quâdam die in Aulâ Regiâ tacitus convocavit, & objurgatos de malâ rerum publicarum administratione, torvo intuitu terrefecit: tùm gladio evaginato, fecit eos à militibus circumcingi, pœnas eisdem interminans, & supplicia, increpationem illam non multò post secutura. Consusi ad hæc Proceres in genuâ proruerunt, ac emendationem spondentes, veniam pariter, atque vitam humillimè postularunt (*b*). Hic ne est Rex imbellis, vir vecors, & animi pueriles? Et quis Princeps unquàm adversùs Optimates sui Regni ausus est fortiora tentare? De magno Imperatore, simulque Hispaniarum Rege, Carolo Quinto, potentissimo, ac strenuissimo Principe, nobis quondam legisse videtur, quod aliquandò cernens unum ex Magnatibus Hispaniæ (qui si nos memoria non prodit, fuit Dux dell'Infantado) alteri Magnati alapam, sivè alium ictum, penè sub ejus oculis impingentem; aliorsùm vultum convertit, dissimulans, sè illatam contumeliam advertisse, nè congruâ ultione in delinquentem animadvertere teneretur: tantâ dissimulatione utendum esse censuit, potiùs quàm unum Hispaniæ Magnatem, etiam justitiâ deposcente, percutere. Et Rex Henricus, qui non unum, sed multos, ac præclariores Proceres sui Regni, & increpuit, & nudato ferro concussit, & militum circumfusione distenuit; vir vecors fuit, imbellis, & puerilis animi Princeps? Hic fuit Rex meticulosus, et à seductoribus hàc illàc, prò eorum libito circumductus? Consideret benignus Lector, & judicet.

(a) *Ephes. cap. 4. n. 14.*

(b) *Vide Forese Mappam. Hor. in Henr. III. Reg. Hispan. f. 312.*

19. At ità sit, uti volunt Contradictores: fuerit Henricus Rex vir languidus, & versatilis, atque ad suggesta quæque flexibilis. Verùm, nec ille solus decretum edidit, nec ille solus rescidit: sed utrobique cum eo Regni Comitia consensere. Si ergò Rex fuit circumventus, oportet quoquè, quòd & Comitia cum eo fuerint circumventa. Quis autem id credet? Demùm sivè Rex solus, sivè cum eo Comitia edictum, aut decretum præmemoratum abrogaverit; dicant, quæso, Contradictores, cur Rex (& idem sensus sit de Comitiis), cur, inquam, nimiæ facilitatis coarguendus est Rex, quandò edictum, seù decretum abrogavit, & non quandò illud emisit? Cur prò circumvento ab Aulicis reputandus est Rex, cum legem impiam delevit, & non quando illam procudit? Itanè tùnc Aula Regis Hispaniæ erat viris optimis denudata, ut solis seductoribus abundaret? Nullus ex tot Magnatibus: nullus ex tot Doctoribus; ex tot Optimatibus nullus: nullus tandèm ex tot Ducibus, Principibus, Marchionibus, & Comitibus, quot vel Aulæ Regiæ deserviebant, vel Consilium status magnæ illius Dynastię componebant; nullus inquam, Regem commonuit de circumventione, de dolo, de angue latente sub herbis, seù sub verbis, suadentibus abolitionem decreti pluries nominati? Proceres Regni, qui paulò antè retinuerant Henricum à Schismate dimittendo (*c*), non valuerunt illum avertere à decreto abrogando? Credat hoc, qui potest; Nàm nos hæ næniæ non captivant; nec aliis censemus hæc ipsâ posse suggeri, ut credantur; quippè totâ facti series, nimirùm elato sonitu, in contrarium prò veritate conclamat.

(c) *Raynald. an. 1361 nu. 4.*

20. Rursùs quis credat Aulicos, & Proceres Regni Castellæ, ad facilitandam sibi consecutionem beneficiorum, optasse illa potiùs à Romano Pontifice distante, & Schismatis vexationibus fatigato, quam ea, vel ab Episcopis Regni, præsentibus, vel operâ Regis itidem præsentis, acquirere? Quis credat eosdem voluisse, quod beneficia suæ Nationis à Pontifice, ab Episcopis, atque Rege, possent viris extraneis dispensari, & respectivè conferri; potius quàm ut omnia solis indigenis traderentur? Demùm quis credat, ipsismet Aulicis, & Proceribus opus fuisse favore Pontificio ad beneficia ecclesiastica consequenda, si tantæ erant auctoritatis, ut Regem suis

suis artibus circumducerent, & quaquà vellent inflecterent? Nonnè potuissent Regiæ potestatis præsidio, tot quot voluissent beneficia sacra adipisci, solis indigenis, ut supponitur conferenda? Hæc nimiùm clara sunt, neque glossam Contradictorum admittunt. Non ætas lubrica Regis, vel ejus habitudo valetudinaria, non fraus Magnatum, non circumventio Aulicorum, Henricum induxerunt ad abolendum decretum, Clericos extraneos à beneficiis adipiscendis repellens, sed veritas, & justitia, & reverentia Ecclesiæ debita, ut Papa, & Episcopi, ac cęteri beneficiorum Collatores, vel ad ea Nominatores, possent dè ipsis beneficiis prò suo velle disponere, nec arctarentur ad illa prò ratione originis, sed prò ratione meritorum, & prò Ecclesiarum commodo, dispensare; Nec quidquam innovaretur supèr hoc, sed religiosa antiquitas servaretur, quæ in toto Castellæ, & Legionis Regno usquè tùnc Ecclesiam in suâ nativâ libertate reliquerat, beneficia ecclesiastica, non modò Clericis indigenis, verum etiam extraneis elargiendi.

21. Comprobatur hoc totum ex observantiâ subsequenti: siquidèm per octoginta, & ampliùs annos, post hęc tempora defluentes, sub præfatis Henrico III., Joanne II. & Henrico IV. Regibus Castellanis, continuata est collatio beneficiorum, illorum ditionis, tùm viris extraneis, tùm indigenis prò libito largitorum: à quâ etiam non est cessatum tùnc, cum Henricus IV. Rex Castellæ, novo edito mandato, à beneficiis in suo Regno positis, cunctos extraneos ablegavit, allegans prò ratione talis sanctionis, non præscriptionem, non immemorabilem usum sui Regni, sed generalem consuetudinem omnium Regnorum, quæ tamèn rè verâ non erat, uti mox ostendimus ex literis Martini Papę V. ad Uladislaum Poloniæ Regem (a). Et sicùbi hujusmodi consuetudo viguisset, nonnisi à privilegio Apostolico profluxisset: quod verbis impropriis significavit ipse Rex, dùm dixit, eandem consuetudinem esse à Summis Pontificibus toleratam, atque laudatam. Porrò Ordinamentum quoquè pręfatum Henrici IV. suo est frustratum prorsùs effectu, donèc res alitèr est mutata. Nàm quoad beneficia, in Regno, & Dominiis, ad Coronam Castellanam pertinentibus, quibus Henricus ipse Rex præerat, constituta: narrat Joannes Mariana, quod Sixtus Papa IV. peculiari privilegio indulsit, *Henrico Regi, nè exteri homines ampliùs in Castellà sacerdotià expectarent, de quo lis tandiù fuerat cum Romanis* (b). Si ergò Henricus III. non obstante præcedente suo, & suorum Comitiorum decreto, libertatem Ecclesiæ in conferendo ecclesiastica beneficia tùm Clericis extraneis, tùm indigenis, voluit esse illibatam; Et quidquid ipse Rex, decretum abrogando, sancivit, per subsequentis temporis decursum est affatim observatum; nec Ordinamentum Henrici IV. habuit effectum, nisi postquàm Sixtus Papa IV. exclusionem extraneorum Apostolicâ aùctoritate decrevit; jàm palmaritèr patet, quòd, pręciso privilegio Apostolico, Clerici extranei non sunt à beneficiis ecclesiasticis repellendi.

(a) *Raynald. an. 1429 num. 13.*

(b) *Joan. Marian. hist. Hispan. l. 24. c. 16.*

22. Nec meretur responsionem cavillosâ illa glossatio Contradictorum dicentium, Sixtum Papam IV. non contulisse privilegium, nec quid novum Castellanis dedisse, cum eos pręfato privilegio insignivit, sed tantummodò bonam fidem agnovisse, juris, quo illa gens erat prædita, ut beneficia solis suis incolis conferrentur; Quod non fecisset Pontifex, si beneficia concedere solis indigenis, esset jure hęreditario Sanctuarium Dei possidere. Insulta glossatio, frigidum commentum, delira suggestio! Ecquis etenim unquàm somniavit, quod Indultorum largitio sit bonę fidei agnitio? Ergonè cum Papa, cum Imperator, cum Reges, & Principes, privilegium aliquod sivè Urbibus, sivè Provinciis, sivè familiæ, sivè alicui viro, elargiuntur; agnoscunt bonam fidem Indultarii, & non illi novam, novissimam, & plusquam novitèr excitatam gratiam impertiuntur? Cæterùm coarctatio largitionis beneficiorum ad solos indigenas, quoties aùctoritate Apostolicâ demandatur, non est possessio Sanctuarii Dei jure hæreditario, sed est canonica sanctio, ità disposita, proptèr multiplices rationes alibi in hâc nostrâ lucubratione propositas, quas hoc loco, *quoniam ad alia properamus, non putamus iterandas* (c). Si ergò

(c) *S. Ambros. l. 4. in c. 2. Lucæ prop. finem.*

Sixtus Papa IV. Indultum concessit, ut supponitur à Marianâ Henrico IV. Regi, seù ejus Regno Castellano, ne beneficia illius ditionis aliis, quàm indigenis conferrentur; non recognovit bonam fidem juris, quo præfati Rex, aut Regnum supèr hoc præventivè pollerent, cum nunquàm illud habuerint, nec illo legitimè usi sint; sed novum jus illis contulit; in illis è nihilo, & ex integro, jus novissimum excitavit, restringens largitionem beneficiorum ad solos indigenas, cum anteà etiàm ad extraneos extenderetur. Novum, inquam, illis contulit jus, novam gratiam, novum indultum, & tale, quòd anteà non habebant; qui si illud habuissent, eodem usi fuissent, nec supereo aliud privilegium Apostolicum postulassent.

23. Audiatur Emanuel Gonzalez: *Quià exteri, & alienigenæ, dispensante Episcopo, idest doctrinam, & mores eorum approbante, ad dignitates, & beneficia ecclesiastica admittebantur, ut liquet ex canonibus 71. dist. Cum tantum ex honestate, & congruentiâ prohibitum esset peregrinos, & extraneos in beneficiis ecclesiasticis indigenis oriundis præferri; ideò singulæ nationes curaverunt speciali lege sibi cavere, & à Sede Apostolicâ privilegium impetrare, ut tantùm Oriundi ex eâ natione, ad beneficia ecclesiastica admitterentur. Primò in Hispaniâ nostrâ Henricus IV. Castellæ Rex, jam expulsis Saracenis à majori ejus ditionis parte, Sixto IV. Pontifici proposuit, ut tantùm Naturales, Originariique possint in Regnis ad beneficia ecclesiastica admitti: cui petitioni Romanus Pontifex annuens, & antiquorum vestigiis inhærens, constituit nè in Regnis Castellæ, exteri, alienigenæque, sed tantùm Regnicolæ in beneficiis ecclesiasticis instituerentur, ut constat ex lib. 18. & 19. tit. 3. Ord. lib. 14. tit. 3. lib. 1. Recopil. Referunt Mariana lib. 14. de rebus Hispan. c. 16. &c.* (*a*). Non ergò Sixtus bonam fidem Regis, & Regni Castellani, supèr hoc negotio recognovit, si privilegium, quod asserunt Mariana, & Gonzalez, eis indulsit, sed novam concessionem, novum jus, rationem novitèr excitatam eis indulsit. Nèc res alitèr esse potuit: Nàm recognitio bonæ fidei supponit jus præexistens: hoc autèm suppositum jus, exclusivum extraneorum, vel erat ex lege Regiâ, vel ex alio privilegio Apostolico. Si ex privilegio Apostolico, recurrit ratio prætaxata; & si hoc precedens privilegium à parte rei est, quod nos non vidimus; sivè fuerit ab uno, sivè ab alio Papâ concessum, parùm refert, dummodò sit Apostolicum privilegium. Si ex lege Regiâ, negatur suppositum, quòd ullus Rex legem edere potuerit, exclusivam extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis.

(a) Eman. Gonzal. in cap. ex nobis de Cler. peregr.

24. Non est nostra hæc doctrina, sed Joannis Azorii, sic de hac quæstione loquentis. *Quæres an satis sit hujusmodi leges, & consuetudines, & statuta, quibus cautum est, ne beneficia concedantur nisi Clericis, ex certo hominum genere assumptis, laicorum auctoritate approbari? Respondeo minimè, quià laici de beneficiorum causis, nihil decernere queunt: quarè necesse est, ut Romani Pontificis privilegio, aut consensu approbentur, aùt ipsius Canonici juris auctoritate confirmentur* (*b*): Igitur cum nullus Rex potuisset legem sancire, Clericos extraneos à beneficiis ecclesiasticis repellentem; non aderat lex, non aderat jus, non erat quid bonæ fidei recognosceret Sixtus IV. quandò dictum privilegium Henrico IV. Regi Castellano concessit: & sic tùnc novum jus, novum indultum, novam concessionem largitus est, è nihilo eductam, è non præexistentibus excitatam, & soli plenitudini potestatis Apostolicæ inhærentem, quâ, ex justis causis tùnc emergentibus, vel ex aliqua interjectâ compensatione, coarctandam censuit ad solos incolas Castellæ Regni, libertatem Ecclesiæ, usquè tunc ad omnes, & undècumque natos, viros ecclesiasticos beneficiis munerandos, extensam.

(b) Jo. Azorius Inst. Mor. par. 2 l. 6. c. 4. qu. 25. in fine.

25. Quod postmodùm Carolus V., & successivè Philippus II. ejus filius, Hispaniarum Reges, editis pragmaticis, interdixerint, ne beneficia Hispanica ad extraneos pervenirent; hoc indè opportuit effluxisse, quod privilegium præfatum Sixti IV non Nationi Castellanæ, cui præerat Henricus IV., sed ipsi soli Henrico IV., seù durante illius lineâ, censeretur esse concessum. Et quià in hoc Principe series Regum Castellæ Gothici sanguinis, à Pelagio eorum stipite promanantium, quoàd lineam

neam masculinam prorsùs defecerat (*a*), jàmque Regnum Castellę cum suis appendicibus ad Isabellam, unicam Henrici sororem, perrexerat, quæ Ferdinando V. Regi Aragoniæ, justis nuptiis copulata, genuit Joannam, unam ex pluribus filiabus, quas Isabella ipsa in mundum peperit; ex dictâque Joannâ, Philippo I. Austriaco matrimoniali lege conjunctâ, prodierat Carolus V., & ex Carolo V. Philippus II. ejus filius; cum in dubium ab aliquibus vocaretur, an privilegium Sixti adhùc vigeret, nec nè; ideò benè Carolus V., & Philippus ejus filius, jura sua tuituri, & Regno, non Regi, in perpetuum, & non ad tempus, indultum concessum esse rati, editis illis Pragmaticis, repulerunt Clericos extraneos ab ecclesiasticis beneficiis. Nisi malimus dicere, & melius, ideò pragmaticas ipsas fuisse sancitas, quià paulatìm languescebat observantia privilegii à Sixto concessi: & quoniam relaxatio, quæ paulatìm serpebat, poterat facillimè in totalis inobservantiæ vitium declinare; oportuit ut Carolus, & Philippus Reges hoc remedio periculum propulsarent. Sed utcumque res se habuerit, tùm Carolus V., tùm Philippus II., vel pragmaticas ediderunt, inhærentes privilegio Apostolico, quod Sixtus IV., aut aliquis alius Romanus Pontifex concesserit, complexivo utriusque Hispaniæ, tàm Castellanę, quàm Aragonensis, vel non. Si non: ergò eorum leges, tamquam non innixæ alicui privilegio Apostolico prȩexistenti, ex defectu jurisdictionis nullæ fuerunt. Si verò pragmaticę illę fundamentum habuerunt Apostolici privilegii, veri, ac lealis (quæ est res in facto consistens, cujus nos rationem reddere non possumus, cum tale privilegium, complexivum tàm regnorum Castellæ, quàm Aragoniæ non viderimus) Reges ipsi nil aliud fecerunt, nisi minis, & pœnis sæcularibus indultum Pontificium armare, & in hoc operam dederunt officio Regio, cujus est Ecclesiæ negotiis robur, & præsidium afferre. Si quidèm, ut ait S. Leo, *res humanę alitèr tutę esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas* (*b*). At in hoc non Regalis potestas prævaluit, sed Apostolicum privilegium, quod supponitur esse à parte rei: nec viros extraneos à beneficiis arcuit facultas Regia, sed auctoritas Pontificia.

26. Neque diversam opinionem nutriunt de hac rè Doctores Hispani, quos intèr, Emanuelem Gonzalez audivimus paulò antè, sub diversis terminis in hanc ipsam sententiam consonantem. Nùnc alios brevitèr adiiciamus. Franciscus Salgado, ità loquitur: *indultis Apostolicis prohibitum est extraneis in his Regnis obtinere beneficium* (*c*). Crespius de *Valdaurâ*, post relatas leges Principum Hispanorum, extraneos à beneficiis ecclesiasticis abstinentes, ait illas fuisse à Sixto IV. approbatas (*d*). *Petrus Cenedus*, pluribus adversus extraneos comulatis, tandèm concludit, quod *si hujusmodi statuta, & leges non fuerunt approbatæ per Sedem Apostolicam, Judices sæculares eas observantes &c. peccant, quoniam contrà libertatem ecclesiasticam agunt* (*e*). Didacus tandèm *Covarruvias* exclusionem extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis refert ad duas causas, quarum primam dividit in quatuor puncta, nempè, in concessionem Romanorum Pontificum, in præscriptionem, in usum immemorabilem, & in multas pragmaticas à Rege Hispanię promulgatas. Prò secundâ verò causâ allegat utilitatem regiminis ecclesiastici (*f*). Ità prima causa, prima radix, fons primarius hujusmodi exclusionis esse debet aliqua concessio Pontificum Romanorum. Verba Covarruviæ, quià longiuscula sunt, & alibi in hoc opere recensita, hic intermittimus. Satis est in illis clarè notari, præfatam rejectionem extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis, non fundari directè in pragmaticis Regiis, in consuetudine immemorabili, & in præscriptione, quibus adstipulentur accessoriè Apostolicæ concessiones, uti facere censent Contradictores; sed potius totum est oppositum: nempè fundatur in concessionibus Apostolicis, tamquàm in quadrato, & primario lapide, quibus accessoriè quodammodò, & secundariò cohærent præscriptio, immemorabilis usus, & pragmaticæ Regiæ: ità ut, cessante privilegio Pontificio, illæ pragmaticæ Regię, vel non fuissent promulgatę, vel promulgatæ, nullum prorsùs obtinuissent effectum.

(a) *Forest. Mappam Histor. in Isabella Reg. 77 Hispan. f. 315*

(b) *S. Leo epist. 31 ad Pulcherium*

(c) *Salgad. de supplic. ad Sanctissim. p. 1. c. 10 n. 69.*

(d) *Cresp. de Valdaur. p. 1. obser. 6.*

(e) *Cened. pract. qu. Canon. 18.*

(f) *Covar. pract. qu. c. 35. n. 5.*

27. Imploranteque Covarruviâ auctoritatem Summi Pontificis, aut Concilii OEcumenici, ut ab alterutro decernatur, beneficia esse ubilibet solis indigenis conferenda (*a*); patet *primò*, quod ubi hoc privilegium deest, extranei non repelluntur ab ecclesiasticis beneficiis. *Secundò*, quod nec ad subditos, neque ad Principes spectat definire exclusionem præfatam extraneorum, sed ad solum Romanum Pontificem, vel ad Concilium universale. Undè prorsùs ridicula apparet adulatoria illa suggestio, qua quidam effutiunt, exclusionem extraneorum ab ecclesiasticis beneficiis esse jus Regium, seù Regiæ Coronæ coævum, prout est illud præsentandi Episcopos ad Ecclesias Cathedrales, indè istud expiscando, quod Reges, præsertìm Hispani, vel Ecclesias dotaverint, vel eas de manu Infidelium recuperaverint. Nàm quidquid sit de hujusmodi dotatione, & recuperatione (quæ cum non sit in omnibus Regnis æqualis, non potest in cunctis Regibus æqualia jura progignere: & cum plurimę etiam Ecclesiæ essent fundatę antequam ipsa Regna, in specialis Monarchię titulum prosilirent; nihil juris Corona Regia super illis habere potest) Notum est viris Catholicis, & eruditis, nullum jus spirituale esse posse Coronæ Regiæ, sive Ducali, sive Imperiali coævum, tùm quià *quemadmodùm Pontifex introspiciendi in Palatium potestatem non habet &c, sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi* jus habet, uti scripsit Gregorius Papa II. Leoni Isaurico Imperatori (*b*); tum quià nunquàm *licuit laicis statuendi in Ecclesiâ, pretèr Romanum Pontificem, habere aliquam potestatem, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi* (*c*).

28. Profectò ex dotatione Ecclesiarum jus patronatus non acquiritur de jure, & ex debito; sed ex merâ gratiâ, & concessione Ecclesiæ (*d*): est enim de suâ naturâ onerosum, & involuit servitutem Ecclesiæ (*e*). Quare de hac gratiâ, per Ecclesiam factâ, debet constare, alioquin si expressè per superiorem ecclesiasticum non reservatur, jus patronatus non acquiritur. Ex victis quoquè Barbaris, trophea eriguntur, Provinciæ, ac Regna conquiruntur, non tamèn proptèr hoc Ecclesiæ, neque Ecclesię in captivitatem rediguntur. Ergò ex quocumque titulo res sumatur, jus patronatus in Ecclesiis, jusue ab eis extraneos repellendi, non sunt jura Coronę Regalis, sed jus, vel jura privilegii, ecclesiasticis innitentia. Et quoàd Episcopatus Hispaniæ, in eis jus patronatus habet Rex Catholicus, ex indulto, ei per Hadrianum Papam VI. collato: dequo Mariana in historiâ Hispaniæ, ità effatur, *Hadrianus VI. in gratiam Caroli* V. Imperatoris, & Regis Hispaniæ, sui anteà *alumni, cui debebat Pontificatum, ei, & successoribus concessit lege perpetuâ, jus præsentandi Episcopos Hispaniæ, qui antè ad eorum supplicationem precario à Pontificibus Romanis instituebantur* (*f*). Deindè illud idem jus patronatus ipsi Carolo V. confirmavit Clemens Papa VII. Bononiæ 3. idus Martii, Pontificatus sui anno septimo (*g*). Antiquitùs quoque reperitur, quod in aliquibus Hispaniæ provinciis in more habebant Reges deligendi Antistites, Ecclesiis Cathedralibus preficiendos, de quâ rè Concilium Toletanum XII, tempore Eurigii Regis celebratum, specialem edidit canonem, sic sonantem: *Placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ, atque Galliciæ, ut, salvo privilegio uniuscujusque provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Archiepiscopo, quoscumque Regalis potestas elegerit, & jàm dicti Toletani Episcopi judicium dignos esse probaverit &c. preficere Præsules, & decedentibus Episcopis, eligere successores* (*h*). Quod tamèn fortè privilegium, vel personale fuit, soli Eurigii Regis probitati concreditum; vel alitèr cum longo annorum cursu perierat, eo modo, quo & Archiepiscopus Toletanus jure decidit Episcopos Hispanicos approbandi.

29. Jus autèm excludendi ab ecclesiasticis beneficiis extraneos, si habent Hispani, ut audivimus, sed non vidimus, & quod complectatur Regna utriusque Coronę Aragonicæ, & Castellanæ, habent à privilegiis Pontificum, prout ab inclytæ illius Gentis mox recensitis Auctoribus enuntiatur (*i*). Nec est credendum, inquit optimè Thomassinus, *tantopère laboraturos fuisse Catholicos Hispaniæ Reges, ut à Sede Apostolicâ ea impetrarent privilegia &c. si illis præjudicatum fuisset, Regiæ suę Coronæ primævâ ab origine jus illud insertum, concretumque fuisse* (*l*). Itaque ex factis

(a) *Covar. loc. cit. §. Unde*

(b) *Gregor. PP. II. epl. 2.*

(c) *Cap. bene 2 dist 96*

(d) *Fagnan. in cap. quoniam n. 4. de jure patron. l 3.*

(e) *Mascard. de pub. concl. 585. n. 2. Barbos. repert pract. concl. V. jus patronatus.*

(f) *Mariana l. 26. c. 9*

(g) *Roc. Pir. Sicil. sacr. to. 1. in Append. f. 470.*

(h) *Concil. Tolet. 12, can. 6.*

(i) *Vid. hic. supr. n. 21, & 26.*

(l) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2 l. 2. c. 35. n. 9. in fin.*

factis Henrici III., & IV. Regum Castellę, atquè ex aliis cohærentibus, Bonifacii IX., & Sixti IV. Pontificum, necnon ex documentis cum totâ hac rerum narratione consertis, clarè enitescit, quod nec Regalis auctoritas ad hoc se porrigit, ut possit licitè Clericos extraneos à beneficiorum consecutione repellere; neque illorum exclusio, sine speciali di plomate Pontificio, potest ad effectum perduci. Quarè ubi de illius observatione intenditur agitare, oportet priùs privilegium Apostolicum exhibere, quod usque ad Seculum Decimumquartum cernimus nulli fuisse concessum, nec ab ullo Regno, vel Principatu possessum, uti evidentèr evincitur ex historicis narrationibus tàm in pręsenti, quàm in pręcedenti capitulo recensitis.

30. Ostendant ergò Contradictores indultum ab aliquo Romanorum Pontificum concessum locis, à quibus intendunt extraneos repellere, & repellentur. At ubi diploma hujusmodi deest, stat Ecclesia in suâ libertate dandi accessum ad sacras prębendas, tàm Clericis extraneis, quàm indigenis. Et si à toto Castellę Regno non fuit locus rejectioni extraneorum, etiam tentantibus illam Regibus, & Comitiis, donèc privilegium Pontificium ipsam authorizans accessit; multò magìs ei locus alibi non erit. Qui sanè Reges Castellani (& idem dic de aliis Regibus, qui similia in eorum Regnis egerunt) conceptum intentum excludendi ab eorum Regnis extraneos, privilegiis Apostolicis communientes, amplam lectionem Contradictoribus ediderunt, quâ discant, quod si & ipsi optabant hoc jus exclusivum extraneorum in illorum Regione introducere; debebant illud ex gratiâ, & favore speciali Summi Pontificis implorare: non verò tàm imprudentèr vim rei adeò sacrosanctæ adhibere; ac velle, tamquàm ex debito extorquere, quod non nisi ex gratiâ peculiari ab Apostolicâ Sede impetrarunt Principes, Regali diademate coronati. Debebant quoque consensum liberum implorare Cleri ordinis superioris, & aliorum, ad quos spectat beneficia ecclesiastica dispensare. Non enim est res parui momenti exclusio extraneorum, pro quâ statuendâ non sint audiendi omnes Episcopi, & Archiepiscopi, aliique omnes, tàm ordinarii, quàm delegati beneficiorum collatores, vel ad ea nominatores, de quorum facultate arctandâ tractatur, ne valeant inposterùm, ut anteà faciebant, prębendas ecclesiasticas etiam Clericis extraneis, familiaribus, consanguineis, amicis, vel alitèr de se benemerentibus, impertiri.

CA

CAPUT XLII.

In quo ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui claruerunt Sæculo Christi Decimoquarto: *ac præsertìm ex* B. Augustino Triumpho: *Ex* Alvaro Pelagio: *ex* Joanne de Neapoli, *& ex* Nicephoro Gregora, *probatur libertas Ecclesiæ, in conferendo ecclesiastica beneficia; non modo Clericis indigenis, verùm etiàm extraneis.*

SUMMARIUM.

1 *Intèr Patres, ac Scriptores Sæculi xiv. emicat B.* Augustinus Triumphus, *ad Concilium Lugdunense II. in locum D. Thomæ prædefuncti, missus.*

2 *Fuit valdè acceptus Regibus Neapolitanis, quorum intererat Consiliis, & Legationibus ad alios Principes fungebatur.*

3 *Docet, non posse assumi Cardinales, ex unâ solâ patriâ, sinè acceptione personarum, sed ex toto orbe eligendos. Græci sè contemptos dicebant.*

4 *Etiam Concilium Tridentinum, & Doctores insinuant, Cardinales ex cunctis Nationibus esse assumendos. Cardinalatus est beneficium.*

5 *Papa sæpè Principibus postulantibus, ad Cardinalatum, Episcopatum &c. promovet viros, ab Ecclesiis, quibus præficiuntur, extraneos.*

6 *Totâ ætate, quâ vixit B. Augustinus Triumphus, ex decem, & septem Summis Pontificibus soli duo Romani fuerunt.*

7 *Si Papa providet compatriotæ beneficia, quamquam extraneo, id honestis faciens ex causis, non peccat. Quid in provisionibus attendendum sit!*

8 *Quod Papæ eligant ad Prælaturas Consanguineos, vel Compatriotas, tametsi extraneos; culpâ caret, si electi meritum non desit.*

9 *Secundùm doctrinam Triumphi, debent extranei admitti ad beneficia, quoties id utilius est Ecclesiæ, & divino servitio.*

10 *Nec etiam Papa, sine justâ causâ, collationem beneficiorum ad solos indigenas coarctaret, nisi cæteris paribus.*

11 *Justis causis existentibus, arctare potest collationem præfatam, quià causę illæ compensant libertatem, quam perdit Ecclesia.*

12 *Electores Imperii fuisse à Papâ constitutos plures testantur, & præsertìm* Alvarus Pelagius *Scriptor celeberrimus hujus Sęculi.*

13 *Magdeburgenses idipsum affirmant de Electoribus, à Gregorio Papâ V. deputatis: quod & in pluribus juris textibus innuitur.*

14 *Juxtà Alvarum ipsum, Papa tollere posset Electores, & multò magis illos mutare, sivè intèr eos admittere extraneos.*

15 *B. Augustinus quoquè Triumphus sentit, quod si justa causa sic exigeret, posset Papa id, quod dictum est, circà Electores facere.*

16 *Si extraneus ad Electoratum Imperii promoveri potest, cur non poterit ad beneficium? Ad ipsum Imperium eligi potest extraneus.*

17 *Olim Electorum pars Richardum Angliæ Principem, & alia pars Alphonsum X. Hispa-*

Hispaniæ Regem, extraneos in Imperatorem elegerunt.

18 *Eduardus quoquè Rex Angliæ fuit in Imperatorem electus, sed Imperium renuit acceptare. Quid de Carolo V. & Francisco Franciæ Rege?*

19 *Si extranei eligi possunt ad Imperium, multo magis eis deferri posset dignitas Electoralis. Quarè ergò & non beneficia consequi valent?*

20 Joannes de Neapoli *Doctor Sorbonicus, probat Summum Pontificem esse Universalem Prælatum totius Ecclesiæ.*

21 *Papę inest plenaria potestas jurisdictionis supèr totam Ecclesiam, quâ potest omnia, congrua, & honesta, respicientia regimen Ecclesię.*

22 *Ostendit hic Auctor, quod Papa est* Episcopus Universalis *Ecclesię Dei, & quod habet* plenitudinem potestatis; *quæ Contradictores impugnant.*

23 *Habet Papa plenitudinem potestatis Pontificalis, sicut habet Imperator plenitudinem Imperialis: maximè autem eam habet Papa supèr beneficiis.*

24 *Sicut Papa potest admittere Clericos extraneos ad beneficia; ità idipsum possunt alii beneficiorum Collatores, vel ad ea nominatores.*

25 *Recensentur ea, quæ* Nicephorus Gregorâ *de Patriarchis Constantinopoleos hujus ætatis locutus est. Patriarchatus etiàm est beneficium.*

26 *Post Joannem, & Athanasium extraneos, electus est Nipho, Cyzici Archiepiscopus, Grecarum literarum planè rudis.*

27 *Niphne proptèr crimina dejecto, Joannes Glycis post annum suffectus est, vir uxoratus, paterfamilias, & ad Monachatum inhabilis.*

28 *Successit Gerasimus, huicque subrogatus est Isaias extraneus, Monachus Montis Athos in Macedoniâ.*

29 *Patriarchatus Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, extraneis interdum obtigerunt hoc Sæculo Decimoquarto.*

30 *Papatum toto eodem sæculo possederunt extranei, quibus si patet Papatus, & Patriarchatus; cur non patebunt minora beneficia?*

1. QUAMQUAM ex his, quæ usque ad præsens, in hoc Sæculo Quartodecimo proposuimus, ex historiis, præcipua Regna mundi complectentibus, abundè probaverimus libertatem Ecclesiæ in præficiendo sacris præbendis, non solùm Clericos indigenas, verùm etiam extraneos; tamèn bonum esse censemus hic quoquè non omittere doctrinam Patrum, vel Scriptorum ecclesiasticorum, qui hoc tempore floruerunt, ut eorum paritèr sensus præfatę libertati congruum præbeat fulcimentum. Et sanè intèr Patres, vel Scriptores ecclesiasticos hujus ætatis, emicat *B. Augustinus Triumphus* Anconitanus, ordinis D. Augustini (*a*), nedùm vitæ integritate, & abstinentiâ pręclarus, undè in Beatorum numerum relatus est (*b*), sed etiam doctrinâ, & ingenio celeberrimus (*c*). Fuit enim D. Thomæ Aquinatis, & D. Bonaventurę Balneoregiensis, Ecclesiæ Doctorum, auditor apud Parisios, ubi quoque in illâ insigni Universitate publicam Cathedram habuit, & ad Concilium generale Lugdunense II. in locum pręfati D. Thomæ Aquinatis prędefuncti, missus est (*d*): quod unum sufficere posset ad ejus gloriam, si cuncta alia motiva meriti, atque decoris illi deessent.

2. Valdè autèm acceptus esse debet hic Auctor Contradictoribus, quippè illum satis gratum habuerunt Carolus II., & Robertus sapiens, Reges Neapolitani (*e*): quibus *cùm ob eruditionem, & sanctitatem, tùm etiam ob singularem prudentiam ità carus, atque acceptus fuit, ut Intimis de Regno consiliis admissus, sæpè etiam illustres ad Christianos Principes eorum nomine legationes obierit* (*f*). Mortuus est Neapoli anno 1328. ubi in ejus epitaphio sculptum est, quod fuit *Angelico ingenio &c. Sanctus in vitâ, & clarus in scientiâ. Undè omnes debent sequi talem virum, qui fuit religionis speculum* (*g*). Egregius ergò iste Doctor pluribus in locis

varia

(a) *Bellarm. de Scriptor. Eccl. in August. Aconit.*

(b) *Repb. Volater. Antropolog. l. 21.*

(c) *Jo. Tritbem. de Script. Eccles. in August. de Anconâ. Sixt. Senens. Biblioth. Sanct. lib. 4.*

(d) *Vit. B. August. Triumphi ant. ejus oper. Ly. ap Julian. Saracen. Histor. d'Ancona p. 3. f. 492.*

(e) *Jos. Pamphilius in Chron. Ord. S. Augustin. Hieron. Seripand. in Comment. ejusdem Ordinis.*

(f) *Cornelius Curtius in vit. B. August. Triumph.*

(g) *Epitaph in Eccl. S. August. Neap. Saracen. histor. Ancon. p. 3 f. 494.*

varia prænuntiat, ad causam nostram spectantia, præsertìm ubi agit de beneficiis altioris ordinis, proùt est Cardinalatus, quem pluries ostendimus, tàm à Theologis, quam à Canonistis intèr beneficia ecclesiastica computari (*a*). Quærit ergò B. Augustinus Triumphus. *Utrum deroget perfectioni statui Cardinalium, ut omnes de unâ patriâ sint electi*. A quibus rite inferri potest, quid de aliis beneficiis quoque ordinis inferioris judicari debeat; quippè à majori ad minùs optimum est argumentum (*b*).

(a) *Laym. l. 4. tr. 2. c. 4. nu. 4. Azor p. 2. l. 4. c. 1. qu. 5. vers. 2. beneficium. Mart. de Jurisd. p. 2. c. 39. num. 1.* Barbos. *Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. nu. 52.*

(b) *Vid. Jura & DD. ap. Barbos. tract. var. Loc. 67. nu. 1. & seq.*

3. Respondet ergò præfatus Doctor, quod omnis acceptio personarum derogat statui perfectionis: sine personarum autèm acceptione fieri non potest, ut Cardinales omnes de unâ patriâ assumantur. Nihilominus dicit, quod *Papa potest sibi assumere Cardinales in suum adjutorium, & consilium undè vult, & quos vult, & quales vult: undè sibi imputatur ad meritum, vel demeritum, si boni sint, vel mali: juvenes, vel senes: docti, vel indocti &c. Verùm tamèn de congruo Bernardus lib. 4. assignat tres rationes in libro de consideratione ad Eugenium: quod non de unâ patriâ, sed de toto orbe terrarum, Cardinales eligendi sunt. Prima, proptèr justitiam servandam. Quilibet enim melius cognoscit conditiones suæ patriæ, quàm alius: & quià unusquisque benè judicat de his, quæ novit, & illorum est bonus judex; ideò dicit: An non eligendi sunt de toto orbe orbem judicaturi? Secunda, proptèr carnalem affectionem removendam. Si enim de unâ patriâ omnes eligantur, non opinatur, nec creditur, quod talitèr fiat, nisi vel precum interventione, vel carnis, & sanguinis affectione. Ex quo, ut dicit, sequitur scandalum, non solùm pusillorum, imò majorum de Ecclesiâ. Tertia, proptèr unitatem in populo Christiano nutriendam. Contemptus enim est causa divisionis, & schismatis in Ecclesiâ. Principale enim motivum schismatis Græcorum fuit eorum contemptus, quod ad honores ecclesiasticos non assumebantur* (*c*).

(c) *B. August. Triumph. de potest. Eccl. quæst. 102. art. 3.*

4. Hæc resolutio B. Augustini Triumphi, non solùm totalitèr est conformis doctrinæ Divi Bernardi, cui innititur; sed etiam Sanctioni sacri Concilii Tridentini, decernentis, quod Cardinales *Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commodè fieri poterit, proùt idoneos reppererit, assumet* (*d*). Consonatque communi opinioni, tàm Theologorum (*e*), quàm Canonistarum (*f*), unâ voce dicentium, Cardinales esse de omnibus Christianitatis partibus eligendos. Et quod agendum est in dispensatione Cardinalatus; in aliis quoque beneficiis ecclesiasticis est servandum. Nàm Cardinalatus, non est minùs beneficium, quam sint alia ecclesiastica beneficia, ut innuimus. Et convincitur ex facto; nàm Cardinalatus incompatibilitatem habet cum cæteris beneficiis, hęcque vacare intelliguntur, cum quis ad purpuram promovetur (*g*). Et ità in praxi servatur, præsertim quoàd beneficia residentialia, nisi quatenùs Papa cum Promotis tacitè, vel expressè, pro eorum retentione dispensat (*h*). Si ergò capacitas, seù admissio ad Cardinalatus beneficium, non potest ad unicam nationem coarctari, sinè peccato acceptionis personarum, sed ad illud provehendi sunt cujuscumque nationis Clerici, dummodò benemerentes, & idonei; ergò etiam ad cætera beneficia, sivè altioris, sivè inferioris ordinis, omnes cujuscumque nationis viri sunt admittendi, sivè indigenæ, sivè extranei: nisi ubi privilegium Apostolicum alitèr præscribit; vel aliquæ rationes particulares in casibus practicis doceant observandum.

(d) *Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reform.*

(e) *Diana par. 5. trac. 2. resol. 18.*

(f) *Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 1. c. 3. num. 13. cum aliis ibi.*

(g) *Sixtus V. Const. 79.*

(h) Barbos. *loc. citat. nu. 23. Dian. ubi supra resol. 11.*

5. Correlativa his est alia quæstio, quam idem B. Augustinus Triumphus movet, *Utrum Papa, sinè acceptione personæ, possit ad petitionem Regum, & Principum, aliquem ad prælaturam ecclesiasticam eligere.* Et quamvìs per canones præscribatur, quod beneficia sacra, nec timore, nec præmiis, nec potentum suffragio, vel favore Regio deferantur (*i*), tamèn resolvit, quod potest, dummodò justa causa non absit, nec sit defectus ullus, vitio aliquo assumptionem ipsam inficiens, vel ex parte Assumentis, vel ex parte Promoti (*l*). Et ità cernimus quotidiè præfici beneficiis Episcopalibus, & Archiepiscopalibus Præsules, Romano Pontifici à Regibus propositos: imò & quosdam etiam ad Cardinalatus beneficium provehi ipsis

(i) *Cap. porrò dist. 63. cap. si quis. 1. quæst. 6. & ibi Canonistæ.*

(l) *B. August. Triumphus de potest. Eccles. qu. 47. art. 5.*

ipsis Regibus postulantibus: jamque nulla est super hoc difficultas. Patet autèm, quod tempore B. Augustini oportet, quod Reges nullum jus haberent præsentandi, sivè proponendi, Præsules pro Episcopatibus, vel Cardinalatu: alioquin Auctor hanc quæstionem non movisset. Cum autèm sæpè occurrat, Reges Papæ proponere pro Episcopatibus, & Cardinalatu, Clericos, tàm à Romanâ urbe, quam à Regnis, in quibus Episcopatibus præficiuntur, extraneos, absque eo, quod nec Reges proponendo, nec Papa eos admittendo, ullatenùs peccent; sequitur quod hinc probata remanet libertas Ecclesiæ in provehendis extraneis quoquè ad ecclesiastica beneficia.

6. Et ne videamur de solis beneficiis altioris ordinis loqui, quale est Episcopatus, Cardinalatus &c. de aliis quoquè inferioris ordinis aliqua ex B. Augustino Triumpho audiamus. Proponit ipse articulum, quærens, *Utrum Papa peccet providendo Compatriotæ* (de beneficiis) *& domestico magis, quam extraneo* (a). Sciendum est autèm, quod intrà spatium 85. annorum, quot vixit iste Auctor, ab anno Christi 1243. usque ad annum 1328. (b), decem & septem Pontifices in D. Petri Cathedrâ considerunt, & duo soli ex eis fuerunt Romani, nempè Nicolaus III., & Honorius IV., qui Pontificatum suum ad triennium non extenderunt (c): cæteri verò quindecim aliundè nati sunt, Ligures, Hernici, Insubres, Regnicolæ, Galli, Lusitani, Burgundi, homines tandèm, qui à Romanâ Ecclesiâ, nedùm patriâ, sed etiam respectivè provinciâ, & natione, erant extranei. Quarè B. Augustinus, præfatam quæstionem excitans, & compatriotas Papæ memorans, non potest pro compatriotis intellexisse Romanos, sed Clericos aliundè à Româ natos, in locis, in quibus præfati 15. Pontifices nati erant, adeòque Clericos extraneos, non indigenas.

7. Respondet igitùr Auctor ad quæsitum, quod consideranda est intentio providentis: nàm *aut providet Compatriotæ, & domestico, ex aliquâ causâ debitâ magis, quam extraneo, ut puta propter ejus majorem paupertatem, vel propter receptum honestum obsequium, & puto quod non peccat. Si verò faciat hoc ex causâ illicitâ, & indebitâ, ut præcisè propter patriæ affectionem, vel consanguinitatem, vel propter cumulandas ejus divitias, peccato non caret talis provisio. Considerandus est similitèr locus, in quo fiat provisio, quia in tali loco potest provideri de beneficio alicui extraneo, ubi in administratione officii propter ignorantiam linguæ, & inconsuetudinem patriæ, non esset idoneus deservire domesticum, & è converso in tali loco posset provideri propinquo, & Compatriotæ, in quo providere extraneo infructuosum, & damnosum esset Ecclesiæ* (d). Et per hanc responsionem dissoluta esse dicit argumenta in contrarium sibi proposita.

8. Quæsierat itidem alibi, *Utrum Papa, absque acceptione personæ, possit aliquem consanguineum suum ad prælaturam ecclesiasticam eligere, ratione qua consanguineus est* (e). Celebris quæstio, de quâ Theologi (f), & Canonistæ (g). Prò quanto autem ex responsione constat, dubium de consanguineis propositum, ad compatriotas quoque dilatat. Resoluit ergò, Papam posse consanguineum, & compatriotam ad prælaturam ecclesiasticam eligere, quando in eo sunt conditiones meriti æquales aliis, quià tunc non præfertur persona personæ, ex causâ indebitâ, & in tali electione qualitas consanguinitatis, (& idem dic de compatriotâ) non est causa principalis, sed annexa. Ità & Christus ad Apostolatum elegit viros sanctissimos, intèr quos tamen res, nempè Jacobus major, & Joannes filii Zebedei erant sibi consanguinei secundum carnem (h), & Jacobus minor, qui dicitur in epistolâ ad Galatas, *frater Domini* (i). *Summi autem Pontifices*, ait, ejus *Vicarii, ut in pluribus videmus, ad prælaturam ecclesiasticam eligunt citiùs consanguineos, & compatriotas* (qui solent esse à loco, ubi prælaturas, & beneficia adipiscuntur, extranei). *Et grave esset dicere, quod omnes tales peccarent, & essent acceptores personarum* (l).

9. Notetur autem *primò* ex hac doctrinâ, quod clerici extranei, nedum possunt, sed etiam debent, ad præbendas sacras admitti: quià cum in earum distributione

(a) *B. August. Triumph. de potest. Eccles. quæst. 72. art. 2.*

(b) *Cornelius Curtius Vit. B. August. de Anconâ loc. supra cit.*

(c) Ciacon. Panvin. *Platin. & alii in Nicol. IV. & Honor. IV.*

(d) *B. August. Triumph. loc. mox citat.*

(e) *Idem de potest. Eccles. qu. 47. art. 1.*

(f) *S. Thom. 2. 2. qu. 63. art. 2. & quodlib. 4. art. 25.*

(g) *Turrecrem. in cap. decens dist. 89. & in cap. pervenit. 1. qu. 3.*

(h) *Matth. cap. 4. num. 21.*

(i) *Galat. cap. 1. num. 19.*

(l) *B. August. Triumph. de potest. Eccl. qu. 47. art. 1.*

habenda sit ratio divini servitii, & utilitatis Ecclesiæ; possitque contingere, quod in aliquo loco, magis divino servitio, & Ecclesiæ utilitati congruat extranei provisio, quàm indigenæ, & alibi accidere possit oppositum; necesse est, ut tàm indigenis, quàm extraneis patens sit accessus ad ecclesiastica beneficia: alioquin præbendæ, & prælaturę non possent collocari in illis personis, quarum provisio magis ad servitium Dei, & Ecclesiæ utilitatem sit conveniens. Notetur *secundò*, quod electiones ad prælaturas sacras, & ecclesiastica beneficia restringere ad solos compatriotas, est una ex causis, quas Beatus hic Auctor vocat *illicitas*, & *indebitas*, & provisiones ita factas peccato asserit non carere. Si autem non caret peccato solos compatriotas præficere beneficiis; restat ut ex necessitate ad illa extranei quoquè sint admittendi.

10. Notetur *tertiò*, quod in sententiâ hujus Doctoris, nec etiam Papa potest restringere provisiones beneficiorum ad solos indigenas, precisè quà indigenas, & proptèr patriæ affectionem, nisi cæteris paribus: Quia id non potest facere sine vitio acceptionis personarum, quod peccato non caret. Et quamvis certum sit, quod Papa est supremus dispensator bonorum Ecclesiæ (a), bonaque ecclesiastica cuncta subjecta sunt ei (b): Ipse in illis habet plenitudinem potestatis (c): eaque potest pro suo libito administrare (d), ità ut ejus voluntas stet pro ratione (e); Et supra jus, & contra jus, & extra jus, omnia in beneficialibus possit (f), tàm in beneficiis altioris ordinis, & Episcopalibus, quàm in aliis ordinis inferioris (g); tamen eorum collationem ad solos indigenas restringere non potest, præcisè quà indigenas. Intellige tamèn, nisi justa, & rationabilis causa concurrat, aliud exposcens; quia tunc optime potest collationem ipsam ad solos indigenas coarctare; prout videmus in aliquibus regionibus, extraneos, vi Apostolici privilegii, à beneficiis excludi.

(a) *S. Thom. 2. 2. qu. 100 art. 3. ad 7.*
(b) *S. Thom. in 4. dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 2.*
(c) *Fagnan. in cap quanto num 42. 81. de transl. Episcopi l 1.*
(d) *Barbos Jur Eccl. Univ l. 1. c. 2. n 93.*
(e) *Fagnan. loc. cit. num 39 43.*
(f) *Fagnan in cap. Consultationibus n. 26. de Cler ægrot. l 3.*
(g) *Idem dict. cap. quanto n. 87. de transl. Episcopi lib. 1.*

11. Verùm in tali casu, nec extranei excluduntur præcisè quà extranei; nec indigenę includuntur soli, quà indigenæ; sed illa fit restrictio ex justis, gravibus, & rationabilibus causis, compensantibus libertatem, quam perdit Ecclesia, provehendi extraneos promiscuè cum indigenis: quâ stante compensatione, Pontifex interponit suam, authoritatem, & bonum esse pronuntians illam fieri restrictionem; indultum edit eandem continens, & authorizans. Quod si Papa, cum totâ plenitudine suæ potestatis, in disponendo de ecclesiasticis beneficiis, non potest sine justis, gravibus, & rationabilibus causis, eorum collationem restringere ad solos compatriotas, & indigenas, sinè peccato acceptionis personarum; quomodò id facere poterunt Episcopi, & alii ecclesiastici? Atque multò magis id facere quomodò poterunt laici, quibus, *quamvis religiosis, nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur attributa facultas (h), quibusque obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi (i).*

(h) *Cap. Laicis 24. 16. qu. 7.*
(i) *Cap non placuit. 15. 16. qu. 7.*

12. Nolumus ulteriùs prosequi doctrinam B. Augustini Triumphi, quippè alioquin locutio cresceret in immensum. Possemus etenim, ea quoquè hìc inserere, quæ de quibusdam publicis officiis, tametsì politicis, effatur, quatenus ab officio ad beneficium validissimum est argumentum (l). Nàm quærit, *Utrum Papa possit Electores Imperii facere de aliâ regione, quàm de Alemaniâ (m)*: quod est idem ac inquirere, an ad officium Electoratus Imperialis possint à Summo Pontifice deputari Proceres, etiam à Germanicâ natione extranei: facitque valdè ad rem præsens quæstio; quippè intèr Electores Imperii tres sunt Archiepiscopali beneficio insigniti; ad quos habito respectu, discutitur, an dignitas Electoralis possit aliis Archiepiscopatibus, vel Archiepiscopis, à Germaniâ extraneis, committi. Supponendum est autem cum *Alvaro Palagio*, Electores Imperii fuisse à Summo Pontifice deputatos (n). Et en hìc nobis alius Scriptor Ecclesiasticus sæculi decimiquarti, quod percurrimus, nempè ipse *Alvarus Palagius*, natione Hispanus, Ordinis Minorum S. Francisci, & Episcopus Sylvensis, qui claruit anno 1320 (o): fuitque Joannis Scoti auditor, ac vir eruditissimus (p), cujus opera primo prodiere in Sueviæ

(l) *Barbos. Tract. Varii Loc. 77. n. 1. cum aliis DD. ibi.*
(m) *August Triumph. de potest. Eccl. qu. 35. art. 14.*
(n) *Alvar. Pelag. de Planctu Ecclesiæ l. 1. c. 41.*
(o) *Bellarm. de Script. Eccles. in Pelag. Alvaro.*
(p) *Tritbem. de Script. Eccl.*

viæ partibus apud Ulmam, sæculo Christi quintodecimo (*a*), suntque simul doctrinâ, & pietate, atque zelo uberrimè redundantia: cum quo consonant etiam plures alii, & præsertim Blondus, Nauclerus, Platina &c. asserentes, quod Electores Imperii fuerunt à Summo Pontifice constituti, nimirùm à Gregorio V. Saxone (*b*).

13. Ac præsertim Magdeburgenses de istâ rè ità effantur: *Gregorius suam patriam insigni aliquâ dignitate ornaturus sanxit, ut penès solos Germanos jus esset eligendi Regem, qui post Diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator, & Augustus appellaretur: suntque Electores constituti Moguntinus, Coloniensis, & Treveriensis Archiepiscopi, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ Dux, Marchio Brandeburgensis, & Rex Bohemiæ* (*c*): Sed & textus in Jure non semèl hoc indigitat (*d*). Rationes autèm, proptèr quas Electores Imperii deputati sunt ex solâ Germaniâ, recenset Alvarus Pelagius, dicens: *Causa quarè omnes Electores assumpti sunt de Germaniâ, una est principalis, quod de Germaniâ fuerunt, qui liberaverunt Ecclesiam de servitute Longobardorum, & impiorum Romanorum, ut patet de Pipino, qui venit in Italiam contrà Regem Aistulphum, qui nimis gravabat Ecclesiam, de quo 23. qu. 8. ut pridem. Item de Carolo filio ejus, qui venit ad requisitionem Ecclesiæ contrà Desiderium Regem in Longobardiam &c. Et hi duo Principes fuerant de Germaniâ inferiori citrà Rhenum, quæ antiquitùs Galliâ braccata vocabatur: undè & Decr. Venerabilem extr. de Elect. dicit, quod Imperium est translatum in Germanos in personâ Caroli, quod scilicet in Germaniâ natus, & ibi sepultus est.*

14. Prosequitur Pelagius: *Idem de Othone*, qui liberavit *Ecclesiam de manu Alberici Romani &c. Et hic Otho fuit de Germaniâ superiori. Secunda ratio fuit devotio illius populi ad S. Petrum, & Paulum, quod apparet in eorum peregrinatione Romę. Tertia causa fuit voluntas Summi Pontificis, qui tunc erat, scilicèt Gregorii V. qui de Theutoniâ fuit natus, & consanguineus Othonis &c. Quarta causa, quod Germani probiores sunt aliis, & audaciores: Undè à nobili germine Germani dicti sunt. Ista ergò electio usque modò perseverat, quæ incepit anno Domini* 1030. *& perseverabit quantum Ecclesia Romana permiserit* (*e*). Attendat lector sententiam Alvari Pelagii, asserentis, quod electio Imperatoris mediantibus Electoribus, & consequentèr etiam Electores ipsi perseverebunt quantum Ecclesia Romana permiserit. Supponit ergò, quod Papa, si potest Electores tollere, multò magis eos valet mutare, præsertìm Electores ecclesiasticos: ac per consequens etiam ad officium electoratus admittere potest Proceres extraneos à Germaniâ. Cui enim competit facere plus, competit etiam facere minus (*f*): Minùs autem est extraneos ad Electoratum assumere, quàm Electores totalitèr abolere.

15. Eundem autem sensum habuit quoque Augustinus Triumphus; & ideo ad quæsitum propositum respondet, quod Papa, si justa causa id requireret, posset Electores ex aliâ Regione, quàm de Alemaniâ instituere, quia *Papæ est in omnibus Regnis mutare, & translationes facere, tàm in Electo, quàm in Electoribus, proptèr duo. Primò, quia Vicarius est illius, qui Regnum à gente in gentem transferri proptèr injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos ut scribitur Ecclesiast.* 10. *Secundò, quia ipse solus habet considerare finem totius Ecclesiæ, & ad dictum finem omnes ordinare per debita media: dicit enim Isidorus in de summo bono lib.* 3. *c.* 53. *quod potestates sæculares intra Ecclesiam necessariæ non essent, nisi quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinę sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem: quia sæpè Cœleste regnum per regnum terrestre proficit: Ut quando aliqui intrà Ecclesiam positi contrà fidem, & disciplinam Ecclesię agunt, rigore Principum conterantur. Quando ergò Summus Pontifex hoc videret, ad talem finem magis valere personas alicujus Regni, vel Regionis, quàm alterìus, posset justè hujusmodi transmutationem facere* (*g*).

16. Profectò si extranei ritè possent per Papam provehi ad officium Electoratus; possunt etiam ad beneficia ecclesiastica promoveri, valet nempè, prout suprà observavimus, argumentum ab officiò ad beneficium (*h*). Sed quid dicimus de Ele-

(a) *Possevin. Appar. Sacr. in Alvar. Pelagio.*

(b) *Blond. de cad.* 2. *li.* 3. *Naucler.* 34. *Platin. in Greg. V.*

(c) *Magdeb. Cent.* 10 *c.* 10. *colum.* 546.

(d) *Cap. Venerabilem* 34. *de Elect. Clem. Romani de Jurejur.*

(e) *Alvar. Pelag. lib.* 1. *cap.* 41.

(f) *L. non debet ff. de regul. Jur. cap. ex parte de decimis cap. cui licet* 53. *de reg. jur. in* 6. *Barbos. trac. var. axiom.* 140. *n.* 5.

(g) *B. August. Triumph. de potest. Eccles. qu.* 35. *art.* 4.

(h) *Vid. supr. n.* 13.

Electoribus, nonne extranei provehi possunt usque ad ipsum culmen Imperii? Joannes Limneus, expendens Auream Bullam Caroli IV. Imperatoris, quâ præscribitur methodus, in Imperatoris electione servandus (a); notat, quod Romani Exteris Imperium detulere, uti Traiano, & aliis deinceps (b), subdens, non esse dogma politicum generale, quod extranei ad Regnum non sint idonei. Nam in Poloniâ est res notissima, provehi ad Regnum extraneos (c). In Hungariâ, in Hispaniâ, in Angliâ tantundem factum est non unicâ vice. Tandémque advertit Auream Bullam Caroli IV. non arctare electionem Imperatoris ad solos Germanos (d). Itàut in libertate sit Electorum, etiam nunc, pro eorum libito, tàm virum Teutonicum, quam Italum, Gallum, Hispanum, vel aliundè progenitum, in Imperatorem eligere, dummodo idoneum. Et de facto pluries contigit, in Imperatores eligi Viros à Germanicâ natione prorsùs extraneos, absque eo quod extraneitas illis in vitium fuerit imputata, electionem ipsam invalidans.

17. Enimverò vacante Imperio per depositionem, & respectivè per mortem Friderici II., sertum Regni Germanici super diversis Capitibus saltitavit, Conradi ejus filii, vivente adhùc Patre in Regem electi (e), Henrici Landtgravii Hassię (f), & Guillelmi Hollandiæ Comitis (g). Quo pereunte, sexi sunt Electores, & Archiepiscopi Coloniensis, ac Moguntinus, cum Ludovico Palatino Rheni, elegerunt in Imperatorem Richardum Comitem Cornubiæ, Regis Angliæ Fratrem (h). Alii verò Electores, nempè Rex Bohemiæ, Archiepiscopus Trevirensis, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgensis, in Cæsarem elegerunt Alphonsum X. Regem Castellæ (i). Ità utrâque pars Electorum, vota binis Principibus contulerunt, à Germanicâ Natione prorsus extraneis: perseveravitque diu inter hos Coelectos de prælatione dissidium; donèc mortuo Richardo (l), & cedente Alphonso juribus suis pro bono pacis (m), quæ tamèn posteà resumere procuravit (n), electus est in Imperatorem Rodulphus I. de Habsburg, à quo Augustissimâ Domus Austriaca, nùnc adhùc perseverans in Imperio, felici successione descendit (o).

18. Sed & in hoc ipso Sæculo Decimoquarto, quod percurrimus, Eduardus III. Angliæ Rex in Romanorum Imperatorum fuit à quibusdam ex Electoribus designatus (p), tametsi extraneus, nedumque origine Anglus, sed etiam actu Angliæ Rex. Responsionem ejus, Electoribus directam, legere est in Actis publicis Regum Angliæ (q). Non inivit autem Imperium, quià bellum Gallicum eum ab hoc consilio distraxit (r). Verùm ipsa Electorum vota, ipsimet delata, conclamant, potuisse virum extraneum in Imperatorem eligi, si electus electionem suam fuisset, usquè ad effectum integrum prosecutus. Demum ecquæ causa fuit, vel saltèm prima origo tot dissidiorum, & bellorum, quæ intèr Carolum V. Imperatorem, Hispaniæ Regem, & Franciscum I. Regem Gallorum exarserunt; nisi quià uterque de adipiscendo Imperio Germanorum fortissimè contenderunt; promovente Franciscum Archiepiscopo Trevirensi: perorante verò ad favorem Caroli Archiepiscopo Moguntino, qui & aliorum tandèm Coelectorum vota in suum sensum pertraxit prævaluitque Caroli electio (s): cum Fridericus Dux Saxonię, Princeps omni ratione Germanus, Imperium recusasset (t)?

19. Itaque Imperium conferri potuisse Francisco Regi Galliæ, atque à natione Germanicâ prorsùs extraneo; jàm patet ex iis, quæ Archiepiscopus Trevirensis proposuit, illius promovens electionem. Patet etiam ex ipsâ Caroli electione, qui tametsi originariè Germanus, uti filius Philippi Austriaci, nati ex Maximiliano I. Imperatore; tamèn jàm per transitum ejus Patris ad solium Regium Castellanum (u), Et per utramque Coronam, Castellanam, & Aragonicam, super ipsius Caroli capite collocatam, factus erat totus Hispanus (x). Ex eo etiam quod antiquis temporibus Electores, modo Richardum, modo Eduardum ex Angliâ; modo Alphonsum X. ex Hispaniâ, in Cæsarem elegerunt; plusquàm clarum remanet, quod extraneis deferri potest dignitas Imperialis. Si autem deferri eis potest dignitas Imperialis, multò magis deferri potest dignitas Electoralis. Quod si tàm digni-

(a) *Limneus ad Bull. Auream c. 2. §. 2. n. 4.*
(b) *Tholosan. de Republ. l. 4. c. 4. n. 17.*
(c) *Keckermannus l. 1. Syst. polit. c. 2.*
(d) *Limneus loc. cit.*
(e) *Panvin. Rom. Princ. l. 3. nu. 28. Raynald. ann. 1251. 11.*
(f) *Raynal. an 1246 9. 1247. 1. Panvin. loc. cit. nu 29.*
(g) *Raynald. an 1247 n 4. Panvin. ibidem nu. 10.*
(h) *Raynal. an. 1257 n 1. Panv. Rom Princ. l. 3. nu. 24.*
(i) *Foresti l. 8. in Alphons. X Rè 67. di Spagna Raynald ann. 1257. Panvin. loc. cit. nu 32.*
(l) *Raynald. an 1271 nu 32.*
(m) *Foresti loc. cit.*
(n) *Raynald. an. 1274 n. 44. & an. 1275 n. 15.*
(o) *Foresti in Rodolfo Imperatore. Raynal. ann 1273. nu. 3.*
(p) *Raynald. an. 1348 n. 16. Panvin. l. 3. c 19.*
(q) *Rymer. to 5. ann. 1348 f 622.*
(r) *Panvin. Rom. Princ. lib. 3 nu. 39.*
(s) *Raynald an. 1519 nu. 9 14. 21.*
(t) *Idem loc. cit. n. 23 24.*
(u) *Raynald an. 1506 nu. 36. Forest. Mappam. Istoric. lib. 8. in Philip. I. Rè 78. di Spagna.*
(x) *Foresti Mappam. Istor. l. 24 in Carol. V. Imp.*

dignitas, & officium Electorale, quàm Imperiale, conferri valent extraneis; eccur eis conferri non possunt ecclesiastica beneficia? Nonnè tres Electoratus juncti sunt totidem beneficiis Archiepiscopalibus? Et hoc etiam respectu posthabito, nonnè, ut probavimus, valet argumentum ab officio ad beneficium? præsertim ab officio, & officiis sublimissimi ordinis, ad beneficia ordinis inferioris? Quibus tametsi jungerentur beneficia altionis ordinis, qualia sunt Episcopalia, hæc nunquam tantæ sunt consequentiæ, quantæ sunt Electoratus, & Imperium. Hæc prout dicebamus, allegare possemus, sed ab iis calamum temperemus.

20. Alium Scriptorem Ecclesiasticum Sæculi Decimiquarti hìc in propatulo proponamus, nempè *Joannem de Napoli*, Regentem studiorum cœnobii S. Dominici Neapolitani, ac Doctorem Sorbonicum (*a*), quem Joannes de Turrecremata vocat solemnem Doctorem Parisiensem (*b*), & S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, cum celebrioribus Doctoribus ætatis, in quâ floruit, enumerat (*c*): claruitque circà annum 1315. Hìc inter alia eximiæ suæ indolis monimenta, quę reliquit, quæstionem disputavit de potestate Papæ, in cujus puncto primò, ponit quinque conclusiones, easque excellentissimè probat: *prima*, quod in Ecclesiâ aliquis unus Prælatus debet esse Universalis gubernator totius Ecclesiæ. *Secunda*, quod Universalis Prælatus totius Ecclesiæ primus fuit, & est Christus. *Tertia*, quod post Ascensionem Christi, debuit esse aliquis alius à Christo, Universalis Prælatus totius Ecclesiæ. *Quarta*, quod post Christum ille unus Universalis Prelatus totius Ecclesiæ fuit Beatus Petrus, primus intèr Apostolos. *Quinta*, demùm, quod post Beatum Petrum Universalis Prælatus totius Ecclesiæ est Romanus Pontifex, Christi Vicarius, & Petri successor (*d*).

21. Quo facto ponit aliam conclusionem, in quâ docet: *Papa habet spiritualem potestatem plenariam jurisdictionis super totam Ecclesiam* (*e*). Et distinguit hanc potestatem *jurisdictionis* à potestate *excellentiæ*, quæ est in solo Christo, & concernit articulos fidei, sacramenta novæ legis &c. Distinguit eam etiam à potestate *ordinis*, quæ prospicit consecrationem Corporis Christi, vel collationem ordinum, ad ipsam consecrationem tendentium; hæcque potestas est communis in omnibos Sacerdotibus respectivè, quorum alii sunt Presbyteri, & alii Episcopi. Potestatem verò *jurisdictionis*, dicit esse *respectu Corporis Christi mystici gubernandi, ad quam potestatem pertinent omnia, respicientia regimen Ecclesiæ, & hæc plenaria, & totalis in solo Papâ est: in aliis autem Prælatis est partialis, & limitata, & à Papâ derivata, ut etiam dicitur 2. qu. 6. decr. cap. Et quis se scit: Cujus ratio est, quià ea quæ sunt ad finem, debent correspondere, & proportionari fini, sed talis potestas est in Ecclesiâ propter ejus regimen, ut prædictum est. Ergo talis potestas universalis, & illimitata, seù plenaria, est in solo Papâ, qui, ut declaratum est in primo puncto principali, est totius Ecclesiæ generalis gubernator. In aliis autem Prælatis est per derivationem ab ipso, secundum illam limitationem, & partialitatem, secundum quam à Papâ eis conceditur, seù in eos derivatur* (*f*).

22. Duas ineptas propositiones Contradictorum percutit hâc doctrinâ Joannes de Napoli; nempè illam, quâ dicunt, quod Summus Pontifex non est *Episcopus Universalis* Ecclesiæ Dei, & aliam, quâ effantur, quod Papa non habet in Ecclesiâ *plenitudinem potestatis*. Utramque enim prærogativam ipsi contradictores impugnant, ac Papæ detrahere pro viribus conniuntur. Porrò, tàm de primâ, quàm de secundâ ex his propositionibus, infrà fusè sermonem habebimus, dùm objecta diluemus: nunc satis sit ostendisse, quod Joannes de Neapoli utramque tuetur, satisque patefacit, quàm longè Contradictores à doctrinâ suorum majorum devient, audactèr negando id, quod ipsorum Antenati sustinuerunt, non clanculum, non in angulo domus, non cum insipientibus eloquendo; sed in propatulo, coram toto orbe, atque adversus pertinacissimos æquè, ac audacissimos Apostolicę Sedis impugnatores, nempè Guillelmum Okamum, cum suis asseclis, contrà quos Joannes de Neapoli memoratus disputationem istam instituit (*g*). Sed de utrâque inferius

(a) *Gravina in Vit. Joann de Neapol. ant. ejus oper.*

(b) *Card. Turrecrem. in tract. de Concep. B. Virg.*

(c) *S. Antonin. p. 1. Sum. Theol. tit. 8. q. 2. & alibi.*

(d) *Joann. de Neapol qu. 39. par. 1.*

(e) *Idem qu. 39 par. 2. Concil. 3.*

(f) *Joan. de Neapol. qu. 39. pun. 2.*

(g) *Vide rubric. ant. quæst. 39. Joannis de Neapoli.*

inferiùs, ut innuimus: hìc de secundâ tantum aliqua dicamus.

23. Habet itàque Summus Pontifex *plenitudinem potestatis* Pontificalis: quam asserit D. Thomas habere, sicut habet Rex in Regno, ad differentiam aliorum Episcoporum, qui sunt assumpti in partem sollicitudinis pastoralis (*a*). Et hoc modo dicitur etiam, quod Imperator habet plenitudinem potestatis Imperialis (*b*): Electores verò Imperii sunt in partem sollicitudinis constituti (*c*). Hęc autem plenitudo Pontificalis potestatis si quid afficit; afficit maximè materiam beneficialem, super quâ Summum Pontificem habere plenitudinem potestatis affirmat pluribus in locis textus sacrorum Canonum (*d*). Id affirmant quoque Canonistæ (*e*): affirmant Theologi (*f*): Uno tandèm ore tota affirmat Ecclesia (*g*). Et ideò docet D. Thomas, quod bona Ecclesiæ aliquo modo sunt bona Papæ (*h*): Quod Papa est supremus dispensator bonorum Ecclesiæ (*i*): Quod ipse demùm potest bona unius Ecclesiæ accipere, & in subsidium alterius conferre &c. (*l*). Si ergò Papa habet plenitudinem potestatis in beneficialibus; oportet quod beneficia conferre possit etiam Clericis extraneis, alioquin si hos præbendis ecclesiasticis insignire non potest; profectò potestatis plenitudinem non habebit: sicuti Rex non haberet plenitudinem Regiæ potestatis, neque Imperator plenitudinem Imperialis, si bonis, à suâ jurisdictione pendentibus, non posset æquè milites, & viros extraneos, ac indigenas munerare.

24. Quæ plenitudo potestatis Pontificalis, in Papâ residens, & hoc involuens, ut Papa valeat preficere beneficiis ecclesiasticis, etiam viros extraneos, facit quoque, ut idipsum valeant facere Episcopi (& respectivè, congruâ semper servatâ proportione, etiam ceteri beneficiorum dispensatores, vel ad ea nominarores) quippè potestas dispensativa beneficiorum, quę reperitur in Episcopis, est pars totius illius totalis, atque plenissimæ potestatis dispensativæ beneficiorum, quæ residet in Pontifice; cumque pars naturam sui totius involuat, valeatque argumentum à toto ad partem (*m*), prę̄sertìm quoties nulla lex contrarium disponit, sed potius utrobique est eadem ratio (*n*); hinc fit, quod quemadmodùm liberum, & licitum est Summo Pontifici, tàm Clericis indigenas, quàm extraneos præbendis ecclesiasticis præficere; ità etiam liberum, & licitum est Episcopis, ac proportionabilitèr cæteris ordinariis, vel delegatis beneficiorum collatoribus, aut ad ea nominatoribus, ipsamet beneficia, non modò Clericos indigenis, verùm etiàm extraneis elargiri.

25. Congessimus hucusque in præsenti capitulo doctrinam Scriptorum ecclesiasticorum Occidentalium: nunc aliquem ex Orientalibus allegemus, ut tàm Occidentalis, quàm Orientalis Ecclesiæ sensum consonum habeamus. Intèr Scriptores ecclesiasticos sæculi decimiquarti computatur *Nicephorus Gregoras*, Græcus historicus, qui vivebat anno Christi 1330. (*o*), & pleraque opera edidit, à Possevino, recoensita (*p*). Tametsi autem Gregoras vix de beneficiis ecclesiasticis eloquatur nisi quatenùs historiæ suæ interseruit nomen aliquorum Episcoporum, & prę̄sertìm eorum, qui in Patriarchali cathedrâ Constantinopoleos consederunt; quià tamen etiam Patriarchatus est beneficium ecclesiasticum (*q*), & quidem beneficium altioris ordinis, valetque optimè argumentum ab æquiparatis (*r*), atque à simili ad simile (*s*), necnon à majori ad minùs (*t*); hinc fit, quod quidquid dicitur de Patriarchatu, proportionalitèr quoque locum habeat in cæteris beneficiis. Plures prę̄cedenti sæculo memoravimus Patriarchas Ecclesiæ Constantinopolitanæ, in illâ sede locatos, quamquam ab eâ essent extranei, quorum promotionis memoriam facit etiam ipse Nicephorus Gregoras, unde illis dimissis, ad alios vertimus intuitum, quos idem Auctor recenset.

26. Joanne Sozopolitâ Patriarchatu Constantinopoleos se abdicante (*u*), in illum thronum iterum insilivit Athanasius, qui ante Joannem, illum tenuerat, e solitariâ vitâ, quam ducebat in Gani montibus, ad illam dignitatem ascitus, quam posteà dimiserat, & ad suum monasterium Xerolephum redierat, quietis amore (*x*). Magnis autem curis, & vexationibus agitatus, hac quoque secundâ vice, *Patriar-*

chicæ

(a) *S. Thom. 2.2. qu. 87 art. 9. ad 3. & 3. p. qu. 72. art. 11. ad 1. & in 4. dist. 20 art 4. qu. 3 in corp. & quodlib. 4. ar. 13 in corp. & in opusc. 1. c. 63.*

(b) *Bulla Aurea Carol. 4. in proem. & c. 1. n. 1. & 20. & c. 2. n. 8. & c. 16. n. 1.*

(c) *Bulla Aur. Carol. 4 c. 30. §. 1. & ibi Limneus observ. 8.*

(d) *Cap. licet 2. de preb. & dign in 6. Clemen. I ut lit. penden.*

(e) *Garcia de benef. p. 5. cap. 1 n. 1 Fagnan. in c. 4. n. 42. de transl Episc. Barb. jur. Eccl. Univers. l. 1. c. 2. n 98*

(f) *Filliuc. de stat. Cler. tract. 41. c. 2. à n. 2 & tract. 45. c. 5. à n. 14 Sanchez opusc. moral. l. 2. c. 2. dub. 36. n. 7*

(g) *Vid. infrà tom. 3 c. 15. per totum*

(h) *S. Thom in 4. dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 2.*

(i) *S. Thom 2.2. qu. 100. art. 1 ad 2.*

(l) *S. Thom in Philip. 4. lect. 2. & in 2. Corint. 11. lect. 2. in fin.*

(m) *L. quæ de tot. aff. de rei vendic. Barbos. tract. var. loc. 214. n. 1. cum aliis*

(n) *Abbas Cons. 58 in fin. l. 2. Alex. cons. 13 in fin. l. 4 Barbos. loc. cit. num. 2.*

(o) *Bellar. de Script. Eccl. in Nicephor. Gregoras*

(p) *Possevin in Appar. Sacr. Verb. Nicephorus Gregoras*

(q) *Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 4. n. 49*

(r) *Leg. Stichus ff. de manumiss. testam. Gratian. discept. for. c. 238 n. 70. Barbos. loc. 6.*

(s) *L. non possunt & leg. sequ. ff. de leg. Barbos. loc. 102. cum aliis*

(t) *Vide plur. jur. & DD. ap. Barbos. tract. var loc. 67*

(u) *Niceph. Gregor. hist. Rom. l. 6. c. ultim.*

(x) *Idem l. 7. c. 2. & l. 8 c. 11. & 13*

chiæ sedi renunciavit. Interim duobus annis elapsis, Nipho Cyzici Metropolitanus, Pontificibus Imperatoris voluntati obsecutis, ad Patriarchatum accersitur. Erat autem vir Græcarum literarum planè rudis, sacrarum etiam ferè, ut qui suâ manu, nèc elementa literarum sciret pingere (a). Ità post *Joannem* Sozopolitanum, & post *Athanasium* e Gani montibus, extraneos, à Patriarchatu abscedentibus, alter extraneus eisdem suffectus est, nempè *Nipho*, qui quatenùs Metropolita Cyzici in Mysiâ, Regione Asiæ, proculdubiò à Constantinopoli in Thraciâ, Regione Europę proculdubiò erat extraneus:&omninò, vel à primâ, vel à secundâ Metropoli, erat nedum extraneus,& extradiœcesanus, verùm etiàm extraprovincialis: Europęus in Asiâ, vel Asiaticus in Europâ. Nihilominus, nec Imperator Niphum, sivè Niphonem promovens, nec Episcopi,&Clerus eundem eligentes, post biennii tempus ad deliberandum habiti, & ad aliquem in numeroso Clero illius Ecclesię conquirendum, abstinuerunt à tali, ac tanto extraneo Patriarchatibus infulis decorando. Quâ in re, si quid fuit minùs accuratè peractum, vel propter electionem viri adeò debilis, & inepti, vel proptèr modum electionis hujus, vel aliorum Patriarcharum; summa tamen summarum est, quod & Imperator, & Episcopi, & si qui alii ad electionem, vel depositionem Patriarcharum Constantinopoleos concurrebant, quoad alia quidem puncta interdum à recti tramite deviabant; sed quoad rationem provectionis quoque virorum extraneorum, sacros canones nullatenùs violabant, sed eos potiùs observabant.

(a) *Idem lib.7. c.22, & 23.*

27. Post aliquod verò tempus Nipho fuit à Patriarchatu dejectus ob varia crimina, eique pars monasterii Periplepti assignata ad commorandum: *Uno anno interjecto in Patriarchicum solium collocatur Joannes Glycys, tum Logotheta Dromi, uxorem, & filios habebat* (b). Uxor ejus statim monasticum habitum est complexa, quem non potuit Joannes, uti optabat, ipse suscipere ob adversam valetudinem, vi cujus carnes comedere cogebatur (c). Hunc *Joannem Glycem* fuisse Constantinopoli indigenam cogitamus: uti Logothetam Dromi, seu Cancellarium Cursus: non est tamen sine consideratione dimittendum, quod intrà unum vacationis annum, in magnæ illius Ecclesiæ numerosissimo Clero, nullus ex Presbyteris, vel Diaconibus, aut Clericis fuerit in Patriarcham electus, sed *Joannes Glycys* cunctis Clericis prelatus fuerit, vir purus laicus, uxoratus, paterfamilias, monachatu carens, & ad monachatum inhabilis, sine cujus professione nullus ad tantam dignitatem reputabatur idoneus: quod sanè in viro illo (quidquid sit de origine naturali) moralitèr saltèm quandam speciem extraneitatis faciebat esse. Verùm hunc dimittamus; non multò post etenim Joannes Episcopatui cessit, & in Cyriotissæ monasterium se recepit (d).

(b) *Niceph. Gregor. hist. Rom lib.7 c.28 29*

(c) *Idem & Georg. Phranza Chron. l.1 c.9*

(d) *Niceph. Gregor. l.8.c.4. Phranz. loc. cit.*

28. Post eum promotus est *Gerasimus* monachus, è Manganio monasterio susceptus, qui post exiguum tempus, volens, nolens, sedem dimisit (e). *Eo tempore monachus quidam ex monte Atho, septuagenario major, nec ullâ Sacerdotali dignitate præditus, & conjungendarum penè literarum imperitus, in urbem venit, quem ob nimiam morum simplicitatem Imperator in recens defuncti Patriarchę locum sufficit* (f). Erat viro huic nomen *Isajas* (g). Et quod mirum est, obiiciebantur ei multa crimina, nec deerant plures, qui pro adipiscendo Patriarchatu solertes erant. Erat, estque adhuc mons *Athos*, mons Macedoniæ, proptèr Calogeros, sivè Monachos ibi habitantes celeberrimus, ubi adhuc ferunt esse circitèr 23. monasteria (h). In uno ex his monachalem professionem ediderat *Isajas*: qui proindè à sede Constantinopolitanâ tantò erat extraneus, quantum distat Constantinopolis à monte Atho, & Regio Macedoniæ, à Thraciæ Regione. Post hunc præfuit illi Ecclesiæ *Joannes*, deindè *Calixtus*, subsequentèr *Philetus*, posteà *Macarius*, ac novissimè *Nilus* intrà Sæculum Decimumquartum (i): Quorum nec Gregoras memoriam facit, quippè illius historia ad dimidium præsentis sæculi non pervenit (l), nec nobis aliundè ipsorum patriam, contigit reperire.

(e) *Niceph. Gregor. l.8.c.5. Phranza ibid.*

(f) *Niceph. Gregoras l.8.c.28, & l.9.c.20*

(g) *Phranza l.1.c.9*

(h) *Notæ ad Georg. Phranzam l.1.c.9*

(i) *Genebr. in Chron. l.4. ab an. 1352 ad 1389*

(l) *Bellarm. de Script. Eccl. in Niceph. Greg.*

29. Certè autèm ex illis Patriarchis, quos commemorat Gregoras, patet, quod hac ætate viris extraneis optimè patebat, accessus ad Patriarchale Constan-

tino-

tinopoleos beneficium. De Alexandrinis, Antiochenis, & Hierosolymitanis, ritus Græci, notitiam non habemus. Unum ex Alexandrinis Patriarchis introducit Gregoras, quodam apologo, seù scommate adversus Athanasium, mox memoratum, apud Constantinopolim perorantem: sed quodnam ejus nomen esset non exprimit (*a*). Ex Latinis hoc sæculo Patriarcha *Alexandrinus* fuit intèr alios *Humbertus*, Delphinus Viennæ in Galliâ, ordinis Prædicatorum, qui & insimùl infulis Remensis Archiepiscopatus effulsit (*b*). *Antiochenus* quoquè Patriarcha intèr alios fuit *Seguinus* Archiepiscopus Turonensis (*c*). *Hierosolymitanus* paritèr Patriarcha inter alios fuit *Guillelmus* Cardinalis S. Stephani in monte Cœlio, & Episcopus Tusculanus (*d*): nè quid loquamur de Patriarchatu *Aquilejensi*, quem hoc sæculo delatum fuisse novimus *Philippo* de Alenconio Gallo, Regii Francorum sanguinis: qui & insimùl Cardinalis, & Episcopus Ostiensis fuit, atque Archiepiscopus Rotomagensis (*e*).

30. Sed quid Patriarchis recensendis immoramur? Ipse Summus Pontificatus, qui est primùm, & supremum totius Christianitatis ecclesiasticum beneficium (*f*), intrà hoc Sæculum Decimumquartum à nullo ex Romanis fuit possessum, sed illum semper viri extranei tenuerunt, numero decem: Unus Tarvisinus apud Carnos, nempè Benedictus XI. duo Neapolitani, nempè Urbanus VI. & Bonifacius IX. ac septem Galli, nempè Clemens V. ex Agro Burdegalensi: Joannes XXII. Caturcensis: Benedictus XII. ex Territorio Tolosano: Urbanus V. Mimatensis diœceseos: & Clemens VI. Innocentius VI. atque Gregorius XI. Lemovicenses. Si autèm & Patriarchatus, & Papatus, quæ sunt præcipua Ecclesię beneficia, ritè, & rectè cernimus hoc tempore Clericis extraneis concessa; certè & Episcopatus, & Archiepiscopatus, & Abbatię, & Canonicatus, & cętera minoris ordinis beneficia conferri potuerunt eisdem: Eccur enim non liceat minusculum beneficium assequi, cui licitum est ad celsiora conscendere? Quod si licitum id fuit Sęculo Decimoquarto, cur etiam nunc idipsum licitum non erit? Nunquid Ecclesia pristinam illam potuit amittere libertatem, & de facto illam amisit? Ostendatur quandonam, & à quo, ac quâ auctoritate, Ecclesia fuerit hac libertate nudata, & deferemus Contradictoribus, alioquin inconcussè tuemur, liberum, & licitum esse Ecclesię, illiusque Ministris, atque in primis Summo Pontifici, ejusdem Ecclesiæ Capiti, necnon & Episcopis, aliisque omnibus tàm ordinariis, quam delegatis beneficiorum Collatoribus, vel ad illa Nominatoribus ecclesiastica beneficia non modò Clericis indigenis, verùm etiam extraneis impertiri.

Et per hæc terminum ponimus hujusmodi primo Tomo, nè illius corpus ad nimiam excrescens molem, unà simùl benigni Lectoris, & mentem, & manus, atque oculos defatiget.

(a) *Niceph. Gregor. l. 7. cap. 3.*

(b) *Vid. Seriem Archiep. Remens. nu. 65.*

(c) *Vid. Seriem Archiep. Turonens. nu. 83.*

(d) *Ciacon. in Urbani 6. nu. 1.*

(e) *Vid. Seriem Archiepiscopor. Rotomag. nu. 68. Ciacon. in Urban. 6. nu. 2.*

(f) *Layman. l. 4. tr. 2. c. 4. n. 4. Marta. de jurisd. p. 2. c. 39. num. 1. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. nu. 47.*

FINIS PRIMI TOMI.

De Libertate Ecclesię.